BIBLIOTHÈQUE

DES

ÉCOLES FRANCAISES D'ATHÈNES ET DE ROME

2e SÉRIE

LES

REGISTRES D'URBAIN IV

PUBLIÉS PAR

M. JEAN GUIRAUD

TOME DEUXIÈME

REGISTRE ORDINAIRE

Tome premier

IMPRIMERIE GÉNÉRALE DE CHATILLON-SUR-SEINE. — A. PICHAT.

LES REGISTRES
D'URBAIN IV
(1261-1264)

RECUEIL DES BULLES DE CE PAPE

PUBLIÉES OU ANALYSÉES

D'APRÈS LES MANUSCRITS ORIGINAUX DU VATICAN

PAR

M. JEAN GUIRAUD

ANCIEN ÉLÈVE DE L'ÉCOLE NORMALE SUPÉRIEURE, ANCIEN MEMBRE DE L'ÉCOLE FRANÇAISE DE ROME

TOME DEUXIÈME

REGISTRE ORDINAIRE

TOME PREMIER

PARIS

ANCIENNE LIBRAIRIE THORIN & FILS

ALBERT FONTEMOING, ÉDITEUR

LIBRAIRE DES ÉCOLES FRANÇAISES D'ATHÈNES ET DE ROME,
DU COLLÈGE DE FRANCE ET DE L'ÉCOLE NORMALE SUPÉRIEURE

4, Rue Le Goff, 4

1901

INCIPIT REGESTUM ANNI PRIMI

DOMINI URBANI PAPE QUARTI

1 Viterbe, 5 septembre 1261.

Archiepiscopo Remensi, ejus suffraganeis et omnibus personis ecclesiasticis per Remensem provinciam constitutis, de sua in pontificem electione scribit. (Reg. 26, fol. 1.)[1]

«.. *Archiepiscopo Remensi et suffraganeis ejus, ac abbatibus, prioribus, prepositis, decanis, archidiaconis, et aliis ecclesiarum prelatis, eorumque capitulis et conventibus seu collegiis, tam exemptis, quam non exemptis, per Remensem provinciam constitutis.* O altitudo divitiarum sapientie et scientie Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles vie ejus! Precelsum quidem thronum celorum continens, intuensque profundas abyssos montium ponderans gravitatem, et amplitudinem terre palmo concludens, summa sua providentia recte universa disponit, ineffabili sapientia rationabiliter moderatur, immensa virtute firmiter stabilit, et mira prudentia salubriter dirigit et gubernat. In quibus omnibus est profecto plus ammirandum quam pensandum, plus laudandum quam scrutandum, plus stupendum quam loquendum, et plus verendum quam diffiniendum. In horum quippe investigatione ac discussione, sensus caligat hominis, mens hebescit, succumbit ingenium et deficit intellectus, et quo plus circa hec intenditur, eo minus de hiis apprehenditur, et in majorem horum incertitudinem incidit, qui ad eorum notitiam satagit pleniorem, quia in perquirenda divinorum operum ratione, temere cogitatur, improvide studetur, inaniter et inutiliter laboratur. Hec divinarum actionum incomprehensibilis altitudo humane revera considerationis obtundit aciem, et perspicuum intelligentie confundit aspectum erga celestia pariter et terrena, cum vie conditoris omnium sint adeo abscondite ac inexplorabiles in utrisque, quod omnino ignorantie nubilo celantur mortalibus et nunquam eis clare cognitionis lumine innotescunt. Altum igitur et archanum providentie superne consilium oportuna jugiter erga fidelium ecclesiam oportune prospiciens, mira in ipsa miro modo pro mutabilitate temporum operatur. Et quia sibi prelatorum regimen est potissime necessarium, sine quo vix subsisteret inter seculi tempestates, circa prefectionem ipsius presulum et pastorum ostendit precipue sue sapientie magnitudinem et inscrutabilem beneplacitum voluntatis, ut que in hiis sua profunda dispositione, cum ratione licet occulta, ordinat et consumat, sint nimirum hominibus in stuporem. Hinc evenit, quod in cathedra pastorali que diversorum substitutione pontificum varietatem per tempora suscipit personarum, interdum senes junioribus et juvenes aliquando senioribus preferuntur. Hinc evenit, quod ipsa nonnunquam illos quos virtute et scientia magis insigniunt, non numquam vero minus talibus insignitos assumit. Hinc etiam evenit, quod aliquando eam hii de quibus minus creditur et speratur, ascendunt. Simile quoque in preeminenti apostolorum

1. Ces deux premières lettres n'ont pas de numéro d'ordre dans le Registre.

principis sede contingit quod, sedentibus in ea pro tempore cursum finientibus vite sue, alii juxta provisionem divinam ad culmen apostolicum subrogantur et suscitantur in sede ipsa sacerdotes et ministri fideles, qui vigilent super populum, juxta voluntatem Domini operentur. Digne igitur exclamatur : o supereminentia sapientie Dei, quam profunde sunt cogitationes ejus et occultum ejus consilium, quam inexquisibilis sua dispensatio et quam impenetrabilis suorum operationum abyssus! Sane, felicis recordationis Alexandro papa, predecessore nostro, VIII Kalendas Junii, videlicet in festo beati Urbani, pape et martiris, de carnis nexibus liberato, et ad gloriam superne patrie, sicut speramus, assumpto, ac ejus corpore post celebratas sollempnes exequias in Viterbiensi ecclesia honorifice, prout decuit, tumulato, fratres nostri, episcopi, presbiteri et diaconi cardinales, mox pro eligendo successore insimul convenerunt, affectus suos erigentes ad Deum, ut generali ecclesie viduate pastorem idoneum consueta misericordia largiretur. Invocata ergo Sancti Spiritus gratia, ut est moris, inceperunt protinus super electione summi pontificis diligentem habere tractatum et, licet studiose institerint et studuerint instanter, ut cito consequeretur tantum negotium finem bonum, ac divinam clementiam devota et sedula supplicatione pulsaverint, ut illum qui sibi esset acceptus, et quem apud se ad onus apostolice servitutis elegerat, ac super cujus meritum considerationis sue radius quiescebat, populo suo in rectorem celeriter concedere dignaretur; fuit tamen eorum in hoc desiderium aliquamdiu more interventione suspensum, et ipsius consumatio negotii per alicujus temporis spatium retardata. Nam cum de summo et universali presule, de patre patrum, de pastore pastorum et de Christi vicario ac successore prefati apostolorum principis ageretur, majorem utique providentiam et ampliorem deliberationem res tam ardua requirebat. Demum autem post multam discussionem longumque tractatum, ad personam nostram, cum tunc ecclesie Jerosolimitane gerentes regimen, pro suis negotiis apud sedem apostolicam moraremur, sua unanimiter corda et animos concorditer converterunt, direxerunt vota et firmavere consensus, et quamvis inter eos essent qui veluti digniores scivissent et potuissent plenius et laudabilius tantum officium exercere, quamquam etiam multos extra suum collegium eorum anxie cogitationi et explorationi sollerti mundus offerret, quibus utpote potioribus magis decuisset imponi tante sarcinam dignitatis, ipsi tamen nostram insufficientiam aliorum sufficientie pretulerunt, nos ad summi pontificatus apicem communiter eligentes. Considerantibus itaque nobis difficultatem hujusmodi officii et laborem, ac apostolice cathedre preeccellentiam, que in se presidentem sicut altiori prefert honore, sic premit onere graviori, et attendentibus imperfectionem nostram multiplicem, ac tanti ponderis molem imbecillitati nostre penitus importabilem, concussum est intra nos nimio stupore cor nostrum et expavimus ac hesitavimus vehementer, quum vix particulares ferre valentes vigilias, ad universalem speculam vocabamur, et intolerabile apostolici ministerii jugum inferebatur instanter debilitatis nostre cervici ac meritorum suffragium non habentes angebamur ad suscipiendas apostoli Petri claves et gerendum ligandi atque solvendi pontificium super omnes. Verumtamen, ne videremur opus divine providentie impedire, aut nolle voluntatem nostram suo beneplacito conformare, ac ne corda electorum concordia per dissensum nostrum ad discordiam verteremus, voluntatibus tandem acquievimus eorundem, summittentes nostros impotentes humeros ad portandum, non quod de aliqua nostra virtute fiduciam habeamus, sed quia speramus in illo qui confidentes in se non deserit, immo propitius adest eis auxiliis oportunis, qui ecclesiam, sponsam suam, de sublimi celi solio intuetur misericorditer et tuetur, ac pietatis sue beneficiis non desinit exaltare. Vestris igitur et aliorum suffragiis propter imperfectum nostrum plurimum indigentes, universitatem vestram fiducialiter requirimus et attentius exhortamur, quatenus assidua nos apud Deum intercessione juvetis solventes pro nostro auxilio linguas et preces et in orationes labia exercentes, humilitatem nostram sibi affectuosis supplicationibus commendando, et deprecationibus penes ipsum instando devotis, ut super nos ymbrem gratie sue pluat, et rorem solite benignitatis infundat, quod actus nostros dirigentes ad ipsum, ecclesiam suam, quam nobis committere voluit, salubriter regere, ac de universo ipsius grege vigilantie nostre credito curam gerere debitam, sicut expedit, valeamus. Nos vero firmiter in animo gerimus vobis et vestris ecclesiis benignis adesse presidiis, vestrumque profectum condignis favoribus procurare. Datum Viterbii, nonis septembris, anno primo. »

2 Sans date [1].

Regi Franciæ suam in pontificem electionem nunciat. (Reg. 26 fol. 1 v°.)

«.. *regi Francie illustri*. O altitudo etc., usque eligen-

1. Cette lettre a dû être envoyée en même temps que la précédente.

tes. In eo autem te tuumque inclitum regnum non modicum honorasse noscuntur, quod, cum et alia orbis regna viros electos habeant, polleantque personis meritorum claritate perspicuis, ad predictum tuum regnum, specialiter postpositis reliquis, in tam grandi negotio habuere respectum personam oriundam de illo ad universalis ecclesie regimen assumendo, de quo potes et debes plurimum in Domino gratulari. Considerantibus itaque etc., usque exaltare. Serenitatem igitur regiam fiducialiter requirimus et attentius exhortamur quatinus pro ecclesie matris honore tanquam precipuus et precordialis ejus filius laudabili sollicitudine pervigil, sic te in omnibus que ad sue libertatis robur et quietum ac prosperum statum ipsius faciunt, favorabilem et studiosum exhibeas, quod exinde apud principes mundi et alios nomen tuum, clara semper crescente fama, extollatur altius et penes regem regum, majoribus tuis exigentibus meritis, tibi premium augeatur. Nos vero te ac predictum devotissimum regnum tuum prerogativa dilectionis et gratie prosequentes, firmiter in animo gerimus ad ea que tibi sint placida, vigilanter intendere tuamque personam multipliciter honorare. »

3 Viterbe, 25 septembre 1261.

Priorem et capitulum seculares in ecclesia S. Johannis in Senno ab Imolensi episcopo constitutos, auctoritate apostolica confirmat. (Reg. 26 fol. 2 r°, n° 1.)

«.. *priori et capitulo secularis ecclesie s. Johannis in Senno, Imolensis diocesis.* Hiis que pro ecclesiarum —. Sane petitio vestra nobis exhibita continebat quod, cum olim ecclesia vestra fuerit monasterium ordinis s. Benedicti, et illud, in quo duo abbates, alter eorum videlicet immediate post alium, machinantibus in necem ipsorum monachis et conversis ejusdem monasterii, miserabiliter interfecti fuerant, adeo collapsum esset in spiritualibus et in temporalibus propter assuetam et perversam malitiam eorundem, quod in suo vel alio non poterat ordine aliquatenus reformari, venerabilis frater noster .. Imolensis episcopus, loci diocesanus, cui constitit legitime de premissis, diligenter attendens quod monasterium ipsum sibi subjectum ne periret residuum ejus subire, per seculares clericos poterat salubriter relevari, predictum monasterium propter premissas causas et ut ibidem divinus cultus non deficeret, de clericis secularibus auctoritate ordinaria, de capituli sui consensu, provide ordinavit, statuens quod idem monasterium deberet de cetero per seculares priorem et clericos gubernari, monachis et conversis qui in eodem monasterio remanserant, per alia loca ejusdem ordinis sue civitatis et diocesis ad agendam ibidem penitentiam collocatis, prout in instrumento publico, inde confecto, dicitur plenius contineri. Nos itaque vestris supplicationibus inclinati, quod super hiis ab eodem episcopo provide factum est, ratum habentes et gratum, illud auctoritate apostolica confirmamus etc., usque communimus. Nulli ergo etc —. Datum Viterbii, VIII kalendas octobris, anno 1° ».

4 Viterbe, 1er octobre 1261.

Fratribus Heremitis, ordinis S. Augustini, in Anglia constitutis, usum campanae concedit. (Reg. 26 fol. 2 r°, n° 2.)

«.. *priori et fratribus Heremitarum in Anglia, ordinis s. Augustini.* Vestre religionis inducti meritis, vobis habendi campanam unam dumtaxat in domibus vestris ad pulsandum in horis et convocandum ad officia fratres domorum ipsarum, auctoritate presentium, sine juris prejudicio alieni, concedimus facultatem. Nulli ergo etc. Datum Viterbii, kalendis octobris, anno 1° ».

5 Viterbe, 5 octobre 1261.

Episcopo Cameracensi mandat ut Waltero de Sonegiis de aliquo ecclesiastico beneficio providere curet. (Reg. 26 fol. 2 r°, n° 3.)

«.. *episcopo Cameracensi.* Constitutus in presentia nostra, dilectus filius, Walterus de Sonegiis, pauper presbiter tue diocesis, nobis humiliter supplicavit ut cum ipse, sicut asserit, nullum beneficium ecclesiasticum sit adeptus, provideri sibi de benignitate apostolica mandaremus. Cum itaque ipsum examinari fecerimus diligenter, et inventus fuerit in litteratura competenter idoneus, ad ecclesiasticum beneficium obtinendum, fraternitati tue per apostolica [scripta] mandamus quatinus eidem presbitero, si non est alias beneficiatus, de aliquo, ecclesiastico beneficio prebendali vel alio, cum cura vel sine cura, ad cujuscunque collationem spectante, nulli alii de jure debito, si in tua civitate vel diocesi vacat ad presens, aut quamcito se facultas obtulerit, dummodo alias sibi vite merita suffragentur, ac velit in illo personaliter residere, auctoritate nostra per te seu per alium providere procures, inducens eum in corporalem possessionem ipsius et defendens inductum, ac faciens ipsum ad illud, si in collegiata ecclesia fuerit, postquam de ipso vacante sibi provisum extiterit, in canonicum recipi et in fratrem. Non obstante —. Contradictores —. Nolumus autem quod in ecclesia cathedrali vel de beneficio ad collationem seu presentationem alicujus exempti vel Cisterciensis pertinente, aucto-

ritate presentium presbitero provideatur eidem, mandatum nostrum taliter impleturus quod merito impendisse lauderis misericordiam pauperi et obedientiam mandatori. Datum Viterbii, III nonas octobris, anno I° ».

6 Viterbe, 1er octobre 1261.

Episcopo Colimbriensi mandat ut Petro Martini, clerico Colimbriensi, de aliquo ecclesiastico beneficio providere procuret. (Reg. 26 fol. 2 r°, n° 4.)

«.. *episcopo Colimbriensi.* Ex parte Petri Martini, pauperis clerici Colimbriensis, fuit nobis humiliter supplicatum ut cum ipse, sicut asseritur, nullum ecclesiasticum beneficium sit adeptus, provideri sibi de benignitate apostolica mandaremus. Pia igitur eum benivolentia prosequentes, fraternitatem tuam rogamus et hortamur attente, per apostolica tibi scripta mandantes quatinus, si est ita, eidem clerico secundum sue probitatis merita, de competenti ecclesiastico beneficio, cum cura vel sine cura, nulli alii de jure debito, ad tuam vel alterius collationem spectante, si in tua civitate vel diocesi vacat ad presens, vel quamcito se facultas obtulerit, dummodo in litteratura et vita reperiatur idoneus, et velit in illo personaliter residere, per te vel per alium auctoritate nostra providere procures, faciens ipsum ad illud, si in collegiata ecclesia fuerit, postquam de ipso vacante sibi provisum extiterit, in canonicum recipi et in fratrem —. Datum Viterbii, kalendis octobris, anno I° ».

7 Viterbe, 22 septembre 1261.

Episcopo Parisiensi mandat ut monasterio Fontis Johannis, Cisterciensis ordinis, Senonensis diocesis, sub onere debitorum obruto, opportunum remedium adhibere procuret. (Reg. 26 fol. 2 v°, n° 5.)

«.. *episcopo Parisiensi.* Gravem dilectorum filiorum.. abbatis et conventus monasterii Fontis Johannis, Cisterciensis ordinis, Senonensis diocesis, accepimus questionem quod Geraldus, quondam ipsius monasterii abbas, nunc s. Benedicti ordinis monachus, prefatum monasterium, conventus ejusdem monasterii irrequisito consensu, pro viginti octo milibus librarum Turonensium et amplius diversis creditoribus personis secularibus obligavit; propter quod prefatum monasterium eam desolationem incurrit, quod in eo, in quo septuaginta consueverunt monachi Deo in divinis officiis deservire, vix tantum possunt in paupertate duodecim residere. Cum autem per eosdem creditores dicti abbas et conventus coram diversis executoribus a sede apostolica delegatis, diversimode adeo molestentur, quod nisi predicto monasterio sedis apostolice presidio celeriter succurratur, vix adiciet ut resurgat, prefati abbas et conventus nobis humiliter supplicarunt ut providere ipsis super hoc paterne diligentie studio curaremus. Cum igitur nostra intersit collapsis ecclesiis, qui omnium curam gerimus, non deesse, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus, vocatis qui fuerint evocandis, tam litteras super hoc ad judices ipsos obtentas, quam processus earum auctoritate habitos, auctoritate nostra tibi faciens exhiberi, detentores earum ad id, si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compellendo, audias que partes coram te duxerint proponenda et si prefati creditores probare nequiverint predictam pecuniam eidem Geraldo de consensu conventus mutuatam, ac in ejusdem monasterii utilitatem conversam fuisse, licet super hoc prefati G., quondam abbatis, littere in judicium deducantur, prefatis creditoribus super eisdem pecuniarum summis perpetuum imponens silentium, eosdem abbatem et conventum ab eorundem super hoc impetitione absolvere non postponas. Non obstantibus —. Contradictores etc. Datum Viterbii, x kalendas octobris, anno I°.

8 Viterbe, 6 octobre 1261.

Generali, prioribus et fratribus ordinis S. Guillelmi, excommunicandi et incarcerandi apostatas ejusdem ordinis concedit. (Reg. 26 fol. 2 v°, n° 6.)

«.. *generali ceterisque prioribus et fratribus ordinis s. Guillelmi.* Devotionis vestre precibus benignum impertientes assensum, excommunicandi, capiendi, ligandi, incarcerandi et alias subdendi discipline rigori apostatas vestri ordinis per vos ac etiam alios, si necesse fuerit, in quocunque habitu eos contigerit inveniri, plenam vobis concedimus auctoritate presentium facultatem, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Nulli ergo, etc. Datum Viterbii, II nonas octobris, anno I° ».

9 Viterbe, 11 octobre 1261.

Novam episcopi Autisiodorensis de Autisiodorensi capitulo constitutionem approbat et confirmat. (Reg. 26 fol. 2 v°, n° 7.)

« .. *episcopo Autisiodorensi.* Significasti nobis quod

frequenter contingit quod canonici Autisiodorensis ecclesie ab ea, in qua residere de consuetudine personaliter non tenentur, causa studii aut peregrinationis seu alias pro eorum libito se absentant, propter quod, paucis in ipsa ecclesia canonicis remanentibus, eadem ob servitorum defectum debitis obsequiis defraudatur. Quare nobis humiliter supplicasti ut, cum in predicta ecclesia, in qua prebendarum collatio ad te pertinet, sint nonnulle prebende quarum redditus sunt adeo pingues, quod ex una quacunque ipsarum, duo possunt sustentari canonici competenter, ad cultum divini nominis ampliandum, tibi curaremus concedere quod possis sex de prebendis ipsius ecclesie, quarum facultates ad id melius sufficere cognoveris, cum in ecclesia jamdicta vacaverint, dividere, ac de ipsis sex duodecim, duas videlicet de qualibet ipsarum, prebendas facere et auctoritate nostra statuere quod quatuor ex ipsis duodecim prebendis sacerdotales, et quatuor diaconales, ac quatuor subdiaconales existant, quodque hujusmodi sacerdotales non nisi clericis idoneis qui sint in presbiteratus, et eedem diaconales in diaconatus, et dicte subdiaconales in subdiaconatus ordinibus constituti, vel talibus qui velint et possint infra annum a tempore collationis illarum ad hujusmodi promoveri ordines, conferantur, quodque juramento teneantur prestito in prenominata ecclesia per novem menses ad minus residentiam facere personalem, nisi interim Autisiodorensis episcopi aut ecclesie premisse capituli specialiter vacarent obsequiis, seu in terre sancte subsidium aut ad visitandum beatorum Petri et Pauli limina peregrinationis causa forsitan se conferrent, et iidem in dicta ecclesia stallum in choro et locum in capitulo ac plenum jus canonicatus habeant, sicut habent ceteri canonici ecclesie antedicte. De tua igitur circumspectione plenam in Domino fiduciam obtinentes, ordinandi et statuendi ac providendi super hoc, prout secundum Deum utilitati et honori ejusdem ecclesie videris expedire, fraternitati tue auctoritate presentium liberam concedimus facultatem. Non obstante —. Contradictores —. Ita tamen quod hujusmodi residentia remitti nequeat absque consensu episcopi et capituli ecclesie memorate, quodque si a tempore quo tu aliquas de premissis sex prebendis dividere ceperis alie vacaverint in eadem ecclesia, nullum tibi per hoc interponatur obstaculum quin illas integras libere conferas, prout ad te pertinet et videris expedire. Proviso quod tantum cuilibet dictorum duodecim assignetur quod pro competenti beneficio habeatur et quod nichilominus reliqui ecclesie prenominate canonici teneantur ad debitam et consuetam in ea residentiam faciendam. Datum Viterbii, v idus octobris, anno I° ».

10 Viterbe, 11 octobre 1261.

Episcopum Tripolitanum a juramento solvit quod ab eo, violenta injectione manuum, J., de Polo comes, extorquere presumpserat. (Reg. 26 fol. 3, n° 8.)

«.. *P., episcopo Tripolitano.* Ad audientiam nostram pervenit quod, cum super castro Marini, utpote re testamentaria, dudum inter dilectum filium nostrum J., s. Nicolai in Carcere Tulliano diaconum cardinalem, executorem testamenti quondam Johannis Fraiapani, ex parte una, et quondam J. de Polo comitem et nobilem mulierem Sarracenam, uxorem ejus, relictam predicti Johannis Fraiapani ex altera, questio vertetur, tandem idem comes in mortis articulo constitutus, saluti sue volens consulere, fecit tibi castrum ipsum a te tenendum sub certis pactis et condicionibus quas idem cardinalis ratas habuit assignari. Postmodum vero, eodem comite viam universe carnis ingresso, nobilis vir Nicolaus, natus ejus, sicut facti evidentia demonstrat aperte, nequiter ad castrum ipsum aspirans, personam tuam pontificali dignitati et etiam proxime consanguinitati, qua ei conjunctus es, ac religioni tue non deferens, capere non sine violenta in te injectione manuum, ac diro carceri mancipare, ibique tamdiu te detinere sacrilego ausu presumpsit in ecclesie Romane contemptum, derogationem ecclesiastice libertatis, anime sue periculum et tuum non modicum prejudicium et gravamen, donec, assignato sibi castro predicto, prestitisti ei de illatis tibi non prosequendis contra eum dampnis et injuriis corporaliter juramentum. Quia vero ea que vi metusve causa fiunt, carere debent robore firmitatis, nos et fame tue providere, ac indempnitati paterna sollicitudine subvenire volentes, ne tam gravem excessum et lesionem enormem videamur sub dissimulatione transire, sicut nec volumus nec debemus, omnia que super hoc taliter acta sunt in irritum penitus revocantes, auctoritate apostolica te ab hujusmodi juramento ut, eo non obstante, libere contra ipsum N. experiri super taliter illatis tibi dampnis et injuriis et recuperatione ipsius castri procedere valeas, absolvimus et te ad ejus observantiam decernimus non teneri. Nulli ergo nostre revocationis, absolutionis et constitutionis etc. Datum Viterbii, v idus octobris anno I° ».

11 Viterbe, 6 octobre 1261.

Generali, prioribus et fratribus Heremitis, ordinis s. Guillelmi concedit ut ad prestationem procurationum, exactionum

seu quorumlibet subsidiorum compelli minime valeant. (Reg. 26 fol. 3 v°, n° 9.)

«.. *generali et aliis prioribus ac fratribus Heremitis, ordinis s. Guillelmi.* Ut eo liberius divinis vacare valeatis obsequiis, quo magis fueritis apostolico favore muniti, ad instar felicis recordationis Alexandri pape, predecessoris nostri, presentium vobis auctoritate concedimus ut ad prestationem procurationum, exactionum, talliarum, collectarum seu quorumlibet subsidiorum, quocumque nomine censeantur, compelli cujuscumque mandato vel auctoritate minime valeatis nec etiam ad id per litteras apostolicas cogi possitis inviti, que de concessione hujusmodi et ordine vestro plenam et expressam non fecerint mentionem. — Nos enim decernimus irritas et inanes interdicti, suspensionis et excommunicationis sententias, si quas in vos aut heremos vestras occasione hujusmodi in posterum contigerit promulgari. Nulli ergo nostre concessionis et constitutionis etc. Datum Viterbii, II nonas octobris, anno 1° ».

12 Viterbe, 11 octobre 1261.

Edicit ne aliquis monachus Westmonasterii Londoniensis sua peccata alicui confiteri presumat nisi abbati vel cui ea audiendi facultatem abbas concesserit. (Reg. 26 fol. 3 v°, n° 10.)

«.. *abbati et conventui Westmonasterii Londoniensis, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis s. Benedicti.* Intelleximus te, fili, significante, abbas, quod nonnulli monachi Westmonasterii, te contempto, pro eorum libito eligunt confessores quibus, non petita vel obtenta tui licentia, confitentur, et ab eis non secundum suorum qualitatem excessuum sed juxta sue voluntatis arbitrium recipiunt penitentiam de commissis, ex quo animabus eorum grave imminet detrimentum. Nos igitur animarum saluti volentes juxta officii nostri debitum providere, auctoritate presentium districtius inhibemus ne aliquis predicti monasterii monachus presumat alicui sui confiteri peccata nisi tibi aut abbati ejusdem monasterii, qui pro tempore fuerit, vel alii de tua vel illius licentia seu de speciali concessione ac licentia sedis apostolice sive alicujus alterius super hoc potestatem habentis, aut de ipsis peccatis recipere penitentiam ab eodem, si secus actum fuerit decernentes irritum et inane. Nulli ergo nostre inhibitionis et constitutionis etc. Datum Viterbii, V idus octobris, anno 1° ».

13 Viterbe, 6 octobre 1261.

Fratribus Heremitis, ordinis s. Guillelmi, concedit ut sub regula b. Benedicti secundum institutiones b. Guillelmi remanere in habitu solito valeant. (Reg. 26 fol. 3 v°, n. 11.)

« .. *generali et aliis prioribus ac fratribus heremitis, ordinis s. Guillelmi.* Licet olim pro unione facienda inter vos et alios heremitas tunc ordinum diversorum fueritis ad presentiam felicis recordationis A. pape, predecessoris nostri, litterarum ipsius auctoritate citati, quieti tamen et saluti vestre paterno providentes affectu, ad instar predecessoris ejusdem, presentium vobis tenore concedimus ut sub regula b. Benedicti secundum institutiones beati Willelmi remanere in habitu solito valeatis. Non obstantibus —. Nulli ergo —. Datum Viterbii, II nonas octobris, anno 1° ».

14 Viterbe, 12 octobre 1261.

Decano Parisiensi mandat ut ecclesiae Cathalaunensi, sub onere debitorum obrutae, opportunum remedium adhibere procuret. (Reg. 26 fol. 3 v°, n° 12.)

«.. *decano Parisiensi.* Gravatis ecclesiis —. Sane venerabilis frater noster, Cathalaunensis episcopus, nobis significare curavit quod ecclesia Cathalaunensis tanto premitur onere debitorum, quod quasi totam ejus substantiam voracitas usurarum absorbet, cujus occasione dictus episcopus ab ipsius ecclesie creditoribus per litteras apostolicas ad diversos judices, conservatores et executores sibi propitios impetratas frequenter impetitur, et nunc ad istos, nunc ad illos, non sine multis expensis et laboribus, trahitur, et dum ad satisfaciendum non sufficit in hac parte, dampna, tedia et persone periculum ac labores multos incurrit. Super quo subveniri sibi et eidem ecclesie per apostolice sedis providentiam humiliter supplicavit. Volentes itaque hujusmodi creditorum obviare malitiis et ipsius ecclesie dispendiis precavere, discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus omnes questiones et causas super hujusmodi debitis tam ecclesiam ipsam et eundem episcopum quam universos creditores eorum quomodolibet contingentes, ad te auctoritate presentium revocans, omnes dicte sedis litteras super hiis ad quoscunque judices impetratas, et processus per eas habitos tibi facias exhiberi, detentores eorum ad id per censuram ecclesiasticam compellendo, et universis excommunicationum suspensionum vel interdicti sententiis prolatis occasione hujusmodi primitus secundum formam eeclesie

relaxatis, causas ipsas audias et, usuris omnino cessantibus, debito fine decidas, faciens quod decreveris etc., Testes etc. Datum Viterbii, IIII octobris, anno 1° ».

15 Viterbe, 17 septembre 1261.

Monasterium s. Lazari de Bethania quod ab Alexandro IV fratribus hospitalis Johannis Jerosolymitani devolutum fuerat, juri abbatissae et monialium ipsius s. Lazari conventus restituendum esse decernit. (Reg. 26 fol. 4, n° 13.)

Ad perpetuam rei memoriam. Romana ecclesia que —. Sane felicis recordationis A. papa, predecessor noster, asserens quod .. magistrum et fratres hospitalis s. Johannis Jerosolimitani, quos dicebat Regis eterni obsequium, personarum periculis minime formidatis, intrepidis prosequi animis et viribus indefessis pro terre Jerosolimitane tutela, Christi sanguine rubricate, continue decertare, duros anxiosque labores et sumptus innumeros subire pro ejusdem terre munimine oportebat, quodque ad hoc non sufficiebant ipsius hospitalis proprie facultates, monasterium s. Lazari de Bethania, ordinis s. Benedicti, Jerosolimitane diocesis, quod intellexerat fore paganica persecutione quasi destructum et occupatum ab inimicis Christiani nominis detineri, cum omnibus possessionibus, juribus, libertatibus, immunitatibus et pertinentiis suis eisdem magistro et fratribus ac per eos hospitali prefato, ut ex hoc suffragium haberet aliquod ad terre presidium supradicte, postulationibus eorum inductus, de speciali gratia et apostolice plenitudine potestatis per suas sub certa forma duxit litteras conferendum, intrandi ac retinendi auctoritate propria possessionem premissorum omnium, non obstante contradictione cujusquam, facultatem eis liberam per easdem litteras concedendo ; ita quod ipsi .. abbatisse et monialibus ejusdem monasterii, tunc in ipso existentibus, quamdiu viverent et permanerent ibidem, sufficienter omnia necessaria ministrarent, et post earum decessum vel discessum totidem religiosas mulieres ordinis eorundem, que nunc alterius religionis in dicto monasterio existebant, substituerent, et ordinarent in eo, sub predicti Hospitalis regula, correctione ac regimine moraturas, patriarche Jerosolimitani, diocesani loci, et aliorum pontificum in quorum diocesibus nominati monasterii bona consistunt, juribus semper salvis. Ac niichilominus venerabili fratri nostro .., episcopo Tiberiadensi et dilecto filio .., abbati s. Samuelis Acconensis, Premonstratensis ordinis, alias idem predecessor litteras suas direxit inter cetera continentes ut predictos magistrum et fratres vel procuratorem ipsorum aut alium suo nomine in possessionem memorati monasterii et omnium bonorum et jurium ad illud pertinentium, amotis exinde quibuslibet illicitis detentoribus, per se vel alios inducere procurarent, et insuper, consideratis diligenter ipsius monasterii statu ac numero et qualitate personarum degentium in eodem, ordinarent auctoritate sua de sufficientibus necessariis personis exhibendis eisdem quod ordinandum viderent, facientes hujusmodi necessaria sufficienter ipsis personis, prout eorum circumspecta providentia prudenter statueret et ordinaret, a predictis magistro et fratribus ministrari, contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Iidem vero executores .. preceptorem Hospitalis predicti in corporalem possessionem nominati monasterii, necnon omnium bonorum et jurium predictorum, juxta dictarum litterarum ad eos directarum continentiam, induxerunt, in contradictores excommunicationis sententiam promulgando. A quibus tam pro Jerosolimitana ecclesia quam pro memorato monasterio, in quorum prejudicium et jacturam hujusmodi collatio redundabat, ad sedem apostolicam extitit appellatum. Porro ad prosequendum appellationem hujusmodi ac obtinendum revocationem collationis et litterarum earundem, tam nos personaliter, qui tunc ipsius ecclesie Jerosolimitane regimini preeramus, quam procurator dicti monasterii ad sedem apostolicam accedentes, interdum per nos, quandoque vero per alios, in judicio coram eodem predecessore, dicti Hospitalis procuratore presente, supplicando petivimus prefatas collationem et litteras ac processus per eas seu occasione ipsarum habitos, et quicquid ex eis vel occasione ipsarum secutum fuerat, revocari et ea omnia cassa et irrita nuntiari ac monasterium ipsum in eum statum in quo fuerat ante collationem eandem, omnino reduci. Et licet procurator memorati hospitalis quod hoc fieri non deberet, diceret, ex adverso nos tamen et procurator ejusdem monasterii petitioni proposite nichilominius insistentes, inter alia proponere et allegare curavimus collationem ipsam in enormem lesione[m] ecclesie et monasterii predictorum et grave prejudicium aliorum in eodem monasterio ac membris ipsius jus habentium redundare, quodque collationem eandem fieri nec evidens suggessit utilitas nec urgens necessitas persuasit, sed ipsam ab eodem predecessore per facti ignorantiam circumvento, falsi suggestio et suppressio veritatis elicuit, utpote cum onus continue decertandi cum inimicis fidei Christiane ac anxios labores et sumptus innumeros subeundi pro munimine terre sancte, quod iidem magister et fratres sibi asseruerant incumbere, tunc temporis eis nullatenus im-

mineret, et in dicto monasterio, quod iidem magister et fratres quasi destructum et occupatum ab eisdem inimicis detinere suggesserant, abbatissa et conventus quinquaginta monialium et plurium haberentur, utique quod ipsi non sine obreptionis vitio tacuerunt. Cum autem adeo fuisset coram sepefato predecessore in hujusmodi negotio litigatum, quod discussis juribus partium et earum justitia declarata nobis et procuratori ejusdem monasterii spes firma daretur quod idem predecessor ecclesie ac monasterio predictis et aliis contra tam enormem lesionem celeri sententia subveniret, eo tandem morte prevento, non extitit dictum negotium terminatum. Nos vero postmodum divina vocatione ad culmen summi pontificatus assumpti, acta ipsius negotii cum fratribus nostris recensere curavimus diligenter. Omnibus igitur ejusdem negotii meritis cum ipsis fratribus plene discussis ac deliberatione habita cum eisdem, vocato quoque procuratore prefati Hospitalis ad sententiam audiendam, procuratore dicti monasterii in nostra presentia constituto, de ipsorum fratrum consilio predictam collationem et litteras super ea predictis magistro et fratribus ab apostolica sede concessas, et quicquid ex eis secutum est vel ob ipsas, nec non interdicti, suspensionis et excommunicationis sententias in dictas abbatissam et conventum vel aliquas monialium earundem aut quaslibet alias personas a dictis executoribus seu quibuslibet aliis, occasione hujusmodi promulgatas, et quoslibet processus earundem collationis et litterarum pretextu habitos, sententialiter pronuntiando, penitus revocamus, et decernimus nullius existere firmitatis, et prefatos magistrum ac fratres ad plenariam restitutionem fructuum, quos de ipsis monasterio et membris ac quibuslibet bonis eorum, pretextu collationis et litterarum hujusmodi perceperunt post inchoatum coram eodem predecessore judicium, reservata nobis ipsorum taxatione, sententialiter condempnamus, dictum nichilominus monasterium cum omnibus membris, possessionibus, juribus et pertinentiis suis in eum omnino statum in quo erat dicte collationis tempore, et specialiter ut in nullo magistro et fratribus ac hospitali predictis ratione collationis ejusdem aliquatenus teneatur, sed ipsi Jerosolimitane ecclesie subsit, prout ante suberat, et ut tam eadem Jerosolimitana quam cetere alie ecclesie que in dicto monasterio vel membris ipsius aliquod jus habebant, illud obtineant libere de cetero, sicut ius, sententialiter reducentes. Nulli ergo nostre sententie etc. Datum Viterbii, xv kalendas octobris, anno I° ».

16 Viterbe, 28 octobre 1261.

Arnaldum de Millesanctis, a majori et saniori parte Tarviensis capituli electum, confirmat. (Reg. 26 fol. 4 v°, n° 14.)

«.. *capitulo Tarviensi.* Debitum officii nostri —. Sane Tarviensis ecclesia pastoris solacio destituta, vos, vocatis omnibus qui debuerunt, voluerunt et potuerunt comode interesse, die ad eligendum prefixa, quidam vestrum Arnaldum de Millesanctis, tunc ecclesie Aquensis canonicum, elegerunt, alii vero Raymundum Arnaldi de Caudarasa postularunt in ejusdem ecclesie Tarviensis episcopum et pastorem. Orta itaque super hoc inter vos materia questionis, ipsaque per appellationem ad examen apostolicum legitime devoluta, felicis recordationis A. papa, predecessor noster, dilectum filium nostrum O., s. Adriani diaconum cardinalem, super hoc dedit partibus auditorem. Idem vero cardinalis, viso et examinato decreto electionis hujusmodi ac utriusque partis juribus plene discussis, nobisque de hiis omnibus facta relatione fideli, nos, hujusmodi postulatione repulsa, electionem de nominato Arnaldo, quia nobis eam fore constitit a majori et saniori parte vestrum de persona idonea canonice celebratam, de fratrum nostrorum consilio duximus confirmandam. — Datum Viterbii, v kalendas novembris, anno I° ».

In e. m. clero civitatis et diocesis Tarviensium.

In e. m. populo civitatis et diocesis Terviensium.

In e. m.., electo Tarviensi.

17 Viterbe, 25 octobre 1261.

Majori ministro et fratribus ordinis S. Trinitatis et captivorum hospitale s. Thomae in Formis restituit. (Reg. 26 fol. 5, no 15.

«.. *majori ministro et fratribus ordinis s. Trinitatis et Captivorum.* Qui ex apostolici —. Sane nostro fuit apostolatui reseratum quod felicis recordationis Innocentius papa III, predecessor noster, hospitale s. Thome de Formis in Urbe, ad Romanam ecclesiam nullo pertinens mediante, quod de bonis ipsius ecclesie fundavit, duxit vobis et vestro ordini conferendum. Postmodum autem felicis recordationis Alex., papa, predecessor noster, R., s. Angeli diaconi cardinalis, cui curam dicti hospitalis duximus committendam, et vestris supplicationibus inclinati, quamcumque collationem sive concessionem factam de dicto hospitali per eun-

dem predecessorem Alex. quibuscunque personis, loco, vel ordini et litteras super hoc confectas, penitus revocantes, ac decernentes nullius existere firmitatis, predictum hospitale cum omnibus juribus et partinentiis suis, vobis et ordini vestro plene restituimus, statuentes ut idem ordo vester in hospitali predicto perpetuis temporibus inviolabiliter observetur. Nulli ergo nostre revocationis, restitutionis et constitutionis etc. Datum Viterbii, VIII kalendas novembris, anno I° ».

18 Viterbe, 25 octobre 1261.

Fratri Adae, capellano apostolico, canonico ecclesiae dominici Sepulcri, prioratum ecclesiae s. Andreae de Placza, Cathaniensis diocesis, confert. (Reg. 26, fol. 5, n° 16.)

» *Fratri Ade, capellano nostro, canonico ecclesie dominici Sepulchri Jerosolimitani, ordinis s. Augustini.* Speciali gratia et —. Proinde siquidem Johannem Provincialem, qui pro canonico ecclesie dominici Sepulchri Jerosolimitani, ordinis s. Augustini, se gerit, et Rogerium fratrem ipsius ecclesie, et quemvis alium pro eodem Johanne, de mandato vel auctoritate capituli dicte ecclesie, obtinentes et possidentes prioratum ecclesie s. Andree de Placza, ejusdem ordinis, Cathaniensis diocesis, ad eandem ecclesiam dominici Sepulchri spectantem, vel in eo asserentes se jus habere ab eodem prioratu, quo ipsos carere volumus, presertim cum nos olim, dum Jerosolimitane preessemus ecclesie, in dictum Johannem, pro eo quod infra tempus probationis, absque nostra licentia vel mandato, habitum canonicorum assumpserat, seque pro canonico ejusdem ecclesie dominici Sepulchri gerebat, excommunicationis sententiam duxerimus promulgandam, penitus amovemus, et prioratum ipsum cum omnibus juribus et pertinentiis a te, quoad vixeris, retinendum, tibi, cui gratiam intendimus facere specialem, conferimus, tibique providemus de illo et nichilominus devotioni tue concedimus ut ab eodem prioratu seu predicta eccclesia s. Andree per patriarcham sive capitulum Jerosolimitanos vel per quoscunque alios nequeas amoveri, quibus amovendi te ab ecclesia s. Andree ac prioratu predictis absque speciali mandato sedis apostolice, faciente plenam et expressam de persona tua et indulto hujusmodi mentionem, auctoritate apostolica adimimus potestatem, decernentes irritum et inane si quid contra tenorem presentium a quoquam contigerit attemptari. Nulli ergo —. Datum Viterbii, VIII kalendas novembris, anno 1° ».

19 Viterbe, 25 octobre 1261.

Guardiano fratrum Minorum de Placza, Cathaniensis dioecsis, mandat ut, Johanne Provinciali et Rogerio detentoribus a prioratu ecclesiae s. Andreae de Placza, ordinis S. Augustini, prorsus amotis, Robertum de Venafro, clericum procuratorem fratris Adae, capellani apostolici, canonici dominici Sepulchri Jerosolymitani, ordinis s. Augustini, ejus nomine in ipsius prioratus corporalem possessionem inducat. (Reg. 26, fol. 5 v°, n° 17; Potthast 18143.)

«.. *guardiano fratrum Minorum de Placza, Cathaniensis diocesis.* Speciali gratia et. — Datum Viterbii, VIII kalendas novembris, anno primo ».

20 Viterbe, 9 novembre 1261.

Decernit quod fratres hospitalis s. Johannis Jerosolymitani jus patronatus in Maguntina diocesi vel provincia licite recipere valeant. (Reg. 26, fol. 5 v°, n° 18.)

«.. *magistro et fratribus hospitalis Jerosolimitani in Alamannia.* Exigentibus vestre religionis —. Sane petitio vestra nobis exhibita continebat quod venerabilis frater noster.., archiepiscopus Maguntinus, in provinciali concilio pro sua voluntate statuit, ut jus patronatus alicujus ecclesie, sue civitatis vel diocesis aut provincie, religiosis aliquibus a personis secularibus nullatenus conferatur, et si forte hujusmodi jus a predictis secularibus religiosis eisdem conferri contingat, conferens jus quod in eisdem habebat ecclesiis, ipso facto amittat, illudque diocesano cedat episcopo, nisi forte idem conferens jus ipsum ab alio teneret in feudum, quod tunc ad feudi dominium libere devolvatur. Statuit etiam archiepiscopus supradictus ut collegio cui facta fuerit hujusmodi collatio, nullum jus ex ipsa collatione penitus acquiri debeat, immo si habeat aliquas ecclesias in usus proprios in diocesi, ubi talem collationem ei fieri contigerit, eedem ecclesie ipso jure vacent et per loci diocesanum seu archidiaconum in cujus archidiaconatu consistunt, personis idoneis conferantur. Quare nobis humiliter supplicastis ut, ne per hujusmodi statutum vobis prejudicari possit, providere paterna sollicitudine curaremus. Vestris itaque supplicationibus favorabiliter annuentes, ne occasione hujusmodi statuti, aliquod prejudicium vobis et hospitali vestro in posterum generari valeat, quominus jus patronatus ecclesiarum earundem civitatis vel diocesis aut provincie, si a patronis earum laicis illud vobis pietatis intuitu licite conferri contigerit, recipere ac habere libere valeatis, ita tamen quod bona ecclesiarum in quibus hu-

jusmodi jus patronatus vobis taliter collatum fuerit, auctoritate vestra vel per vos appropriare vestris usibus, vel in illos convertere non possitis, vobis auctoritate presentium indulgemus. Nulli ergo etc. Datum Viterbii, VIII idus octobris, anno I° ».

21 Viterbe, 17 novembre 1261.

Jacobo, filio Marini, civi Neapolitano, et Maroctae uxori, quarto consanguinitatis gradu conjunctis, ad preces Marini, electi Capuani, indulget ut in matrimonio contracto remanere possint, et prolem ex ipso susceptam fore legitimam decernit. (Reg. 26 fol. 6, n° 19; Potthast 18152.)

« *Nobili viro Jacobo, filio Marini, civi Neapolitano et Marocte uxori ejus.* Licet in quarto —. Datum Viterbii, XV kalendas decembris, anno primo ».

22 Viterbe, 13 novembre 1261.

Ministro et fratribus domus hospitalis s. Thomae in Formis de Urbe, ordinis s. Trinitatis et captivorum, indulget ut omnes redditus ipsius hospitalis, in ipsorum, dicti hospitalis et pauperum ad illud confluentium, usus convertere valeant. (Reg. 26 fol. 6, n° 20.)

« .. *ministro et fratribus domus hospitalis s. Thome in Formis de Urbe, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis s. Trinitatis et Captivorum.* Provisionis nostre provenire —. Sane in ordine vestro statutum esse dicitur, et de substantia regule ordinis ipsius existere, ut omnes redditus et proventus cujuslibet domus ejusdem ordinis in tres dividantur partes, quarum una sustentationi fratrum ipsius domus relinquitur, alia vero deputatur pauperibus domus ipsius, et pro redemptione captivorum reliqua reservatur. Nos itaque dilecti filii nostri R., s. Angeli diaconi cardinalis, cui curam et gubernationem hospitalis vestri duximus committendam, supplicationibus inclinati, ut omnes redditus et proventus ipsius hospitalis vestri presentes et futuros, in vestros, dicti hospitalis et pauperum ad illud accedentium, usus totaliter convertere valeatis, statuto seu regula hujusmodi non obstantibus, et quod ad exhibendum aliquid de redditibus et proventibus hujusmodi cuiquam, pretextu statuti et regule predictorum, non teneamini et ad id non possitis compelli, vobis auctoritate presentium indulgemus. Nulli ergo etc. Datum Viterbii, idus novembris, anno 1° ».

23 Viterbe, 21 novembre 1261.

Regi Franciae, quoticscumque eum ad alicujus ecclesiae vel capellae vel altaris dedicationem vel consecrationem ire, vel interesse ibidem contigerit, indulgentiam unius anni et quadraginta dierum elargitur. (Reg. 26 fol. 6, n° 21; Potthast 18156.)

« .. *regi Francie illustri.* Personam tuam, fili —. Datum Viterbii, XI kalendas decembris, anno primo. »

24 Viterbe, 20 novembre 1251.

Eidem et omnibus aliis qui cum eo praedicationibus verbi Dei intererunt, indulgentiam centum dierum concedit. (Reg. 26 fol. 6 v°, n° 22; Potthast 18155.)

« .. *regi Francie illustri.* Etsi firmi propositi —. Datum Viterbii, XII kalendas decembris, anno primo. »

25 Viterbe, 29 octobre 1261.

Episcopo et archidiacono Agennensibus ac Raymundo Abbatis, canonico ecclesiae de Manso, Agennensis dioecsis, mandat ut Petrum Ayquelmi de s. Macario clericum, in possessionem rectoriae ecclesiae de Lingonio, Vasatensis dioecsis, mittere procurent. (Reg. 26 6 v°, n° 23.)

« .. *episcopo et .. archidiacono Agennensibus ac Raymundo Abbatis, canonico ecclesie de Manso, Agennensis diocesis, capellano nostro.* Dilectus filius Petrus Ayquelmi de s. Macario clericus nobis exposuit quod, cum quondam frater Rostandus, ordinis fratrum Minorum, sedis apostolice capellanus, qui tempore quo habitum fratrum ordinis ipsius assumpsit, protestatus fuit quod usque ad unum annum, omnia beneficia sua ecclesiastica retinebat, nec intendebat illa dimittere, ante quam hujusmodi terminus laberetur, ecclesiam de Lingonio, Vasatensis diocesis, quam obtinebat, cujusque rectoris electio ad venerabilem fratrem nostrum.., episcopum Vasatensem, et canonicos ipsius ecclesie communiter noscitur pertinere, esset libere resignare paratus, felicis recordationis A. papa, predecessor noster, voluit et per litteras suas inter alia demandavit, ut postquam idem frater R., vel procurator suus ejus nomine habens ad hoc speciale mandatum, rectoriam ejusdem ecclesie libere resignasset, iidem episcopus et canonici personam idoneam, de qua dictus frater R. eis duceret consulendum, ad ipsius ecclesie regimen, Deum habendo pre oculis per electionem, prout ad eos spectabat, assumere procurarent, ac decrevit nichilominus irritum et inane quicquid contra

tenorem hujusmodi litterarum, de rectoria ipsa, postquam dictus frater R. predictum assumpsit habitum, attemptatum esset vel contingeret attemptari. Per alias quoque litteras suas prefatus predecessor voluit et dicto episcopo duxit districtius inhibendum, ne, si contingeret predictos canonicos per electionem assumere nolle rectorem in ecclesia supradicta, ita quod ex hoc ad eundem episcopum predicte ecclesie devolveretur provisio, ad providendum eidem ecclesie sine consilio et assensu predicti fratris R. procedere quoquomodo presumeret et, si secus presumptum foret, decrevit et inane. Et licet predictus frater R. per procuratorem resignans rectoriam eandem, predictis episcopo et canonicis consuluerit, ut ad illam Petrum eligerent supradictum, tamen, quia predicte apostolice ac super resignatione et consilio hujusmodi confecte littere post obitum predicti fratris R., ad eosdem episcopum et canonicos pervenerunt, ipsi, predicto spreto consilio, magistrum Gantelmum, officialem Vasatensem, ad dictam rectoriam contra hujusmodi mandatum et decretum apostolicum elegerunt pro sue libito voluntatis, qui talis electionis pretextu eam detinet occupatam. Quare predictus Petrus nobis humiliter supplicavit ut, cum appareat manifeste quod idem frater consuluit quod ipse Petrus assumeretur ad regimen ecclesie supradicte, quodque prefati episcopus et canonici post intellectum hujusmodi consilium eundem magistrum Gantelmum, spreto predicto mandato et decreto apostolico, ad eandem rectoriam eligere presumpserunt, providere sibi super hoc paterna sollicitudine curaremus. Quocirca, mandamus quatenus si vobis de plano et absque judicii strepitu constiterit ita esse, ab eadem rectoria predictum magistrum Gantelmum per vos vel alium aut alios amoventes, eam predicto Petro, dummodo vita et litteratura existat idoneus, et velit in dicta ecclesia personaliter residere, ac ad ordines quos ipsius rectorie onus exigit, se facere statutis temporibus promoveri, auctoritate nostra conferre curetis, ipsum in illius corporalem possessionem inducentes et defendentes inductum. Non obstante —. Contradictores —. Datum Viterbii, III kalendas novembris, anno I° ».

26 Viterbe, 13 novembre 1261.

Ministro et fratribus domus hospitalis S. Thomae in Formis de Urbe indulget ut de his quae ipsis Christi fideles reliquerint, cuiquam canonicam justitiam exhibere minime teneantur. (Reg. 26 fol. 7, n° 24.)

« .. *ministro et fratribus domus hospitalis s. Thome in Formis de Urbe, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis s. Trinitatis et captivorum.* Desideriis vestris in —. Attendentes itaque quod libenter vacatis operibus pietati, et per hoc ac obtentu dilecti filii nostri R., sancti Angeli diaconi cardinalis, cui curam ipsius domus duximus committendam, pro vobis apostolicam gratiam implorantis, volentes vos prosequi gratiose, ut de hiis que Christi fideles vobis et eidem domui pietatis intuitu in ultima voluntate reliquerint, non teneamini cuiquam canonicam justitiam exhibere nec ad eam exhibendam compelli possitis, vobis auctoritate presentium indulgemus. Nulli ergo etc. Datum Viterbii, idus novembris, anno I° ».

27 Viterbe, 13 novembre 1261.

R., s. Angeli diacono cardinali, curam domus hospitalis s. Thomae in Formis de Urbe committit. (Reg. 26, fol. 7, n° 25.)

« *R., sancti Angeli diacono cardinali.* Inter alias sollicitudines —. Attendentes itaque quod domus hospitalis s. Thome in Formis de Urbe, ordinis s. Trinitatis et captivorum, quam felicis recordationis Innocentius papa III, predecessor noster, avunculus tuus, de bonis ecclesie Romane fundavit, per tuam industriam circa spiritualia et temporalia, Deo propitio, salutaria poterit suscipere incrementa, ipsius curam auctoritate presentium tibi plene ad vitam tuam solummodo duximus committendam, ita quod in ea ministrum et fratres, si ex culpa corrigendi fuerint, possis corrigere, ordinare, reformare et alia facere que saluti animarum et ipsius domus utilitatibus melius videris expedire, ac ministrum et fratres ipsos absolvere juxta formam ecclesie ab excommunicationum sententiis, si quas pro violenta injectione manuum in se ipsos hactenus incurrerunt, vel incurrent in posterum, injuncto eis quod de jure fuerit injungendum, nisi eorum excessus adeo gravis extiterit et enormis, quod propter hoc ad sedem apostolicam merito sint mittendi, ac dispensandi cum eis qui fuerint clericali caractere insigniti super irregularitate si quam contraxerunt vel contrahent in futurum, hujusmodi ligati sententiis, se divinis officiis immiscendo, prout tua circumspecta discretio secundum Deum viderit expedire. Proviso quod nulla de bonis ipsius domus immobilibus alienes, sed omnia tam que impresentiarum rationabiliter possidet, quam que in futurum justis modis, prestante Domino, assequetur, et etiam que per tuam industriam vel beneficio tue liberalitatis, largitionis et donationis acquiret in vita tua et postmodum etiam usi-

bus personarum inibi degentium deputentur. Nolumus autem quod hujusmodi commissionis tibi facte vel quocunque alio pretextu seu occasione illorum que domui predicte donaveris aut fueris elargitus, nepotes seu consanguinei vel heredes tui in domo ipsa ejusque bonis, juribus et pertinentiis, patronatus vel quodcunque aliud jus sibi valeant vendicare. Ceterum quamcunque concessionem factam cuicunque persone, loco, vel ordini de dicta domo per felicis recordationis A. papam, predecessorem nostrum et litteras super ea confectas penitus revocamus et decernimus nullius existere firmitatis, statuentes ut idem ordo s. Trinitatis et captivorum in eodem hospitali perpetuis temporibus inviolabiliter observetur. Nulli ergo —. Datum Viterbii, idus novembris, anno I° ».

28 Viterbe, 5 décembre 1261.

Roberto, comiti Atrebatensi, nepoti Ludovici regis Francorum, indulget ut ipse et Amicia, nata quondam Petri de Cortenayo, possint ad invicem matrimonialiter copulari. (Reg. 26, fol. 7, n° 26; Potthast 18177.)

« *Nobili viro Roberto, comiti Atrebatensi, nepoti carissimi in Christo filii nostri, Ludowici, illustris regis Francorum.* Etsi conjunctio copule —. Datum Viterbii, nonis decembris, anno I° ».

29 Viterbe, 20 décembre 1261.

Philippo, primogenito regis Franciae, quotiescumque eum ad alicujus ecclesiae vel capellae vel altaris dedicationem vel consecrationem ire, vel interesse ibidem contigerit, indulgentiam unius anni et quadraginta dierum elargitur. (Reg. 26, fol. 7, n° 27; Potthast 18190.)

« *Nobili viro Philippo, primogenito carissimi in Christo filii nostri.. regis Francie illustris.* Exulta proles regia —. Datum Viterbii, xiii kalendas januarii, anno I° ».

30 Viterbe, 20 décembre 1261.

Eidem relaxat de penitentiis sibi injunctis centum dies, quotiescumque ad audiendam verbi Dei praedicationem se conferre contigerit. (Reg. 26, fol. 7, n° 28.)

« *Eidem Philippo.* Exulta proles etc.. Datum Viterbii, xii kalendas januarii, anno I° ».

31 Viterbe, 20 décembre 1261.

Reginae Franciae, quotiescumque eam ad alicujus ecclesiae vel capellae vel altaris dedicationem seu consecrationem ire, vel interesse ibidem contigerit et omnibus aliis qui interfuerint, de injunctis sibi poenitentiis annum unum et quadraginta dies relaxat. (Reg. 26, fol. 8, n° 29.)

«.. *regine Francie illustri.* Exulta Syon filia —. Datum Viterbii, xiii kalendas januarii, anno I° ».

32 Viterbe, 20 décembre 1261.

Eidem, quotiescumque ad audiendam verbi Dei praedicationem ire contigerit, omnibusque aliis qui interfuerint, de injunctis sibi poenitentiis centum dies relaxat. (Reg. 26, fol. 8, n° 30.)

«.. *eidem regine.* Exulta Syon filia —. Datum Viterbii, xiii kalendas januarii, anno I° ».

33 Viterbe, 20 décembre 1261.

Reginae Navarrae, quotiescumque eam ad alicujus ecclesiae vel capellae, vel altaris dedicationem seu consecrationem ire, vel interesse ibidem contigerit, et omnibus aliis qui interfuerint, de injunctis sibi poenitentiis annum unum et quadraginta dies relaxat. (Reg. 26, fol. 8, n° 31.)

«.. *regine Navarre illustri.* Exulta proles regia —. Datum Viterbii, xiii kalendas januarii, anno I° ».

34 Viterbe, 20 décembre 1261.

Eidem, quotiescumque ad audiendam verbi Dei praedicationem ire contigerit, omnibusque aliis qui interfuerint, de injunctis sibi poenitentiis centum dies relaxat. (Reg. 26, fol. 8, n° 32.)

«.. *eidem regine.* Exulta proles regia —. Datum Viterbii, xiii kalendas januarii, anno I° ».

35 Viterbe, 20 décembre 1261.

Regi Navarrae de injunctis sibi poenitentiis unum annum et quadraginta dies relaxat, quotiescumque eum ad alicujus ecclesiae vel capellae vel altaris dedicationem vel consecrationem ire vel interesse ibidem contigerit. (Reg. 26, fol. 8, n° 33; Potthast 18191.)

«.. *regi Navarre illustri.* Apertis paterne gratie —. Datum Viterbii, xiii kalendas januarii, anno I° ».

36 Viterbe, 20 décembre 1261.

Eidem de injunctis sibi poenitentiis centum dies relaxat, quotienscumque ad audiendam verbi Dei praedicationem intererit. (Reg. 26, fol. 8 v°, n° 34; Potthast 18192.)

«.. *eidem regi*, Apertis paterne gratie —. Datum Viterbii, xiii kalendas januarii, anno I° ».

37 Viterbe, 17 septembre 1261.

Gebennensi et Lausanensi episcopis mandat ut episcopo Basiliensi, gravi langore confracto et ad ipsius ecclesiae regimen inutili effecto, coadjutorem eligant. (Reg. 26, fol. 8 v°, n° 35.)

« .. *Gebennensi et .. Lausanensi episcopis*. Inter cetera que—. Accepimus siquidem, dilectis filiis capitulo Basiliensis ecclesie intimantibus, quod venerabilis frater noster.., Basiliensis episcopus, adeo est gravi langore confractus, quod unius lateris corporis regimine incurabiliter destitutus et lingue impeditus officio, ad pontificale officium et ipsius ecclesie regimen, cui noscitur laudabiliter hactenus prefuisse, omnino impotens et inutilis est effectus, ita quod sub ejus non potest umbra eadem ecclesia utiliter gubernari. Nos itaque ipsi episcopo super hujusmodi visitatione dominica utinam salutari sibi, caritatis compatientes affectu, ac volentes eidem ecclesie a dispendiis que pretextu infirmitatis hujusmodi posset irreparabiliter incurrere, precaveri, fraternitati vestre de cujus fide ac industria plenam in Domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta mandamus quatenus ad locum personaliter accedentes, et assumptis vobiscum religiosis aliquibus Deum timentibus, si constiterit vobis eundem episcopum effectum ex langore hujusmodi ad ejusdem regimen, ut premittitur, impotentem, personam aliquam de ipsius ecclesie gremio per quam tam ipsi episcopo quam ecclesie consulatur, et a qua ipsa ecclesia salubriter regi possit et temporalia bona ejus a malignorum violentiis defensari eidem episcopo de ipsius, si fuerit sane mentis et capituli prefati assensu, coadjutorem, auctoritate nostra vos vel alter vestrum, religiosorum quos ad hoc vocandos duxeritis, communicato consilio, deputetis, facientes sibi ab ejusdem ecclesie subditis, ministerialibus et vassallis plenarie responderi. Contradictores etc. Non obstante si —. Datum Viterbii, xv kalendas octobris, anno I° ».

38 Viterbe, 30 novembre 1261.

Monasterium Casae Dei decernit semper ad jus Romanae ecclesiae pertinere. (Reg. 26, fol. 8 v°, n° 36.)

«.. *abbati et conventui monasterii Case Dei, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis s. Benedicti, Claromontensis diocesis*. Sicut petitio vestra nobis exhibita continebat, venerabilis frater noster.., Claromontensis episcopus, vos super vestri subjectione monasterii multipliciter impetit et molestat. Quia vero prefatum monasterium ad jus et proprietatem apostolice sedis per privilegia predecessorum nostrorum, Romanorum pontificum, pertinere monstratur, ne jus ecclesie Romane remaneat indefensum te, fili abbas, ad instar felicis recordationis Alexandri pape IIII, predecessoris nostri, procuratorem ipsius, duximus statuendum ut cum adversus ipsius ecclesie Romane possessiones et jura, nonnisi centenaria currat prescriptio, tu super hiis et aliis vice nostra procures que in judiciis fuerint procuranda. Datum Viterbii, ii kalendas decembris, anno I° ».

39 Viterbe, 9 janvier 1262.

Praesenti edicto statuit, licet magistrum Simonem, canonicum Paduanum, promovendum in presbyterum cardinalem Romanae ecclesiae, duxerit evocandum, ut idem Simon, priusquam in presbyterum sit promotus, nequaquam in collegium seu consortium vel ad tractatus aut consilia cardinalium admittatur. (Reg. 26, fol. 8 v°, n° 37; Potthast 18211.)

« *Ad perpetuam rei memoriam* [1]. Licet dilectum filium —. Datum Viterbii, v idus januarii, anno I° ».

40 Viterbe, 11 janvier 1262.

Philippum, episcopum Zagabriensem, procuratorem ecclesie Strigoniensi concedit, curam et administrationem ejusdem in temporalibus et spiritualibus ipsi committi, et mandat ut infra festum s. Jacobi apostoli proximo futurum, ad sedem apostolicam personaliter accedat. (Reg. 26, fol. 9, n° 38; Potthast 18212.)

« *Philippo, episcopo Zagabriensi*. Presentatam nobis postulationem —. Datum Viterbii, iii idus januarii, anno I° ».

41 Viterbe, 28 novembre 1261.

Episcopo Tripolitano indulget ut Pandulfo de Subura, capellano apostolico, ipsius consanguineo, de aliquo praebendali

1. Le registre porte ces mots en marge : « *Super inquisitione facienda contra magistrum Symonem, canonicum Paduanum, promovendum in presbiterum cardinalem, item de eodem infra cap. XLVI.* »

officio in Tripolitana ecclesia providere valeat. (Reg. 26 fol. 9, n° 39.)

«.. *episcopo Tripolitano*. Licet ecclesiarum onera —. Hiis itaque virtutum donis in dilecto filio, magistro Pandulfo de Subura, capellano nostro, consanguineo tuo, provida consideratione pensatis, dignum duxi[m]us eo plenius suam honorare personam, quo ipsam dilectione prosequimur ampliori, ut in ea fructum rependamus obsequiis et meritis premium compensemus. Tu quoque considerans quod ipsius industria et circumspecta providentia tibi et ecclesie tue poterant multipliciter existere fructuose, nobis humiliter supplicasti ut ipsum in eadem ecclesia specialiter curaremus provisionis apostolice munere prevenire. Quare specialem sibi facere gratiam intendentes, fraternitati tue providendi eidem capellano per te vel per alium seu alios in ecclesia Tripolitana, postquam ad ipsam perveneris, de canonia et prebenda, dignitate vel personatu, cum cura vel sine cura, si ibidem vacant ad presens vel quamcito ad id se facultas obtulerit, et faciendi eum vel ejus procuratorem suo nomine, postquam de hujusmodi prebenda et personatu vel dignitate vacantibus sibi provisum extiterit, recipi in eadem ecclesia in canonicum et in fratrem —. Non obstante si —. Datum Viterbii, III kalendas decembris, anno I° ».

42 Viterbe, 4 février 1262.

Abbati et conventui Westmonasterii indulget ut super trecentis et triginta marcis a mercatoribus diversis Florentinis et Senensibus coram quocumque judice per litteras apostolicas quomodocumque impetratas, minime valeant conveniri. (Reg. 26, fol. 9 v°, n° 40.)

«.. *abbati et conventui Westmonasterii Londoniensis, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis s. Benedicti*. Petitio vestra nobis exhibita continebat quod quondam Phylippo, priore monasterii vestri, in ipsius abbatem electo, dilectus filius magister Johannes Clarel, capellanus noster, fuit a vobis, filii conventus, pro negotio electionis hujusmodi ad sedem apostolicam destinatus, cui felicis recordationis Alexander papa, predecessor noster, contrahendi mutuum pro hujusmodi negocio usque ad summam sexcentarum et sexaginta marcharum sterlingorum, et propter hoc predictum monasterium ac abbatem et conventum ipsius et eorum bona creditoribus obligandi concessit per suas litteras liberam facultatem. Ex hujusmodi autem marcharum summa, trecente marce camere dicti predecessoris et totidem ipsius fratribus debebantur, residuum vero in utilitatem creditorum hujusmodi mutui occasione cedebat. Sane predictus capellanus in pretaxata summa sexcentarum et sexaginta marcarum vos et monasterium ipsum ac ejus bona propter hoc diversis mercatoribus Florentinis et Senensibus obligavit, confecto super hoc per manus Noclerii scrinarii publico instrumento. Dicti vero mercatores promiserunt quod sexcentas marcas predecessori et fratribus predictis proportionaliter solverent, prout superius est expressum. Verum quia mercatores ipsi predictas trecentas marcas, eidem predecessori debitas, ipsius camere non solverunt, tu, fili abbas, eas liberaliter nostre camere persolvisti. Nos itaque nolentes ut super hujusmodi trecentis marcis nostre camere persolutis, et triginta marcis que debebant in utilitatem mercatorum ipsorum cedere, possitis aliquatenus molestari, vos ab impetitione mercatorum ipsorum super hiis presentium auctoritate absolvimus, et instrumentum hujusmodi, quantum ad dictas trecentas et triginta marcas, cassamus et irritamus et decernimus nullius existere firmitatis, vobis nichilominus concedentes ut ab eisdem mercatoribus seu quocunque alio super dictis trecentis et triginta marcis, coram quocunque judice per litteras apostolicas impetratas, vel etiam impetrandas, convenire minime valeatis. Ceterum litteras quascunque, si quas contra vos super predictis trecentis et triginta marcis a quarum solutione vos absolvimus, ab eadem sede impetrari, ac excommunicationis, suspensionis et interdicti sententias, si quas occasione predictarum trecentarum et triginta marcarum in vos generaliter vel aliquem vestrum specialiter promulgari contigerit, decernimus irritas et inanes. Nulli ergo —. Datum Viterbii, II nonas februarii, anno I° ».

43 Viterbe, 4 février 1262.

Abbati s. Augustini Cantuariensis et priori de Mertune, Wintoniensis diocesis, mandat ut praefatas proximas litteras executioni mandari procurent. (Reg. 26, fol. 9 v°, n° 41.)

«.. *abbati s. Augustini Cantuarensis et.. priori de Mertune, Wintoniensis diocesis*. Petitio dilectorum filiorum.. abbatis et conventus Westmonasterii Londoniensis, ad Romanam ecclesiam nullo nedio pertinentis, ordinis s. Benedicti, nobis exhibita continebat quod quondam Phylippo, priore ipsius monasterii etc, ut in proxima superiori usque decernimus irritas et inanes, verbis competenter mutatis. Quocirca mandamus quatenus non permittatis

abbatem et conventum predictos super hiis contra nostre absolutionis, cassationis, irrationis, constitutionis et concessionis tenorem ab aliquibus indebite molestari. Quod si non ambo etc. Datum ut in proxima ».

44 Viterbe, 13 janvier 1262.

Prioratum s. Lazari Tripolitanum, ad monasterium s. Lazari de Bethania spectantem, a subjectione episcopi Tripolitani et Antiocheni patriarchae eximit et Jerosolymitano patriarchae submittit. (Reg. 26, fol. 10, n° 42.)

« .. *abbatisse et conventui monasterii s. Lazari de Bethania, ordinis s. Benedicti, Jerosolimitane diocesis.* Sincere dilectionis affectum quem ab olim, dum presideremus ecclesie Jerosolimitane regimini, ad monasterium vestrum constanter habuimus et habemus, volentes ostendere per effectum, vestris supplicationibus inclinati, prioratum s. Lazari Tripolitanum, ordinis s. Benedicti, ad dictum monasterium pertinentem, ab omni prorsus subjectione, potestate ac dominio episcopi Tripolitani et patriarche Antiocheni, loci metropolitani, qui pro tempore fuerint, et Antiochene ac Tripolitane ecclesiarum totaliter et perpetuo apostolica auctoritate eximimus, ita quod iidem episcopus et patriarcha prioratum ipsum utpote ab ipsorum et ecclesiarum suarum subjectione, jurisdictione ac dominio prorsus exemptum vel priorissam et moniales ejusdem, aut personas futuris temporibus inibi Domino servituras, interdicere, suspendere vel excommunicare non valeant, aut quocunque modo alias in prefatum prioratum et personas ipsius potestatem vel jurisdictionem aliquam vel alia quecunque jura episcopalia excere, et si secus forte presumptum fuerit, decernimus irritum et inane. Et quia Jerosolimitanam ecclesiam cui dudum, Deo auctore, prefuimus, intendimus honorare, prioratum ipsum dicte Jerosolimitane ecclesie ac patriarche, qui eidem ecclesie sub temporum diversitate prefuerit, eadem auctoritate submittimus, statuentes ut predicta ecclesia et idem patriarcha Jerosolimitanus illud omnino jus et dominium illamque jurisdictionem et potestatem in eodem prioratu et personis ipsius deinceps habeant et obtineant, que in memorato monasterio ejusque personis ei tanquam suo diocesano pleno jure subjectis, habere et obtinere noscuntur. Nulli ergo —. Datum Viterbii, idus januarii, anno 1° ».

45 Viterbe, 22 octobre 1261.

Episcopo Tusculano mandat ut ecclesiae Nazarenae quatuor canonicos eligat, qui cum canonico, qui residet apud sedem apostolicam, priorem sibi eligere valeant. (Reg. 26, fol. 10, n° 43.)

« .. *episcopo Tusculano.* Cum ecclesia Nazarena, in qua consueverunt esse prior et capitulum ordinis s. Augustini, licet in temporalibus habundet, adeo in spiritualibus sit collapsa, quod duo sunt tantum canonici in eadem, quorum unus ibidem residet, et alius apud sedem apostolicam commoratur, fraternitati tue per apostolica cripta mandamus, quatenus quatuor canonicos idoneos auctoritate nostra de novo creans, et constituens in ecclesia supradicta, non obstante constitutione aliqua super tempore probacionis edita, videlicet ut per annum quis antequam profiteatur, in probatione moretur, nec prius ad observationem regule astringatur, eis eligendi una cum canonico illo qui residet apud eandem sedem priorem in ecclesia ipsa, que tanto tempore priore vacavit, quod ad nos est prioris ejusdem ecclesie provisio juxta Lateranensis statuta concilii legitime devoluta, concedas plenariam potestatem. Datum Viterbii, xi kalendas novembris, anno 1° ».

46 Viterbe, 3 février 1262.

Johanni de Tudino et Agneti, uxori ipsius, indulget ut, non obstante quarto consanguinitatis gradu, in matrimonio contracto licite remanere possint. (Reg. 26, fol. 10, n° 44.)

« *Johanni de Tudino, advocato Lobiensi et Agneti uxori sue.* Attenta sedis apostolice —. Cum itaque, sicut porrecta nobis vestra petitio continebat, vos quarto consanguinitatis gradu conjuncti, dudum matrimonium duxeritis contrahendum, carnali postmodum inter vos copula subsecuta, nos attendentes quod si separemini ab invicem, gravia exinde, sicut asseritur, possent scandala exoriri, vestris supplicationibus inclinati, ut in sic contracto matrimonio licite ac libere remanere possitis, impedimento hujusmodi non obstante, auctoritate vobis presentium indulgemus, prolem vestram fore legitimam decernentes. Nulli ergo —. Datum Viterbii, iii nonas februarii, anno 1° ».

47 Viterbe, 9 février 1262.

Abbati monasterii Lobiensis, Cameracensis diocesis, concedit ut canonicos ecclesiae s. Ursmari Lobiensis ad residentiam personalem cogere valeat. (Reg. 26, fol. 10, n° 45.)

«.. *abbati monasterii Lobiensis, ordinis s. Benedicti, Cameracensis diocesis.* Petitio tua nobis exhibita continebat quod canonici ecclesie s. Ursmari Lobiensis, Cameracensis diocesis, in qua, prout asseris, prebendarum collatio ad te pertinet, et in qua est quindenarius canonicorum numerus, decano et scolastico minime computatis, nolunt ad sacros ordines se facere promoveri et in ecclesia ipsa residentiam facere personalem, propter quod eadem ecclesia debitis obsequiis defraudatur, super quo petiisti per sedis apostolice providentiam salubriter provideri. Nos itaque volentes ut iidem canonici, sicut ipsius ecclesie sustentantur stipendiis, ita sibi debitum studeant impendere famulatum, compellendi, monitione premissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, quinque magis idoneos ex canonicis dicte ecclesie qui fuerint in ea pro tempore, ut presbiteratus, totidem vero ut diaconatus et reliquos ut subdiaconatus ordines, temporibus statutis, recipiant et in eadem ecclesia, ut tenentur, residentiam faciant personalem, ibique in hujusmodi ordinibus deserviant in divinis, tibi, non obstante contraria consuetudine vel statuto, liberam concedimus auctoritate presentium facultatem. Datum Viterbii, v idus februarii, anno I° ».

48 Viterbe, 7 février 1262.

Notum facit se ad inquisitionem famae Simonis, canonici Paduani, quem in presbyterum cardinalem evocaverit, duxisse procedendum, quia postmodum fuissent de ipso apud sedem apostolicam relata sinistra. (Reg. 26, fol. 10 v°, n° 46; Potthast 18227.)

« *Ad futuram rei memoriam.* Licet dilectum filium —. Datum Viterbii, vii idus februarii, anno I° [1] ».

49 Viterbe, 26 janvier 1262.

Fratrem Joffridum in abbatem monasterii s. Urbani, Cathalaunensis diocesis, a cardinalibus tituli s. Sabinae et s. Adriani electum, confirmat. (Reg. 26, fol. 10 v°, n° 47.)

« *Fratri Joffrido, capellano nostro, abbati monasterii s. Urbani, ordinis s. Benedicti, Cathalaunensis diocesis.* Licet ea que—. Sane questionem que inter te et dilectum filium, fratrem Johannem de Memeri, priorem de Ulmeto, Cathalaunensis diocesis, super abbatia monasterii s. Urbani ad quam, tunc vacantem, fuisti, ut asseris, per conventum ipsius monasterii seu majorem partem ejus electus, et de qua dictus prior dicebat sibi per bone memorie.., Cathalaunensem episcopum, canonice fore provisum, vertebatur, ad examen apostolicum legitime devolutam, felicis recordationis Alexander papa, predecessor noster, dilecto filio nostro O., s. Adriani diacono cardinali, commisit, que diutius coram eo extitit ventilata. Sed tam tu quam dictus prior sanis consiliis advertentes quod non expedit Dei ministros se pertinaciter litigiis implicare, omne jus vobis competens in abbatia predicta in ejusdem ac dilecti filii nostri H., tituli s. Sabine presbiteri cardinalium manibus recipientium auctoritate nostra, sibi viva voce commissa, libere, spontanee ac humiliter resignastis. Et quia non conveniebat monasterium ipsum vacare diutius, maxime cum esset occasione questionis hujusmodi propter defectum administratoris legitimi, non modicum in temporalibus et spiritualibus deformatum, iidem cardinales, considerantes persone tue merita et de tua utili administratione sumentes ex eo potissimum argumentum quod monasterium s. Michaelis, Virdunensis ordinis, cujus olim extitisti abbas, laudabiliter gubernasti, de speciali mandato nostro eis viva voce facto, te in abbatem predicto s. Urbani monasterio prefecerunt, tibi prefatam abbatiam cum ejus pertinentiis conferentes, et investientes te per anulum de eodem, necnon curam ipsius monasterii s. Urbani tibi tam in temporalibus quam in spiritualibus committentes, prout in litteris inde confectis et eorundem cardinalium sigillis munitis, plenius continetur. Nos igitur tuis supplicationibus inclinati, quod per cardinales ipsos in hac parte factum est, ratum habentes et gratum, id auctoritate apostolica confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus. Tenores litterarum ipsarum super resignatione ac provisione hujusmodi confectarum, de verbo ad verbum presentibus inseri facientes, quorum primus talis est :

« Omnibus presentes litteras inspecturis, miseratione divina frater Hugo, tituli s. Sabine presbiter, et Octobonus s. Adriani diaconus cardinales, salutem in Domino. Noverit universitas vestra quod religiosi viri, frater Joffridus, quondam abbas monasterii s. Michaelis, Virdunensis diocesis, et frater Johannes de Memeri, prior de Ulmeto, in nostra presentia constituti, renuntiaverunt et resignaverunt plene, expresse, libere et simpliciter in manibus nostris recipientium resignationem hujusmodi de speciali et expresso mandato sanctissimi patris, domini Urbani pape IIII, super hoc facto nobis ab ipso oraculo

1. Le registre porte en marge : « *Super inquisitione facienda contra magistrum Symonem, canonicum Paduanum, promovendum in presbiterum cardinalem, Item de eodem supra capitulo XXXVII.* »

vive vocis, omne jus quod uterque ipsorum in abbatia monasterii s. Urbani, ordinis s. Benedicti, Cathalaunensis diocesis, se habere vel sibi competere contendebat ratione electionis de ipso fratre Joffrido, et provisionis de dicto fratre Johanni factarum ad abbatiam dicti monasterii s. Urbani, vel quocunque alio modo, ratione vel causa eis competeret vel competere diceretur, se nostre voluntati, mandato et ordinationi de alto et basso totaliter submittentes. In cujus rei testimomum et robur perpetue firmitatis, presentes litteras per infrascriptum notarium fieri et in publicam formam redigi mandavimus, facientes eas nostrorum sigillorum munimine roborari. Facta fuit suprascripta resignatio juxta civitatem Viterbii, in camera suprascripti venerabilis patris, domini Hugonis, tituli s. Sabine presbiteri cardinalis, in domibus in quibus morabatur juxta ecclesiam s. Marie in Gradibus, qui est locus fratrum Predicatorum Viterbiensium, anno a Nativitate Domini M°CC°LXII°, die ultimo mensis decembris, pontificatus vero domini Urbani, pape IIII, anno 1°, presentibus venerabili patre.. Cremonensi episcopo, venerabili viro, magistro Fortone, archidiacono Xanctonensi, Burdigalensi electo, magistro Petro Yspano, decano Ulixbonensi, Johanne, archidiacono Barri in ecclesia Tullensi, magistro Phylippo, preposito Mantuano, magistro Guillelmo de Spectinis, camerario suprascripti domini Octoboni cardinalis et aliis pluribus ad predicta vocatis et rogatis. Et ego magister Bartholomeus de Regio, sancte apostolice sedis auctoritate notarius, predictis omnibus interfui, et de mandato suprascriptorum dominorum cardinalium scripsi et in publicam formam mei signi annotatione redegi.

Secundus vero tenor talis est :

«*Miseratione divina frater Hugo, tituli s. Sabine presbiter, et Octobonus, s. Adriani diaconus cardinales, ad perpetuam rei memoriam.* Beneplacitum est Domino—. Sane super abbatia monasterii s. Urbani, ordinis S. Benedicti, Cathalaunensis diocesis, vacantis per mortem bone memorie Ade, quondam abbatis ipsius, ratione quarundam electionis et provisionis que in ipso facte fuerunt, suborta dudum materia questionis, eaque marte suo diutius procedente, tandem post varias et implicitas controversias, quibus nonnumquam claritas veritatis obducitur, et per quas dictum monasterium s. Urbani electionis et provisionis ipsarum occasione multis gravatum sumptibus ac persone ipsius longis et magnis fuerant fatigate laboribus, partibus ad litigii consumationem facile vel comode nequeuntibus pervenire, religiosi viri frater Joffridus, quondam abbas monasterii s. Michaelis, Virdunensis diocesis, qui ad abbatiam dicti monasterii s. Urbani electus fuerat et frater Johannes de Memeri, prior de Ulmeto qui ex provisione de se facta, abbatiam ipsam ad se de jure spectare dicebat, apud sedem apostolicam pro electionis et provisionis hujusmopi negotio personaliter constituti, prestante Altissimo qui facit concordiam in sublimibus suis, pie reconciliationis intuitum etiam ab inferioribus non avertens, ad bonum pacis et concordie se humiliter inclinantes, pro se suo nomine in manibus nostris recipientium de speciali et expresso mandato sanctissimi patris domini, Urbani, pape IIII, ab ipso facto nobis oraculo vive vocis, omne jus quod eis in abbatia predicti monasterii s. Urbani quocunque modo, ratione vel causa competebat aut competere contendebant, plene, expresse, libere ac simpliciter resignarunt, se nostre voluntati, beneplacito et ordinationi de alto et basso in omnibus et per omnia summittentes, prout in instrumento publico inde confecto, nostrorum roborato munimine sigillorum, plenius continetur. Nos igitur bonum statum prefati monasterii s. Urbani et quietem in eo degentium personarum in Domino affectantes, et ad reformationem ipsius diligentia qua possumus, intendentes, de speciali suprascripti domini pape mandato nobis viva voce facto et super hoc ab ipso plena nobis auctoritate concessa, de persona predicti fratris Joffridi in abbatem prefato s. Urbani monasterio providemus et abbatiam ipsius monasterii eidem conferimus, et cum omnibus juribus et pertinentiis suis assignamus, et ipsum de hiis per anulum presentialiter investimus, curam ipsius monasterii eidem in spiritualibus et temporalibus plenarie committentes, ac statuentes et mandantes ut monachi et persone ejusdem monasterii s. Urbani eundem fratrem Joffridum tanquam suum abbatem admittant ad abbatiam eandem, et eidem in omnibus reverenter obediant et intendant. In quorum ominum testimonium et robur perpetue firmitatis, presentes litteras per infrascriptum notarium fieri et publicari mandavimus, easque fecimus nostrorum sigillorum munimine roborari. Facta fuerunt dicta provisio et cetera premissa juxta civitatem Viterbii, in camera suprascripti venerabilis patris, domini Hugonis, tituli s. Sabine presbiteri cardinalis, in domibus in quibus morabatur juxta ecclesiam s. Marie in Gradibus qui est locus fratrum Predicatorum Viterbiensium, anno a Nativitate Domini M° CC°LX°II, II kalendas januarii, pontificatus vero domini Urbani, pape IIII, anno 1°, presentibus venerabili patre, domino.. episcopo Cremonensi, venerabili viro, magistro Fortone, archidiacono Xanctonensi, Burdegalensi electo, et discretis viris, magistro Petro Yspano, decano Ulixbonensi, Johanne, archidiacono Barri in ecclesia Tullensi, magistro Philippo, preposito Mantuano, magistro Guil-

lelmo de Spectinis, canonico Papiensi, camerario suprascripti domini Octoboni cardinalis, testibus ad predicta vocatis et rogatis. Et ego magister Bartholomeus de Regio, sancte apostolice sedis auctoritate notarius, predictis omnibus interfui et de mandato dominorum cardinalium suprascriptorum, presentes litteras feci, scripsi et in publicam formam mei signi annotatione redegi.

Nulli ergo nostre confirmationis etc. Datum Viterbii, II kalendas februarii, anno 1° ».

50 Viterbe, 26 janvier 1262.

Abbatibus de Escureio et s. Leonis, Tullensis diocesis, mandat quatenus Joffridum in abbatiae monasterii s. Urbani, Cathalaunensis diocesis, possessionem inducant. (Reg. 26 fol. 11 v°, n° 48.)

«..*de Escureio Cisterciensi, Tullensis diocesis, et.. s. Leonis Tullensis, s. Augustini ordinis, abbatibus.* Questionem que inter —. Datum ut in proxima superiori ».

51 Viterbe, 19 janvier 1262.

Episcopo Silvanectensi mandat ut Henrico, olim abbati s. Dionysii in Francia, de aliquo prioratu provideat, ubi monachi cum quibus ipse honeste conversari possit, existant. (Reg. 26 fol. 11 v°, n° 49.)

«.. *episcopo Silvanectensi.* Dilecti filii.. abbas et conventus monasterii s. Dyonisii in Francia, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis s. Benedicti, Parisiensis diocesis, nobis significare curarunt quod, cum olim de mandato felicis recordationis Alexandri pape, predecessoris nostri, commissa fuisset inquisitio tam in capite quam in membris in ipso monasterio facienda, tandem Henricus monachus, tunc abbas ipsius monasterii, ejusdem regimini sponte cessit, cui per quandam ordinationem factam auctoritate dicti predecessoris, et per eum postmodum confirmatam, prepositura de Bernevalle, Rothomagensis diocesis, ad ipsum monasterium pertinens, pro sua provisione sub certis conditionibus assignata extitit, ab eo, dum viveret, possidenda. Sed dictus Henricus non attendens quod Lateranensis concilii obviat institutis et regulari derogat honestati, quod monachi soli inter seculares homines commorentur, in ipsa prepositura solus, sine religiosorum societate per biennium moram traxit. Et licet postmodum ipse interdum sibi aliquem religiosum associaverit, idem tamen conflictum spiritualium hostium solus inter seculares homines potius expetens quam evitans, non solum in eadem prepositura, verum etiam in aliis locis ad que sepe pro sua voluntate se transfert, interdum per mensem, interdum amplius sine religiosis aliquibus erogatur, ex quo non solum apud abbatem et conventum predictos ac venerabilem fratrem nostrum.., Parisiensem episcopum, et nonnullos prelatos alios regni Francie, verum etiam apud carissimum in Christo filium.., illustrem regem Francorum, aliosque nobiles dicti regni tantum scandalum est exortum, quod ipse abbas et conventus, episcopus et rex ac alii plures tantam ejusdem H. insolentiam detestantes, sedi apostolice per suas litteras supplicarunt ut cum eidem H. materiam tante insolentie id potissimum prestare noscatur, quod in predicta prepositura monachi aliqui non existunt, eundem H. inde amoveri et eum in aliquo prioratu dicti monasterii, ubi monachi existant, et ubi societas quam scienter refugit, salubriter paretur invito, collocari de consueta sedis apostolice clementia mandaremus. Quocirca fraternitati tue mandamus quatinus, si vera sunt que narrantur, dicto H. de aliquo prioratu ejusdem monasterii equivalentis valoris provisioni predicte, ubi monachi cum quibus ipse honeste conversari possit, existant, auctoritate nostra providere procures, prepositurам predictam ad utilitatem predicti monasterii, sicut erat antequam Henrico assignaretur eidem, per te vel alium revocando. Necnon contradictores —. Non obstantibus —. Datum Viterbii, XIIII kalendas februarii, anno 1° ».

52 Viterbe, 4 février 1262.

Abbati et conventui monasterii s. Jacobi de Waldensi, Londoniensis diocesis, indulget ut professis ac etiam non professis ipsorum collegio aggregari volentibus, interdicti et excommunicationis absolutionem impertiri valeant. (Reg. 26 fol. 12, n° 50.)

«.. *abbati et conventui monasterii s. Jacobi de Waldensi, ordinis s. Benedicti, Londoniensis diocesis.* Qui ex apostolici —. Hinc est quod nos, vestre precibus devotionis inducti, auctoritate vobis presentium indulgemus ut professis in vestro monasterio ac etiam non professis, volentibus vestro aggregari collegio, qui suspensionis aut interdicti vel excommunicationis sententiis fuerint ligati, tu, fili abbas, absolutionis beneficium possis juxta formam ecclesie impertiri et cum eisdem super irregularitate, si quam se immiscendo divinis exinde contraxerint, dispensare, dummodo iidem non professi infra unum mensem post absolutionem hujusmodi in dicto monasterio regularem professionem emittant. Alioquin hujusmodi absolutio et dispensatio, quoad non professos

ipsos, nullius penitus sint valoris; ita tamen quod si aliqui ex eis et aliis predictis propter debitum seu alias pro jure alterius fuerint sententiis predictis astricti, super hiis satisfaciant, ut tenentur. Nulli ergo nostre concessionis etc. Datum Viterbii, II nonas februarii, anno 1° ».

53 Viterbe, 13 février 1262.

Gaufrido de Sarzinis concedit ut altare portatile habere ac in eo missarum sollemnia celebrari facere possit. (Reg. 26 fol. 12, n° 51.)

« *Nobili viro, Gaufrido de Sarzinis, Senonensis diocesis.* Affectum tuum ad —. Datum Viterbii, idus februarii, anno 1° ».

54 Viterbe, 13 février 1262.

Eidem concedit ut suus capellanus militibus et sociis ipsius Gaufridi ecclesiastica sacramenta ministrare valeat. (Reg. 26 fol. 12, n° 52.)

« *Eidem nobili.* Affectum tuum etc. Datum Viterbii, idus februarii, anno 1° ».

55 Viterbe, 13 février 1262.

Eidem indulget ut a nullo delegato vel subdelegato excommunicari possit. (Reg. 26 fol. 12, n° 53.)

« *Eidem nobili.* Speciali gratia et favore te dignum potissime reputamus, quia devotionem quam ad Deum habes, factis ostendens et pro tuorum remissione peccaminum ad partes ultramarinas te conferens, ibidem cum decenti comitiva multum moram trahis. Hinc est quod nos tuis supplicationibus inclinati, auctoritate tibi presentium indulgemus ut nullus delegatus vel subdelegatus ab eo executor, seu etiam conservator, auctoritate litterarum sedis apostolice vel legatorum ipsius possit in personam tuam excommunicationis vel interdicti sententiam promulgare, nisi littere dicte sedis de indulgentia hujusmodi plenam et expressam fecerint mentionem. Nulli ergo —. Datum ut supra. »

56 Viterbe, 13 février 1262.

Eidem indulget ut episcopus Acconensis in eum interdicti vel excommunicationis sententias promulgare, aut ejus capellam ecclesiastico supponere interdicto non valeat. (Reg. 26 fol. 12 v°, n° 54.)

« *Eidem nobili.* Procedit ex magna —. Datum ut in secunda proxima superiori. »

57 Viterbe, 17 octobre 1262.

Praeposito et capitulo ecclesiae s. Martini Yprensis concedit ut fratres Heremitae seu alii cujuscumque ordinis non possint infra fines parrochiarum s. Jacobi et s. Martini Yprensis ecclesiam construere. (Reg. 26 fol. 12 v°, n° 55.)

«.. *preposito et capitulo ecclesie s. Martini Yprensis, ordinis s. Augustini, Morinensis diocesis.* » Significastis nobis quod, licet vobis a sede apostolica sit indultum ut nulli possint infra limites parrochiarum ecclesiarum vestrarum construere oratorium vel ecclesiam, absque vestra licentia speciali, quidam tamen fratres Heremite ordinis s. Augustini infra limites parrochie ecclesie s. Jacobi Yprensis, que vestra specialis existit, vobis et venerabili fratre nostro.., episcopo Morinensi, loci diocesano, contradicentibus et invitis, ecclesiam de novo temeritate propria construere inceperunt, procurantes per conservatorem privilegiorum eis a sede concessorum eadem, quamquam nullum super hoc privilegium habeant, vobis sub pena excommunicationis districtius inhiberi ne vos super hoc aliquatenus fratribus opponeretis eisdem, propter quod vos ad sedem appellantes eandem, ad ipsius duxistis providentiam recurrendum, nobis humiliter supplicantes ut cum vos ad preces et mandatum felicis recordationis Alexandri pape, predecessoris nostri, fratres Minores infra fines parrochie ecclesie vestre s. Martini ecclesiam construere, quamvis per hoc vobis in oblationibus et obventionibus aliisque parrochialibus juribus non modicum depereat, sustinueritis reverenter, providere super hoc vobis de benignitate apostolica curaremus. Nos igitur vestris supplicationibus inclinati, auctoritate vobis presentium indulgemus ut dicti fratres Heremite seu alii cujuscumque ordinis non possint de cetero infra fines parrochiarum ipsarum per litteras a sede impetratas predicta, per quas non sit ipsius jus aliquod super hoc specialiter acquisitum, seu etiam impetrandas, ecclesiam vel oratorium construere sive domum, et ibi eligere mansionem, nisi eedem littere impetrande plenam et expressam fecerint de indulto hujusmodi mentionem. Nulli ergo —. Datum Viterbii, xv kalendas octobris, anno 1° ».

58 Viterbe, 20 février 1262.

Decernit quod canonici ecclesiae s. Vulfranni in Abbatisvilla, Ambianensis dioecesis, quos pro ipsius ecclesiae negotiis capitulum quocumque duxerit destinandos, quotidianas distributiones percipere valeant. (Reg. 26 fol. 12 v°, n° 56).

«.. *decano et capitulo ecclesie s. Vulfranni in Abbatisvilla, Ambianensis diocesis.* Dum a nobis —. Sane petitio vestra nobis exhibita continebat, quod, cum in ecclesia vestra sit statutum, et de consuetudine nichilominus habeatur ibidem, ut absentibus canonicis de cotidianis distributionibus nichil debeat exhiberi, contingit interdum quod eorum aliqui nolunt extra dictam ecclesiam assumere ipsius negotia procuranda ne dispendium in eisdem distributionibus patiantur. Unde cum ex hoc eadem ecclesia frequenter sustineat in dictis negotiis detrimentum, nobis humiliter supplicastis, ut providere, vobis in hac parte apostolica sollicitudine curaremus. Nos itaque vestris supplicationibus inclinati, ut concanonicis vestris, quos specialiter pro ipsius ecclesie negotiis quocunque duxeritis destinandos, possitis de predictis distributionibus sicut aliis ex vobis ibidem personaliter residentibus et deservientibus, providere, ac ipsi distributiones easdem pro eo tempore quo in eorundem negotiorum prosecutione prestiterint, libere percipere valeant, statuto et consuetudine predictis, juramento vel confirmatione apostolica seu quacunque alia firmitate vallatis, nequaquam obstantibus, auctoritate vobis presentium indulgemus. Nulli ergo nostre concessionis etc. Datum Viterbii, x kalendas martii, anno 1° ».

59 Viterbe, 20 février 1262.

Archiepiscopis, episcopis, abbatibus et aliis ecclesiarum praelatis nunciat se beatum Riccardum, quondam episcopum Cicestrensem mirabilem, in festo b. Vincentii, XI kalendas februarii, (id est 22 jan.) sanctorum catalogo cum celebri gaudio adscripsisse, eisque mandat ut III nonas aprilis, (id est 3 apr.) celebriter ejus festa celebria, modulatis vocibus et cordibus, annis singulis celebrent. (Reg. 26, fol. 13, n° 57. Potthast, 18232.)

« *Archiepiscopis et episcopis, abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis, presbiteris, archipresbiteris et aliis ecclesiarum prelatis, ad quos littere iste pervenerint.* Exultet angelica turba —. Datum Viterbii, x kalendas martii, anno 1° ».

60 Viterbe, 14 mars 1262.

Monasterium s. Mauri Virdunense a jurisdictione Virdunensis episcopi eximit. (Reg. 26, fol. 14 v°, n° 58.)

« *Agneti, abbatisse s. Mauri Virdunensis, ordinis s. Benedicti.* Dudum monasterio s. Mauri Virdunensi, ordinis s. Benedicti, regimine destituto, nos, cum tunc Virdunensi ecclesie preessemus, te de cujus vite munditia, gravitate morum et providentie studio plene constitit, in abbatissam, commissa nobis super hoc a conventu ipsius monasterii potestate, prefecimus monasterio memorato. — Hinc est quod nos paci et tranquillitati tue volentes in posterum paterna sollicitudine providere, ut tanto liberius vacare possis pie vite studio quanto plenius apostolice sedis presidio perspexeris te munitam, prefatum monasterium, tuam et alias ejusdem monasterii personas ab omni jurisdictione venerabilis fratris nostri R., Virdunensis episcopi, auctoritate presentium, quamdiu vixeris, duximus eximendam, eadem auctoritate nichilominus decernendo ut idem episcopus in dictum monasterium et personas prefatas excommunicationis, suspensionis aut interdicti sententias auctoritate ordinaria proferre, aut alia jura episcopalia exercere non possit absque speciali nostra licentia plenam et expressam faciente de exemptione ac concessione hujusmodi mentionem. Nulli ergo nostre exemptionis et constitutionis etc. Datum Viterbii, II idus martii, anno 1° ».

61 Viterbe, 6 mars 1262.

Episcopo Narniensi mandat ut Narnienses ab occupando castro s. Gemini deterreat, potestatemque eorum et capitaneum personaliter, consiliarios autem et commune per syndicum coram papa comparere faciat. (Reg. 26 fol. 15, n° 59; Potthast n° 18239.)

«.. *episcopo Narniensi.* Quia nimis excresceret —. Datum Viterbii, II nonas martii, anno 1° ».

62 Viterbe, 28 février 1262.

Cum nonnulli in Virdunensi capitulo in canonicos recepti sint, nullis praebendis ibidem vacantibus, decano ejusdem ecclesiae mandat ut diligenter inquirat quis primam, quis secundam et quis deinde praebendam in dicta ecclesia debeat obtinere. (Reg. 26 fol. 15, n° 60.)

«.. *decano ecclesie Montisfalconis, Remensis diocesis.* Petitio dilectorum filiorum.. decani et capituli ecclesie Virdunensis nobis exhibita continebat quod quidam per monitorias, aliqui per preceptorias, nonnulli per executorias litteras sedis apostolice, aliqui etiam motu proprio dictorum decani et capituli diversis temporibus in

eadem ecclesia, nullis ibidem prebendis vacantibus, in fratres et canonicos sunt recepti, quorum aliqui, ut una eademque prebenda conferatur eisdem, diversa mandata predictis decano et capitulo a diversis eorum executoribus dirigi faciunt, et interdum quia in diversitate hujusmodi satisfacere nequeunt, interdicti seu suspensionis vel excommunicationis in ipsos sententias promulgari. Quare fuit pro parte dictorum decani et capituli nobis humiliter supplicatum ut super hoc providere paterna sollicitudine curaremus. Cum itaque dictam ecclesiam prerogativa dilectionis et gratie ob illam causam precipue a nobis deceat confoveri, quia nos, qui olim ibidem pastorali officio fungebamur, de ipsa primo ad patriarchatus Jerosolimitani curam, ac subsequenter, licet immeriti, ad apostolice dignitatis fastigium fuimus evocati, discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatenus, vocatis qui fuerint evocandi, faciens tibi omnes litteras directas super provisione receptorum hujusmodi exihiberi, detentores earum ad id, si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compellendo, prehabita diligenti et legitima discussione, decernas quis earum primam, quis secundam et quis deinde prebendam in prefata ecclesia de jure debeat obtinere; ita tamen quod prefatas sententias in eosdem decanum et capitulum totaliter promulgatas, auctoritate nostra per te vel per alium juxta formam ecclesie primitus relaxare procures, dispensando cum eis super irregularitate, si quam ipsi celebrando divina officia seu immiscendo se illis exinde forsitan contraxerunt; injuncto eis sub debito prestiti juramenti quod receptis ipsis prebendam juxta decretum quod super hoc facies, assignare procurent. Nos enim sententias hujusmodi, si quas in ipsos, prefatis receptis, prebendas, ut premissum est, assignare paratos communiter vel divisim per eosdem executores occasione hujusmodi de cetero promulgari contigerit, decernimus non tenere. Datum Viterbii, II kalendas martii, anno 1° ».

63 Viterbe, 14 mars 1262.

Ecclesiam s. Sepulchri Troiani ad ecclesiam Hierosolymitanam spectantem, ab omni jurisdictione Troiani episcopi eximit (Reg. 26 fol. 15 v°, n° 61.)

« .. *priori et fratribus ecclesie s. Sepulchri Troiane ad ecclesiam Jerosolimitanam spectantis, ordinis s. Augustini.* Grandis affectus quem —. Datum Viterbii, II idus martii, anno 1° ».

64 Viterbe, 14 mars 1262.

Ecclesiam s. Sepulchri de Barulo ad ecclesiam Hierosolymitanam spectantem, ab omni jurisdictione Tranensis archiepiscopi eximit. (Reg. 26 fol. 15 v°, n° 62.)

« .. *priori et fratribus ecclesie s. Sepulchri de Barulo, Tranensis diocesis, ad ecclesiam Jerosolimitanam spectantis, ordinis s. Augustini.* Grandis affectus etc —. Datum Viterbii, II idus martii, anno 1° ».

65 Viterbe, 14 mars 1262.

Omnes ecclesias s. Sepulchri in Apulia constitutas, ad ecclesiam Hierosolymitanam spectantes, ab omni archiepiscoporum, episcoporum et praelatorum jurisdictione eximit. (Reg. 26 fol. 15 v°, n° 63.)

« .. *prioribus et fratribus ecclesiarum dominici Sepulchri per Apuliam constitutis ad Jerosolimitanam ecclesiam spectantium, ordinis s. Augustini.* Grandis affectus etc —. Datum Viterbii, II idus martii, anno 1° ».

66 Viterbe, 17 mars 1262.

Monasterio s. Mariae de Crypta Ferrata, monasterium Graecorum s. Nicolai de Morbano cum ad ipsum pertinente ecclesia s. Martini Venusina, Venusinae diocesis, confert. (Reg. 26 15 v°, n° 64.)

« .. *abbati et conventui monasterii s. Marie de Cripta Ferrata ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis s. Basilii.* Oblata nobis vestra petitio continebat quod cum .. quondam abbas et monachi monasterii Grecorum s. Nicolai de Morbano, Venusine diocesis, se ac idem monasterium s. Nicolai et ecclesiam s. Martini Venusinam ad ipsum monasterium s. Nicolai pleno jure spectantem, que ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinent, vobis et vestro monasterio de Cripta Ferrata vellent submittere cum pertinentiis eorundem, quia iidem abbas et monachi facere id non poterant absque ipsius ecclesie Romane licentia speciali, felicis recordationis Alexander papa, predecessor noster, venerabili fratri nostro .., episcopo Melfiensi, suis dedit litteris in mandatis ut, si ei ita esse constaret, ipsis abbati et monachis hoc faciendi concederet facultatem et ejusdem predecessoris auctoritate procuratorem vestrum per se vel per alium in corporalem possessionem predictorum monasterii s. Nicolai et ecclesie s. Martini ac pertinentiarum induceret et tueretur inductum. Contradictores —. Sed cum vos nullum ex eisdem litteris, sicut asseritis, sitis commodum

assecuti, nobis humiliter supplicastis ut cum eorundem monasterii s. Nicolai et ecclesie proventus sex unciarum auri valorem annuum non excedant, providere vobis super hoc de benignitate apostolica curaremus. Nos itaque volentes ut hujusmodi gratia jam incepta vobis fructuosa reddatur, monasterium et ecclesiam hujusmodi vobis et per vos monasterio vestro, veris existentibus supradictis, concedimus et conferimus in perpetuum de gratia speciali. Decernentes —. Nulli ergo —. Datum Viterbii, xvi kalendas aprilis, anno 1° ».

67 Viterbe, 21 mars 1262[1].

Ad instantiam Stephani, familiaris sui, decani, et capituli ecclesie Tullensis, cum in eodem capitulo nonnulli in canonicos recepti sint, nullis praebendis ibidem vacantibus, abbati monasterii s. Urbani mandat ut diligenter inquirat quis primam, quis secundam et quis deinde praebendam in dicta ecclesia debeat obtinere. (Reg. 26 fol. 15 v°, n° 65.)

« ..*abbati monasterii s. Urbani, Cathalaunensis diocesis.* Petitio dilecti filii —. Datum Viterbii, xii kalendas aprilis, anno 1°. »

68 Viterbe, 9 janvier 1262.

Archiepiscopo Remensi mandat ut monasterio Andeciarum seu Vivi-fontis, sub onere usurarum oppresso, de opportuno remedio providere procuret. (Reg. 26 fol. 19, n° 66.)

« .. *archiepiscopo Remensi.* Lecta coram nobis dilectarum in Christo filiarum .. abbatisse et conventus monasterii Andeciarum seu Vivi Fontis, ordinis s. Bedicti, Cathalaunensis diocesis, petitio continebat, quod tam ipse quam ille que ipsas precesserunt, propter urgentes necessitates, monasterium ipsum in magnis et multis summis pecuniarum diversis creditoribus diversarum partium obligarunt, quarum nonnulle presertim per usurariam pravitatem extorte, in utilitatem ipsius monasterii non cesserunt. Unde monasterium ipsum propter debita hujusmodi adeo premitur quod redditus et proventus ipsius vix sufficiunt ad voraginem usurarum. Eorundem quoque creditorum aliqui pro se super hiis contra eas diffinitivas obtinuerunt sententias auctoritate apostolica ferri, et ipse abbatissa et conventus cum aliquibus ex ipsis creditoribus diversas compositiones, datis super hoc litteris, penis adjectis, interpositis juramentis, satisfactione dampnorum ac interesse premissis, et confectis exinde nichilominus publicis instrumentis, factis renuntiationibus quoad impetratas et impetrandas apostolicas litteras, executoribus etiam super premissis a sede apostolica deputatis, et nonnullis processibus habitis per easdem in enormem lesionem ipsius monasterii sunt inire coacte. Quare pro parte dictarum abbatisse et conventus humiliter petebatur a nobis ut, cum merito timeri possit quod monasterium ipsum irreparabilem lesionem incurreret nisi ei de celeri et salubri remedio succurratur eidem, providere in hac parte misericorditer curaremus. Nos igitur de tua discretioni confisi, fraternitati tue mandamus quatenus universos redditus et proventus monasterii memorati per te vel alium fideliter colligens, congrua de illis supradictis abbatisse et conventui sustentatione servata, totum residuum reddituum et proventuum predictorum in solutionem debitorum hujusmodi, usuris omnino cessantibus, et premissis seu aliquibus, si a sede apostolica sit indultum quod excommunicari, suspendi vel interdici non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam de indulto hujusmodi mentionem, et alia quavis indulgentia dicte sedis, per quam effectus presentium impediri valeat vel differri, et de qua in nostris litteris mentio fieri debeat specialis, nequaquam obstantibus, convertere non omittas, satisfaciendo per ordinem creditoribus supradictis juxta quod ipsos jure inveneris potiores, presertim cum dicatur per hunc modum tam ipsi monasterio quam eisdem creditoribus posse utilius provideri, relaxans interdicti, suspensionis, excommunicationis sententias, si quas in easdem abbatissam et conventum communiter vel divisim, vel eorum aliquas occasione hujusmodi esse inveneris promulgatas et non permittens eas interim super alia solutione facienda per aliquas litteras apostolicas coram predictis vel aliquibus aliis executoribus molestari. Molestatores —. Datum Viterbii, v idus januarii, anno 1°. »

69 Viterbe, 20 février 1262.

Capitulo ecclesiae s. Vulfranni in Abbatisvilla indulget ut beneficia quum vacaverint, libere conferre valeant. (Reg. 26 fol. 16 v°, n° 67.)

« .. *decano et capitulo ecclesie s. Vulfranni in Abbatisvilla, Ambianensis diocesis.* In ecclesia vestra esse statutum accepimus juramento firmatum, quod de beneficiis ad collationem vestram spectantibus, cum illa vacare contingit, usque ad octo dies a tempore vaca-

1. Cette lettre est écrite dans les mêmes termes que la lettre n° 62, adressée pour une affaire semblable au doyen de Montefalco.

tionis eorum non possitis alicui providere. Quare frequenter evenit quod, licet personas notas et ydoneas habeatis, quibus et possetis et velletis beneficia ipsa conferre, dilata tamen ipsorum collatione per statutum hujusmodi, cogimini per importunitatem petentium eadem conferre minus ydoneis et ignotis. Quare nobis humiliter supplicastis ut providere vobis super hoc apostolica sollicitudine curaremus. Nos itaque vestris supplicationibus inclinati, ut predicta beneficia, cum vacaverint, conferre, prout ad vos spectat, libere valeatis, presentibus tamen hiis qui debent de jure vel consueverunt collationi hujusmodi interesse, statuto hujusmodi non obstante, vobis auctoritate presentium indulgemus. Nulli ergo nostre concessionis, etc. Datum Viterbii, x kalendas martii, anno 1°. »

70 Viterbe, 9 février 1262.

Priori fratrum Praedicatorum Florentinorum mandat ut, Castrae Gualfredi, civi Florentino, ejusque familiae aliquas ex restituendis pecuniis pro sustentatione, ne mendicare cogantur loco pauperum, distribuat. (Reg. 26, fol. 16 v°, n° 68; Potthast 18228.)

« .. *priori fratrum Predicatorum Florentinorum.* Dilectus filius Castra —. Datum Viterbii, v idus februarii, anno 1°. »

71 Viterbe, 28 mars 1262.

Sergio de Donno Marino et Mariae de Duce, ejus uxori, concedit ut, non obstante quarto consanguinitatis gradu, in matrimonio jam contracto licite remanere possint. (Reg. 26 fol. 16 v°, n° 69.)

« *Nobili viro, Sergio de Donno Marino, militi Neapolitano et nobili mulieri, Marie de Duce Neapolitane, uxori ejus.* Romani pontificis precellens —. Datum Viterbii, v kalendas aprilis, anno 1°. »

72 Viterbe, 28 mars 1262.

Omnibus qui translationi b. Riccardi, nuper coelitum numero ascripti, interfuerint, unum annum, et illis qui in anniversario die translationis ejusdem et infra dierum octavas accesserint, quadraginta dies de injuncta sibi poenitentia relaxat. (Reg. 26, fol. 17, n° 70.)

« .. *decano et capitulo Ciecstrensibus.* Laudabilis et longeve —. Datum Viterbii, v kalendas aprilis, anno 1°. »

73 Viterbe, 20 mars 1262.

Abbati monasterii s. Mariae Montis Virginis usum pastoralis baculi in perpetuum concedit. (Reg. 26, fol. 17, n° 71.)

« .. *abbati monasterii s. Marie Montis Virginis, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis s. Benedicti, Avellinensis diocesis.* Ad hoc in —. Datum Viterbii, xiii kalendas aprilis, anno 1°. »

74 Viterbe, 15 mars 1262.

Monasterium s. Mariae Montis Virginis sub apostolica protectione suscipit. (Reg. fol. 17, n° 72.)

« .. *abbati et conventui monasterii s. Marie Montis Virginis, etc. ut supra.* Sacrosancta Romana ecclesia —. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris postulationibus grato concurrentes affectu, personas vestras et locum in quo divino estis obsequio mancipati, cum omnibus que impresentiarum rationabiliter possidet aut in futurum justis modis, procurante Deo poterit adipisci, sub b. Petri et nostra protectione suscepimus. Specialiter autem castra, villas, domos, terras, vineas, molendina, nemora, prata, possessiones et alia bona vestra, sicut ea omnia juste ac pacifice possidetis, vobis et per vos monasterio vestro auctoritate apostolica confirmamus etc., usque communimus. Ad indicium autem hujusmodi protectionis et confirmationis a sede apostolica perceptarum, unum obolum aureum gratis oblatum persolvetis nobis et nostris successoribus, Romanis pontificibus, annuatim. Nulli ergo —. Datum Viterbii, idus martii, anno 1°. »

75 Viterbe, 15 mars 1262.

Magistro Nicolao de Wich, canonico Ciecstrensi, indulget ut una cum ecclesiasticis beneficiis que jam obtinet, ecclesiam de Suthmallinge, Cicestrensis diocesis, retinere possit. (Reg. 26, fol. 17 v°, n° 73.)

« *Magistro Nicolao de Wich, canonico Ciecstrensi, capellano nostro.* Quanto majori meritorum. — Tuis itaque supplicationibus inclinati, ut preter duo ecclesiastica beneficia que, habentia curam animarum annexam, ex dispensatione apostolica te canonice obtinere proponis, quorumque fructus et proventus secundum comunem extimationem patrie quadraginta marcarum sterlingorum valentiam annis singulis vix excedunt, decanatum ecclesie de Suthmallinge, Cicestrensis diocesis, similem

curam habentem, a venerabili fratre nostro .. Cantuariensi archiepiscopo, canonice tibi, sicut asseris, prout ad eum spectat, oblatum, libere recipere ac una cum obtentis licite valeas retinere, constitutione generalis concilii non obstante, tecum auctoritate presentium de speciali gratia dispensamus, devotioni tue nichilominus concedentes ut, si alterum beneficiorum eorundem te resignare vel dimittere quoquomodo contigerit, possis unicum aliud ecclesiasticum beneficium, curam similem habens, etiamsi fuerit personatus vel dignitas loco illius recipere, si tibi canonice offeratur et una cum obtentis, constitutione non obstante predicta, licite retinere. Proviso quod hujusmodi beneficia, decanatus et personatus vel dignitas debitis non fraudentur obsequiis, et animarum cura in eis nullatenus negligatur. Nulli ergo. Datum Viterbii, idus martii, anno primo. »

76 Viterbe, 15 mars 1262.

Eidem indulget ut uno ex tribus ipsius beneficiis dimisso, loco illius unicum aliud recipere possit. (Reg. 26, fol. 17 v°, n° 74.)

« *Magistro Johanni de Wich, subdiacono nostro, canonico ecclesie Suthmalinge, Cicestrensis diocesis.* Quanto majori meritorum—. Tuis itaque supplicationibus inclinati, ut uno ex tribus ecclesiasticis beneficiis, curam habentibus animarum annexam, que ex dispensatione apostolica te obtinere proponis, dimisso, loco illius unicum aliud similem curam habens, etiamsi fuerit personatus vel dignitas et tibi canonice offeratur, libere recipere ac una cum reliquis duobus obtentis licite valeas retinere, constitutione generalis concilii non obstante, tecum auctoritate presentium de speciali gratia dispensamus. Proviso quod —. Datum Viterbii, idus martii, anno primo. »

77 Viterbe, 23 mars 1262.

Decano et capitulo ecclesiae Laudunensis indulget ut in majorem et juratos Laudunenses, capituli proventuum invasores, excommunicationis sententiam valeant promulgare. (Reg. 26, fol. 17 v°, n° 75.)

« .. *decano et capitulo ecclesie Laudunensis.* Ecclesias et personas —. Cum igitur, sicut ex parte vestra fuit propositum coram nobis, .. major et jurati Laudunenses nonnunquam jura, jurisdictiones et bona ecclesie vestre usurpare, occupare, invadere et impedire ac jura, redditus et proventus que ipsi debentur ecclesie, quandoque indebite detinere presumant ac interdum faciant detineri, nos volentes indempnitatibus ejusdem ecclesie precavere, auctoritate vobis presentium indulgemus ut in majorem et juratos eosdem, nisi a vobis diligenter moniti ab hujusmodi usurpatione, occupatione, et invasione desistant, ac eadem jura redditus et proventus vobis infra terminum competentem, quem eis prefixeritis, cum integritate restituant, excommunicationis promulgare sententiam generaliter vel specialiter, sicut expedire videritis, valeatis. Nulli ergo nostre concessionis, etc. Datum Viterbii, x kalendas aprilis, anno primo. »

78 Viterbe, 15 mars 1262.

Abbati monasterii Sublacensis castrum de Trebis, Anagninae diocesis, committit. (Reg. 26, fol. 17 v°, n° 76.)

« .. *abbati monasterii Sublacensis, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis s. Benedicti.* Cum concessionem factam per felicis recordationis Alexandrum papam, predecessorem nostrum, nobili viro Raynaldo de Genna de dominio, jurisdictione, redditibus et aliis juribus que in castro de Trebis, Anagnine diocesis, et ejus territorio ecclesia Romana obtinebat, pro eo quod ex concessione hujusmodi ecclesia tenebatur eadem, duxerimus per nostras litteras revocandam, tam nobiles quam alios castri ejusdem a juramento ceterisque aliis quibus ratione prefate jurisdictionis tenebantur ipsi nobili absolvendo, nos de circumspectione tua plenam in Domino fiduciam obtinentes, castrum ipsum cum dominio, jurisdictione, redditibus et juribus predictis tibi usque ad nostre voluntatis beneplacitum providimus committendum. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta in virtute obedientie districte precipiendo mandamus quatenus premissa omnia ad manus tuas recipiens, ea ita fideliter et prudenter conservare procures, ut dignam nobis exinde rationem reddere valeas, nosque devotionem tuam possimus proinde merito commendare —. Datum Viterbii, idus martii, anno primo. »

79 Viterbe, 15 mars 1262.

Episcopo Anagnino committit ut Raynaldo de Genna inhibeat ne castrum de Trebis alienare praesumat. (Reg. 26, fol. 18, n° 77.)

« .. *episcopo Anagnino.* Cum concessionem factam [1]

1. Mêmes termes qu'au début de la lettre précédente.

—fraternitati tue de qua plene confidimus, per apostolica scripta in virtute obedientie districte precipiendo mandamus quatenus prefatum nobilem (Raynaldum de Genna.) ad tuam presentiam evocare procures et sive compareat sive non, in loco publico, presentibus viris idoneis, quos ad hoc videris adhibendos, solempniter et expresse inhibere studeas ne idem nobilis castrum (de Trebis) seu alia predicta vel eorum aliquid quomodolibet distrahere vel alienare presumat, decernens auctoritate nostra irritum et inane, si secus hactenus attemptatum est seu contigerit attemptari, ac faciens nichilominus ad majorem rei evidentiam fieri super hoc publicum instrumentum. Quodautem exinde faciendum duxeris, studeas nobis tuis litteris harum seriem continentibus fideliter intimare, ita ut ex ipsis evidenter possimus advertere qualem et quantam sollicitudinem adhibueris in premissis. Datum Viterbii, idus martii, anno primo. »

80 Viterbe, 5 mars 1262.

Assignationem centum et quinquaginta kafitiorum grani monasterio s. Petri de Ripis prope Pampilonam a Pampilonensi episcopo factam, confirmat. (Reg. 26, fol. 18, n° 78.)

« .. *priorisse et conventui monasterii s. Petri de Ripis prope Pampilonam, ordinis s. Augustini.* Meritis vestre religionis —. Sane petitio vestra nobis exhibita continebat quod venerabilis frater noster .. episcopus Pampilonensis, tenuitatem reddituum et possessionum monasterii vestri diligenter attendens, vobis et monasterio vestro centum et quinquaginta kafitia tritici ad mensuram Pampilonensem dedit et assignavit annuatim a vobis in perpetuum percipienda in molendinis que idem episcopus juxta predictum monasterium et prope civitatem Pampilonam noscitur obtinere, prout in instrumento publico inde confecto, sigillato sigillo ipsius episcopi, plenius continetur. Nos itaque vestris supplicationibus inclinati quod super hoc ab eodem episcopo factum est, ratum et firmum habentes et supplentes defectum si quis in hoc fuit, de apostolice plenitudine potestatis, id, dummodo Pampilonensis ecclesia per hoc enormiter non ledatur, auctoritate apostolica confirmamus, etc., usque communimus. Tenorem ipsius instrumenti de verbo ad verbum presentibus inseri facientes, qui talis est :

« *P., miseratione divina Pampilonensis episcopus, venerabilibus et carissimis in Christo filiabus .. priorisse et sororibus monasterii s. Petri super Ripis prope Pampilonam in perpetuum.* Maxima est causa que pro religione facit et ideo tenemur eam plantare et plantatam fovere. Hinc est quod cum quedam sorores apud Baraynin honeste viverent, eas sub protectione nostra recepimus et approbavimus vitam et conversationem ipsarum, et assignavimus eisdem ordinem sive regulam b. Augustini, in qua Domino deservirent, et habuerunt nobis procurantibus quandam domum prope Aceyllam circa stratam publicam b. Jacobi ad monasterium construendum. Postmodum dedimus eis ecclesiam, domos et alia que sunt apud predictum monasterium s. Petri super Ripis. Nunc autem predicta priorissa et sorores proposuerunt coram nobis, quod propter sterilitatem annorum transactorum et propter paucitatem possessionum non habebant unde valerent sustentari, et hoc etiam nobis constitit evidenter. Unde nos attendentes quod nichil creditur esse actum dum aliquid superest ad agendum, attendentes etiam quod nobilitas hanc sibi quodammodo legem imponit ut debere se quod sponte tribuit, extimet, et nisi in beneficiis suis excreverit, nichil se prestitisse putet, damus in perpetuum annis singulis predictis priorisse et sororibus et successoribus earundem et per eas monasterio antedicto centum quinquaginta kafitia tritici mensure Pampilonensis, et assignamus dicta kafitia in nostris molendinis que sunt circa predictum monasterium et in aliis que habemus Pampilone, volentes ut ea recipiant et habeant sine sumptibus aliquibus in molendinis memoratis. In cujus rei perpetuum testimonium presentes litteras nostras patentes eis tradimus sigilli nostri munimine roboratas, et mandamus P. Orticii, rectori ecclesie de Olave, notario publico et jurato nostro, quod super hoc publicum faciat instrumentum. Et ego P. Orticii, rector ecclesie de Olave notarius publicus et juratus predictus, qui omnibus predictis interfui, de mandato memorati domini episcopi presens instrumentum manu propria scripsi et hoc signum meum assuetum feci in testimonium omnium premissorum. Datum xvi kalendas januarii, anno domini M°CC°LX. Ego, frater M. de Zavalza, ordinis fratrum Predicatorum, dicte donationi interfui et manu propria subscripsi. Ego, frater Martinus Enrieti, ordinis Predicatorum, predictis interfui et propria manu subscripsi. Ego, P. Petri, officialis Pampilonensis, predictis interfui et propria manu subscribo. Ego, Dominicus de Ezquirest, presbiter Pampilonensis, predictis interfui et propria manu subscripsi. Ego, Arnaldus Murde de Pampilone predictis interfui. Ego, Johannetos de Burgo Pampilone predictis interfui et propria manu subscrepsi. Ego, M. Petri de Zuazu predictis interfui et propria manu subscripsi. Ego, Martinus Bonifazi de Burgo

Pampilone predictis interfui et propria manu subscripsi. Ego, Pero G. de Vart de civitate Pampilona predictis interfui et propria manu subscripsi. »

Nulli ergo nostre suppletionis et confirmationis, etc. Datum Viterbii, III nonas martii, anno primo. »

81 Viterbe, 5 mars 1262.

Abbati de Urdays mandat ut priorissam et sorores loci s. Petri de Ripis super possessione ejusdem loci manuteneat. (Reg. 26, fol. 18 v°, n° 79.)

« .. *abbati de Urdays, Premonstratensis ordinis, Baionensis diocesis.* Favoris apostolici presidia —. Sane dilecte in Christo filie .. priorissa et sorores loci s. Petri de Ripis, ordinis s. Augustini, prope Pampilonam, nobis significare curarunt quod olim quidam fratres ordinis Minorum, eodem loco s. Petri quem obtinebant, sponte dimisso, se ad alium eis magis accomodum transtulerunt et postmodum eedem priorissa et sorores dictum locum per venerabilem fratrem nostrum .. episcopum Pampilonensem, sibi obtinuere concedi, ipsumque tenent et tenuerunt, decennio et amplius jam elapso. Volentes itaque paterna sollicitudine ipsarum providere quieti et indempnitatibus in posterum precavere, concessionem ab eodem episcopo eisdem sororibus factam, ratam et gratam habentes, mandamus quatenus easdem priorissam et sorores super eodem loco et pertinentiis suis manuteneas, protegas et defendas nec permittas ipsas super hiis ab eisdem fratribus vel quibuscunque aliis molestari. Contradictores et molestatores —. Datum Viterbii, III nonas martii, anno primo. »

82 Viterbe, 1er avril 1262.

Cum magistro Bernardo Ispano super possessione plurium beneficiorum dispensat. (Reg. 26, fol. 18 v°, n° 80.)

« *Magistro Bernardo Ispano, capellano nostro, de Salnes in Compostellana, et de Saldana in Legionensi ecclesiis archidiacono.* Laudabilis conversationis et —. Hinc est quod nos attendentes tue merita probitatis grataque obsequia que nobis et felicis recordationis Innocentio et Alexandro, predecessoribus nostris, Romanis pontificibus, impendisti, et per hoc volentes tibi gratiam facere specialem, ut de Salnes et de Saldania archidiaconatus, quos curam animarum habentes in Compostellana et Legionensi ecclesiis es adeptus, ac prebendas et prestimonia que in eisdem ac Palentina, Ulixbonensi et Tudensi ecclesiis obtines, etiamsi prestimoniorum ipsorum aliqua curam similem habeant, necnon quandam pensionem annuam quam habes in eadem Ulixbonensi ecclesia, possis insimul licite retinere, constitutione generalis concilii et bone memorie J., Sabinensis episcopi, tunc in partibus Ispanie apostolice sedis legati, seu qualibet alia et consuetudinibus contrariis non obstantibus, tecum auctoritate apostolica dispensamus, defectum si quis fuit in receptione vel detentione archidiaconatuum, prebendarum et prestimoniorum et pensionis hujusmodi, supplentes de apostolice plenitudine potestatis, ac tibi nichilominus concedentes ut redditus et proventus quos percepisti ex eis, licite valeas retinere. Proviso quod —. Ceterum pro eo quod decanatum predicte Ulixbonensis ecclesie per quandam ordinationem auctoritate ipsius predecessoris Innocentii factam, prout asseris, tamdiu detinere debes, donec in eadem ecclesia Compostellana personatum vel dignitatem fueris pacifice assecutus, cum tu predictum archidiaconatum de Salnes ad plenum non obtineas, nolumus tibi generari prejudicium aliquod vel obstaculum interponi, seu dispensationi, suppletioni aut concessioni hujusmodi in aliquo derogari. Nulli ergo nostre dispensationis, suppletionis et concessionis, etc. Datum Viterbii, kalendis aprilis, anno primo. »

83 Viterbe, 19 avril 1262.

Ecclesiam s. Andree de Platia, ad Jerosolymitanam ecclesiam pertinentem, ejusque pertinentias ab omni archiepiscoporum et episcoporum jurisdictione eximit ita quod soli Jerosolymitano patriarchae subsit. (Reg. 26, fol. 19, n° 81.)

« .. *priori et fratribus ecclesie s. Andree de Platia, Cathaniensis diocesis, ad Jerosolimitanam ecclesiam pertinentis, ordinis s. Augustini.* Grandis affectus quem —. Datum Viterbii, XIII kalendas maii, anno primo. »

84 Viterbe, 3 avril 1262.

Monasterio de Castello, Cameracensis diocesis, indulget ut donec exoneratum fuerit ab onere debitorum, ad solutionem eorumdem pensionum non teneatur. (Reg. 26, fol. 19, n° 82.)

« .. *abbati et conventui monasterii de Castello, ordinis s. Benedicti, Cameracensis diocesis.* Petitio vestra nobis exhibita continebat quod, cum olim causa que inter vos, fili conventus, ex parte una et Balduinum, monachum tunc abbatem monasterii vestri, ex altera, super eo quod idem Balduinus bona monasterii dilapidabat ejusdem,

ac etiam super aliis diversis articulis vertebatur, ab audientia.. officialis Cameracensis non ex delegatione apostolica cognoscentis de ipsa, per appellationem ad sedem apostolicam delata fuisset, idem B. propter hoc sedem eandem personaliter adiens ac ibidem diutinam moram trahens, occasione cause predicte monasterium ipsum in tredecim milibus librarum Turonensium creditoribus obligavit, et alias preter conscientiam et consensum vestrum concessit nonnullis clericis et laicis quamplures pensiones annuas percipiendas de bonis monasterii supradicti, quorum aliqui confirmari sibi pensiones easdem ac decerni monasterium ipsum teneri ad solutionem earum, necnon et suppleri defectum, si quis in concessione hujusmodi extiterat, per sedem apostolicam procurarunt, ac demum idem B. cessit regimini ejusdem monasterii quod ipse taliter obligarat. Quare fuit ex parte vestra nobis humiliter supplicatum ut, cum monasterium ipsum cum ex importabili sarcina debitorum hujusmodi, tum etiam in solutione pensionum ipsarum, que centum et quinquaginta librarum monete prefate annuatim summam attingunt, intolerabiliter pregravetur, maxime cum redditus ipsius monasterii mille et septingentas libras ejusdem monete vix ad presens excedant, ne occasione hujusmodi exinanitionis extreme, quod absit, incurrat periculum, providere super hoc salutari remedio misericorditer curaremus. Vestris itaque piis supplicationibus favorabiliter annuentes, vobis auctoritate presentium indulgemus ut donec idem monasterium exoneratum fuerit ab [1] onere quo premitur debitorum, ad solutionem earundem pensionum non teneamini nec ad id compelli possitis inviti per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam de indulto hujusmodi mentionem. Nulli ergo nostre concessionis, etc. Datum Viterbii, III nonas aprilis, anno primo. »

85 Viterbe, 13 avril 1262.

Cum Fortone, archidiacono Xanctonensi, dispensat super plurium beneficiorum detentione. (Reg. 26, fol. 19, nº 83.)

« *Fortoni diacono, capellano nostro, archidiacono Xanctonensi.* Apostolice sedis benignitas —. Hinc est quod nos meritorum probitatem tuorum non indigne pensantes ac volentes tibi ex hoc facere gratiam specialem, tuis supplicationibus inclinati, ut archidiaconatum Xanctonensem ac s. Medardi et de Bekenefeld ac de Mehu parrochiales ecclesias, curam animarum habentes, Xanctonensis, Burdegalensis et Lincolniensis diocesium, quas obtines ac prebendas quas in Xanctonensi et s. Severini ecclesiis es adeptus, ac prioratum de Vayres, ejusdem Burdegalensis diocesis, non habentes animarum curam, possis insimul licite retinere — auctoritate presentium dispensamus —, concedentes ut in beneficiis ipsis, dummodo in majori beneficio personaliter resideas, per idoneos vicarios deservire valeas et proventus ex eis, distributionibus cotidianis exceptis, libere percipere ac perceptos licite retinere, non obstante quod non es in ordine illo quem requirit cura beneficiorum hujusmodi, constitutus. Nulli ergo —. Datum Viterbii, idus aprilis, anno primo. »

1. Le registre porte *ob.*

86 Viterbe, 4 avril 1262.

Alatrino Rimanni et Letitie indulget ut, non obstante consanguinitatis obstaculo, matrimonialiter ad invicem copulari possint. (Reg. 26, fol. 19 vº, nº 84.)

« *Nobili viro Alatrino Rimmanni et nobili mulieri Letitie, nate nobilis viri Johannis Luce de Ferento.* Etsi conjunctio copule —. Sane petitio vestra nobis exhibita continebat quod, cum olim inter utriusque consanguineos graves haberentur discordie et inimicitie capitales, vos, licet sitis quarto consanguinitatis gradu conjuncti, tamen pro discordiis et inimicitiis sedandis hujusmodi, sponsalia invicem contraxistis, super quo dispensationis gratiam a nobis suppliciter postulastis. Nos itaque carissimi in Christo filii nostri Balduini, imperatoris Constantinopolitani illustris, nobis propter hoc humiliter supplicantis, et vestris supplicationibus inclinati, ut matrimonialiter ad invicem copulari possitis, impedimento hujusmodi non obstante, vobiscum auctoritate presentium de speciali gratia dispensamus. Nulli ergo nostre dispensationis, etc. Datum Viterbii, II nonas aprilis, anno primo. »

87 Viterbe, 5 avril 1262.

Decano et capitulo Laudunensibus significat se decernere ut omnes personae quae in diocesi Laudunensi in abbates monasteriorum ordinis Praemonstratensis eligantur, capitulo subjectionem et obedientiam promittant. (Reg. 26, fol. 19 vº, nº 85.)

« .. *decano et capitulo Laudunensibus.* Si ad sollicitudinem —. Hinc est quod nos de jure vobis competente in presentatione personarum que in abbates monasteriorum Premonstratensis ordinis, civitatis et diocesis Laudunensium, pro tempore eliguntur, et in prestanda vobis

et ecclesie vestre professione et obedientia per easdem plenam certitudinem obtinentes, ac volentes vobis super illo ne per aliquorum cavillosam malitiam vacillare valeat, providere, presentium auctoritate decernimus ut universe persone que ad ipsorum monasteriorum regimen assumentur, vobis in capitulo vestro a conventibus ipsorum monasteriorum per litteras vel certos nuntios eorundem et a vobis per unum aut plures de ipso capitulo ad munus benedictionis Laudunensi episcopo presententur. Cum autem eedem persone hujusmodi munus per episcopum ipsum vel alias rite obtinuerint, persone ipse vobis super altare ecclesie vestre subjectionem, reverentiam et obedientiam promittant se perpetuo exhibituras ordine suo salvo, quam promissionem in scriptis faciant et propria manu subscribant. Nulli ergo nostre constitutionis, etc. Datum Viterbii, nonis aprilis, anno primo. »

88 Viterbe, 5 avril 1262.

Decano Virdunensi mandat quatenus proximam superiorem constitutionem, a canonicis Laudunensibus impetratam, observari curet. (Reg. 26, fol. 19 v°, n° 86.)

« .. *decano Virdunensi.* Si ad sollicitudinem —. Datum ut supra.

89 Viterbe, 5 avril 1262.

Decano Senonensi mandat quatenus abbates Praemonstratensis ordinis, Laudunensis diocesis, qui capitulo Laudunensi reverentiam et obedientiam super altare non promiserint, ad id compellat. (Reg. 26, fol. 19 v°, n° 87.)

« .. *decano Senonensi.* Si ad sollicitudinem —. Datum ut in tertia superiori.

90 Viterbe, 5 avril 1262.

Decano et capitulo Laudunensibus significat se decernere ut omnes personae quae in Laudunensi diocesi in abbates monasteriorum Cisterciensium eligantur, ipsis subjectionem et obedientiam debitas super altare promittant. (Reg. 26, fol. 20, n° 88.)

« .. *decano et capitulo Laudunensibus.* Si ad sollicitudinem —. Datum Viterbii, nonis aprilis, anno primo. »

91 Viterbe, 5 avril 1262.

Decano Virdunensi mandat quatenus proximam superiorem constitutionem, a canonicis Laudunensibus impetratam, observari curet. (Reg. 26, fol. 20, n° 89.)

« .. *decano Virdunensi.* Si ad sollicitudinem —. Datum Viterbii, nonis aprilis, anno primo. »

92 Viterbe, 5 avril 1262.

Decano Senonensi mandat quatenus abbates Cistercienses, Laudunensis diocesis, qui capitulo Laudunensi reverentiam et obdientiam super altare non promiserint, ad id compellat. (Reg. 26, fol. 20, n° 90.)

« .. *decano Senonensi.* Si ad sollicitudinem —. Datum Viterbii, nonis aprilis, anno primo. »

93 Viterbe, 17 avril 1262.

Alfonso, regi Castellae et Legionis, per magistrum R., notarium suum, exposcenti ut ad imperii Romani fastigium a papa evocetur, ejusdemque coronam ex istius manibus suscipiat, rescribit perplexam admodum esse atque involutam causae equitatem, cum ex adverso Ricardus, comes Cornubiae, imperium sibi deberi contendat. Dictum denique magistrum ad regem redeuntem ei commendat. (Reg. 26, fol. 20, n° 91; Potthast 18272.)

« .. *illustri regi Castelle ac Legionis.* Cesserunt nobis ad gaudii et exultationis multe materiam ea que dilectus filius, magister Rod., notarius tuus, a te pro imperii Romani negotio ad sedem apostolicam destinatus, vir utique industrius et sedulus tui zelator honoris, ad tui exaltationem nominis et magnitudinis tue laudem proposuit in nostra et fratrum nostrorum presentia constitutus. Inter alia namque inclita celsitudinis regie ac tuorum progenitorum merita facunde recensuit et fecunde, prudenter exposuit, te devotionem sinceram et intentionem puram erga Deum et Romanam ecclesiam, matrem tuam, incessanter habuisse hactenus et constanter habere velle indefesso proposito in futurum, quodque intentis studiis ipsius ecclesie comoda prosequi votive desideras, ejusque humiliter parere beneplacitis et consiliis firmiter adherere proponis, circa quod tuum laudabile propositum et regiam prudentiam dignis in Domino laudibus extollentes, divinam imploramus clementiam ut ille in cujus manu regum corda consistunt, et ubi voluerit ea pro beneplacito sue voluntatis inclinat, serenitatem tuam in hoc ardore fidei, in hac devotione mentis, in hoc integre religionis studio in tempora

longiora conservans, virtutibus tuis semper adiciat, et ipsas successivis adaugeat incrementis. Licet autem idem magister commisse sibi legationis fidelis et diligens prosecutor, inter cetera que circa imperii predicti negotium petiit, postularit instanter te per nos ad ipsius imperii fastigium evocari, coronam ejusdem de nostris manibus suscepturum, nosque personam tuam potentia et magnanimitate sublimem sinceris affectibus prosequamur, ex officii tamen debito libram justitie gestantes in dextera, ipsius jussibus vota nostra subicimus, ipsam illesam servare studemus. Et ideo dilecto filio nostro, nobili viro, Riccardo, comite Cornubie super hujusmodi negotio imperii jus suum, ut asserit, prosequente, ac suis nuntiis super eodem multa coram nobis et eisdem fratribus nostris proponentibus pro parte ipsius, moleste ferre regia mansuetudo non debet, si, rebus sic se habentibus, votis ejusdem magistri ad presens annuendum non duximus in hac parte, presertim cum tam tui, quam prefati comitis nuntii apud sedem apostolicam constituti, se nolle in hoc ipsius sedis subire judicium frequenter duxerint proponendum. Ceterum memoratum magistrum Rod., quem in tui prosecutione negotii fidelem comperimus, quem discretum suis consideratis actibus reputamus et, suis exigentibus meritis, carum habemus, ad tuam presentiam, quia ipsius reditus tuis comodis expediens creditur, redeuntem, tue celsitudini commendamus. Et si forsan ipsum vel alios nuntios apud eandem sedem te habere contigerit, eos gratanter videbimus, et ad nos in quibuslibet tuis negotiis volumus recurrere confidenter —. Datum Viterbii, xv kalendas maii, anno primo. »

94 Viterbe, 26 avril 1262.

Jacobo, Aragonum regi, qui ad tractandam concordiam inter Manfredum, quondam principem Tarentinum, et ecclesiam Romanam, personaliter partes suas interpositurus erat, summotenus explanat ejusdem Manfredi multiplices ac importabiles offensas, quas contra Deum et matrem ecclesiam continuando multiplicat. Rogat et hortatur regem ut suggestionibus sinistris ejus qui postquam Tarentinum principatum invasisset, Sarracenis se conjunxisset et alia enormia commisisset, nec ipsius fraudibus se patiatur involvi. Demum regem a contrahendo matrimonio inter primogenitum suum et filiam memorati Manfredi abducere nititur, proponens quantam labem suo generi ex eo incurreret. (Reg. 26, fol. 20 v°, n° 92; Potthast 18283.)

« .. *regi Aragonum illustri*. Dilectus filius, frater Guillelmus de Pontons, magister militie Templi in regnis tuis, nuntius tuus, vir utique providus, quem contemplatione mittentis et sue insuper probitatis obtentu affectione paterna recepimus, nostram presentiam adiens, M., quondam principis Tarentini, querelas de duritia quam ipse imponit ecclesie Romane, confictas, ac oblationem pacis, quam se idem M. multipliciter ab eadem ecclesia expetiisse asserit, proculdubio simulatam, prudenter exposuit, et speratum tue sinceritatis ac devotionis affectum ad nos et eandem ecclesiam nobis et nostris fratribus reseravit. Retulit namque dictum M. tibi per suas litteras et nuntios graviter fuisse conquestum, quod, licet ipse ad obtinendam sedis apostolice gratiam studiis continuatis institerit, et per tractatus varios totis viribus laborarit, multiplici tamen ipsius instantie opposuit semper rigor ecclesie sine causa repulsam. Quare idem se in hoc beneplacitis tuis exponens, petiit, ut ad tractandam concordiam inter ipsum et dictam ecclesiam interponeres personaliter partes tuas. Ad cujus instantiam, tu credens ipsum in veritatis simplicitate procedere, ac intendens in hoc nostra et ipsius ecclesie comoda procurare, id te facturum nobis per eumdem nuntium et litteras liberaliter obtulisti. Sane, fili carissime, tuam tuorumque progenitorum devotionem ad memoratam ecclesiam frequenter operis exhibitione probatam, fratrum ipsorum et communi testimonio novimus, ipsamque ad tua et eorundem progenitorum gesta magnifica, que ad exaltationem sui nominis, et Christiani cultus ampliationem dignatus est ipse summus opifex tuo et ipsorum ministerio misericorditer operari, habentes in apostolice mentis conscripta sacrario, et infra pectoris cellam meditatione frequenti ac commemoratione celebri recensentes, illam concepimus de tua serenitate fiduciam, hoc de te spe firma et indubitata tenemus, quod sic in te Dei caritas vigeat, sic zelus domus Domini te comedit, quod ad ea que ipsius incrementa respiciunt vel procurare possent, aut conservare prosperum statum ejus, te libenter exponeres, nec in hoc laboribus parceres vel expensis. Sed illud profecto in admirationem, immo in stuporem, quodammodo nos inducit, quod licet universis mundi nationibus pateat memorati M. malitia, licet ipse tamquam in malorum profundum demersus, Deum contempnens et homines, quasi frons meretricis facta sit ei, nimis impudenter fere cunctis publicaverit detestabiles actus suos, ipsaque rei evidentia doceat, eum quo ad tractatus concordie in falsitatis duplicitate procedere ac in corde et corde prosequi immo solum proloqui verba pacis; quia tamen providentia regia ejus suggestionibus fraudulentis aures, quod ex tua forsan puritate procedit, inclinare videtur, cogimur, licet inviti, aliqua de abhominationibus suis et multiplicibus

ac importabilibus offensis, quas contra Deum et matrem ecclesiam continuando multiplicat et multiplicando accumulat incessanter, tibi non sine multa cordis amaritudine saltem summotenus explanare. Hic siquidem, licet a principio post obitum Conradi, fratris sui, felicis recordationis Innocentio pape, predecessori nostro, fidelitatis prestito corporaliter juramento, ipsum regnum Sicilie pacifice intrare promiserit, eum et Romanam ecclesiam verum ejusdem regni dominum recognoscens, licet idem predecessor, cum tamen ipsum non ignoraret de viperea stirpe progenitum, affectu paterno cupiens eum mansuetudinis multe dulcedine ad sui Creatoris gratiam revocare, ipsum ut filium receperit in visceribus caritatis, et principatum Tarentinum sibi de mera liberalitate, cum nullum idem M. jus haberet in eo, sponte concesserit, et alias eum largifluis munificentiis et munificis largitionibus honorarit, tamen quasi e vestigio tantorum beneficiorum oblitus et ad omnia factus ingratus, ut fusi sanguinis semitas sui faceret processus initium, cum conceptum virus amplius celare non posset, quondam B., de Anglone comite fideli, ecclesie in conspectu quasi predecessoris ejusdem crudeliter interempto, dum ecclesia quadam materna fiducia in ipso quiesceret, erigens statum, captata oportunitate, rebellionis calcaneum, contra eam ad Sarracenos Lucerie per quos in Christianos immanitates exercuit et exercet innumeras, declinavit, ac pactionibus et colligationibus initis cum eisdem contemptoribus et persecutoribus Crucifixi ac nominis Christiani, ad occupationem predicti regni manus extendens, illud sub simulata nepotis sui, nati memorati Conradi, protectione tutoria presumpsit occupatum aliquamdiu detinere, ac tandem idem iniquitatis filius, ut se de radice colubri regulum probaret egressum, non solum successor paterne malitie sed excessor, ejusdem nepotis morte conficta, regnum ipsum tamquam hereditatem propriam usurpavit et nativitatis sue primordia non attendens, utpote quem labes adulterina, immo etiam incestuosa produxit, non erubuit sed presumpsit in regalis dignitatis obprobrium et cunctorum fulgentium hujusmodi claritate, quam ipse sua contagione commaculat, regium in eo nomen assumere per se ipsum, tante proditionis notam in suum nepotem, cujus se tutorem asserebat, et bajulum non abhorrens nec ostentationem sue confusionis aspernans cum dignitas indignis obveniens non dignos efficiat, sed prodat potius et ostentet indignos; et ut tali principio sequentia concordarent et ipse non rector, sicut nec erat, sed raptor potius appareret, vacantes in eodem regno ecclesias occupavit et occupat, non vacantes spoliat prelatos ipsarum et alios clericos quorum aliquos diris carceribus mancipavit, quos etiam sicut et laicos talliis et exactionibus aggravat, facit solum in contemptum clavium, cum per predecessorem nostrum sit variis excommunicationum sententiis innodatus, et contra interdictum ecclesie, quod certe suspitione non caret heretice pravitatis, quantum in eis est, prophanare divina. Nonnullos quoque barones regni prefati pro eo quod predecessori et ecclesie predictis, licet de ipsius beneplacito, adheserunt crudeliter interemit, quamplures incolas regni ejusdem magnates et alios inhumaniter exulare cogendo, nec in hiis parcendo sexui vel etati. Numquid igitur, ut ceteras obscenitates ipsius quibus labia nostra polluere nolumus, omittamus, saltem ista tam publica tam manifesta te latent? Numquid ista tuum preterire potuerunt auditum? Hec tamen in ipso si penitens se habilitaret ad gratiam, ob salutem ipsius libenter, prout deceret, pertransisset ecclesia et ei ad suum gremium redeunti, tamquam filio perdito venienti de longe, apertis brachiis occurrisset, immolatura pro eo in ubertate divine laudis vitulum saginatum, propter quod tam tempore felicis recordationis Alexandri pape, predecessoris nostri, quam nostro, suos nuntios non sine multorum scandalo quamquam ipsius malitia sibi non esset incognita, ut tamen obstetricante saltem manu colubrum educeret tortuosum et ipsum a peccatorum nexibus liberatum, de faucibus sempiterne mortis eriperet, eadem ecclesia benigne recepit, et varios cum ipsis tractatus inivit. Sed ipse, illis pendentibus, a suarum iniquitatum prosecutione non destitit immo ipsis eo vacavit instantius, eoque periculosius institit, quominus poterant eo tempore fideles ecclesie de ipsius insidiis dubitare. Hujusmodi namque tempore idem per suos satellites quondam Bussarium, nuntium memorati sui nepotis in terra ecclesie, ac sub ipsius securitate morantem, procuravit occidi. Et in ecclesie devotos in Tuscia versutiis et armis insiliens, ipsos non sine multa strage hominum, dampnis et injuriis multis afflixit; ut de morte quondam Petri de Calabria, quem simili modo peremit, et de occupatione Marchie Anconitane, que est ecclesie specialis, ac invasione Tuscie, aliarumque terrarum imperii per suos ministros et ceteris similibus, immo etiam longe deterioribus taceamus. Post que omnia in nimiam erectus superbiam, et quasi pullum onagri se liberum natum putans, tractatus omnes quamquam eos non acceptasset ecclesia, sicuti nec debebat, prorsus omisit. Licet enim post vocationem nostram ad apostolatus officium, ad nos pluries nuntios destinarit, nosque ipsos benignitate solita duxerimus admittendos, nulla tamen per ipsos nisi delusoria quedam audivimus, nec digna relatu, propter quod magni-

ficentiam tuam decere non credimus nec te volumus, quantumcumque tua libenter frueremur grata presentia, pro hujusmodi tractatibus laborare, sed de liberali oblatione tua tibi grates uberes referentes, celsitudinem tuam affectuose rogamus, quatenus sinistris ejus suggestionibus non prestes auditum, nec ipsius fraudibus te patiaris involvi. Ceterum, quia zelo sinceritatis intime circa tue magnitudinis incrementa semper intendit ecclesia, quia continuate benivolentie studio gessit ab olim et gerit in votis augmentis exaltare magnificis et insignire titulorum adjectione sublimium nomen tuum, nos, qui predecessorum nostrorum vestigia circa te imitari proponimus in affluentia benedictionis et gratie, silere non possumus quin mentem nostram tibi paternis affatibus exprimamus. Considera igitur, fili, considera tui generis claritatem, quantaque a diebus antiquis, quorum memoria non existit, generositate illustris claruerit domus tua, quanta tibi Dominus dederit potentia et persone strenuitate vigere, quot et quanti regie dignitatis participes tibi proxima consanguinitatis et affinitatis linea conjunguntur. Quomodo igitur cadere potuit in cor tuum, quomodo potuit animi tui sublimitas inclinari ut de contrahendo matrimonio inter .. primogenitum tuum illustrem et .. natam memorati M., verba etiam patereris audire? Numquid contempnitur ab aliis mundi principibus natus tuus? Numquid deerit ei de stirpe regia decens conjux? O quantum dedecus tali connubio tantam generis dedecorare prosapiam! O quam fedum, cum tam fedo federa cujusquam affinitatis inire! O quam detestabile, tam devotum ecclesie filium ipsius inimico et persecutori manifesto vinculo tante conjunctionis astringi! Nonne posses amare dolere si ex tali nuru tibi proles accresceret, toti tuo generi eique conjunctis et tibi maxime pudori futura? Certe in te non bene primis ultima responderent, sed ipsi tibi omnino dissimilis appareres, si tu ab ipsa etate tenera inimicos ecclesie ac christiane fidei persecutus, nunc maturiorum constitutus annorum talium aliquem in tui derogationem nominis tanto favore ac benivolentia prosequaris. Non enim preterit regie considerationis intuitum quod ex tali conjunctione memorato M. nimius favor accresceret, non sine magna offensa Dei et ecclesie, quam ipse totis persequitur nisibus, et tue magnitudinis lesione dum ei te conjungendo, qui sic eandem impugnat ecclesiam, ab ipsa separari et adversari nimirum revidereris eidem. Absit itaque, absit quod in gloria tua maculam tantam ponas. Absit, ut talis umquam tibi nota possit imponi. Absit, ut contra claram tuam et ejusdem generis tui famam suspitio in te qualiscumque succrescat, quod a solitis devotionis et affectionis semitis erga Deum et Romanam ecclesiam dicaris quomodolibet claudicare. Profecto, princeps inclite, si te nequaquam ab hujusmodi conjunctione retraheret nativa nobilitas et votum debite conservationis ipsius, devotio saltem ad matrem ecclesiam in te ac tuis progenitoribus radicata revocare deberet. Placeat igitur excellentie tue paternis acquiescere monitis et nostris exhortationibus promptum accomodare consensum, ut prosecutioni conjunctionis hujusmodi amplius non insistas, sed ab ea tam tui tuorumque honoris intuitu quam divini amoris obtentu omnino desistas, ut tibi fame servetur integritas, et illibata tui claritas generis conservetur. Datum Viterbii, vi kalendas maii, anno I°. »

95 Viterbe, 13 décembre 1261.

Cum Rodulpho de Freningeham super detentione plurium beneficiorum dispensat. (Reg. 26, fol. 21 v°, n° 93.)

« *Magistro Radulpho de Freningeham, rectori ecclesie de Everesholte, Lincolniensis diocesis.* Devotionis tue precibus inclinati, ut preter beneficia ecclesiastica curam animarum habentia, que ex dispensatione sedis apostolice et duo cum simili cura sine dispensatione hujusmodi commendata, necnon et prebendam Londoniensis ecclesie que obtines, possis unicum adhuc ecclesiasticum beneficium, personatum vel dignitatem, etiamsi similem curam habeat et tibi canonice offeratur, licite recipere et cum eisdem sic obtentis licite retinere, et si te aliqua ex eis resignare contigerit, totidem alia loco illorum que resignaveris, cum simili cura canonice tibi oblata recipere licite valeas et habere cum reliquis, constitutione generalis concilii super hoc edita non obstante, tecum auctoritate apostolica dispensamus, proviso quod —. Nulli ergo —. Datum Viterbii, idus decembris, anno I°. »

96 Viterbe, 12 mars 1262.

Cum Laurentio de Esperime super retentione plurium beneficiorum dispensat. (Reg. 26, f° 22, n° 94.)

« *Laurentio de Esperime, rectori ecclesie de Heyfordwarum, Lincolniensis diocesis.* Licet ne quis plures ecclesias vel ecclesiasticas dignitates habeat, sacri concilii constitutio interdicat, illos tamen nonnunquam apostolica sedes ampliori prosequitur gratia, quos novit potioribus meritis adjuvari. Hinc est quod nos attendentes tue merita probitatis et per hoc volentes tibi

gratiam facere specialem, ut de Heyfordwarin (*sic*) quam intitulatam, et de Thedmerse quam, prout asseris, commendatam obtines ecclesias, curam animarum habentes, Lincolniensis et Saresbiriensis diocesium, quarum proventus secundum communem et antiquam extimationem patrie, undecim marcarum sterlingorum valorem annuum vix excedunt, licite valeas retinere, et si te alteram predictarum ecclesiarum resignare contigerit, possis loco illius quam resignaveris, aliud beneficium cum simili cura canonice tibi oblatum recipere ac habere licite cum reliqua ecclesia, constitutione generalis concilii super hoc edita, non obstante, tecum auctoritate presentium dispensamus, proviso quod—. Nulli ergo—. Datum Viterbii, IIII idus martii, anno I°.»

97 Viterbe, 23 mars 1262.

Cum Henrico de Sarum super retentione plurium beneficiorum dispensat. (Reg. 26, fol. 22, n° 95.)

« *Henrico de Sarum, capellano nostro, rectori ecclesie de Stokes subtus Limam, Coventrensis diocesis.* Devotarum precum instantia nobis a dilecto filio Edwardo, carissimi in Christo filii nostri.. illustris regis Anglie, primogenito, pro te litterali serie directarum, necnon virtutum merita quibus juvari diceris, nos inducunt ut te speciali prerogativa benivolentie prosequentes, faciamus tibi gratiam specialem. Hinc est quod nos, hujusmodi precibus inclinati, ut preter beneficia curam animarum habentia, quorum unum intitulatum et alia obtines commendata, unum adhuc ecclesiasticum beneficium — retinere valeas — tecum auctoritate apostolica dispensamus [1]. — Datum Viterbii, x kalendas aprilis, anno I°. »

98 Viterbe, 18 avril 1262.

Abbati et conventui monasterii s. Sixti Placentini possessionem ejusdem monasterii confirmat. (Reg. 26, fol. 22, n° 96.)

« .. *abbati et conventui monasterii s. Sixti Placentini ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis s. Benedicti.* Petitionis vestre series continebat quod, suggesto dudum felicis recordationis Alexandro pape, predecessori nostro, quod monasterium vestrum, quod non modica consueverat spiritualium et temporalium ubertate bonorum, adeo erat per negligentiam et malitiam vestram in utrisque sine spe resurgendi collapsum, quod non poterat in suo aliquatenus ordine reformari, dictus predecessor.. preposito ecclesie s. Euphemie Placentine primo per litteras suas in virtute obedientie ac postmodum per alias diversas litteras in eadem virtute ac sub pena excommunicationis dedit districtius in preceptis, ut personaliter accedens ad locum et inquirens super hoc de plano et sine judiciorum strepitu veritatem, si constaret ei sic esse, predictum monasterium cum omnibus suis possessionibus et pertinentiis et etiam ornamentis ipsius.. abbatisse et conventui monasterii s. Francisci Placentini, ordinis s. Damiani, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, auctoritate apostolica conferens et assignans, ipsas vel procuratorem earum in corporalem possessionem predictorum induceret et tueretur inductas, vobis amotis ab eodem monasterio s. Sixti et per alia vestri ordinis monasteria congrue collocatis. Contradictores etc., usque compescendo. Idem vero prepositus prefatum monasterium s. Sixti cum suis possessionibus et pertinentiis ac etiam ornamentis, eisdem abbatisse et conventui contulit auctoritate hujusmodi litterarum, dictusque predecessor processum ipsius prepositi ratum habens et firmum ac etiam approbans supplensque defectum si quis in eo circa juris sollempnitatem fuit, de apostolice plenitudine potestatis, processum ipsum auctoritate apostolica confirmavit, venerabili fratri nostro.. episcopo Placentino, dictis abbatisse et conventui super hoc executore concesso. Quare nobis humiliter supplicastis ut cum prenominatum monasterium vestrum, considerata malitia temporis, et habito respectu ad alia monasteria Placentine civitatis et diocesis in spiritualibus floreat et habundet in temporalibus, providere vobis in hac parte paterna sollicitudine curaremus, processum hujusmodi revocando. Nos itaque attendentes quod ecclesiarum prelati ejusdem civitatis nobis super hoc per suas litteras testimonium perhibent, processum jamdicti prepositi super hoc habitum et quicquid ex eo secutum est vel ob ipsum, non obstante tali confirmatione dicti predecessoris, auctoritate apostolica cassamus et irritamus et decernimus nullius existere firmitatis et imponimus perpetuum silentium super ipso monasterio s. Sixti et pertinentiis ejus abbatisse et conventui memoratis. Nulli ergo nostre cassationis, visitationis et constitutionis etc. Datum Viterbii, XIIII kalendas maii, anno I°. »

99 Viterbe, 18 avril 1262.

Abbati monasterii s. Savini Placentini mandat quatenus

1. Mêmes formules que pour le privilège précédent.

abbatissam et conventum s. Francisci, ordinis s. Damiani, compellat ut litteras et processus, eas in possessionem monasterii s. Sixti mittentes, sine dilatione exhibeant. (Reg. 26, fol. 22 v°, n° 97.)

« .. *abbati monasterii s. Savini Placentini.* Petitio dilectorum filiorum —. Datum Viterbii, xiiii kalendas maii, anno I°. »

100 Viterbe, 14 mai 1262.

Castrum s. Gemini cjusque territorium, ecclesias et habitatores ab omni jurisdictione Narniensium eximit et sedi apostolicae submittit. (Reg. 26, fol. 23, n° 98; Potthast 18316.)

« *Clero et populo castri s. Gemini.* De studio providentie —. Datum Viterbii ii idus maii, anno I°. »

101 Viterbe, 4 janvier 1262.

Provinciali ac fratribus Heremitis, ordinis s. Augustini per Anconitanam Marchiam constitutis, indulget ut in locis justo titulo acquisitis, domos et ecclesias construere ibique morari valeant. (Reg. 26, fol. 23, n° 99.)

« .. *provinciali et aliis prioribus ac fratribus Heremitis, ordinis s. Augustini, per Anconitanam marchiam constitutis.* Religionis favor sub —. Sane significastis nobis quod nonnulle persone diversorum ordinum sibi obtinuerunt a sede apostolica indulgeri ut infra passuum ducentorum spatium circa omnes fines locis ipsorum contiguos et vicinos, alicujus religionis monasterium seu oratorium aut claustrum religiosarum seu secularium personarum edificari vel construi aut ecclesia jam edificata inibi in religiosum locum vel regularem domum transferri non possit, certis super hoc executoribus sive conservatoribus deputatis. Verum contingit interdum quod in locis vicinis illis, in quibus predicte persone sua loca obtinent, pretextu indulgentiarum hujusmodi, vos domos pro habitatione vestra construere non potestis, ex quo multas necessitates plurimaque incommoda noscimini sustinere. Nos igitur, vestris inclinati precibus, volentes vobis in hac parte salubriter providere, ut, premissis indulgentiis seu quibuslibet aliis nequaquam obstantibus, de quibus oporteret plenam et expressam in presentibus seu de verbo ad verbum fieri mentionem, possitis in locis a vobis justo titulo acquisitis et acquirendis, pro habitatione vestra domos et ecclesias construere ibique morari sine juris prejudicio alieni, vobis auctoritate presentium indulgemus. Nulli ergo —. Datum Viterbii, ii nonas januarii, anno I°. »

102 Viterbe, 9 juin 1262.

Archiepiscopum Nidrosiensem, ac Bergensem, Assoensem, Orcadensem et Stawangrensem episcopos hortatur ut circa negotium contra Tartaros tam in Terra Sancta quam in regno Ungariae atque terra Poloniae prosequendum, cogitent, et illud juxta formam per litteras Alexandri IV eis traditam, dirigere procurent. (Reg. 26, fol. 23, n° 100.)

«... *archiepiscopo Nidrosiensi, ac .. Bergensi, .. Assoensi, .. Orcadensi et .. Stawangrensi episcopis.* Solium apostolicis culminis in suprema Christiani populi specula celitus preparatum, sedenti super illud attentionem assidue speculationis indicit, ut adversus clades et gladios nunc quominus, nunc eminus imminentes, vigiles super greges subditos observans excubias, quotiens prospicit appropinquare periculum, validis clamoribus quiescentium somnos irrumpat, torpores excutiat, et deside presertim securis ignavia timorem incutiat salutarem, ne aut sub ipso improvidi pereant, aut ipse pereuntium sanguinis reus fiat. Sibi ergo et gregi sibi commisso sollicitus, felicis recordationis Alexander papa, predecessor noster, prout sui apostolatus officium exigebat, certis aliene sedis exemplis ammonitus et malorum instantium non dubiis rumoribus excitatus, cum sevissimum tartarice feritatis gladium quo filios hominum pro parte jam maxima in morum peccaminum ultionem, digne commota indignationis divine severitas ut residui salubriter paveant flagellari permisit, cautis prudentie sensibus prospexisset, non potuit dissimulare nec debuit quin clamaret, premuniens diligenter et premonens fidelium precipue pastores et principes, ut secum expergiscerentur et surgerent, ac in alienis periculis propria precaventes, ante sera tempora tempestiva remedia prepararent. Ne vero generalis convocatione concilii, quod ardue rei necessitas flagitabat, ob incomoda temporum, locorum distantias, viarumque discrimina generalitas gravaretur, aut necessarie provisionis utilitas incurreret ex nimia tarditate defectum, prefatus predecessor a Christianis principibus, prelatis atque collegiis sollicite inter alia requisivit, ut circumspecte deliberationis examine providerent quibus modis quibusve remediis atque subsidiis ecclesiasticis et mundanis, ad resistendum predictis Tartaris tam in Terra Sancta quam impetunt, quam in regno Ungarie atque terra Polonie aliisque locis, unde ad alia occupanda Christianorum regna

violentum moliuntur ingressum, conflarentur in unum vires populi christiani, cum tante tamque improbe multitudinis irruptionibus cohibendis unius regni quantumlibet prepotentis non credantur sufficere facultates. Que insuper regio, cui quibusve modis et viribus contra eosdem Tartaros succurrere teneretur, que demum et qualia subventionis auxilia particulariter ob hoc indici deberent cleris et populis christianis et de reliquis nichilominus providentie oportune suffragiis in tantum negotium illudque contingentia conferendis secundum datam ipsis prudentiam, Deum et universale periculum habendo pre oculis, cogitantes super omnibus, deliberatione habita diligenti, usque ad octavam apostolorum Petri et Pauli nunc proximo preteritam, aliquos procuratores et nuntios, providos et discretos, sufficienter instructos, ac plenum habentes a prelatis collegiisque mandatum super premissis omnia faciendi que ipsi possent, si presentes essent, efficere, ad sedem apostolicam destinarent, per quos eorum communicato consilio, dicta sedes statueret, que in tam arduo christianitatis negotio publice salutis utilitas postularet. Receptis itaque hujusmodi litteris apostolicis, christiani principes et ecclesiarum prelati ac ecclesiastici viri diversorum regnorum deferentes apostolici patris mandatis et monitis, ut decuit, reverenter, ad apostolicam sedem procuratores et nuntios transmiserunt. Sed quia dictus predecessor noster, jussus a Domino migrare de seculo isto nequam, positam omnibus legem fatalis conditionis impleverat, venerabiles fratres episcopi et dilecti filii nostri presbyteri et diaconi sacrosancte Romane ecclesie cardinales, predicta tunc sede vacante, hujusmodi nuntios honorificentia qua decuit, admittentes, ac benivolam presentiam et audientiam impendentes eisdem, litteras et mandata que attulerant fecerunt sibi protinus exhiberi, quibus inspectis attentius et perpensis, quia ipsi tunc occupati circa tractatus qui tunc eis de substitutione Romani pontificis imminebant, cum eisdem procuratoribus in remediis adhibendis contra pestem hujusmodi efficaciter procedere nequiverunt, procuratores et nuntios ipsos, ne suos dominos aut eos mora gravaret longior, dimiserunt, eodem non intermisso, sed ad plenioris instructionis consilium remisso negotio, donec predicta sede ordinata de pontificatus apostolici successore, consequeretur super eo ecclesiastice sollicitudinis instantia exitum concupitum. Licet igitur vos nuntios et procuratores vestros propter hoc ad predictam sedem tarde miseritis, quod opinamur ex multa locorum distantia, cum in ultimis terre sitis constituti finibus, contigisse, nos tamen quos omnipotens Dominus licet immeritos ad summi apostolatus apicem sublimavit, eosdem nuntios et procuratores vestros benigne ac clementer admisimus, necnon et litteras quas nobis ex parte vestra tulerunt, attente perlegimus et intelleximus diligenter. Sed quia mens nostra in nostro hujusmodi nove promotionis initio, multarum sollicitudinum et diversarum curarum obsidione vallata, super predicto negotio quod non ultimam requirit diligentiam, plene adhuc deliberare nequivit, prefatos nuntios et procuratores vestros ad vos cum memorate sedis gratia duximus remittendos, fraternitatem vestram monentes, rogantes attentius et hortantes ac per apostolica vobis scripta districte precipiendo mandantes, quatenus intendentes vobis ipsis et christiano populo in quo vos posuit Dominus principes et pastores, circa predictum negotium contra Tartaros prosequendum, que necessitati conveniunt et utilitati expediunt generali, prudenter et sollicite cogitetis, illud in omnibus et per omnia juxta formam per litteras memorati predecessoris vobis traditam, prudentibus consiliis, sedulis studiis et provisionibus circumspectis taliter dirigatis, ut prompti inveniamini et parati ad ea que pro ejusdem negotii promotione, tam circa subsidium quod propter hoc in regno Norwegie ad presens colligitur, ut scripsistis, quam etiam circa alia que ipsius regni et rei publice christianitatis commodum respiciunt et profectum, vos duxerimus requirendos. Datum Viterbii, v idus junii, anno primo. »

103 Viterbe, 9 juin 1262.

Regi Norwegiae ejusque nato de eodem negotio ac supra scribit. (Reg. 26, fol. 24, n° 101.)

« *H., illustri regi Norwagie et nobili viro M., nato ejus.* Solium apostolici culminis etc. usque magnitudinem vestram etc., ut in superiori. »

104 Viterbe, 3 juin 1262.

Quod nullo unquam tempore nominet, eligat vel consentiat quod Conradus puer, natus quondam Conradi, filii quondam Frederici, olim imperatoris, nominetur vel eligatur ad regiam vel imperatoriam dignitatem. Item de eodem infra, capitulo CVII [1]. (Reg. 26, fol. 24, n° 102; Potthast 18346.)

« *.. illustri regi Boemie.* Dilectum filium magistrum Petrum, capellanum et nuntium tuum, necnon et lit-

1. Ce résumé est donné en marge du registre.

teras quas nobis ex parte regia presentavit, affectione paterna recepimus, et tam ea que idem nuntius quem de multa diligentia, sollicitudine, ac prudentia commendamus, quam etiam que eedem littere continebant, plene advertimus et intelleximus diligenter uberem tue circa Romanam matrem ecclesiam devotionis affluentiam, ex eo specialiter dignis laudum titulis efferentes, quod regie circumspectionis industria, de honore ipsius ecclesie sollicita, pervigil, et attenta, ea que circa negotium Romani imperii in Alammanie partibus disponuntur, ad presens presentiens per eundem nuntium necnon et per predictas litteras, nobis ad nostram dicteque ecclesie premunitionem atque cautelam inter alia significare decrevit, qualiter venerabilis frater noster.. archiepiscopus Maguntinus, tibi et aliis principibus regni Theutonie, ad quos Romani regis in imperatorem promovendi spectat electio, certum de novo diem et locum prefigere ac assignare curavit, quo personaliter conveniatis in unum de electione ac creatione futuri regis ad invicem tractaturi, et qualiter etiam in illis partibus vulgaris rumor insonuit quod nonnullorum ex predictis principibus ad hoc tendit intentio, ut videlicet Corradus puer, natus quondam Corradi, filii quondam Friderici, olim Romani imperatoris, ad Romani culmen imperii sublimetur. Nos autem attendentes quod ad intimandum nobis talia ex multa cordis quam ad nos et predictam geris ecclesiam, puritate ac sinceritate animi processisti, tuam propter hoc devotionem multiplicibus gratiarum actionibus prosequendam, superno regi per quem regni tui moderaris habenas, laudes debitas exolventes quod tam carum, tam placidum, tamque devotum habemus in te filium, probitate quidem ac bonitate prefulgidum et multarum virtutum gratia prepollentem, propter quod ad personam tuam copiosa mentis affectione dirigimur, cogitantes semper et infra cordis intima revolventes quid gratie, quid favoris filio possimus impendere tam excelso, et quibus honorificentiis suum insignire statum magnificum valeamus. Verum, quia predictus Fr. ejusque progenitores et posteri aliorum persecutorum excedentes tyrampnidem, gravioribus eandem ecclesiam affecerunt injuriis et oppressionibus durioribus afflixerunt, et velut in cedem et exterminium ejus tendentes furororis (*sic*) arcum et feritatis gladium acuentes, diris illam ubilibet tribulavere flagellis et usque interiora, profundis illatis vulneribus, fauciarant (*sic*), nos considerantes quod in hoc pravo genere, patrum in filios cum sanguine derivata malitia, sicut carnis propagatione, sic imitatione operum nati genitoribus successerunt, ac volentes periculis que predicte imminerent ecclesie si dictus Conradus puer assumeretur (quod absit) ad regiam vel imperatoriam dignitatem, apostolica diligentia precavere, predictum archiepiscopum et alios ecclesiasticos principes coelectores ipsius, felicis recordationis Alexandri pape predecessoris nostri super hoc inherendo vestigiis, monendos, rogandos attente duximus et hortandos nostris eis in virtute obedientie sub debito fidelitatis, quo nobis et ecclesie predicte tenentur, ac sub pena excommunicationis, quam extunc in eos protulimus, districte dantes litteris in preceptis ut memoratum C. puerum nullo unquam tempore in regem eligant nec nominent neque consentiant in eundem, ita quod excommunicati existant, si contra mandatum nostrum facere vel venire presumpserint, et eundem Corradum nominaverint vel elegerint aut in ipsum consenserint, seu opem vel operam, consilium, auxilium vel favorem ut eligatur impenderint, et etiam si ejus nominationem et electionem non impediverint toto posse, ut si forte ad ipsius electionem vel nominationem aliquo tempore forte processerint, noscant se prius excommunicatione ligatos; aliis vero coelectoribus suis auctoritate apostolica firmiter inhibeant ne ipsum Corradum ad hoc nominent vel eligant nec in eum consentiant, promulgando eadem auctoritate in eos excommunicationis sententiam si contra hanc inhibitionem venire temptaverint, ita quod si eum ullo umquam tempore nominare vel eligere aut in ipsum consentire presumpserint, noscant se prius excommunicationis vinculo alligatos, ut ex hoc ipso si de predicto Corrado quicquam in hac parte attemptatum fuerit, sit prorsus vacuum, irritum et inane. Nos quoque nichilominus in omnes electores qui premissum puerum ad hoc nominare vel eligere seu in ipsum consentire, aut opem vel operam, consilium, auxilium vel favorem ut eligatur dare presumpserint, excommunicationis sententiam duximus promulgandam, quam statim per illos, antequam ad nominationem vel electionem aliquam aliquo tempore procedatur, reliquis suis coelectoribus precepimus innovari. Quod si non fecerint, eo ipso se noverint excommunicationis laqueo innodatos. Ideoque serenitatem tuam rogamus et hortamur attente quatenus, hujusmodi processum nostrum prudenter considerans et discutiens sapienter, sic illum semper habeas ante oculos tue mentis ut, si ullo umquam tempore electioni faciende de rege Romanorum te interesse contigerit, attente provideas ne hujusmodi excommunicationum sententiis quomodolibet involvaris nominando vel eligendo predictum puerum, aut exhibendo ad hoc ut eligatur consilium, auxilium

vel favorem —. Datum Viterbii, III nonas junii, anno I°. »

105 Viterbe, 18 mai 1262.

Priori et fratribus Hospitalis s. Johannis Jerosolymitani in Francia indulget ut ad parrochiales ecclesias de Sacchiaco et de Anseyvilla, Autisiodorensis et Cathalaunensis diocesium, fratres suos presbyteros instituendos diocesanis praesentare valeant. (Reg. 26, fol. 24 v°, n° 103.)

« .. *priori et fratribus Hospitalis Jerosolimitani in Francia.* Meritis vestre religionis —. Vestris itaque supplicationibus inclinati, auctoritate vobis presentium indulgemus ut ad de Sacchiaco et de Anseyvilla parrochiales ecclesias, Autisiodorensis et Cathalaunensis diocesium, ad presentationem vestram dumtaxat spectantes, in quibus jus patronatus habetis, cum eas pro tempore vacare contigerit, possitis fratres vestri ordinis presbiteros instituendos in illis, diocesanis locorum canonice presentare ac ipsi diocesani teneantur illos admittere ad easdem, dummodo dicti fratres ad hoc sint idonei et eidem ecclesie, nullum defectum in divinis officiis patiantur, ac eisdem diocesanis faciatis de juribus episcopalibus plenarie responderi, quos illam omnino jurisdictionem in fratres ipsos habere volumus, quam haberent in alios presbiteros seculares, si essent in dictis ecclesiis instituti. Nulli ergo nostre concessionis etc. Datum Viterbii, xv kalendas junii, anno I°. »

106 Viterbe, 6 mars 1262.

Abbati s. Genovefæ Parisiensis mandat quatenus aliquos decanos rurales et rectores, Ambianensis diocesis compellat ut archidiacono procurationes quae visitationis ratione debentur, exhibeant. (Reg. 26, fol. 24 v°, n° 104.)

« .. *abbati s. Genovephe Parisiensis.* Dilectus filius.. archidiaconus Ambianensis, in nostra et fratrum nostrorum proposuit presentia constitutus quod, cum ipse ac predecessores sui, archidiaconi Ambianenses, qui fuerunt pro tempore, de antiqua et approbata et hactenus observata consuetudine ecclesias, monasteria, prioratus et alia loca religiosa sui archidiaconatus visitaverint et procurationes ratione visitationis debitas receperint in aliquibus ex eisdem, nonnulli de Cunteio, de Picheio, de Pinchonio, de Dullandio, de Viviacurte et de Montegneio decani rurales et eorum subditi, ecclesiarum parrochialium rectores, prioresque prioratuum et alie persone religiose et seculares locorum eorumdem dicti archidiaconatus, Ambianensis diocesis, quanquam eundem archidiaconum ad visitandum admittant, correctiones recipiant et honesta mandata ejus observent, procurationes tamen ratione visitationis debitas eidem archidiacono exhibere indebite contradicunt, quod procurationes easdem non consueverint hactenus solvere pretendendo. Quare idem archidiaconus nobis humiliter supplicavit ut providere sibi super hoc paterna sollicitudine curaremus. Quia igitur visitationi procuratio est annexa, et non tenetur quis propriis stipendiis militare, discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatenus, si tibi constiterit de premissis, decanos ac alios predictos quod eidem archidiacono, cum ecclesias, prioratus et loca predicta visitaverit, procurationes que visitationis ratione debentur, exhibeant, monitione premissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, previa ratione compellas. Testes autem etc. Datum Viterbii, II nonas martii, anno I°. »

107 Viterbe, 13 février 1262.

De eodem negotio ac in proxima superiori agitur. (Reg. 26, fol. 24 v°, n° 105.)

«*Eidem abbati.* Dilectus filius.. archidiaconus Ambianensis [1] —, nonnulli tamen de Encra, de Lehuno, de Parviler, de Montedesiderio, de Morolio et de Foilliaco decani rurales et eorum subditi, ecclesiarum parrochialium rectores, qui certis temporibus quatuor solidos usualis monete eorum videlicet singuli annuatim persolvunt, de quibus memoratus archidiaconus sexdecim denarios, non ratione visitationis seu procurationis pretextu visitationis sibi debite, percipit, cum tam ipse quam predecessores ejus etiam non visitantes ecclesias et loca predicta, denarios ipsos de predictis solidis, episcopus vero Ambianensis reliquum percipere consueverint, necnon priores prioratuum et alie persone religiose et seculares locorum eorumdem dicti archidiaconatus, Ambianensis diocesis, quanquam eundem archidiaconum ad visitandum admittant, correctiones recipiant et honesta mandata ejus observent, procurationes tamen ratione visitationis debitas eidem archidiacono exhibere indebite contradicunt, se ad earum prestationem pro eo non teneri frivole proponentes, quod iidem archidiaconi hujusmodi procurationes percipere minine consueverint ab eisdem. Quare — compellas. Non obstante quod memorati archidia-

1. Même formule que dans la lettre précédente.

conus et predecessores, ut predictum est, prefatos sexdecim denarios perceperunt, nisi constiterit quod hujusmodi sexdecim denarii nomine procurationis premisse recepti et acceptati, hactenus fuerint ab archidiacono et predecessoribus supradictis. Datum Viterbii, XVII kalendas martii, anno I°. »

108 Viterbe, 22 juin 1262.

Jordano, ss. Cosmae et Damiani diacono cardinali, mandat ut magistro Riccardo, cardinalis s. Angeli nepoti, de uno vel pluribus beneficiis in regno Angliae ad collationem Wintoniensis electi spectantibus, providere procuret. (Reg. 26, fol. 25, n° 106.)

«*Jordano, sanctorum Cosme et Damiani diacono cardinali.* Recte agere credimus —. Hinc est quod nos cupientes dilectum filium magistrum Riccardum, subdiaconum et notarium nostrum, nepotem dilecti filii nostri R., sancti Angeli diaconi cardinalis, quem nos et fratres nostri, claris suis exigentibus meritis, benevolentia multa prosequimur, ecclesiasticis beneficiis specialiter honorare, discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatenus eidem notario vel procuratori suo ejus nomine in regno Anglie de uno vel pluribus ecclesiasticis beneficiis cum cura vel sine cura ad collationem dilecti filii.. Wintoniensis electi spectantibus, prout decet dantem et recipientem, si vacant ad presens vel quamcito ad id se facultas obtulerit, cum ad id ejusdem electi assensus accedat, per te vel per alium seu alios auctoritate nostra providere procures. Non obstantibus —. Contradictores —. Nos enim nichilominus beneficium seu beneficia hujusmodi donationi apostolice pro eodem notario reservantes, decernimus ex nunc irritum et inane si aliud ex illis et quicquid contra reservationem vel inhibitionem que super hiis pro notario ipso fient, contigerit attemptari. Datum Viterbii, X kalendas julii, anno primo. »

109 Viterbe, 3 juin 1262.

Archiepiscopo Maguntino mandat quatenus « nullo unquam tempore eligat, nominet, vel consentiat quod Couradus puer, natus quondam Conradi, filii quondam Fr., olim Romanorum imperatoris, nominetur vel eligatur ad regiam vel imperatoriam dignitatem. Item de eodem supra capitulo CII[1]. » (Reg. 26, fol. 25 v°, n° 10; Potthast 18348.)

« .. *archiepiscopo Maguntino.* Postquam supernus ille —. Datum Viterbii, III nonas junii, anno primo. »

In e. m. Henrico, Trevereusi electo.

In e. m. Engilberto, in Coloniensem archiepiscopum, sicut fertur.

1. Ce résumé est écrit en marge du registre.

110 Viterbe, 17 juin 1262.

Ad instantiam Edwardi, regis Angliae primogeniti, magistro Gaufrido, dicto Legros, concedit ut praeter beneficia cum cura quorum unum intitulatum et duo alia commendata obtinet, quorumque proventus summam quadraginta marcarum sterlingorum annis singulis vix excedunt, unum adhuc ecclesiasticum beneficium recipere valeat. (Reg. fol. 26 v°, n° 108.)

« *Magistro Gaufrido, dicto Legros, juris civilis professori, rectori ecclesie de Werchendune, Londoniensis diocesis,* Devotarum precum instantia —. Datum Viterbii, XV kalendas julii, anno primo. »

111 Viterbe, 29 juin 1262.

Populo Guarcinati, Alatrinae diocesis, notum facit se revocasse Alexandri IV litteras quibus Gratiano Belmontis, civi Romano, duas partes proventuum in ipsorum castro assignabatur. (Reg. 26, fol. 26 v°, n° 109.)

« *Populo Guarcinati, Alatrine diocesis.* In nostris semper haberi—. Sane mirantes audivimus, sed non utique acceptamus quod, cum felicis recordationis Alexander papa, predecessor noster, vobis dederit sub certa forma per litteras apostolicas in mandatis ut duas partes omnium proventuum et reddituum, quos ecclesia Romana in castro vestro dinoscitur obtinere, nobili viro Gratiano Belmontis, civi Romano, assignaretis, certo super hoc per alias suas litteras, ut dicitur, executore concesso, idem nobilis hujusmodi gratia ipsius predecessoris abutens, ejus pretextu omnimodam jurisdictionem in castro ipso nititur exercere, laicos quoque et, quod[1] est gravius, clericos ejusdem castri multipliciter propter hoc aggravans et molestans, domos eorum frangere et quandoque bona ibidem inventa temere asportare presumit, illos eorum qui sibi super jurisdictione ipsa que ad eum non pertinet, obedire denegant, faciendo coram senatoribus Urbis malitiose citari. Quendam autem Judeum sortilegum illuc ducere non est veritus in nostri contumelia Redemptoris, qui se nequiter jactando cognoscere asserit universa oculta que ab hominibus et mulieribus committuntur, ibidem in nostrum et apostolice sedis contemptum ac injuriam et ipsius ecclesie Romane

1. *est* est répété deux fois dans le registre.

prejudicium et vestrum non modicum detrimentum. Quia vero sepedictum castrum ad nos et eandem ecclesiam pertinet pleno jure, nos pati nolentes ut ipsi ecclesie hujusmodi seu quecumque jura vel redditus aliquatenus subtrahantur, cum omnia bona ipsius quoquomodo distracta intendamus ad jus et proprietatem ejusdem ecclesie revocare, universitati vestre sub pena centum marcarum argenti solvendarum nostre camere si quod injungimus non feceritis, per apostolica scripta districte precipiendo, mandamus quatenus eidem nobili nec supradictas duas partes premissorum proventuum et reddituum solvere, nec ei super hiis et aliis intendere de cetero presumatis. Nos enim nichilominus prefatas ipsius predecessoris nostri litteras pro eodem nobili vobis aut cuicumque executori directas, et quamlibet concessionem per ipsas aut quascunque litteras alias de premissis et quibuscunque aliis juribus in predicto castro ad nos et supradicatam ecclesiam pertinentibus, nobili factam eidem, auctoritate presentium revocamus et volumus vires aliquas non habere. Datum Viterbii, III kalendas julii, anno primo. »

112 Viterbe, 7 juillet 1262.

Episcopo Sagiensi mandat quatenus ecclesiam s. Leodegarii in Aquilina, Carnotensis diocesis, si eam Guillelmus rector resignat, Nicolas de Esseio conferat. (Reg. 26, fol. 27, nº 110.)

«.. *episcopo Sagiensi*. Sicut nostris est auribus intimatum, dilectus filius Guillelmus, rector ecclesie s. Leodegarii in Aquilina, Carnotensis diocesis, dictam est paratus ecclesiam resignare. Nos igitur volentes dilectum filium magistrum Nicolaum de Esseio, rectorem ecclesie de Fulcosa, ejusdem diocesis, capellanum venerabilis fratris nostri.. episcopi Penestrini, obtentu dilecti filii magistri Remigii phisici, capellani nostri, nobis pro ipso supplicantis attentius, prosequi gratiose, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatenus, si est ita, per te vel alium, ab eodem G. rectore libera ipsius ecclesie resignatione recepta, eandem ecclesiam ipsi magistro N. conferas et assignes, inducens ipsum in illius corporalem possessionem et defendens inductum. Non obstante —. Contradictores —. Porro quia non est verisimile quod quis beneficium de quo vite subsidia percipit, de facili sine magna causa sua sponte resignet, omnino provideas ne super hoc ex parte resignantis vel ipsius N. aut alias quomodolibet aliqua pravitas intercedat, quodque dictus capellanus, postquam nominatam ecclesiam s. Leodegarii fuerit pacifice assecutus, prefatam ecclesiam de Fulcosa, quam extunc vacare decernimus, omnino dimittat. Nolumus autem quod per hoc venerabili fratri nostro.. episcopo Carnotensi, ad quem in predicta ecclesie s. Leodegarii institutio rectoris pertinere dicitur, aliquod in posterum prejudicium generetur. Datum Viterbii, nonis julii, anno primo. »

113 Viterbe, 6 juillet 1262.

Cum Willelmo, abbate monasterii de Middeltone, ordinis s. Benedicti, Saresbiriensis diocesis, dispensat ut, non obstante defectu natalium, ad dignitatem episcopalem assumi valeat. (Reg. 26, fol. 27 vº, nº 111.)

« *Willelmo, abbati monasterii de Middeltone, ordinis s. Benedicti, Saresbiriensis diocesis*. Exhibita nobis tua petitio continebat quod, cum susceperis ortum ex copula quam fedus matrimonii non excusat, utpote de clerico constituto in minoribus ordinibus genitus et soluta, tandem felicis recordationis Innocentius papa, predecessor noster, tecum qui tunc eras prior Wintoniensis ecclesie, per litteras suas in quibus narratum simpliciter extitit te fuisse de soluto et soluta susceptum, ut, hujusmodi non obstante defectu, posses in susceptis ministrare ordinibus, prioratum Wintoniensis ecclesie retinere ac ad administrationes et dignitates alias ordinis tui duntaxat assumi, duxit misericorditer dispensandum. Postmodum vero quasdam a pie memorie Alexandro papa, predecessore nostro, litteras impetrasti in quibus inter alia, narratione premissa, quod idem I. predecessor ut, non obstante defectu natalium, quem patiebaris de clerico constituto in minoribus ordinibus et soluta genitus, predictum prioratum retinere ac ad majores dignitates tui ordinis promoveri posses, tecum auctoritate apostolica dispensarat, idem A. predecessor intendens tibi gratiam facere ampliorem, ut, hujusmodi non obstante defectu, ad episcopalem dignitatem, si ad eam te canonice vocari contingeret, libere promoveri posses, tecum per easdem litteras dispensavit. Demum vero cum fuisses ad regimen cathedralis ecclesie Wintoniensis, tunc pastore vacantis, electus, hujusmodi electione nobis et venerabilibus nostris fratribus presentata et super ea diligenti deliberatione prehabita, ipsam non persone sed ipsarum dispensationum vitio, cum prima tacita veritate, secunda vero suggesta falsitate, ut superius est expressum, obtente fuissent, et quia non canonice vocatus ad hujusmodi regimen fueras, sicut ejusdem predecessoris Alexandri dispensatio exigebat, cum illegitimi non eligi valeant, sed potius debeant postulari, cassavimus de fratrum consilio predictorum. At-

tendentes autem quod in te geniture maculam virtutis decus abstergere dicitur et ex tuorum pudicitia morum pudor originis aboleri, te de apostolice potestatis plenitudine legitimitatis titulo decoramus, nolentes quod per cassationem electionis ejusdem fame diminutionem vel notam aliquam, quam ex nunc penitus abolemus, incurras. Verum, ut benevolentiam sedis apostolice tibi sentias uberius gratiosam, tecum ut hujusmodi natalium defectu et cassatione predictis, vel quod abbatiam monasterii de Middeltone, prioratum Wintoniensem et quamplures administrationes tui ordinis tenuisti, et fructus percepisti ex eis, quos tibi de gratia speciali remittimus, seu quod in susceptis ordinibus absque sufficiente dispensatione sedis apostolice ministrasti nequaquam obstantibus, ad dignitatem episcopalem per electionem canonicam seu postulationem concordem aut alio quovis canonico modo libere possis assumi, auctoritate presentium de speciali gratia dispensamus. Nulli ergo nostre dispensationis etc. Datum Viterbii, II nonas julii, anno primo. »

114 Viterbe, 2 juin 1262.

Guidoni de Borbonio indulget ut usque ad quatuor tempora mensis septembris proximo futuri, presbyteratus ordinem recipere vel residentiam facere in ecclesia Rothomagensi minime teneatur. (Reg. 26, fol. 27 v°, n° 112.)

Guidoni de Borbonio, capellano nostro, avunculo carissimi in Christo filii nostri .. illustris regis Navarre, comitis Campanie ac Brie, decano Rothomagensi. Petitio tua nobis exhibita continebat quod, cum venerabilis frater noster.. archiepiscopus Rothomagensis, recepisset ab apostolica sede litteras continentes ut te ad suscipiendum ordines, quos decanatus tui Rothomagensis ecclesie cura requirit, et ad faciendum personalem residentiam in eodem per subtractionem proventuum ejusdem decanatus, monitione premissa, appellatione postposita, coartaret, idem archiepiscopus pretendens quod ad hujusmodi ordines te promoveri non feceras nec resederas in ecclesia supradicta, proventus eosdem tibi subtrahendos esse decrevit auctoritate hujusmodi litterarum. Postmodum autem tu per quantum tempus teneris residentiam facere in predicta ecclesia, ordinationi et arbitrio ejusdem archiepiscopi te summittens, promisisti quod infra certum terminum ad diaconatus et in instantibus tunc temporibus diei sabbati post festum Pentecostes ad presbiteratus ordines te faceres promoveri, alioquin ex tunc capitulum ejusdem eccclesie omnes fructus et redditus ejusdem perciperet decanatus. Si vero infra unius anni spatium post hujusmodi tempora non susciperes eosdem ordines, extunc resignares decanatum eundem et pro resignato haberes, ita quod in ipso nichil tibi juris posses ulterius vendicare, et ad premissa servanda et ad residentiam in predicta ecclesia faciendam juxta ordinationem et arbitrium prefati archiepiscopi prestitisti corporaliter juramentum, renutians nichilominus omnibus litteris, privilegiis, gratiis et indulgentiis super hoc per te vel alium a sede apostolica impetratis vel etiam impetrandis, etiam si ea concederemus ex officio nostro et contineretur in ipsis quod super hoc procederetur vel obtinerent robur firmitatis, juramento hujusmodi non obstante, ac te super hiis ordinationi memorati archiepiscopi summisisti, ita quod te compellere posset ad observationem premissorum districtione qua nosceret expedire. Predictus autem archiepiscopus determinavit et arbitratus fuit quod in eadem ecclesia singulis annis per septem menses personalem residentiam facias juxta formam quam canonici ejusdem ecclesie denarios de Anglia percepturi, consueverunt in predicta ecclesia residere. Quare nobis humiliter supplicasti ut, cum in statutis ad hoc temporibus te feceris ad diaconatus ordinem promoveri, super hoc providere tibi paterna sollicitudini curaremus. Tuis itaque devotis supplicationibus inclinati, volentes super hoc tibi gratiam facere specialem, tibi de fratrum nostrorum consilio auctoritate presentium indulgemus ut usque ad quatuor tempora mensis septembris proximo futuri presbiteratus ordinem recipere vel residentiam facere in predicta ecclesia minime tenearis, restituentes te nichilominus ad famam si non residendo personaliter in prefata ecclesia juxta determinationem et arbitrium ejusdem archiepiscopi, notam perjurii forsitan incurristi, ita quod per hoc hujusmodi nota seu infamia tibi non possit in judicio vel extra judicium obici, nec super perceptione dictorum fructuum et reddituum ipsius decanatus aliquod prejudicium generari vel obstaculum interponi. Nolumus autem tibi gratiam hujusmodi suffragari, quominus ad suscipiendum in eisdem temporibus hujusmodi sacerdotalem ordinem et ad residendum tunc in ipsa ecclesia, prout teneris juxta ordinationem ipsius archiepiscopi, ejusdem juramento vinculo sis astrictus —. Datum Viterbii, IIII nonas junii, anno primo. »

115 Viterbe, 1er juillet 1262.

Reginaldo, dicto Carumtempus, concedit ut praeter archidiaconatum Belsiae in ecclesia Aurelianensi, curam animarum habentem, unicum adhuc ecclesiasticum beneficium, etiams

personatus vel dignitas existat et similem curam habeat, licite recipere valeat. (Reg. 26, fol. 28, n° 113.)

« *Magistro Reginaldo, dicto Carumtempus, archidiacono Belsie in ecclesia Aurelianensi, capellano nostro.* Quamvis ut plures —. Datum Viterbii, kalendis julii, anno primo. »

116 Viterbe, 11 juillet 1262.

Magistro Radulphum de Freningeham in capellanum suum recipit. (Reg. 26, fol. 28, n° 114.)

« *Magistro Radulpho de Freningeham, capellano nostro.* Quoniam sicut fidedignorum —. Datum Viterbii, v idus julii, anno primo. »

117 Viterbe, 7 juillet 1262.

Johannem, cancellarium Eboracensem, capellanum suum, Wintoniensi praeficit ecclesiae. (Reg. 26, fol. 28, n° 115.)

« .. *priori et conventui Wintoniensibus.* Ecclesia Wintoniensi pastoris solacio destituta et die ad eligendum prefixa, presentibus omnibus qui debuerunt, voluerunt et potuerunt comode interesse, fuerunt electi tres de collegio fidedigni qui secreto et singilatim vota exquirent singulorum. Scrutinio igitur publicato factaque collatione, compertum extitit quod de sexaginta et quatuor personis que vocem in electione habebant, quinquaginta et quatuor in fratrem Willelmum, abbatem monasterii de Middeltone, Saresbiriensis diocesis, consenserant, a quibus fuit in episcopum Wintoniensem electus, sex ex eis in fratrem Andream, priorem ejusdem ecclesie, dirigentibus vota sua. Cumque hujusmodi negotium coram venerabili fratre nostro .. Cantuariensi archiepiscopo, loci metropolitano, fuisset aliquandiu ventilatum, tandem per appellationem ad sedem apostolicam extitit devolutum. Nos autem venerabilem fratrem nostrum .. episcopum Penestrinum, concessimus in eodem negotio auditorem, coram quo procurator illorum qui in prefatum priorem consenserant, inter alia proposuit quod, cum dictus abbas defectum natalium pateretur, utpote de clerico in minoribus ordinibus constituto genitus et soluta, eligi non debuit sed potius postulari. Proposuit etiam quod idem abbas electionis sue tempore, per quosdam executores sedis apostolice multiplici erat vinculo excommunicationis astrictus, nec habebat idem abbas scientiam episcopali officio congruentem. Ad que fuit ab adversa parte responsum quod electioni ejusdem abbatis defectus natalium non obstabat; fuerat enim secum super hoc legitime dispensatum per felicis recordationis Innocentium et Alexandrum, Romanos pontifices, predecessores nostros, cum idem Innocentius primo dispensasset cum eo, ut non obstante quod erat de soluto genitus et soluta, posset ad sui ordinis administrationes assumi regulares, ac deinde dictus Alexander eidem indulserit ut, hujusmodi natalium non obstante defectu, ad episcopalem dignitatem, si eum ad illam canonice vocari contingeret, posset libere promoveri. De auctoritate autem dictorum executorum nequaquam constabat nec apparebat etiam quod sigilla appensa in litteris exhibitis ad probandas excommunicationes easdem executorum fuerint predictorum, scientiam quoque sufficientem habebat idem abbas ad pontificale officium exequendum. Sed fuit ex adverso propositum quod hujusmodi dispensatio prefati Innocentii extiterat subrepticia, utpote per veri suppressionem obtenta. Nam cum idem abbas fuerit genitus de clerico constituto in minoribus ordinibus et soluta, hoc suppresso, suggessit eidem Innocentio quod de soluto fuerat genitus et soluta, ut dispensationem facilius obtineret. Dispensatio vero prefati Alexandri per falsi suggestionem ab abbate ipso extiterat impetrata; suggessit enim quod dictus Innocentius cum ipso, genito de clerico constituto in minoribus ordinibus et soluta duxerat dispensandum, cum tamen idem Innocentius secum, qui dicebat se de soluto et soluta genitum, dispensasset et alias etiam pretextu premisse dispensationis ipsius Alexandri ad episcopalem dignitatem non potuerat eligi dictus abbas, cum non esset sibi per dispensationem ipsam concessum quod posset, defectu non obstante predicto, ad hujusmodi eligi dignitatem, sed quod ad illam, non obstante ipso defectu, si ad eam ipsum canonice vocari contingeret, posset libere promoveri ut videlicet sibi defectus hujusmodi non obesset quin, eo non obstante, ad dignitatem episcopalem licite assumi valeret, si vocaretur canonice ad eandem, scilicet per postulationem canonicam et concordem. De auctoritate vero dictorum executorum satis manifeste constabat, et licet non essent sigilla eorum, fides tamen de illis, si expediret, fieri poterat in partibus Anglicanis. Ex eo insuper predicta ipsius abbatis impugnabatur electio quod, cum dilectus filius magister Albertus, notarius noster, tunc apostolice sedis nuntius, ex certis causis in certas ipsius ecclesie personas excommunicationis ac in eandem ecclesiam ejusque conventum interdicti sententias promulgasset, eisdem sententiis minime relaxatis, prefata fuerat

electio celebrata. Sed a parte adversa extitit replicatum quod dicte sententie per magistrum Johannem de Emigefort, cui dilectus filius Johannes Manselle, capellanus noster, pretextu cujusdam commissionis facte sibi ab eodem notario super dictis sententiis per se vel per alium relaxandis, vices suas in hac parte commiserat, fuerant relate. Ad quod responsum extitit quod talis relaxatio, utpote ab eo facta qui super hoc nec potestatem recepit nec habuit, non valebat, cum dictus Johannes Manselle relaxationem hujusmodi taliter ab eodem notario sibi commissam, alii nequiverit delegare. Nos igitur, relatione de hiis per predictum Penestrinum episcopum nobis et fratribus nostris facta, et auditis ac intellectis que partes ipse postmodum coram nobis proponere voluerunt, hujusmodi ejusdem abbatis electionem de ipsorum fratrum consilio justitia cassavimus exigente. Verum, ne predicta ecclesia ex longiori vacatione graviora in spiritualibus et temporalibus detrimenta subiret, venerabilem fratrem nostrum, Johannem, Wintoniensem episcopum, tunc cancellarium Eboracensem et capellanum nostrum, — X kalendas julii, eidem ecclesie de fratrum ipsorum consilio et apostolice potestatis plenitudine in episcopum prefecimus et pastorem, sibique munus consecrationis de nostris manibus duximus impendendum —. Ideoque universitati vestre per apostolica scripta mandamus quatenus eundem episcopum tanquam patrem et pastorem animarum vestrarum devote suscipientes, obedientiam sibi et reverentiam debitam impendatis, ejus monitis et mandatis salubribus humiliter intendendo. Alioquin sententiam quam idem episcopus rite tulerit in rebelles, ratam habebimus et faciemus, auctore Deo, usque ad satisfactionem condignam, appellatione remota, inviolabiliter observari —. Datum Viterbii, v idus julii, anno primo ».

118 Viterbe, 20 juillet 1262.

Archiepiscopo Tarantasiensi mandat quatenus de controversia et lite inter Sedunensem episcopum et Petrum de Sabaudia exorta, veritatem inquirat, eosque compellat ut infra duos menses coram papa se conferant, de iis sententiam recepturi. (Reg. 26, fol. 29, n° 116.)

« .. *archiepiscopo Tarantasiensi.* Ad audientiam nostram, venerabili fratre nostro.. Sedunensi episcopo, intimante, pervenit quod nobilis vir Petrus de Sabaudia, exercitu congregato, castrum de Martiniaco quod est ipsius episcopi et Sedunensis ecclesie specialis, obsedit et, eo per violentiam occupato, aliud castrum episcopi et ecclesie predictorum, videlicet de Cristo, pro sua voluntate invasit, sicque dictus episcopus timens ne idem nobilis totam terram eorundem episcopi et ecclesie depopularetur aut sue, prout intendere videbatur, subjiceret ditioni et potentie, ipsius nobilis non valens resistere, quod nobilis ipse predicta castra, quorum alterum videlicet de Martiniaco totaliter occuparat, aliudque, de Cristo scilicet, obsessum tenebat, necnon et de Chamoson ad eosdem episcopum et ecclesiam pertinentia, tamdiu retineret, donec prefatus episcopus ei de expensis quas ipse et coadjutores sui in captione et obsidione ac invasione castrorum ipsorum de Martiniaco et relique terre predicti episcopi fecerant, plenariam satisfactionem impenderet, est consentire coactus, et tandem castra predicta cum juribus et pertinentiis suis necnon villas, terras, possessiones et jura que predicti episcopus et ecclesia obtinebant, ab aqua que Morgia dicitur, inferius usque ad Lausanensem et Gebennensem civitates pro quibusdam villis, terris, possessionibus et juribus, predicti nobilis capituli Sedunensis ad id accedente consensu, cum eodem nobili permutare, prout in litteris inde confectis dicitur plenius contineri, quamvis in hujusmodi litteris contineatur expresse quod idem episcopus id fecit spontaneus, non coactus. Hujusmodi autem permutationem promiserunt dicti episcopus et capitulum observare ac etiam per te qui eorum metropolitanus existis, et per sedem apostolicam infra certum terminum qui jam effluxit, facere confirmari in hujusmodi confirmationibus tenore litterarum ipsarum inserto, et nichilominus ad impetrandum confirmationes ipsas infra eundem terminum, prefatus episcopus se obligavit sub pena mille marcarum argenti, ac eidem nobili dedit certos fidejussores, qui, nisi predictus episcopus infra dictum terminum confirmationes impetraret easdem, starent in certo loco tanquam obsides ad requisitionem nobilis memorati; et consenserunt predicti episcopus, capitulum et fidejussores in litteris ipsis apponi quod ipsi prestiterunt super hiis observandis corporaliter juramenta. Ad hec predicti episcopus et capitulum turrim suam de Monteordeo cum edificiis suis nobili viro Giroldo de Turre tradiderunt tenendam et custodiendam ab eo in expensis eorundem episcopi et capituli predictorum, tali conditione adjecta quod, si predictus episcopus infra dictum terminum confirmationes hujusmodi obtineret, predictus Giroldus turrim et edificia destrueret supradicta, et in eodem monte nullam turrim ullo unquam tempore alterutri partium vel eorum successoribus construere vel edificare liceret; si vero prescriptus episcopus confirmationes predictas non impetraret infra terminum supradictum,

idem Giroldus turrim et edificia predicta eidem Petro tradere teneretur, ab ipso tenenda et custodienda in expensis eorundem episcopi et capituli, donec prefate confirmationes forent obtente, post quarum impetrationem destruerentur turres et edificia supradicta. Sane pro hujusmodi expensis solvendis dicto Petro, prefati episcopus et capitulum eidem Petro obligaverunt se ac omnia bona sua, et super premissis omnibus renuntiaverunt omni generi restitutionis que vel jure competit actionis vel posset officio judicis implorari, et quod ipsi non possint dicere quod in hujusmodi permutationis contractu, ultra dimidiam justi valoris fuerint circumventi et recognoverunt quod pro rebus datis ab eis dicto Petro recompensationem congruam receperunt. Renuntiaverunt insuper omnibus privilegiis et indulgentiis eis vel predicte ecclesie tam a sede predicta quam a quibuscunque principibus indultis vel etiam indulgendis. Porro predictus Giroldus, cum dicte confirmationes non fuerint infra predictum terminum impetrate, dictam turrim Petro tradidit memorato, quam ipse tali pretextu detinet occupatam. Quia vero ex premissis, ut asseritur, lesa est enormiter ecclesia memorata et nostri decet appositione consilii super hoc salubre remedium adhiberi, nos super hoc ecclesie ac episcopo predictis providere volentes, fraternitati tue sub pena excommunicationis quam te incurrere volumus eo ipso si preceptum nostrum adimplere neglexeris in hac parte, de fratrum nostrorum consilio per apostolica scripta precipiendo mandamus quatenus infra octo dies post receptionem presentium, eundem Petrum in loco competenti terre sue vel ipsi terre vicino, coram populo publice, cum credatur aliter comode non posse id fieri, auctoritate nostra peremptorie citare procures ut infra duos menses post citationem hujusmodi coram te per se vel per procuratorem idoneum studeat comparere. Ad quod locum insignem vel alium tue discretionis arbitrio deputari volumus in quo utraque pars secure comparere ac negotium inquisitionis hujusmodi melius et comodius valeat expediri, et si absque judicii strepitu, libelli oblatione, ac litis contestatione aliaque juris sollempnitate que in judiciis ordinariis servari solet, cum in hujusmodi negotio te velimus ex officio nostro procedere, sive idem Petrus presens fuerit, sive absens per contumaciam, tibi constiterit hujusmodi obsidionem et occupationem predicti castri de Martiniaco in illis partibus fore notorias, eundem Petrum, sublato cujuslibet dilationis et difficultatis obstaculo predictis obligationibus, fidejussionibus vel juramentis a quibus scilicet juramentis episcopum et capitulum predictos duximus absolvendos, nequaquam obstantibus, quorum omnium videlicet obligationum, fidejussionum et juramentorum pretextu episcopum et capitulum seu ecclesiam vel fidejussores predictos, pendente hujusmodi negotio, non permittas aliquatenus impeti aut etiam molestari, ad restitutionem plenariam dicti castri de Martiniaco cum juribus et pertinentiis suis faciendam eidem episcopo et ecclesie non omittas sententialiter condempnare, ipsum ad restitutionem hujusmodi, monitione premissa, per excommunicationis in personam et in terram ejus interdicti sententias, appellatione postposita, compellendo. Ceterum volumus et presentium tibi auctoritate mandamus ut, memorato Petro ad hoc simili modo et in termino superius expresso citato, sublato cujuslibet dilationis et difficultatis obstaculo, de plano, strepitu judiciorum, libelli oblatione, litis contestatione ac omni juris sollempnitate, ut superius est expressum, omissis, de invasione, obligationibus hujusmodi, permutatione predicta et an in ipsa Romani pontificis vel tuus intervenerit assensus, necnon de traditione ac detentione dicte turris, et an ex premissis sic enormiter lesa ecclesia supradicta et de omnibus dictum negotium contingentibus, ad quod etiam te volumus ex officio nostro procedere, inquiras sollicite veritatem, quod inveneris nobis sub sigillo tuo fideliter rescripturus, prefixo episcopo et capitulo ac Petro predictis termino peremptorio duorum mensium quo per se vel procuratores idoneos cum omnibus actis, juribus et munimentis suis dictum negotium contingentibus compareant — coram nobis, justam, dante Domino, sententiam recepturi. Insuper memoratum Petrum ac fautores et adjutores ipsius, quod, pendente predicto negocio, episcopum et capitulum aut ecclesiam preditos in personis vel bonis eorum in aliquo non molestent, monitione premissa, per similes in personas et in terras eorum sententias, appellatione remota, compellas. Hujusmodi autem sententias quas propter predicta te ferre contigerit, singulis diebus dominicis et festivis, pulsatis campanis et candelis accensis, usque ad satisfactionem condignam sollempniter publices, et per omnia loca in quibus expedire videris, per alios facias publicari. Contradictores etc., usque compescendo. Non obstante si —. Diem vero prefixionis hujusmodi et quicquid super hiis duxeris faciendum, nobis per tuas patentes litteras, harum seriem continentes, studeas fideliter intimare. Datum Viterbii, XIII kalendas augusti, anno 1°. »

119 Viterbe, 2 juin 1262.

De eodem negotio et in eisdem verbis atque in litteris eidem Guidoni directis fol. 27 v°, n° 112. (Reg. 26, fol. 29 v°, n° 117.)

« *Guidoni de Borbonio, capellano nostro, avunculo carissimi in Christo filii nostri.. illustris regis Navarre, comitis Campanie ac Brie, decano Rothomagensi.* Petitio tua nobis —. Ita tamen quod si aliquod urgens et necessarium negotium immineret, propter quod te abesse contingeret hyeme vel estate, hujusmodi absentie tempus eodem anno suppleas in prefata ecclesia personaliter residendo. Ad quod etiam te teneri volumus vinculo prestiti juramenti, tue nichilominus relinquendo conscientie reputare vel dicere sub predicti juramenti debito, quod negotium necessarium sit et urgens, Nulli ergo nostre concessionis et restitutionis etc. Datum Viterbii, IIII nonas junii, anno 1°. »

120 Viterbe, 23 décembre 1261.

Loderingo de Andalo, Gruamons de Caccianemicis, civibus Bononiensibus, Selancae, civi Regiensi, Rainerio de Adelardis, civi Mutinensi et aliis pluribus regulam studiose compositam, concedit perpetuis temporibus observandam eamque appellat « Ordinem militiae b. Mariae Virginis gloriosae » ut qui professi fuerint hanc, tanquam speciali et perpetuo ordine taliter nuncupentur videlicet « Fratres ordinis militiae b. Mariae Virginis gloriosae. » (Tenor regulae. insertus est). (Reg. 26, fol. 28, n° 118; Potthast 18195.)

« *Ad perpetuam rei memoriam.* Sol ille verus —. Datum Viterbii, x kalendas januarii, anno 1°. »

121 Viterbe, 15 mars 1262.

Johanni Suarii, decano Portugalensi, indulget ut plura ecclesiastica beneficia retinere valeat. (Reg. 26, fol. 32 v°, n° 11.)

« *Johanni Suarii, decano Portugalensi.* Licet ne quis —. Hinc est quod nos attendentes tue probitatis merita quibus adjuvari diceris, et propter hoc volentes te prosequi benivolentia gratiosa, obtentu etiam dilecti filii magistri Rodulfi de Podiobonizi qui, ob devotionem quam ad nos et Romanam gerit ecclesiam, favorem apostolicum sibi multipliciter vendicavit, pro te cum instantia supplicantis, ut decanatum ecclesie Portugalensis quem intitulatum ac s. Marie de Montemajori novo et s. Marie de Marvan, Elborensis et Egitaniensis diocesium, ecclesias parrochiales quas recommendatas obtines, curam habentes animarum annexam, possis licite retinere, constitutione hujusmodi non obstante, tecum auctoritate apostolica dispensamus. Proviso quod —. Nulli ergo —. Datum Viterbii, idus martii, anno primo. »

122 Montefiascone, 5 août 1262.

Provincialem, priores et fratres ordinis b. Mariae de Monte Carmeli in Terra Sancta ab omni dioecsanorum jurisdictione eximit. (Reg. 26, fol. 32 v°, n° 120; Potthast 18391.)

«.. *provinciali ac ceteris prioribus et fratribus, ordinis b. Marie de Monte Carmeli in Terra Sancta.* Ex vestre religionis —. Datum apud Montemflasconem, nonis augusti, anno primo. »

123 Montefiascone, 11 août 1262.

Episcopo Paphensi licentiam concedit duas personas in canonicos ecclesiae Paphensis recipi faciendi ac providendi eis de singulis prebendis. (Reg. 26, fol. 32 v°, n° 121.)

«.. *episcopo Paphensi.* Tuam volentes honorare —. Datum apud Montemflasconem, III idus augusti, anno primo. »

124 Montefiascone, 26 août 1262.

Priori s. Laurentii Aurelianensis mandat quatenus praebendam in ecclesia s. Aniani Philippo de Montegermondi, canonico ecclesiae Peronensis, nepoti S., tituli s. Caeciliae presbyteri cardinalis, nepoti, conferat. (Reg. 26, fol. 32 v°, n° 122.)

«.. *priori s. Laurentii Aurelianensis.* Sicut dilectus filius magister Philippus de Montegermondi, canonicus ecclesie Peronensis, exposuit coram nobis, vacante quadam prebenda in ecclesia s. Aniani Aurelianensis per mortem Stephani, cantoris ejusdem ecclesie, in qua canonicorum receptio et prebendarum collatio ad ipsius capitulum dicitur pertinere, duodecim dictum magistrum et sedecim Philippum, canonicum ecclesie s. Petri virorum Aurelianensis, ex dicto capitulo, ad eandem prebendam auctoritate propria in fratres et canonicos receperunt, cum non essent in ipsa ecclesia s. Aniani nisi triginta duntaxat canonici tunc presentes, et duo ex ipsius noluerint ad electionem hujusmodi procedere eidem. Unde cum tam idem magister quam dictus canonicus s. Petri in dicta prebenda jus asserant se habere, ut per litigium partes vel ipsam ecclesiam s.

Aniani dispendium vel gravamen incurrere non contingat, provideri super hoc dictus magister suppliciter postulavit. Nos igitur hujusmodi occurrendo gravaminibus, volentes ipsi magistro consideratione dilecti filii nostri S., tituli s. Cecilie presbiteri cardinalis, cujus existit consanguineus, gratiam facere specialem, discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatenus, si est ita, per te vel alium auctoritate nostra tam prefatum magistrum quam eundem canonicum s. Petri pro canonicis prefate ecclesie s. Aniani haberi faciens et tractari, dictam prebendam si nulli alii de apostolico mandato de jure debetur, dicto magistro conferas et assignes, inducens eum in corporalem possessionem ipsius, ac defendens inductum, amoto ab ea prefato canonico s. Petri et quolibet illicito detentore. Si vero prebenda ipsa alii auctoritate apostolica debita sit de jure, eidem magistro Philippo de alia si qua in eadem ecclesia s. Aniani vacat ad presens, vel proximo vacatura, nulli alii auctoritate apostolica de jure debita, providere procures, et postquam sibi de prebenda predicta, que vacare dicitur, vel de alia duxeris providendum, prefato Philippo, canonico s. Petri, de alia prebenda nulli alii de jure debita, si qua in prefata s. Aniani ecclesia vacat ad presens, vel quamprimum ad id obtulerit se facultas, studeas providere. Non obstante —. Contradictores —. Nos enim irritum —. Datum apud Montemflasconesn, VII kalendas septembris, anno primo. »

125 Montefiascone, 31 août 1262.

De pecuniarum summa ab Henrico, Lothoringiae et Brabantiae duci, in Terrae Sanctae subsidium legata, ordinationem facit. (Reg. 26, fol. 33, nº 123.)

« .. *abbati monasterii Villariensis, Cisterciensis ordinis, et .. priori fratrum Predicatorum in Lovanio, Leodiensis diocesis.* Ad nostram pervenit audientiam quod quondam H., dux Lothoringie ac Brabantie, cum ageret in extremis, de anime sue salute sollicitus, crucis assumpsit signaculum in subsidium Terre Sancte ac demum quatuor milia librarum, Lovaniensis monete, dicte terre in ultima voluntate legavit, committens hujusmodi votum crucis nobili viro Gerardo, domino de Marbais, tunc ejus consiliario ad importunam ejusdem Gerardi instantiam per eum cum hujusmodi pecunia exequendum. Cum igitur nostra intersit de dicte terre subsidio disponere ac etiam ordinare, nos tam ipsius terre quam etiam anime dicti ducis profectibus providere volentes, discretioni vestre per apostolica scripta districte precipiendo mandamus quatenus totam hujusmodi pecuniam facientes vobis protinus assignare, detentores illius ad exhibendam eam vobis per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compellendo, mille libras ejusdem monete dicto Gerardo pro sui voti executione ac alias mille libras dilecte in Christo filie nobili mulieri Aleydi, relicte predicti ducis, expendendas per ipsam pro remedio anime ipsius ducis, prout expedire viderit, assignare; reliqua vero duo milia librarum predicte monete in aliquo tuto loco sub sigillis vestris et fidedignarum personarum testimonio deponere nostro nomine, non obstante cujuslibet contradictione, curetis, in predicte terre subsidium juxta dispositionem nostram utiliter convertenda. Contradictores —. Non obstante —. Rescripturi nobis fideliter ubi et coram quibus predictam pecuniam deposueritis et quicquid super hoc duxeritis faciendum. Datum apud Montemflasconem, II kalendas septembris, anno primo. »

126 Montefiascone, 22 août 1262.

Abbati monasterii s. Theofredi, Anitiensis diocesis, officiali Claromontensi, et Durando de Saysac, canonico Anitiensi, negotium Lugdunensis camerariae committit. (Reg. 26, fol. 33, nº 124.)

« .. *abbati monasterii s. Theofredi, Anitiensis diocesis, officiali Claromontensi et Durando de Saysac, canonico Anitiensi.* Vacante cameraria Lugdunensis ecclesie, nos eam cum omnibus juribus et pertinentiis suis et canonicatu ipsius ecclesie dilecto filio Hugoni de Turre, capellano nostro, duximus conferendam, decernentes irritum et inane si secus de eis contingeret attemptari, Sed post collationem et decretum hujusmodi dilecti filii.. decanus et quidam alii canonici Lugdunenses sibi adherentes, Gaudemarum, custodem ecclesie s. Stephani Lugdunensis, dicuntur in ipsius Lugdunensis ecclesie camerarium elegisse. Inter ipsum itaque Hugonem ex parte una et decanum, sibi adherentes, et Gaudemarum predictos ex altera, super ipsa cameraria questione suborta, nos in ea legitime ad sedem apostolicam devoluta, dilectum filium nostrum H., tituli s. Sabine presbiterum cardinalem dedimus ipsis partibus auditorem. Lite autem, super libellis hinc inde porrectis, inter procuratorem decani et adherentium ac Gaudemari predictorum et ipsum Hugonem petentem inter alia se jus habere in ipsa cameraria sententialiter declarari legitime contestata, factis positionibus, responsionibus secutis ad eas, et articulis ab utraque parte formatis, per ea que coram ipso cardinale acta fuerunt, non potuit de hujus-

modi causa liquere, propter quod idem cardinalis articulos ipsos ut recipiatis testes idoneos super illis, vobis una cum interrogatoriis partium sub ejus sigillo transmittit inclusos. Quia igitur nonnulli ex ipsis articulis super objectis in personam dicti Hugonis confecti esse noscuntur, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatenus vos vel duo vestrum, decanum, adherentes et Gaudemarum prefatos, si voluerint hujusmodi negotium prosequi, alioquin illos vel illum ex eis qui ipsum negotium prosequentur, infra quindecim dies post requisitionem vestram jurare corporaliter faciatis quod ipsos articulos super sic objectis non proponunt nec proponi faciunt malitiose, et quod credunt ipsos articulos esse veros, et recipiatis ab omnibus seu ab illis seu illo qui negotium prosequentur predictum, infra dictos quindecim dies juratoriam, fidejussoriam et pignoraticiam cautionem quod centum marchas sterlingorum eidem Hugoni persolvent, si non probaverint que in ipsius personam obici dinoscuntur, illis qui hujusmodi juramentum et cautionem prestare noluerint, super hoc contra dictum capellanum nullatenus audiendis. Hujusmodi autem juramento et cautione receptis, testes idoneos quos utraque pars super predictis articulis produxerit, coram vobis, infra duos menses predictas dies immediate sequentes, recipiatis fideliter et examinetis juxta prefata interrogatoria sapienter. Et si alterutra partium testes alterius voluerit reprobare, testes qui super reprobatione hujusmodi producti fuerint, coram vobis infra unum mensem, predictos duos menses immediate sequentes recipere ac examinare diligentius studeatis, dicta omnium predictorum testium fideliter in scriptis redacta, una cum articulis et interrogatoriis supradictis, ad nostram presentiam transmissuri ac prefixuri partibus ipsis terminum peremptorium competentem, quo per se vel procuratores idoneos apostolico se conspectui representent, juxtam, (*sic*) dante Domino, sententiam recepture. Diem autem prefixionis hujusmodi et quicquid inde feceritis, nobis per vestras litteras, tenorem continentes presentium, fideliter intimetis. Nos insuper illos qui, ut predicitur, hujusmodi negotium prosequentur, si objecta in personam dicti Hugonis non probaverint, decernimus juxta constitutionem felicis recordationis Innocentii pape, predecessoris nostri, super hoc editam, beneficiis ecclesiasticis triennio fore suspensos, et si infra ipsum tempus propria temeritate se illis ingesserint, eisdem beneficiis esse privatos. Testes aûtem —. Datum apud Montemflasconem, XI kalendas septembris, anno primo. »

127 Montefiascone, 5 août 1262.

Provincialem, priores et fratres ordinis b. Mariae de Monte Carmeli in patriarchatu Jerosolymitano ab omni jurisdictione diocesanorum eximit, dirimens conventionem super subjectione inter eos et bonae memoriae archiepiscopum Tyrensem factam. (Reg. 26, fol. 33 v°, n° 125; Potthast 18392.)

«.. *provinciali ac ceteris prioribus et fratribus, ordinis b. Marie de Monte Carmeli in Terra Sancta.* Ex vestre religionis —. Datum apud Montemflasconem, nonis augusti, anno primo. »

128 Montefiascone, 28 août 1262.

Priori generali ordinis b. Mariae de Monte Carmeli facultatem concedit absolvendi fratres qui pro injectione manuum in se ipsos excommunicationis laqueum incurrerunt. (Reg. 26, fol. 33 v°, n° 126; Potthast 18397.)

«.. *priori generali ordinis b. Marie de Monte Carmeli.* Exigentibus sacre tui —. Datum apud Montemflasconem, V kalendas septembris, anno primo. »

129 Viterbe, 13 janvier 1262.

Magistro Johanni Mansel indulget ut omnes prebendas quas tempore excommunicationis sententiae in se ipsum prolatae, habebat, detinere valeat. (Reg. 26, fol. 34, n. 127.)

« *Magistro Johanni Mansel, cappellano nostro, clerico carissimi in Christo filii nostri.. regis Anglie illustris, canonico Wellensi.* Laudabilis conversationis et —. Sane petitio tua nobis exhibita continebat quod bone memorie Sewalo archiepiscopo, quondam decano Eboracensi, viam universe carnis ingresso, dilectus filius noster O., sancte Marie in Via Lata diaconus cardinalis, canonicatum et prebendam de Fentono, quos idem archiepiscopus in Eboracensi ecclesia tempore sue promotionis habebat, dilecto filio Stephano, nepoti venerabilis fratris nostri.. episcopi Penestrini, auctoritate felicis recordationis Alexandri pape, predecessoris nostri, sibi ab eodem predecessore in hac parte commissa, conferre ac assignare curavit et carissimus in Christo filius noster.. illustris rex Anglie, qui prebendas in ecclesia ipsa de antiqua et hactenus pacifice observata consuetudine confert, Eboracensi sede vacante, que tunc vacabat, tibi prebendam contulit supradictam. Sed postmodum, quia prebendam detinebas eandem in qua jus te habere credebas, venerabilis frater noster.. Eboracensis archiepis-

copus, te auctoritate litterarum apostolicarum citavit peremptorie, ut infra certum terminum officio beneficioque suspensus, personaliter apostolico te conspectui presentares, ac dilectus filius noster R., sancti Angeli diaconus cardinalis, eidem Stephano in hujusmodi negotio ab eodem predecessore datus auditor, te, quia non comparuisti in statuto termino coram eo, excommunicationis sententia innodavit Prefatus quoque predecessor auctoritate apostolica statuit te omnibus personatibus, prebendis et beneficiis ecclesiasticis, indulgentiis, dispensationibus, litteris et gratiis apostolicis que tunc obtinebas, eo ipso fore privatum et prorsus inhabilem ad alia hujusmodi obtinenda nisi infra sex menses computandos ex tunc, memorato Stephano vel procuratori suo, ejus nomine, prenominatam prebendam pacifice et quiete dimitteres ac plene satisfaceres de fructibus, redditibus, proventibus perceptis ex ea et qui percipi potuerunt, necnon de dampnis et injuriis ac expensis que dictum Stephanum propter hoc fecisse constaret, vel sustinuisse aut etiam incurrisse. Tu autem, sicut dilectus filius magister R., qui pro memorato Stephano procuratoris in hoc gerens officium, hujusmodi negotium fuit in Anglia prosecutus, patenter affirmat, quam cito hujusmodi constitutio ad tuam per eundem procuratorem pervenit notitiam, prefatam prebendam eidem Stephano dimisisti liberam et quietam, ac procuratori suo ejus nomine de fructibus, redditibus et proventibus ac dampnis, expensis et injuriis hujusmodi satisfactionem plenariam impendisti et a predicta excommunicationis sententia et quibuscumque aliis in te propter hoc, quacumque occasione vel auctoritate, prolatis, obtinuisti per predictum R. cardinalem de speciali mandato nostro vive vocis oraculo sibi facto, te absolvi, et processus hac occasione contra te habitos, revocari, sicut in instrumento publico inde confecto et cardinalis ipsius sigillo signato dicitur plenius contineri. Verum dubitans ne pretextu suspensionis et constitutionis hujusmodi possit tibi aliquod prejudicium generari, nobis supplicasti humiliter ut, cum non fueris in mora dimittendi prefatam prebendam eidem Stephano et satisfaciendi sibi de premissis, postquam eadem constitutio ad notitiam tuam predicto modo provenit, providere tibi super hoc paterna sollicitudine curaremus. Cum autem de dimissione predicte prebende ac satisfactione hujusmodi plene nobis constet per assertionem ipsius episcopi et prefatum procuratorem dicti Stephani, quibus super hoc adhibendam duximus plenam fidem, nos attendentes quod pena plus extendi non debet quod inveniatur in excedente delictum, tuis supplicationibus inclinati, ad preces predicti episcopi presentium tibi auctoritate concedimus, ut personatus, prebendas et beneficia ecclesiastica que obtinebas tempore constitutionis ejusdem, ac redditus et proventus quos medio tempore percepisti ex eis, licite retinere ac indulgentiis, dispensationibus, litteris et gratiis tibi ab apostolica sede concessis, libere uti possis, et habitualem te reddimus ad alia hujusmodi obtinenda. Decernentes irritum et inane siquid de personatibus, prebendis et beneficiis predictis occasione premissorum in tuum prejudicium attemptatum extitit (*sic*) vel in posterum contigerit attemptari. Ceterum dispensamus tecum super irregularitate, si quam contraxisti, sic suspensus te divinis officiis immiscendo. Nulli ergo nostre concessionis, constitutionis et dispensationis etc —. Datum Viterbii, idus januarii, anno primo. »

130 Viterbe, 25 juin 1262.

Helie de Estivanhas tabellionatus officium concedit. (Reg. 26, fol. 34 v°, n° 128.)

« *Helye de Estivanhas, clerico in minoribus ordinibus constituto, Lemovicensis diocesis.* Ne contractuum memoria —. Datum Viterbii, VII kalendas julii, anno primo. »

131 Sans date.

Ministro provinciali ordinis fratrum Minorum in regno Franciae mandat quatenus verbum vivificae Crucis contra Palaeologum in regno Franciae proponi faciat. (Reg. 26, fol. 34 v°, n° 129.)

« .. *ministro provinciali ordinis fratrum Minorum in regno Francie.* Orta est nobis de partibus Romanie multe turbationis materia, et exinde prosilierunt jacula que diris puncturis affecerunt et afficiunt intima cordis nostri. Ecce siquidem in regione illa contra fidelem populum scismaticorum exortus est gladius, undique ad subvertendum catholicorum statum Grece persecutionis turbo prorupit, propter quod cultores fidei orthodoxe hostilibus inibi quatiuntur insultibus et Christiana religio variis et diversis adversionibus impugnatur. Paleologus namque scismaticus, qui Grecorum imperatorem vocari se facit, postquam illius perfide gentis obtinuit principatum, contra populum Latinorum qui in illis partibus commoratur, cepit sui fuoris tirampnidem exercere inhumanitus, sicque adversus eum una cum subjectis sibi Grecis nationibus conspiravit, quod ad

illius exterminium et subversionem tota sue malignitatis convertit studia, direxit intentionem et animum preparavit, improbe sperans se posse de facili, Latinis ejectis, exinde Constantinopolitani imperii dominium integre obtinere. Congregato igitur post debellationem et captionem dilecti filii, nobilis viri, Guillelmi de Villarduno, principis Achaye, exercitu copioso, et civitatis Constantinopolitane finibus appropinquans, civitatem eandem, cum non posset illam violenter capere, proditionaliter occupavit, collocans in ea superbie sue sedem in sempiternum obprobium Latinorum. O quantos concepit dolores! o quot suspiria protulit! o quam acerbas effudit lacrimas Romana mater ecclesia, cum audivit quod predictam civitatem, que in ejus permanens unitate in suo gremio altius relucebat, amisit! Recolens etenim quod multo tempore anxie vigilavit, laboriosa studia intentis vigiliis annectendo, ut civitatem tam inclitam et famosam tamque insignem et amabilem obtineret, memor etiam sollicitudinum, sumptuum et laborum, quibus felicis recordationis Innocentius papa tertius, predecessor noster, illam imperialem urbem ad unitatem catholicam conquisivit, ac audiens eam sic probrose deperditatam et ab ejus obedientia ac devotione subtractam acuti doloris gladio sua presensit viscera perforata. Verumtamen quantumcumque immensum ex hoc flebili casu civitatis ejusdem dolorem conceperit et merorem, nequaquam ob hoc cecidit spes ipsius, nec fuit animo consternata, quin de ipsius civitatis et per consequens dicti imperii recuperatione sollicite cogitaret; confidens in illo qui est in se sperantium fortitudo, quod post hujusmodi persecutionis dolorem, consolationis oportune medelam misericorditer adhibebit. In hoc enim claret excellentia fidei, super cujus petram eadem ecclesia fundata consistit, quia quanto gravius ecclesia ipsa impetitur, tanto persistit, constantior, quoniam immobile accepit in Christo, qui est veritas, fundamentum. Nam, licet antiquis temporibus eadem ecclesia memoratum imperium amare plancxerit ab ejus unitate subtractum, licet diutinas et innumeras amaritudines et afflictiones pertulerit de suorum inibi dimicantium oppressionibus filiorum, semper tamen animo fortis stetit, nec umquam que potuit illuc subsidia destinare cessavit, quia sibi continue divina potentia in tanti prosecutione negotii necessarie subventionis largitione providit, corda fidelium ad prebendum ei super hoc assidue attendendo; ex quibus innumeri, jam effuso in pugna tam salutifera sanguine, cursum vite presentis sub glorioso triumpho martirii feliciter consumarunt. Verum, quia dicti Paleologi nequitia, faventis temporis tumefacta suffragio, predicta urbe que memorati imperii caput existit, taliter occupata, ad occupationem residui ejusdem imperii, videlicet principatus Achaye ac Moree ferventer hanelat, nos attendentes quod ecclesie corpus ex membri tam cari scilicet imperii prefati carentia, si predictum residuum (quod absit) occuparetur ab illo, notam probrose deformitatis incurreret et sustineret debilitatis dolende jacturam; considerantes etiam, quod carissimus in Christo filius noster Balduinus, illustris imperator Constantinoplitanus, et nobilis vir.. dux Venetorum, sicut idem imperator et ejusdem ducis nuntii nobis in nostra constituti presentia retulerunt, una cum prelatis et baronibus principatus jamdicti magnificum tam per mare quam per terram, pro succursu ejusdem imperii jam disposuerunt facere apparatum, ac volentes eos in hoc fidelium Christi presidiis adjuvari, digne providimus fore ab eisdem fidelibus oportunum propter hoc suffragium postulandum. Tue igitur discretioni per apostolica scripta in virtute obedientie districte precipiendo, mandamus quatinus tam per te quam per alios fratres tui ordinis, quos ad hoc ydoneos esse cognoveris, proponens eisdem fidelibus per regnum [1] necnon per alia loca per que tua administratio se extendit, juxta datam tibi a Deo prudentiam verbum crucis, eos attentis et sedulis exhortationibus inducere non omittas, ut pensantes provide quam sit necessaria nunc imperio predicto festina subventio, advertentes etiam, quod per imperii prefati succursum catholice fidei et ecclesiastice libertatis augmentum necnon et terre sancte liberatio specialiter procurantur, ad succurrendum eidem imperio ac Latinis morantibus in eodem, quinimmo ad imperium ipsum eripiendum de manibus adversariorum, contra prefatum Paleologum et fautores ipsius, assumpto crucis signaculo, viriliter et festinanter exurgant; predictis quoque fidelibus ipsis quod dictus dux Venetorum omnes crucesignatos hujusmodi suo potenti navali stolio illuc deferri faciet sine naulo. Nos enim de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, auctoritate confisi, ex illa quam nobis licet indignis Deus ligandi atque solvendi contulit potestate, omnibus eidem imperio ac Latinis in personis vel bonis eorum succurrentibus, illam suorum peccaminum veniam indulgemus, ipsosque illo privilegio eaque volumus immunitate gaudere, que predicte terre sancte subvenientibus in generali concilio sunt concessa. Non obstante —. Ut autem utilius et facilius commissum tibi hujusmodi ministerium exequi valeas, tibi et fratribus ejusdem ordinis, quos ad hoc cooperatores elegeris, convocandi

1. Ce vide se trouve dans le Registre.

ob id cleros et populos locorum, in quibus hujusmodi verbum crucis proponere vos continget, quotienscumque et ubicumque videris expedire, ut processionaliter predicationibus vestris cum devotione intersint; necnon et largiendi omnibus vere penitentibus et confessis, qui ad hujusmodi convocationes et predicationes vestras accesserint, quadraginta vel centum dierum indulgentiam, juxta tue discretionis arbitrium moderandam, plenam concedimus auctoritate presentium potestatem. »[1].

132 Viterbe, 5 juin 1262.

Ludovico, regi Francorum, notum facit se ut imperium Constantinopolitanum et per consequens Terra Sancta celerem et optatum speratae subventionis consequantur effectum, cum et barones et proceres et magnates Latinae gentis qui principatus Achaiae ac Moreae aliarumque terrarum et insularum ejusdem imperii dominium obtinent, cum strenua multitudine bellatorum per terram et dux ac commune Venetorum cum magnifico stolio galearum per partes maritimas ad resistendum occupatoribus ejusdem imperii, praecipites, et ad exhibendum omnibus dicto imperio succurrentibus passagium sine naulo sint parati, mittere ad eum Andream de Spoleto, archidiaconum Paphensem, capellanum suum, pro accelcratione subventionis procuranda. Hortatur regem ut dicto imperio et Venetis et Latinis ibidem morantibus dexteram suae protectionis extendat. (Reg. 26, fol. 35, n° 130; Potthast 18350.)

«.. *regi Francorum illustri.* Si mater ecclesia—. Datum Viterbii, nonis junii, anno primo. »

133 Viterbe, 9 juin 1262.

Episcopo Agennensi mandat quatenus in regno Franciae certas pecuniarum summas Terrae Sanctae subsidio deputandas colligat. (Reg. 26, fol. 36, n° 131.)

«.. *episcopo Agennensi.* Crebra imperii Constantinopolitani quassatio, instansque necessitatis articulus, in quo est idem imperium hoc tempore constitutum, propensiori nos cura sollicitat, ut inter queque ardua nostre vigilantie incumbentia de ipsius spectaculi cogitemus subsidiis et auxiliis oportunis, quibus et ab imminentibus valeat liberari pressuris et inter angustantes illud angustias respirare. Cum enim in corpore universalis ecclesie nobile ipsum et conspicuum membrum existat, ad sui nimirum capitis, quod est sacrosancta Romana ecclesia, cunctorum fidelium mater et domina, incrementum accedit si membrum idem tam honorificum ab ea subsidiaria dona recipiat et efficacia percipiat adjumenta. Hinc est quod nos ipsius necessitatibus imperii cupientes, prout tenemur ex apostolatus officio, providere, ac medietatem omnium proventuum tam dignitatum et personatuum, quam prebendarum, ecclesiarum, aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum personarum illarum que in ipsis per sex menses ad minus residentiam non faciunt personalem, sive unum habeant sive plura pervenientium ad personas ipsas, eis que nostris et fratrum nostrorum, ac suorum prelatorum immorantur obsequiis, aut sunt in peregrinatione vel scolis, seu ecclesiarum suarum negotia de ipsorum prelatorum mandato procurant aut assumpserint vel assument crucis signaculum in terre sancte vel personaliter in ejusdem imperii proficiscentur succursum, exceptis, et si aliqui eorundem exceptorum preter hujusmodi crusesignatos et procuratores ac proficiscentes et nostris et fratrum ipsorum obsequiis immorantes, de redditibus ecclesiasticis valentiam centum marcarum argenti percipiunt annuatim, eorundem centum marcarum vicesimam usque ad triennium subventioni ejusdem imperii cum felicis recordationis Innocentius papa IIII, predecessor noster, alias hujusmodi medietatem vicesimam et tertiam premissorum omnium succursui ejusdem imperii deputaverit et colligi fecerit auctoritate apostolica deputatas, in subventionem hujusmodi totaliter convertendas, fraternitati tue per apostolica scripta districte precipiendo mandamus quatenus medietatem, tertiam et vicesimam hujusmodi per te ac alios viros providos et discretos, quos ad hoc idoneos esse cognoveris auctoritate nostra usque ad predictum triennium pro hujusmodi ejusdem imperii subventione in regno Francie integre ac sollicite colligens, ipsas sub fidedignarum personarum testimonio deponas in aliquo tuto loco, quid et quantum et a quibus collectum fuerit, nobis fideliter rescripturus. Contradictores etc —. Non obstante —. Datum Viterbii, v idus junii, anno primo. »

134 Viterbe, 9 juin 1262.

De collectione pecuniarum in Terrae Sanctae subsidium convertendarum. (Reg. 26, fol. 36, n° 132.)

« *Eidem.* Necessitatibus Constantinopolitani imperii cupientes, prout tenemur ex apostolatus officio, providere, medietatem omnium proventuum tam dignitatum et personatuum, quam prebendarum aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum personarum illarum que in ipsis per sex menses ad minus residentiam non faciunt personalem, sive unum habeant sive plura, pervenientium ad personas ipsas, eis que nostris et fratrum nostrorum ac suorum prelatorum immorantur obsequiis,

[1]. Sans date.

aut sunt in peregrinatione vel scolis seu ecclesiarum suarum negotia de ipsorum prelatorum mandato procurant, aut assumpserint vel assument crucis signaculum in terre sancte vel personaliter in ejusdem imperii proficiscentur succursum exceptis, etsi aliqui eorundem exceptorum preter hujusmodi crucesignatos et procuratores ac proficiscentes et nostris ac fratrum ipsorum obsequiis immorantes, de redditibus ecclesiasticis, valentiam centum marcarum argenti percipiunt annuatim earundem centum marcarum vicesimam, si vero ultra tertiam totius residui et nichilominus ipsarum centum marcarum vicesimam usque ad triennium subventioni ejusdem imperii, cum felicis recordationis Innocentius, papa IIII, predecessor noster, alias hujusmodi medietatem, terciam, et vicesimam promissorum omnium subventioni ejusdem imperii reputavrerit et colligi fecerit, auctoritate apostolica deputavimus in subventionem hujusmodi totaliter convertendas, collectionem medietatis, tercie ac vicesime predictorum in regno Francie tibi per alias sub certa forma litteras committentes. Verum, ne aliqui fraudem in hoc facere quoquomodo presumant, volumus et presentium tibi auctoritate districte precipiendo mandamus, quatenus in omnes qui scienter in hoc fraudem fecerint, adeundo scolas, aut peregrinationis assumendo iter, seu suorum subeundo servitia prelatorum, vel recipiendo officium procuratoris hujusmodi aut quicquam aliud in fraudem negotii hujusmodi faciendo, generalem excommunicationis sententiam non differas promulgare, faciens hujusmodi sententiam tamdiu sollempniter publicari, donec hujusmodi fraudulenti per competentem satisfactionem saluti sue duxerint consulendum et per te, cui absolvendi tales liberam concedimus auctoritate presentium facultatem, absolutionis meruerint beneficium obtinere. Datum Viterbii, v idus junii, anno primo. »

135 Viterbe, 17 juin 1262.

De eadem collectione. (Reg. 26, fol. 36, nº 133.)

« *Eidem.* Necessitatibus Constantinopolitani imperii etc. ut in proxima superiori usque committentes. Ideoque fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatenus, si negotium subventionis dicti imperii, quod dudum per alias nostras tibi commisimus litteras apud carissimum in Christo filium nostrum Ludovicum, illustrem regem, ac prelatos regni Francie promovendum, liberum processum et progressum habeat expeditum, tu ad colligendum medietatem, terciam et vicesimam hujusmodi proventuum procedas efficaciter juxta traditam in predictis nostris quas super hoc prudentie tue transmittimus litteris tibi formam. Si vero predictum subventionis negotium non processerit, sed eidem supersederis donec nostrum habeas super illo responsum, ad colligendum predictam medietatem, terciam et vicesimam aliquatenus non procedas, sed similiter collectioni hujusmodi sicut et predicto negotio supersedere procures, cum in utroque negotio unam eandemque formam velimus per te penitus observari. Datum Viterbii, xv kalendas julii, anno primo. »

136 Viterbe, 20 juin 1262.

Balduino, imperatori Constantinopolitano, concedit potestatem promittendi et dandi cum consilio archiepiscopi Rothomagensis et Agennensis episcopi quasdam pecuniarum summas principibus, ducibus et aliis regni Franciae volentibus imperio Constantinopolitano succurrere. (Reg. 26, fol. 36 vº, nº 134; Potthast 18361.)

«.. *imperatori Constantinopolitano.* Cum nos necessitatibus —. Datum Viterbii, xii kalendas julii, anno primo. »

137 Viterbe, 20 juin 1262.

Episcopo Agennensi mandat quatenus illas pecuniarum summas quas imperator Constantinopolitanus de ipsius episcopi Agennensis et archiepiscopi Rothomagensi consilio principibus, ducibus, comitibus et baronibus pro dicti imperii subventione promiserit, exhibere ipsis procuret. (Reg. 26, fol. 36 vº, nº 135.)

«.. *episcopo Agennensi.* Cum nos necessitatibus —. Datum Viterbii, xii kalendas julii, anno primo. »

138 Viterbe, 28 mai 1262.

Decano et capitulo ecclesiae Laudunensis, quam suam fuisse matrem memorat, indulget ut in omnes qui ejusdem ecclesiae bona invaserint vel occupaverint, possint libere censuram ecclesiasticam proferre. (Reg. 26, fol. 37, nº 136; Potthast 18337.)

«.. *decano et capitulo ecclesie Laudunensis.* Laudabile reputantes non —. Datum Viterbii, v kalendas junii, anno primo. »

INCIPIT REGESTRUM ANNI II

DOMINI URBANI PAPE QUARTI.

139 Montefiascone, 17 septembre 1262.

Abb atbu ;s. Joannis et de Varennis monasteriorum mandat quatenus Gerardum, olim abbatem monasterii Fontis Johannis, Cisterciensis ordinis, Senonensis diocesis, cogant ut ad monasterium suum redeat, alioquin in eum sententiam excommunicationis, jam a Cisterciensi abbate prolatam, publicent. (Reg. 26, fol. 48, anni II, n° 1.)

« .. *sancti Joannis Senonensis et .. de Varennis, Bituricensis diocesium, monasteriorum abbatibus.* Sua nobis dilecti filii.. abbas et conventus monasterii Fontis Joannis, Cisterciensis ordinis, Senonensis diocesis, petitione monstrarunt, quod cum Gerardus, quondam abbas ipsius monasterii, tempore quo tenebat ejusdem monasterii abbatiam, pro debitis quorundam nobilium diversis mercatoribus prefatum monasterium, sine sui conventus consilio et assensu, in viginti et octo milibus librarum Turonensium et amplius obligasset, receptis promissionibus et instrumentis obligatoriis, ab eisdem nobilibus, quod super hoc illesum ac indempne ipsum monasterium conservarent, ac postmodum prefatum G. visitator ipsius super hoc arguens ut coram se ac monasterii predicti conventu, de hiis rationem reddere postulasset, idem G. videns sibi depositionis imminere jacturam, et exinde reputans se confusum, deposito ejusdem ordinis habitu, effectus apostata, sue fame prodigus et salutis, a monasterio ipso discessit, secum furtive deferens quedam bona ejusdem monasterii et instrumenta predicta, per que illesum poterat dictum monasterium conservari. Quare dilectus filius.. abbas Cisterciensis et generale capitulum dicti ordinis in eum propter hoc excommunicationis sententiam, exigente justitia, promulgarunt. Verum quia dictus G. inflictum sibi excommunicationis medicinale vulnus, stupidus per contemptum effectus, non sentit ut status sui miseriam per penitentiam recognoscat, sed in ea indurato animo tamquam in profundum malorum venerit, perseverat, iidem abbas et conventus sepedicti monasterii apostolicum super hoc remedium implorarunt. Ut igitur dictus G., duplicata super eum contrictione, suum forsan penitudine recognoscat reatum, petat humiliter veniam et misericordiam consequatur, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatenus ipsum, si ejus de facili poteritis habere presentiam, presentialiter, alioquin, cum dicatur receptari ab aliquibus et foveri apud quos interdum latitat, vos vel alter vestrum per vos vel per alios in locis ubi expedire videritis, publice moneatis, ut infra competentem terminum a vobis prefigendum eidem, restitutis dictis bonis et instrumentis sic ablatis ad, prefatum monasterium revertatur. Si vero infra terminum hujusmodi vestris non paruerit monitis in hac parte, vos, nisi infra alium terminum competentem quem sibi peremptorie prefigatis, ad idem monasterium redierit, ac eidem monasterio bona et instrumenta restituerit supradicta, extunc in eum et receptatores, et fautores super hoc suos, si moniti a receptatione hujusmodi de cetero et ab exhibitione favoris non destiterint, excommunicationis coram populo sententiam promulgetis, quam usque ad satisfactionem condignam, appellatione postposita, faciatis, candelis accensis et pulsatis campanis, ubi et quando expedire videritis, sollempniter publicari. Contradictores etc. — invocato ad hoc, si necesse fuerit, auxilio brachii secularis. Non obstante —. Datum apud Montemflasconem, xv kalendas octobris, anno II. »

140 Montefiascone, 13 septembre 1262.

Jacobo, nato quondam Guitti de Bisentio, Urbevetanae diocesis, praecipit ut a contractu in tenimentis Quintemiani seu Montisbelli quoddam castrum construendi cum Tuscanensibus facto, utpote juribus ecclesiae contrario, resiliat. (Reg. 26, fol. 48, anni II, n° 2; Potthast 18400.)

« *Jacobo, nato quondam Guitti de Bisentio, Urbevetane diocesis.* Juxta commissi nobis —. Datum apud Montemflasconem, idus septembris, anno II. »

141 Montefiascone, 13 septembre 1263.

Magistro et fratribus domus Militiae Templi Jerosolymitani indulget ne quis, exceptis patriarcha Jerosolymitano et legatis apostolicae sedis, sibi appropriare praesumat quae ipsis offerri continget, dum in ipsorum capellis officia celebrabuntur. (Reg. 26, fol. 48 v°; anni II, n° 3.)

« .. *magistro et fratribus domus Militie Templi Jerosolimitani.* Fervens in caritate —. Hinc est quod nos vestris supplicationibus inclinati, ut quotiens aliquos archiepiscopos vel episcopos seu quoscumque alios ecclesiarum prelatos, patriarcha Jerosolimitano et apostolice sedis legatis cardinalibus dumtaxat exceptis, in ecclesiis et capellis domorum vestrarum in Jerosolimitana provincia constitutis, exemptis vel pleno nobis jure subjectis, divina officia celebrare contigerit, omnia que dum eadem celebrabuntur officia, pia devotione fidelium in ecclesiis et capellis ipsis offerentur, percipere ac habere integre valeatis, auctoritate vobis presentium indulgemus, districtius inhibentes ne quis, exceptis patriarcha et legatis predictis, ea que sic oblata fuerint, asportare vel sibi quomodolibet appropriare presumat. Nulli ergo nostre concessionis et inhibitionis etc. — Datum apud Montemflasconem, idus septembris, anno II. »

142 Montefiascone, 12 septembre 1262.

Magistro Roberto, dicto Malet, canonicatum in Bajocensi ecclesia confert. (Reg. 26, fol. 48 v°; ann. II, n° 4.)

« *Magistro Roberto, dicto Malet, rectori ecclesie sancti Juliani de Rola, Rothomagensis diocesis.* Adjutos morum et —. Hinc est quod nos attendentes quod tibi de nobilibus orto natalibus, morum honestas, litterarum scientia et conversatio laudabilis suffragantur et per hoc et obtentu dilecti filii magistri Remigii, phisici et capellani nostri, per te apostolicam gratiam implorantis, volentes te prosequi prerogativa favoris et gratie specialis, canonicatum ecclesie Bajocensis cum plenitudine juris canonici tibi conferimus et de ipso tibi de speciali gratia providemus, non obstante certo ipsius ecclesie canonicorum numero, juramento, confirmatione sedis apostolice sive quacumque firmitate vallato, aut si direximus in eadem ecclesia pro aliis scripta nostra quibus nolumus auctoritate presentium prejudicium generari. Nulli ergo nostre collationis et provisionis etc —. Datum apud Montemflasconem, II idus septembris, anno II. »

143 Montefiascone, 12 septembre 1262.

Magistro Guidoni de Merula, archidiacono Constantiensi, et magistro Radulpho de Theuvilla, thesaurario Lexoviensi, mandat ut magistrum Robertum, dictum Malet, in canonicum in ecclesia Bajocensi recipi faciant. (Reg. 26, fol. 48 v°; anni II, n° 5.)

« *Guidoni de Merula, archidiacono Constantiensi, et magistro Radulpho de Theuvilla, thesaurario Lexoviensi.* Adjutos morum etc. Hinc est quod nos atttendentes quod dilecto filio magistro Roberto, dicto Malet, rectori ecclesie sancti Juliani de Rola, Rothomagensis diocesis, de nobilibus etc. ut supra, usque juris canonici, dicto magistro Roberto contulimus et ei providimus de eodem. Quocirca mandamus quatenus vos vel alter vestrum, per vos vel alium aut alios, predictum magistrum Robertum vel procuratorem suum, ejus nomine, in prefata ecclesia recipi facientes in canonicum et in fratrem, ei de prebenda, quamprimum ad id obtulerit se facultas, providere curetis, non obstante certo ipsius ecclesie canonicorum numero, juramento, confirmatione sedis apostolice seu quacumque firmitate vallato, aut si direximus in eadem ecclesia pro aliis scripta nostra, quibus nolumus auctoritate presentium prejudicium generari, seu quod Bajocensis sedes vacat ad presentis, aut si dilectis filiis.. decano et capitulo Bajocensi a sede sit indultum eadem quod ad receptionem vel provisionem alicujus minime teneantur et ad id compelli quodque interdici, suspendi vel excomunicari non possint per litteras apostolicas que de indulto hujusmodi plenam et expressam non fecerint mentionem, sive qualibet indulgentia dicte sedis de qua cujusque toto tenore de verbo ad verbum oporteat in nostris litteris plenam et expressam mentionem fieri, et per quam effectus hujusmodi gratie impediri valeat vel differri. Contradictores, usque compescendo Nolumus autem quod prebendam quam dilectus filius, magister Oddo de Loriaco, ejusdem ecclesie canonicus, ibidem obtinet, si eam vacare conti-

gerit, Roberto conferatis eidem. Nos enim decernimus irritum et inane si secus de ipsa vel alia prebenda ipsi Roberto conferenda apostolica vel quavis auctoritate contigerit attemptari. Datum apud Montemflasconem, II idus septembris, anno II. »

144 Montefiascone, 6 octobre 1262.

Senensibus mandat quatenus Petrum Scotti ejusque socios, mercatores Senenses, cogant ut plenarie papae et ecclesiae Romanae satisfaciant. (Reg. 26, fol. 49; anni II, nº 6.)

«.. *potestati.. capitaneo, anzianis, consilio et communi Senensibus spiritum consilii sanioris.* Mater vestra que vos baptismi regeneratione parturivit in filios, per indevotionis invia dampnabiliter et periculose nimis vos oberrare conspiciens, apertis circa vos compassionis materne visceribus, frequenter ad vos litteris clamavit et monitis, ut ad viam salutis et rectitudinis redeuntes, relicto ejus persecutore, converteremini, ad dulces ipsius matris amplexus in illius gremio, a quo vos fecistis, vestris culpis exigentibus, alienos, cum aliis Christifidelibus confovendi. Et licet vos ejus obaudientes monita, usi fueritis hactenus circa ipsam et utamini duritia privignorum, nos tamen, qui licet immeriti ejusdem ecclesie regimini presidemus, nolentes propter hoc a tam pii propositi prosecutione desistere, postquam summi sacerdotii cathedram divina dispositione conscendimus, excogitare cepimus vias et modos quibus possemus vos ad sinum ejusdem matris ecclesie salubriter revocare, ac demum quia visum est nobis quod plenius apud nos et commune vestre civitatis possemus in hac parte proficere, si questiones et causas quas Romana ecclesia contra singulares personas civitatis ejusdem, super quibusdam pecunie summis habebat, sedare ac sopire prius judicio vel concordia curaremus, Petrum Scotti ejusque socios et quosdam alios concives vestros, quos certam pecunie quantitatem eidem ecclesie mutuasse, ac in regno Anglie et alibi etiam magnas pro eadem ecclesia pecuniarum summas ultra eorum mutuum recepisse comperimus, ad nostram fecimus presentiam evocari, ut cum dilecto filio Petro, decano Senonensi, camerario nostro, super datis et receptis hinc inde pecuniis diligentem ponerent rationem, et si dicta ecclesia eis in aliquo teneretur, illud protinus de camera nostra reciperent et nobis solverent quicquid eos nobis et ipsi ecclesie debere constaret. Eisdem igitur Petro Scotti ejusque sociis et aliis quampluribus vestris concivibus propter hoc apud sedem apostolicam constitutis, nobisque sperantibus ipsos debere nobiscum super hiis in ommi veritate ac puritate procedere, tandem compositione cum nobili viro Petro Tholomei milite, qui cum eodem camerario tota mentis sinceritate processit, facta de plano, tam super pecunia quam communiter cum eisdem Petro Scotti et sociis, quam etiam super certa summa, quam idem singulariter per se ipsum eidem ecclesie mutuarat, dicti Petrus Scotti et socii a via veritatis et rectitudinis recedentes, et per dispendiosas et longas incedentes ambages, se ad subterfugia et mendacia converterunt, ad circumveniendum nos et dictam ecclesiam cunctis studiis laborantes, et cum, facta ratione cum eodem camerario, appareret quod ipsi tenebantur eidem ecclesie in magna pecunie quantitate, quam receperant ultra sortem, nosque vellemus quatuor millia librarum Turonensium de apostolica eis benignitate remittere ad hoc ut nobis de residuo dicte pecunie satisfactionem debitam exhiberent, ipsi cupiditatis et avaritie stimulis concitati, precise nobis et improbe responderunt, quod satisfacere nobis et dicte ecclesie in aliquo de hiis que ultra sortem receperant, nullatenus intendebant. Et, ut injurias injuriis, et violentias violentiis cumularent, quasdam litteras apostolicas per quas felicis recordationis Alexander papa, predecessor noster, quedam subsidia pecuniaria pro ecclesia eadem a quibusdam monasteriis aliisque locis religiosis ipsius regni Anglie colligi mandaverat et eisdem Petro Scotti et sociis assignari, licet idem predecessor noluerit postmodum per eas quoquo modo procecedi (*sic*) et quas etiam penes se iidem Petrus Scotti et socii habere noscuntur, nobis illas ab eis cum instantia requirentibus restituere penitus recusarunt, nec aliquorum mediatorum apud eos proposuere monita nec communium amicorum consilia duram eorum in hac parte potuerunt pertinaciam emollire. Quamquam de ambaxatoribus, quos ad nos cum eis providentia vestra transmisit, non immerito dicere valeamus, quod non mediatorum immo verius advocatorum pro eis apud nos officium assumpserunt, nos igitur evidentius agnoscentes, quod nequaquam apud eos blandis persuasionibus proficere poteramus, ut dampnabilem eorum proterviam sibi fore cognoscerent non solum inutilem sed dampnosam, a proposito remittendi eis hujusmodi quatuor milia librarum Turonensium non indigne destitimus, intendentes omnino totum illud in quo ipsos nobis et dicte ecclesie teneri compertum est, exigere et recipere integraliter ab eisdem. Cum itaque iidem Petrus Scotti et socii a memorata sede recesserint, nolentes et recusantes satisfacere nobis ac predictas apostolicas reddere litteras, prout superius est expressum, nos premissa omnia ideo ad vestram notitiam presentium tenore deducenda fore providimus, ut vos cause nostre

justitiam et violentam injuriam et injuriosam violentiam quam dicti Petrus et socii nobis et prefate ecclesie inferre conantur, plenius et liquidius advertentes, ipsos ut nobis totum id, quod debent eidem ecclesie, cum integritate persolvant et predictas restituant litteras, potestate vobis tradita compellatis; quoniam, etsi adversario ejusdem ecclesie duxeritis adherendum, non tamen propter hoc credimus, quod pati quoquomodo velitis, ut bona ipsius ecclesie detineantur a quibuscumque vestris concivibus violenter. Ideoque universitatem vestram monendam, rogandam attente duximus et hortandam per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus predictis omnibus provida meditatione pensatis, habeatis nostram super hiis innocentiam excusatam, et vel predictos Petrum Scotti et socios, ut de toto eo in quo nobis ipsos apparuit posita ratione teneri, et de quo nichil prorsus eis remittere, seu dimittere volumus, plenarie nobis et dicte ecclesie satisfaciant, ac predictas restituant litteras coartare curetis, vel non moleste nec indignanter feratis, si nos vias inveniamus et modos quibus jus suum predicta ecclesia non amittat. Datum apud Montemflasconem, II nonas octobris, anno II. »

145 Montefiascone, 5 septembre 1262.

Decano ecclesiae Montisfalconis mandat quatenus decernat quis primam, quis secundam et quis deinde praebendam in ecclesia b. Mariae Magdalenae Virdunensis assequi debeat. (Reg. 26, fol. 49 v°; anni II, n° 7.)

« .. *decano ecclesie Montisfalconis, Remensis diocesis.* Petitio dilectorum filiorum .. decani et capituli ecclesie beate Marie Magdalene Virdunensis nobis exhibita continebat, quod quidam per monitorias, aliqui per preceptorias, nonnulli per executorias litteras sedis apostolice, aliqui etiam motu proprio dictorum decani et capituli diversis temporibus in eadem ecclesia, nullis ibidem prebendis vacantibus, in fratres et canonicos sunt recepti; quorum aliqui ut una eademque prebenda conferatur eisdem, diversa mandata predictis decano et capitulo a diversis eorum executoribus dirigi faciunt et interdum, quia in diversitate hujusmodi satisfacere nequeunt, interdicti seu suspensionis vel excommunicationis in ipsos sententias promulgari. Quare fuit ex parte dictorum decani et capituli nobis humiliter supplicatum, ut super hoc providere paterna sollicitudine curaremus. Quocirca mandamus, quatenus, vocatis qui fuerint evocandi, faciens tibi omnes litteras directas super provisione receptorum hujusmodi exhiberi, detentores eorum ad id, si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compellendo, prehabita diligenti et legitima discussione, decernas quis eorum primam, quis secundam et quis deinde prebendam in prefata ecclesia de jure debeat obtinere. Ita tamen quod prefatas sententias in eosdem decanum et capitulum taliter promulgatas, auctoritate nostra per te vel per alium juxta formam ecclesie primitus relaxare procures, dispensando cum eis super irregularitate si quam ipsi celebrando divina officia seu immiscendo se illis exinde forsitan contraxerunt, injuncto eis sub debito prestiti juramenti quod receptis ipsis prebendam juxta decretum quod super hoc facies, assignare procurent. Nos enim sententias hujusmodi si quas in ipsos, prefatis receptis, prebendas, ut premissum est, assignare paratos communiter vel divisim per eosdem executores occasione hujusmodi de cetero promulgari contigerit, decernimus non tenere. Datum apud Montemflasconem, nonis septembris, anno II. »

146 Orvieto, 25 octobre 1262.

Magistro Alberto, notario suo, quaedam super negotio regni Siciliae committit. (Reg. 26, fol. 49 v°; anni II, n° 8.)[1]

« *Magistro Alberto notario nostro.* Scripsisti nobis totum processum tuum habitum super negotio regni Sicilie cum carissimo in Christo filio nostro Ludovico, illustri rege Francorum, necnon et responsionem, quam dictus rex tibi duxit super eodem negotio faciendam, et in tuis litteris adjecisti qualiter te in itinere constitutum eundi ad dilectum filium nostrum, nobilem virum, Carolum, Andegavie ac Provincie comitem, pro habendo cum eo super negotio predicto tractatum, idem rex ad suam presentiam per regias litteras revocavit, tibique secrete dixit, quod, cum ipse post responsionem quam tibi super ipso negotio fecerat, quasdam a nobis per nobilem virum Johannem de Valencensem dominum Cayphe, litteras recepisset, nequaquam ei videbatur expediens ut in negotio ipso cum aliquo alio deberes procedere nisi primo a nobis quos super quibusdam que nostre littere continebant, per proprium nuntium volebat consulere, responsio proveniret; verumtamen noluit tibi que in hujusmodi nostris litteris continebantur, revelare. Subjunxisti insuper, quod tu ex hiis que idem rex tibi de novo dixerat, vehementer admirans et quid sibi vellent verba talia frequenti meditatione revolvens, coram

1. *Super negotio regni Sicilie Item de eodem habetur infra capitulo CXXXII. Item capitulo CXXXIII. Item capitulo XXXXV. Item capitulo CLIX. Item capitulo CLIX. Item capitulo CLXI.* [Ces mots se trouvent en marge du registre].

eodem rege proponere curavisti, quod predicti retardatio negotii multum poterat esse dampnosa, quodque durum tibi non immerito videbatur super ipso negotio, quod nos sic ex animo tue commiseramus industrie, nullo in contrarium a nobis recepto mandato, cum alio non tractare; propter quod dicitur rex tibi respondisse quod placebat eidem ut versus Provinciam dirigeres gressus tuos, cum eodem comite super predicto negotio tractaturus, ita tamen quod nichil ad effectum produceres nisi primo tibi nostre super hoc voluntatis beneplacitum mandaremus. Nos igitur receptis tuis litteris et perlectis, quia nondum ad nos quicquam de premissis ab eodem rege pervenerat, nos sperantes aliquod ejusdem regis propter hoc in brevi recipere nuntios, hujusmodi nuntiorum adventum, priusquam ad te nostrum emanaret in hac parte responsum, fore decreverimus aliquandiu exspectandum. Sed quia nullos ad hoc nuntios, nullasque super hoc litteras a predicto rege recepimus, nos nolentes quod animus tuus remaneret diutius in suspenso, latorem presentium ad te duximus remittendum, mandantes quatenus de processu tuo si quem super ipso negotio cum eodem comite postmodum habuisti, necnon et de ipsius qualitate processus, et de eo etiam quod inveneris in ipso et ab ipso comite, reddas nos tuis litteris certiores. Si vero nullum adhuc habuisti cum comite predicto tractatum volumus quod discrete, sapienter et caute tractes cum eo super negotio prelibato; veruntamen ad firmandum quicquam cum ipso quomodolibet non procedas, cum, sicut nosti, nullam firmandi aliquid super ipso negotio a nobis habeas potestatem, sed rescribas nobis omnia seriatim. Nos enim si nuntios, vel litteras aliquas a prefato rege super premissis recipere nos forte contigerit, prudentie tue super hiis que idem rex miserit, si respondendum tibi fore viderimus, curabimus respondere. Datum apud Urbemveterem, VIII kalendas novembris, anno II. »

147 Orvieto, 21 octobre 1262.

Ludovico, regi Franciae, qui petiverat ut concederet Henrico Ebredunensi, et Guidoni, Narbonensi archiepiscopis, ut in Gallia pro sopienda discordia inter reginam Franciae uxorem et Carolum, Andegaviae et Provinciae comitem, fratrem suos, exorta, agerent, comiter respondet se istos, Narbonensem videlicet ad Sabinensis et Ebredunensem ad Ostiensis ecclesiarum regimen duxisse evocandos, atque sperare per tantos viros meliora non solum Romanae sed etiam universali ecclesiae commoda esse proventura. (Reg. 26, fol. 50, anni II, n° 9 ; POTTHAST 18415.)

«.. *regi Francie illustri*. Scripsisti pridem nobis —. Datum apud Urbemveterem, XII kalendas novembris, anno II. »

148 Orvieto, 21 octobre 1262.

Decano ecclesiae s. Germani Autissiodorensis Parisiensis indulget ut capitulum suae ecclesiae per trinum sonum campanae convocare valeat. (REG. 26, fol. 51, anni II, n° 10.)

«.. *decano ecclesie sancti Germani Autisiodorensis Parisiensis*. Quoniam, cum de utilitate ecclesie tue tractari debet et propter hoc ejus capitulum convocari, nonnulli ex ipsius canonicis qui in civitate Parisiensi moram contrahunt, volentes hujusmodi retardare vel penitus evacuare tractatus, interdum, ut dicitur, malitiose latitant ne valeant inveniri, nos super hoc oportunum volentes remedium adhibere tuis, cum ad te spectet, ut asseris, hujusmodi convocare capitulum, precibus inclinati, tibi auctoritate presentium indulgemus, ut, cum in eadem ecclesia debuerit decetero celebrari capitulum, ipsius canonicos existentes in civitate predicta, tu et successores tui qui pro tempore fuerint, non per nuntios speciales, sed dumtaxat per trinum sonum campane ad ipsum teneamini capitulum evocare. Nulli ergo nostre concessionis etc. —. Datum apud Urbemveterem, XII kalendas novembris, anno II. »

149 Orvieto, 23 octobre 1262.

Decano ecclesiae s. Germani Autissiodorensis Parisiensis inhibet ne custodiam sigilli capitularis alicui ex ipsius ecclesiae (canonicis committat, qui personaliter non resederit in eadem. REG. 26, fol. 51, anni II, n° 11.)

«.. *decano et capitulo ecclesie sancti Germani Autisiodorensis Parisiensis*. Quoniam propter absentiam canonici cui, juxta morem ecclesie vestre, custodia unius clavis communis sigilli vestri committitur, te, fili decane, custodiente aliam, interdum vobis ejusdem sigilli copia, prout intelleximus, non sine vestro tedio, et ipsius ecclesie dispendio denegatur, nos super hoc oportunum volentes remedium adhibere, tuis, fili decane, precibus inclinati, auctoritate presentium districtius inhibemus, ne custodiam dicti sigilli alicui ex ipsius ecclesie canonicis committatis, qui personaliter non resederit in eadem. Nulli ergo nostre inhibitionis etc. —. Datum apud Urbemveterem, X kalendas nsvembris. anno II. »

150 Orvieto, 25 octobre 1262.

De constructione agitur hospitalis quod P., s. Georgii ad Velum aureum diaconus cardinalis, in testamento de bonis suis Romae construi mandavi'. (Reg. 26, fol. 51, anni II, n° 12.)

« *Rectoribus Romane fraternitatis,.. priori Predicatorum seu ejus vicegerenti,.. guardiano Minorum et... priori Heremitarum fratrum de Urbe.* Significarunt nobis venerabilis frater O., Tusculanus episcopus, ac dilecti filii nostri (*sic*) J., sancti Nicolai in Carcere Tulliano diaconus cardinalis, quod bone memorie P., sancti Georgii ad Velum aureum diaconus cardinalis, eos sui testamenti executores constituens, nonnulla de bonis suis quampluribus ecclesiis et familie sue in ultima voluntate legavit, ordinans quod de omnibus aliis bonis suis mobilibus seseque moventibus, detractis ex eisdem omnibus debitis et ceteris ad quorum satisfactionem de jure quomodolibet teneretur, necnon et satisfacto de ipsis bonis mobilibus illis quibus mobilia bona legaverat, in certo loco Urbis fieret hospitale, ac de predictis bonis mobilibus dotaretur. Unde ipsi executores attendentes quod pietati prestatur obsequium, cum voluntas ultima defunctorum impletur, dictum ceperunt exequi testamentum. Cum autem in camera dicti testatoris nullam pecuniam invenissent, circa mercatores penes quos pecunia dicti defuncti remanserat, exigendo hujusmodi pecuniam ab eis, non modicum laborarunt, de qua satisfecerunt, postquam habuerunt eandem, legatariis memoratis et nonnullis aliis qui ostendere potuerunt per legitima documenta testatorem eundem sibi fuisse in aliquo debitorem. Demum vero procedentes ad executionem residui testamenti predicti per dilectos filios magistros P., dictum Boniornum, cancellarium Turonensem, et Bernardum, Ambianensem canonicum, viros utique fideles, industrios et discretos, capellanos eorum, illa que de bonis ipsius testatoris tempore sui obitus in Urbe ad manus eorum non absque multe diligentie studio pervenerunt, et alia que habebantur Anagnie, diligenter vendi fecerunt, exceptis paucis ex rationabili causa retentis, que vendita non fuere, ac post varios processus per apostolicam sedem ad eorum instantiam diversis temporibus habitos contra illos qui nonnulla de bonis prelibati defuncti nequiter occuparant, aliqua recuperaverunt, quorum quedam jam sunt vendita per capellanos eosdem, quedam vero adhuc vendenda supersunt. Ipsi quoque in exigendo pecuniam a debitoribus dicti testatoris et a mercatoribus nominatis, que remanserat penes eos, et in recipiendo quampluries rationem sive computum ab eisdem, et cum eorum aliquibus et quampluribus aliis dictum defunctum sibi debitorem esse asserentibus, litigando, non modicos pertulere labores, facientes olim, priusquam felicis recordationis Alexander papa, predecessor noster, ultima vice ad dictam pervenisset urbem, pecuniam ipsam, quam de predictis bonis venditis per capellanos jamdictos, et aliam quam habere ab eisdem mercatoribus et debitoribus potuerunt, eorum consignatam sigillis in quodam scrinio, cujus claves penes se retinent, in ede sacra deponi, ut de ipsa, eisdem in Urbe presentibus, prefatum posset hospitale construi et dotari. Verum, licet iidem executores postmodum in eadem morantes urbe, tam per se quam per alios diligentem circa id sollicitudinem adhibere curaverint, tamen propter seditionem que tunc supervenit ibidem, quod intendebant super hoc efficere nequiverunt, presertim quia, cum ipsi executores circa idem negotium volentes uti ministerio fratrum hospitalis sancti Antonii Viennensis, per quos idem testator hospitali predicto statuit deserviri,.. magistrum hospitalis ejusdem, ut aliquos ex fratribus suis ad eorum presentiam destinaret, pluries duxerint requirendum, ipse eos destinare neglexit. Ceterum, cum ipsi pro expediendo ipsius executionis negotio suum ad Urbem reditum expectarint, tandem attendentes quod hujusmodi reditus in brevi de facili provenire non potest, et quod eidem negotio posset multipliciter deperire, si differretur ejus executio donec contigerit eorum inibi presentiam interesse, necnon pensantes quod, si etiam presentes essent ibidem, eidem negotio libere, sicut opportunum foret, per se vacare non possent, maxime cum assidue circa diversa et ardua sedis apostolice negotia necessario distrahantur, nobis cum instantia supplicarunt ut tam eis quam dicto negotio providere salubriter curaremus, quod in eodem restat agendum negotio, personis idoneis committendo, quibus eorum consilium et auxilium in hiis que ad expeditionem ipsius viderint oportuna, subtrahere non intendunt. Nos itaque nolentes ut amplius ipsius negotii executio differatur, dictorum executorum supplicationibus inclinati, de eorum consilio sic duximus providendum, ut quatuor personis fidedignis in Urbe commorantibus supradicta per vos idem negotium committatur, ita quod tres ex ipsis in eo procedere minime valeant sine quarta. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta in virtute obtedientie districte precipiendo mandamus quatenus vos, filii rectores, de discretorum clericorum unum clericum, vosque, filii priores et guardiane, singuli vestrum videlicet de conventuum vestrorum consilio singulos fratres vestrorum ordinum, viros fideles, ydoneos, industrios et circumspectos dicto negotio deputandos, infra octo dies

a receptione presentium assumere procuretis. Sic autem assumptis statim auctoritate nostra sub obedientie debito districtius injungatis, quod ipsi infra totidem alios dies immediate sequentes, nostro se conspectui presentent, super premissis commissionem a nobis sub forma quam eis duxerimus prescribendam, et a predictis executoribus tam pecuniam memoratam, quam deponi fecerunt, quam alia que remanserunt penes eosdem, ut superius est expressum, necnon et instructionem ab eis et dictis capellanis eorum super rationibus et computis jam habitis cum mercatoribus prelibatis ac aliis que in eodem negotio sunt peracta, ut ex ipsis scire valeant ea que recipienda et agenda supersunt presentialiter recepturi, quibus pro expensis, quas in veniendo ad nos duxerint faciendas, de bonis testatoris ejusdem satisfieri faciemus. Omnino namque nostre et dictorum executorum intentionis existit ut ulterius ad constructionem hospitalis predicti absque dilatione qualibet procedatur. Volumus insuper et mandamus quod, si quem ex illis quatuor personis, quas ut dictum est, duxeritis assumendas, in prosecutione dicti negotii decedere vel taliter impediri forte contigerit quod hujusmodi negotio vacare non posset, ei decedenti vel taliter impedite alia eque ydonea et fidelis secundum formam premissam auctoritate presentium subrogetur. Datum apud Urbemveterem, VIII kalendas novembris, anno II°. »

151 Orvieto, 11 novembre 1262.

Universis suis et ecclesiae Romanae ceterisque Christi fidelibus notum facit se in die Coenae Domini proxime praeterito, Manfredum, quondam principem Tarentinum, super certis articulis citavisse ut in kalendis augusti coram papa compareret, illum autem, appropinquante termino, judicem Aitardum de Venusio et Johannem de Brundusio notarium, familiares suos, ad sedem apostolicam destinasse, ut, cum vellet personaliter apostolico se conspectui praesentare, ipsi securitas plenaria veniendi ad papam tute per terram et districtum ecclesiae largiretur. Addit se illi dedisse licentiam postulatam et inhibet ne quis illum, ad papam accedentem, in persona vel rebus offendere vel turbare praesumat. (Reg. 26, fol. 52, anni II, n° 13; Potthast 18428.)

« *Universis nostris et ecclesie Romane ceterisque Christi fidelibus.* Olim in die Cene Domini proximo preterito, quo videlicet die, annis singulis, apud sedem apostolicam de universis mundi partibus innumerabilis fidelium convenit multitudo, Manfredum, quondam principem Tarentinum, super certis articulis, presente ipsa multitudine, manifeste citavimus, ut in kalendis augusti proximo preteritis coram nobis per se vel per sollempnes procuratores cum sufficienti mandato comparere curaret, facturus et recepturus super illis quod justitia suaderet, videlicet super distructione civitatis Arianensis, quam per Saracenos fecit funditus dissipari, et super interfectione turpissima Thomasii de Oria et Thomasii de Salice, ac super crudeli et proditiosa occisione Petri de Calabria, comitis Catanzani et horrenda effusione sanguinis multorum fidelium; nec non super eo, quod in derogationem auctoritatis ecclesiastice vel censure, que fulcimentum est catholice fidei atque robur, et in ipsius debilitationem ac detractionem fidei, pluribus jam annis sibi fecit, et facit adhuc publice celebrari, vel, quantum in eo est, potius prophanari divina, quod non caret scrupulo heretice pravitatis. Et citatus propter hoc a felicis recordationis Alexandro papa, predecessore nostro, quia in prefixo ei termino nec post etiam comparere curavit, fuit per predecessorem eundem excommunicationis vinculo hac de causa specialiter innodatus; super eo etiam, quod ipse Saracenorum ritus amplectens, illosque in suis quotidianis obsequiis notabiliter secum tenens et preferens christianis in opprobrium fidei orthodoxe, regnum ipsum Sicilie ad servilem et ignominiosum statum redegit, ejus incolis et habitatoribus propter acerbas et intolerabiles exactiones vix valentibus respirare, ac super dira nece proximis sibi sanguine illata per ipsum; super eo insuper quod Conradum Bussarii, nuntium et vassallum Conradi pueri, nati quondam Conradi, filii quondam Fr., olim Romanorum imperatoris, fecit proditionaliter trucidari, et super enormibus, et fœdis ejus excessibus, de quibus manifesta infamia denotatur, et pluribus aliis que in hujusmodi nostre citationis forma plenius continentur. Sed idem Manfredus, quosdam suos nuntios tunc ad presentiam nostram misit, qui aliqua pro eo in nostro consistorio proponentes, nisi sunt eundem multipliciter excusare. Nos autem, auditis et intellectis que iidem proposuere nuntii, duximus fore in negotio et per viam insiquisitionis in iis, in quibus oportunum foret, et alias etiam procedendum, prout videremus secundum justitiam expedire. Verumtamen, quia quidam ex fratribus nostris absentes erant et plures ex hiis, qui tunc aderant, non erant moram continuaturi nobiscum, hujusmodi nostrum processum usque ad octavas festivitatis beati Martini, proximo future, duximus suspendendum, predicentes quod ex tunc in prefato negotio, prout suaderet justitia, procedere curaremus. Eodem igitur appropinquante termino, idem Manfredus judicem Aitardum de Venusio et Johannem de Brundusio, notarium, familiares suos, ad sedem apostolicam destinavit, qui a nobis et predictis fratribus cum ins-

tantia petierunt, ut, cum idem Manfredus tam arduum tamque grave ac grande negotium aliquibus committere nuntiis seu procuratoribus non intendat, sed velit pro illo personaliter nostro se conspectui presentare, securitatem ei plenariam et licentiam veniendi ad nos tute per terram et districtum ecclesie largiremur. Nos autem volentes super iis, presertim cum fidei negotium agatur, specialiter in hac parte cum ea maturiate ac gravitate procedere, ut processus noster nequeat aliquorum detractorum morsibus vel obloquiis subjacere, petitam securitatem eidem Manfredo de fratrum nostrorum consilio sub certa forma, inferius annotata, in veniendo hac vice pro eodem negotio, et morando, ac per octo dies in quibus exire possit terram ecclesie, postquam a nobis licentiam redeundi habuerit, tenore presentium elargimur; dantes ei licentiam et liberam facultatem ingrediendi propter hoc terram et districtum ecclesie ac tute ad nos per terram et districtum hujusmodi veniendi: et universis nostris et ipsius ecclesie fidelibus firmiter inhibentes, ne ipsum cum infrascripto armatorum ac personarum et evectionum numero ad nostram presentiam accedentem, in persona vel rebus turbare vel offendere seu quomodolibet molestare aut impedire presumant. Verum, quia ipse tamquam temerarius ad terram ecclesie, sicut evidenter apparet, de Marchia Anconitana et nonnullis aliis terris ad ecclesiam ipsam spectantibus, violentas manus extendit, volumus ad presens hoc saltem modo nobis et eidem ecclesie ab hujusmodi suis temeritatibus precavere, quod non in oculto, sed in dilecti filii fratris Gualasci, de ordine fratrum Minorum, penitentiarii, et Jacobi, prepositi Ebredunensis, capellani nostrorum, has litteras deferentium, et plurium aliorum presentia, corporale juramentum exhibeat, vel per alium in animam suam faciat exhiberi quod nullos armatos nullasque personas et evectiones ducet, nec patietur venire secum ultra numerum infrascriptum et quod sic veniendo, vel morando, aut redeundo ecclesiam, vel terram, seu fideles ipsius non offendet, nec per suos offendi faciet vel permittet; neque operabitur vel machinabitur aliquid in dispendium ecclesie, terre aut fidelium predictorum; quodque moram nisi tantum in predictis octo diebus in terra ejusdem ecclesie non faciet, plus quam ei fuerit de licentia nostra permissum. Ceterum, quia ubi de negotio fidei agitur, omnis sinistre suspicionis, violentie vel impressionis cujuslibet est prorsus amovenda materia, ne labores et studia que pro laude Dei, et prospero statu suorum fidelium impenduntur, in eorum (quod absit) dispendium convertantur; propter quod sic intendentes eidem Manfredo in hujusmodi suo adventu ad nos de oportuna securitate consulere, quod in turbationem ipsius negotii non redundet, ac tranquillus status terrarum ejusdem ecclesie non turbetur, ipsi Manfredo auctoritate apostolica districtius prohibemus ne ultra octingentarum personarum, de quibus possint esse centum dumtaxat armate, et septingentarum evectionum numerum, quem eis auctoritate predicta taxamus, ad sedem apostolicam secum ducat; immo quod contra formam prohibitionis hujusmodi terram ipsius ecelesie aliquatenus ingredi non attemptet. Si enim contra hujusmodi taxationem nostram terram ingrederetur eamdem, tunc manifestum esset et liquidum quod ipse non ad subeundum ecclesie judicium, ut pacificus, et quietus accederet, sed potius tamquam hostis ad impedimentum et confusionem negotii fidei orthodoxe, quod agitur, ne in eo debitus posset haberi processus, et ad turbationem status ipsius terre ac eorundem fidelium prosiliret; propter quod si id fieri contingeret, liquidius et evidentius de pravitate heretica suspectus et notabilis redderetur nosque liberius et rationabilius possemus super hoc procedere contra eum; cum impedire vel confundere dictum negotium esset evidenter fovere hujusmodi hereticam pravitatem. Quod si forte ingredi eum contigerit terram eamdem, hujusmodi non prestito, ut dictum est, juramento, vel plures armatos, personas et evectiones duxerit vel secum venire permiserit, quam taxatio predicta contineat, spreta prohibitione predicta, aut longiorem moram, nisi solum in prefatis octo diebus, traxerit in eadem terra postquam a nobis habuerit licentiam redeundi; vel in veniendo aut morando seu redeundo, ecclesiam aut terram vel fideles ipsius offenderit vel fecerit seu per suos permiserit offendi; aut operatus vel machinatus fuerit aliquid in dispendium ecclesie, terre seu fidelium predictorum, eo ipso sit anathematis vinculo innodatus et nichilominus hujusmodi nostre securitatis littere vacue sint penitus, et inanes, nullam ei securitatem quomodolibet tribuentes. Predictos autem penitentiarium et capellanum, viros utique providos et discretos et nobis ac fratribus nostris acceptos, ad eundem Manfredum duximus destinandos, ut ei litteras easdem assignent et referant sibi nichilominus ex parte nostra premissa omnia viva voce, quodque predictum juramentum in eorum prestetur presentia, sicut superius est expressum. Datum apud Urbemveterem, III idus novembris, anno II°. »

152 Orvieto, 2 novembre 1262.

Ecclesiam s. Herasmi in jus et proprietatem b. Petri assumit. (Reg. 26, fol. 52 v°; anni II, n° 14.)

« *Ad perpetuam rei memoriam.* Et si universe orbis —. Comperto igitur quod ecclesia sancti Herasmi sita in territorio castelli Cese, Spoletane diocesis, cujus prior per illius personas eligi consueverat, et per.. abbatem Casinensis monasterii, qui est pro tempore, confirmari, apostolice providentie gratia et favore plurimum indigebat, nos ecclesiam ipsam cum omnibus membris, terris, possessionibus, juribus et pertinentiis suis, dilecto filio Phylippo, monacho dicti monasterii tunc priore, ac clericis ipsius ecclesie sponte ac libere in nostris cedentibus manibus omnia jura que ipsis in eadem ecclesia competebant, in jus et proprietatem beati Petri ac predicte sedis assumimus, ab omni jurisdictione, potestate ac dominio cujuslibet prelati seu ecclesiastice persone illam cum capella sancti Petri de Scoppo predicte diocesis, que membrum ipsius extitit et cum ecclesia sancti Angeli de Rigo Sicco cum suis capellis, scilicet capella sancti Martini de Appetano, et sancti Laurentii de Aqua Palummi et sanctorum Johannis et Pauli, et cum ecclesia sancti Benedicti de Calcaria cum suis capellis, scilicet capella sancte Marie de Cifelano, et sancti Petri de Furmi; item cum ecclesia sancti Manni de Quatrellis, Tudertine diocesis, cum capellis suis, scilicet sancti Angeli de Galla ejusdem diocesis, et cum omnibus suis membris et aliis ejus membris totaliter et perpetuo eximentes; ita quod nullus prelatus nullaque alia persona ecclesiastica, illas capellas ac membra predicta, utpote prorsus exempta, vel personas eorum interdicere, suspendere, vel excommunicare valeat, aut quocumque modo alias in ecclesiam, capellas et membra prefata et personas ipsorum potestatem vel jurisdictionem aliquam exercere, nullaque persona possit in eadem ecclesia, sine speciali mandato Romani pontificis ordinari, et si secus presumptum fuerit, sit irritum, vacuum, et inane. Statuimus insuper ut proventus ejusdem ecclesie in sustentationem illorum quos Romanus pontifex ad serviendum Deo inibi deputabit, et etiam in alios usus, prout de nostro et successorum nostrorum processerit beneplacito, convertantur, salvo censu annuo, in quo dicta ecclesia tenetur monasterio supradicto. Nulli ergo nostre exceptionis et constitutionis etc. — Datum apud Urbemveterem, IIII nonas novembris, anno II°. »

153 Orvieto, 26 octobre 1262.

Philippo, quondam priori ecclesiae s. Herasmi de quadraginta libris Lucensium, vita durante, providet, et eum ab obedientia abbatis Casinensis eximit. (Reg. 26, fol. 53, anni II, n° 15.)

« *Philippo monacho, quondam priori ecclesie sancti Herasmi constitute in territorio castri Cese, Spoletane diocesis.* Tamquam pater fidelium —. Cum itaque ecclesiam sancti Herasmi constitutam in territorio castri Cese Spoletane diocesis, te regimen prioratus ipsius libere in nostris manibus resignante, in jus et proprietatem beati Petri duxerimus assumendam, et cum omnibus membris, terris, possessionibus, juribus et pertinentiis suis, ad manus nostras et successorum nostrorum totaliter retinendam, nos attendentes quod tanta propter nimiam senectutem proprii corporis debilitate gravaris, quod nequis in necessariis sustinere penuriam, nec rigorem regularis observantie tolerare, et ideo volentes te pro hujusmodi necessariis partem possessionum dicte ecclesie que valorem quadraginta librarum Lucensium parvorum annis singulis non excedat, quamdiu vixeris obtinere, tibi de hujusmodi possessionibus usque ad dictum valorem auctoritate apostolica providemus, ita quod eedem possessiones post decessum tuum ad manus nostras sive predictam ecclesiam revertantur, in dispositione nostra et successorum nostrorum una cum aliis possessionibus ipsius ecclesie permansure. Te quoque ab obedientia abbatis et omnium personarum Casinensis monasterii, cujus eras monachus, penitus eximimus, statuentes et ordinantes quod dumtaxat sub nostra et eorundem successorum nostrorum obedientia et omnimoda dispositione consistas, moraturus ac victurus regulariter et honeste in loco, quem tibi curabimus, dante Domino, deputare. Nulli ergo nostre provisionis, exceptionis, constitutionis etc —. Datum apud Urbemveterem, VII kalendas novembris, anno II°. »

154 Orvieto, 28 octobre 1262.

Episcopo Interamnensi mandat quatenus Philippo, quondam priori ecclesiae s. Herasmi, capellam s. Petri de Monte Scoppi conferat. (Reg. 26, fol. 53, anni II, n° 16.)

« .. *episcopo Interamnensi.* Tamquam pater fidelium —. Verum quia capella sancti Petri de Monte Scoppi, predicte diocesis, membrum esse dicte ecclesie (*s. Herasmi*) et ad mensam.. prioris et clericorum ipsius dicitur pertinere, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatenus, si est ita, capellam ipsam cum terris, possessionibus, ac pertinentiis suis dicto Phylippo retinen-

dam ab eo, donec vixerit, auctoritate nostra per te vel alium conferas et assignes, et amoto ab ea dilecto filio Ofreducio de Aquasparta, canonico Tudertino qui eam detinere dicitur, et alio quolibet detentore, inducas ipsum Phylippum vel procuratorem suum ejus nomine in illius possessionem, et defendas inductum. Proviso quod de dictis quadraginta libris pro rata illorum reddituum quos dictus Phylippus ex capella ipsa percipiet dum in eorum extiterit possessione pacifica, deducatur, et partem sic deductam ad nostras vel predictorum successorum nostrorum manus studeas revocare, sub nostra et illorum dispositione sicut et ceteri ejusdem ecclesie redditus, ut predicitur, permansuram. Contradictores etc. —. Invocato etc. —. Datum apud Urbemveterem, v kalendas novembris, anno II°. »

155 Orvieto, 15 novembre 1262.

Populum insulae Marthanae ab obligationibus tam communi civitatis Urbevetanae quam Jacobo ejusque fratribus, natis quondam Guitti de Bisentio, factis, absolvit. (REG. 26, fol. 53, anni II, n° 17; POTTHAST 18429.)

« *Populo insule Marthane.* Sicut insenescente jam —. Datum apud Urbemveterem, XII kalendas decembris, anno II. »

156 Orvieto, 21 novembre 1262.

Episcopo Carcassonensi mandat declaret irritam nominationem Berengarii, sacristae Narbonensis ecclesiae, in majorem archidiaconum ejusdem ecclesiae a Biterrensi episcopo ex commissione archiepiscopi Narbonensis factam. (REG. fol. 53 v°; anni II, n° 18.)

« .. *episcopo Carcassonensi.* Venerabilis frater noster.. episcopus Sabinensis, nobis exposuit, quod, cum olim ipse tunc archiepiscopus Narbonensis ad sedem apostolicam accessurus, collationem dignitatum ad suam donationem spectantium quas, ipso absente, in ecclesia Narbonensi vacare contingeret, venerabili fratri nostro.. Biterrensi episcopo, commisisset, tandem idem Biterrensis episcopus intellecto post recessum dicti archiepiscopi quod Guillelmus, dictus Bardinus, major archidiaconus Narbonensis, habitum fratrum Minorum assumpserat, archidiaconatum ipsius Berengario sacriste ipsius ecclesie, sacristiam vero ejusdem Berengarii G. Petri, canonico Narbonensi, rectori ecclesie de Minerba, et eandem ecclesiam magistro B. Bellini succentori Narbonensi, ecclesiam autem de Archis, quam idem succentor habebat, Rostanno clerico, nepoti ejusdem Sabinensis episcopi, conferre et assignare curavit. Verum, cum sicut accepimus, hujusmodi archidiaconatus collatio infra probationis annum dicti archidiaconi, ab eodem nulla professione emissa, facta fuerit et sic presertim cum idem archidiaconus sibi obtinuisset, ut dicitur, per apostolice sedis litteras indulgeri, per eundem annum libere fructus archidiaconatus ipsius posset habere, ac decerni per easdem litteras irritum et inane, si secus de ipso archidiaconatu infra hujusmodi annum contingeret attemptari, eandem dicti archidiaconatus collationem nullam appareat extitisse, nos fore arbitrantes incongruum quod ex quo, ut dictum est, collatio ipsa non tenuit, predicti sacrista et alii sua in hac parte remaneant intentione frustrati, ejusdem Sabinensis episcopi precibus inclinati, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatenus hujusmodi collationem archidiaconatus prefati non tenere publice nuntians, tam eidem sacriste, quam etiam aliis predictis, cum relique collationes a prefata dicti archidiaconatus collatione ortum habuisse noscantur, quod ad priora loca et beneficia sua, si de ipsorum communi voluntate processerit, redire libere valeant, collationibus predictis seu quibuslibet renuntiationibus factis tacite vel expresse nequaquam obstantibus, concedas auctoritate nostra, liberam facultatem, faciens ipsos eorundem beneficiorum pacifica possessione gaudere. Contradictores etc. —. Datum apud Urbemveterem, XI kalendas decembris anno II°. »

157 Orvieto, 1er novembre 1262.

Hospitale s. Lazari Acconense ab omni jurisdictione et dominio archiepiscoporum et episcoporum omnium, et specialiter episcopi Acconensis eximit, statuens ut hospitale et membra istius in spiritualibus et temporalibus soli Jerosolymitanae ecclesiae sint subjecta. (REG. 26, fol. 53 v°, anni II, n° 19; POTTHAST 18421.)

« .. *priori et fratribus hospitalis s. Lazari Acconensis.* Circa prelaturam Jerosolymitanorum —. Datum apud Urbemveterem, kalendis novembris, anno II°. »

158 Orvieto, 29 octobre 1262.

Conventui Majoris Monasterii Turonensis mandat quatenus Stephano, in abbatem ipsius monasterii electo, obediant et intendant. (REG. 26, fol. 54, anni II, n° 20.)

« *Conventui Majoris Monasterii Turonensis et universis*

prioribus prioratuum ad idem monasterium pertinentium et aliis clericis subditis ejusdem Licet cunctarum ecclesiarum.— Sane monasterio Majoris Monasterii Turonensis, abbatis olim solacio destituto, dilecti filii conventus ejusdem, vocatis omnibus qui voluerunt, debuerunt et potuerunt comode interesse pro futuri substitutione pastoris, ut moris est, convenientes in unum, quatuor ex eis providendi ea vice ipsi monasterio de abbate contulerunt plenariam potestatem, promittentes illum in abbatem ipsius monasterii recipere quem dicti quatuor ducerent concorditer eligendum. Iidem vero electores, diligenti tractatu prehabito, in dilectum filium Stephanum, abbatem ipsius monasterii, tunc priorem prioratus de Vivonio ad dictum monasterium pertinentis, direxerunt unanimiter vota sua, et unus ex ipsis de reliquorum consensu ipsum in abbatem elegit monasterii memorati. Cumque prefati conventus electionem ipsam unanimiter acceptassent, eam petierunt per sedem apostolicam confirmari. Presentatam itaque nobis electionem eandem, quia eam invenimus de persona ydonea, utpote dono scientie predita, morum et vite honestate decora, in spiritualibus et temporalibus circumspecta, canonice celebratam, de fratrum nostrorum consilio confirmantes munus benedictionis eidem abbati duximus impendendum. Ad dictum igitur monasterium prefatum abbatem cum nostre benedictionis gratia remittentes, universitati vestre per apostolica scripta mandamus quatenus eidem abbati tamquam pastori animarum vestrarum exhibeatis obedientiam et reverentiam debitam et devotam, ejus salubria monita et mandata, suscipiendo devote ac humiliter observando. Alioquin sententiam quam idem abbas rite tulerit in rebelles, ratam habebimus, et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum apud Urbemveterem, IIII kalendas novembris, anno II°. »

In e. m. universis vassallis Majoris Monasterii Turonensis.
In e. m. S., abbati Majoris Monasterii Turonensis.

159 Orvieto, 2 novembre 1262.

Abbati et conventui Majoris monasterii Turonensis indulget ut prioratus et loca alia ipsius monasterii personis secularibus auctoritate apostolica concessa, possint per personas religiosas deserviri facere. (Reg. 26, anni II, n° 21, f. 54 v°.)

« .. *abbati et conventui Majoris Monasterii Turonensis, ordinis s. Benedicti.* Devotionis vestre merita —. Datum apud Urbemveterem, IIII nonas novembris, anno II°. »

160 Orvieto, 11 novembre 1262.

Abbati Cormeriacensi, Turonensis diocesis, mandat quatenus abbatem monasterii de Ebronio, Cenomanensis diocesis, inducat ut infra unum mensem cedat regimini sui monasterii. (Reg. 26, fol. 54 v°, anni II, n° 22.)

« .. *abbati Cormeriacensi, Turonensis diocesis.* Cum olim dilectus filius Ernaldus, abbas monasterii de Ebronio, Cenomanensis diocesis, apud venerabilem fratrem nostrum .. Cenomanensem episcopum delatus super certis articulis extitisset, ac idem episcopus fecisset eum propter hoc ad suam presentiam evocari, tandem prefatus abbas volens potius in spiritu humilitatis satisfacere, quam judiciorum anfractibus vel juris rigore vexari, promisisse dicitur, corporali prestito juramento, quod cederet regimini abbatie monasterii supradicti et perageret penitentiam, quam idem episcopus ei duceret injungendam. Cumque dictus episcopus quandam sibi penitentiam injunxisset, idem abbas eam reputans nimis gravem, propter hoc ad sedem apostolicam appellavit, et demum dictus abbas, et dilectus filius .. magister scolarum Cenomanensis, procurator ipsius episcopi, apud sedem constituti predictam, compromiserunt unanimiter et concorditer de premissis in dilectum filium nostrum H., tituli sancte Sabine presbiterum cardinalem, tanquam in arbitrum, arbitratorem seu amicabilem compositorem, et promiserunt dictus abbas pro se, ac idem procurator nomine dicti episcopi, se ratum et firmum habituros quicquid idem cardinalis tam super occasione hujusmodi, quam super provisione dicto abbati facienda, et aliis dictum negotium contingentibus mandaret, statueret, aut quomodolibet ordinaret. Idem vero cardinalis, hujusmodi compromisso recepto, et auctoritate nostra super hiis et aliis predictum negotium contingentibus, ei per dilectum filium magistrum Berardum de Neapoli, subdiaconum et notarium nostrum, commissa, habita quoque plena deliberatione circa ipsius negotii qualitatem, omnes sententias a dicto episcopo contra memoratum abbatem occasione hujusmodi negotii promulgatas et predictum juramentum ab ipso abbate prestitum de consensu partium relaxavit, et statuit insuper, ordinavit et mandavit quod prefatus abbas posset, si vellet, usque ad mensem conputandum a secundo die postquam intraret dictum monasterium, quod intrare ipsum teneri voluit, quamcito sine fraude et dolo comode posset in regimine ipsius monasterii remanere, et statim, eodem mense finito, dictus abbas eidem regimini juxta voluntatem prefati episcopi cedere teneretur. Si vero dictus abbas transgressor voluntatis

ejusdem episcopi cedere forte contempneret, extunc sive cederet sive non cederet, vacaret idem monasterium eo ipso. Interim quoque, ne aliquid de bonis ipsius monasterii per quamcumque alienationis speciem alienaret, idem cardinalis auctoritate apostolica sibi super hoc commissa, abbati prefato inhibuit et penitus interdixit alienationes siquas extunc faceret, eadem auctoritate decernens irritas et inanes, certis aliis articulis in forma ipsius ordinationis adjectis, prout in litteris confectis exinde dicti cardinalis sigillo munitis plenius continetur. Hac itaque ordinatione, quam dictus episcopus, sicut fertur, jam obtinuerat per sedem apostolicam confirmari, ad nostram perveniente notitiam, nos attendentes quod etatis provecte maturitas dubium sinistre suspitionis videbatur excludere, in eodem abbate qui, licet diutius eidem profuisse monasterio diceretur, nullam tamen etiam tempore juventutis, ut acceperamus, notam dampnabilis levitatis incurrerat, pensantes etiam quod idem monasterium, quod per industriam et sollicitudinem ipsius dicebatur incrementa multiplicia suscepisse, si dictus abbas cederet ejus regimini, ex vacatione diutina quam solet frequenter inducere votorum diversitas, gravem posset in spiritualibus et temporalibus incurrere lesionem, ad instantiam abbatis ejusdem prefato episcopo per litteras nostras que de confirmatione jamdicte ordinationis non fecerunt aliquam mentionem, dedisse dicimur in mandatis, ut eundem abbatem libere permitteret regimini ejusdem monasterii presidere ac gerere sicut prius in omnibus curam ejus, non obstantibus ordinatione predicta, et quibuslibet articulis in ipsa contentis, nisi super hoc aliud eidem episcopo mandaremus, et decrevimus irritum et inane, si secus super hiis contigerit attemptari. Ceterum eundem abbatem moneri fecimus eique districtius injungi, ut mores et actus suos sic per viam salutis et honestatis dirigeret, quod sub regimine suo gubernaretur salubriter monasterium supradictum. Si vero idem abbas deviaret in hoc a monitis apostolicis et mandatis, mandavimus quod memoratus episcopus id nobis per suas litteras intimaret. Nam circa dicti monasterii statum prosperum intendebamus apponere consilium oportunum. Cumque jamdictus abbas rediisset ad monasterium supradictum, et juxta formam dicte ordinationis ejusdem monasterii regimini presedisset, tandem comperimus, prout habebat quorundam fidedignorum relatio, nos fuisse de prefati abbatis fama et meritis circumventos. Nam venerabilis frater noster .. archiepiscopus Turonensis, loci metropolitanus, et prelibatus episcopus nobis per suas litteras intimarunt, quod idem abbas propter gravem qua laborat infamiam, non poterat in regimine dicti monasterii sine gravi scandalo remanere, et quod, eo sic presidente, monasterium ipsum gravia poterat incurrere detrimenta. Nos itaque nolentes quod idem monasterium hac occasione labatur in malum, sed cupientes potius, ut Deo propitio, relevetur a noxiis et prospere dirigatur, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus eundem abbatem ex parte nostra moneas efficaciter et inducas ut infra unum mensem post monitionem tuam libere cedat regimini monasterii memorati. Nos enim extunc sive cesserit, sive non cesserit, prefatum monasterium decernimus omnino vacare. Tu vero, finito spatio mensis ejusdem, dictam ordinationem sive idem abbas cesserit, sive non cesserit, non obstantibus predictis seu quibuslibet aliis litteris nostris postmodum impetratis, facias per te vel per alium inviolabiliter observari. Contradictores etc. — Nos autem exnunc decernimus irritum et inane, si secus contra hujusmodi mandati nostri tenorem a quocumque extiterit attemptatum. Datum apud Urbemveterem, III idus novembris, anno II°. »

161 Orvieto, 27 octobre 1262.

Episcopo Virdunensi indulget ut episcopi Virdunensis praebendam, quam obtinebat praedecessor tempore cessionis vel mortis, aut suam, si canonici ipsius ecclesiae ante promotionem suam erant, licite retinere valeant. (Reg. 26, fol. 55, anni II, n° 23.)

« .. *episcopo Virdunensi.* Exhibita nobis ex parte tua petitio continebat quod de antiqua et approbata et hactenus pacifice observata consuetudine in Virdunensi ecclesia est obtentum, ut Virdunensis episcopus, qui eidem ecclesie pro tempore preest, unam prebendam habeat in eadem; verum contingit interdum quod, episcopo Virdunensi cedente vel decedente, capitulum ipsius ecclesie, ad quos in ea pertinet collatio prebendarum, prebendam quam cedens vel decedens episcopus in ipsa obtinuit, alii conferunt pro sue libito voluntatis, aliqui etiam per executores sibi a sede apostolica deputatos, de prebenda hujusmodi se interdum faciunt investiri, sicque successorem episcopi ipsius super assignanda sibi prebenda in eadem ecclesia sepius litigare contingit, et ex hoc incurrere multorum odia et etiam subire onera expensarum. Nos itaque tuis supplicationibus inclinati, volentes paci et tranquillitati ejusdem ecclesie providere, statuimus ac etiam ordinamus, ut cedente vel decedente te vel quolibet alio episcopo Virdunensi, is qui in episcopatu succes-

serit, si non fuerit de gremio ecclesie supradicte, habeat et teneat prebendam quam cedens vel decedens episcopus cessionis vel mortis tempore obtinebat; si vero aliquis de gremio ecclesie assumptus fuerit, teneat in ecclesia ipsa prebendam quam prius tamquam canonicus obtinuerat in eadem. Decernimus quoque irritum et inane si secus per quoscumque apostolica vel quavis auctoritate contigerit attemptari. Non obstantibus aliquibus litteris vel indulgentiis cujuscumque tenoris existant, a sede apostolica impetratis vel etiam impetrandis, que de ordinatione et constitutione hujusmodi plenam et expressam non fecerint mentionem. Datum apud Urbemveterem, vi kalendas novembris, anno II°. »

162 Orvieto, 5 novembre 1262.

Abbatem et conventum Majoris Monasterii Turonensis ab omni decimae, duodecimae vel cujuslibet subventionis solutione propter onera debitorum eximit. (Reg. 26, anni II, n° 24, fol. 55 v°.)

« .. *abbati et conventui Majoris Monasterii Turonensis, ordinis s. Benedicti.* Cum monasterium vestrum —, Datum apud Urbemveterem, nonis novembris, anno II°. »

163 Orvieto, 24 octobre 1262.

Archiepiscopo Tyrensi indulget ut de blado, vino, lignis, lana, lapidibus et rebus aliis quae aliquotiens pro ipsius vel ecclesiae usibus emere ipsum contigerit, nulli pedagia, winovagia, roagia solvere teneatur. (Reg. 26, anni II, n° 25, fol. 55 v°.)

« .. *archiepiscopo Tyrensi.* Consuevit sedes apostolica —. Datum apud Urbemveterem, viiii kalendas novembris, anno II°. »

164 Orvieto, 23 octobre 1262.

Archiepiscopo Tyrensi indulget ut ad provisionem alicujus in beneficiis ecclesiasticis ad ipsius collationem spectantibus vel pensionibus per apostolicae sedis vel legatorum ipsius litteras impetratas, compelli non possit. (Reg. 26, anni II, n° 26, fol. 55 v°.

« *Eidem.* Pacis tue querentes —. Datum apud Urbemveterem, x kalendas novembris, anno II°. »

165 Orvieto, 28 novembre 1262.

De translatione magistri Florentii, episcopi Acconensis, ad ecclesiam Arelatensem. Item de eadem infra capitulo LI [1]. (Reg. 26, fol. 55 v°, anni II, n° 27.)

« *Capitulo Arelatensi.* De sedis apostolice provida circumspectione procedit pensare temporum vices, attendere merita personarum, et qualitates considerare locorum, ut ad singula dirigens debite considerationis intuitum, et oportune manum operationis extendens, interdum plantet, plantataque transferat necnon foveat dirigatque translata. Sic enim operando proficit, perfectus multiplicat, ac multiplicatos officiosi regiminis gubernatione custodit. Inter cetera vero quibus ex commissa nobis a Domino universali cura dominici gregis astringimur, ecclesiarum utilitatibus eo sollertius et attentius debemus intendere quo specialius, licet immeriti, sumus ad earum regimen, superna disponente clementia, deputati. Sane, vacante Arelatensi ecclesia, vos, vocatis omnibus qui voluerunt, debuerunt et potuerunt comode interesse, convenistis, ut moris est, pro futuri substitutione pastoris in unum, et tandem votis vestris in diversa divisis, quidam vestrum Raimundum, ecclesie vestre prepositum, elegerunt, reliqui autem Robertum de Ucena, canonicum Valentinum, capellanum nostrum in minoribus ordinibus constitutum, ad regimen ejusdem ecclesie postularunt. Cumque .. procurator ipsius prepositi habens super hoc plenum ab ipso mandatum, sicut per ipsius prepositi litteras nobis constitit evidenter, in manibus nostris renuntiasset expresse omni juri siquod ex eadem electione dicto preposito competebat, R. de Balma, et Bremundus de Medenis, ecclesie predicte canonici, suo nomine et aliorum qui una cum eis capellanum postularant eundem, postulationem de ipso factam a nobis admitti cum instantia supplicarunt. Nos vero licet eidem capellano de nobilitate generis, litterarum scientia, et honestate morum a nonnullis ex fratribus nostris laudabile testimonium redderetur, tamen postulationem eandem non duximus admittendam. Ceterum nolentes, quod ecclesia predicta cogatur diutius viduitatis incomoda deplorare, consideratis virtutibus dilecto filio, magistro Florentio, Arelatensi electo, quondam Acconensi episcopo, divinitus traditis, quibus idem electus existit multipliciter per opera utilia et exempla laudabilia fructuosus, pensatis quoque multis laboribus quos Acconensis ecclesie presidendo regimini subiit, et volentes quod inter servitutis pontificalis angustias in solo quasi

1. Ce résumé est donné en marge du Registre.

natali quietis gaudio post labores hujusmodi recreetur, ipsum, quem a vinculo quo ipsi Acconensi ecclesie tenebat, absolvimus, ad predictam Arelatensem ecclesiam de fratrum nostrorum consilio duximus transferendum, et prefecimus eidem ecclesie nichilominus in archiepiscopum et pastorem de apostolice plenitudine potestatis. — Ideoque volumus, et presentium vobis auctoritate firmiter precipiendo mandamus quatenus ad eundem electum vestrum ut, quam citius comode poterit, ad ecclesiam predictam se conferat, speciales et solempnes nuntios destinantes, eidem tamquam patri et pastori animarum vestrarum obedientiam et reverentiam debitam impendatis, ejus salubria monita et mandata suscipiendo devote, ac humiliter observando. Alioquin sententiam quam idem electus rite tulerit in rebelles, ratam habebimus, et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum apud Urbemveterem, IIII kalendas decembris, anno II°. »

In e. m. suffraganeis ecclesie Arelatensis.

In e. m. populo Arelatensi.

In e. m. universis vassallis Arelatensis ecclesie.

In e. m. magistro Florentio, electo Arelatensi.

In. e. m. .. preposito, .. archipresbistero et .. sacriste Arelatensibus. De sedis etc., usque Sane vacante Arelatensi ecclesia, dilecti filii, capitulum ejusdem etc., — usque divisis, quidam eorum te, fili preposite, elegerunt, etc., — usque, cumque, fili preposite .. procurator tuus habens super hoc plenum a te mandatum etc., — usque incrementa. Nolentes igitur quod ex defectu regiminis eadem ecclesia patiatur in ipsius electi absentia detrimentum, de vestra quoque circumspectione plenam in Domino fiduciam obtinentes, curam et administrationem ipsius ecclesie, tibi, fili archipresbiter, in temporalibus, vobis vero, fili preposite ac sacrista, in spiritualibus duximus committendas, gerendas a vobis donec eundem electum presentem inibi, Deo propitio, contigerit interesse. Ceterum dilectum filium Nicolaum, capellanum venerabilis fratris nostri .. Portuensis episcopi, latorem presentium, quem ad vos propter hoc specialiter mittimus, vobis adjungimus in utrisque, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatenus eidem capellano statum ecclesie predicte ac bonorum archiepiscopalium tam mobilium quam immobilium fideliter exponatis. Ut eundem electum possit de hiis reddere certiorem, ut autem curam et administrationem hujusmodi liberius gerere valeatis, constituimus vos et prefatum capellanum circa premissa electi vicarios memorati. Quod si predictus capellanus hiis exequendis continue vobiscum nequiverit interesse, vos ea nichilominus exequi studeatis. Contradictores etc. — Datum apud Urbemveterem, IIII kalendas decembris, anno II. »

In eundem modum, nobili viro, Carolo, comiti Andegavie ac Provincie. De sedis etc., — usque incrementa. Cum itaque tamquam benedictionis filius et zelator ecclesiastice libertatis, ecclesiarum profectibus libenter intendas, magnitudinem tuam cum fiducia rogamus et hortamur attente quatenus dictam Arelatensem ecclesiam et personas ejusdem habens pro nostra et apostolice sedis reverentia favorabiliter commendatas, prefato electo ac specialiter memoratis Ramundo de Balmis, et Bremundo de Medenis, nuntiis suis, necnon Nicolao capellano, venerabilis fratris nostri episcopi Portuensis.. preposito .. archipresbitero et .. sacriste Arelatensibus, vicariis ejus, tam in ipsius quam ecclesie predicte negotiis impendas consilium, auxilium et favorem, ipsos nichilominus grata benivolentia prosequendo, ita quod exinde retributionis eterne premium consequi, et extolli laudis humane preconio merearis. Datum ut supra.

166 Orvieto, 30 novembre 1262.

Wilhelmo de Waltmanshuse, guardiano fratrum Minorum de Wezele, Treverensis diocesis, et fratri Rorico de Warnesperge, de ordine fratrum Minorum in conventu Treverensi, iterum mandat ut in negotio contra Henricum, Treverensem electum, saltem nunc tanta sollicitudine procedant quod praecedentem inobedientiam improbasse probentur per obedientiam subsequentem. (Reg. 26, fol. 56, anni II, n° 28.)

« *Willelmo de Waltmanshuse, guardiano fratrum Minorum de Wezele, Treverensis diocesis, et fratri Rorico de Warnesperge, de ordine fratrum Minorum in conventu Treverensi.* Per exigentiam sollicitudinis —. Datum apud Urbemveterem, II kalendas decembris, anno II°. »

167 Orvieto, 13 décembre 1262.

Archidiacono et capitulo Agennensibus mandat quatenus infra tres menses aliquos ex eorum ad apostolicam praesentiam pro futuri substitutione pastoris mittere procurent. (Reg. 26, anni II, n° 29, fol. 56 v°.)

« .. *archidiacono et capitulo Agennensibus.* Cum nos dilectum —. Datum apud Urbemveterem, idus decembris, anno II°. »

In e. m. G., electo Jerosolymitano.

168 Orvieto, 9 décembre 1262.

De translatione G., episcopi Agennensis, ad ecclesiam Jerosolimitanam. Item de eadem infra capitulo LII. Item capitulo LIII. Item capitulo LXXXXVIII [1]. (Reg. 26, fol. 56 v°, anni II, n° 30.)

« *G., electo Jerosolimitano.* Presidentibus olim nobis ecclesie Jerosolimitane regimini ac cernentibus ipsius corpus ecclesie in ejus membris a nonnullis, qui oculos in eadem aviditatis injecerant, crudeliter laniari, de providentia divina processit quod circa ecclesiam ipsam visceribus compassionis apertis, personam nostram maris et terre periculis exponere nullatenus formidantes, illo nobis viam demonstrante qui novit, et iter prosperum faciente qui potest, ad partes accessimus cismarinas, et sedem apostolicam adeuntes, longam ibidem moram protraximus prosecutioni jurium ejusdem ecclesie personaliter insistendo. Cumque felicis recordationis Alexandro papa, predecessore nostro, de angusto et tetro carnis carcere vocato ad spaciosum et lucidum celi palatium, ut speramus, omnipotens Dominus humilitatem nostram ex alto prospiciens, ad summi nos apostolatus apicem sublimasset, de provisione predicte Jerosolimitane ecclesie que gradum nobis prebuerat, per quem culmen specule suppreme conscendimus, non immerito cepimus esse solliciti, et tandem, facultatum ipsius ecclesie tenuitate pensata, vias et modos cum omni diligentia perquisivimus quibus non minus ipsi ecclesie de pastore ydoneo, quam persone preficiende in illa de aliquibus bonis seu proventibus ecclesiasticis pro sustentatione ipsius juxta patriarchalis dignitatis honorificentiam providere possemus. Et licet ad hoc diu nostra vigilaverint studia fueritque ad id acies apostolice circumspectionis intenta, quia tamen via nobis in hac parte conveniens juxta nostri affectus plenitudinem non patebat, provisionem ipsius ecclesie usque ad hec tempora duximus differendam. Demum igitur diligentius attendentes quod prefata ecclesia gravia poterat ex vacatione diutina incurrere detrimenta, prehabito fratrum nostrorum super hoc cum multa deliberatione consilio, ecclesiam Acconensem, de qua dilectum filium magistrum Florentium, Arelatentem electum, ad Arelatensem ecclesiam, tunc vacantem, duximus transferendum, patriarche Jerosolimitano qui erit pro tempore, fore decrevimus committendam, et ab eo una cum dicta Jerosolimitana tamdiu in spiritualibus et temporalibus gubernandam, salvis juribus Tyrensis ecclesie, que metropolitana ipsius Acconensis existit, donec eadem Jerosolimitana, bonis ejus recuperatis, possessionem habeat eorundem. Verum, quia tunc potissime ecclesiarum utilitati prospicitur et indempnitati salubritur precavetur, cum personis ydoneis earum cura committitur et viduatarum regimini pastores ydonei preponuntur, nos considerantes quod patriarcha futurus satis comode poterat de Jerosolimitane et Acconensis ecclesiarum proventibus sustentari, diligenter habuimus cum eisdem fratribus de persona que tanto oneri et honori congrueret, preficienda, tractatum, et quamquam processum fuerit ad nominationem personarum multarum que, suis pensatis meritis, et digne forent et reputarentur ydonee ad ipsius Jerosolimitane ecclesie regimen obtinendum; quia tamen odor integre fame tue ac amena tue vite fragrantia, velut ardentium fumi aromatum in conspectum nostrum, quadam olim delectabili suavitate conscenderant, in te, qui zelo fidei et devotionis accensus, jam humeris tuis pro Terre Sancte subsidio triumphale salvifice signum crucis impresseras, nostros convertimus oculos nostrumque direximus animum, ac tuam preelegimus sufficientiam, ad hujusmodi patriarchalis dignitatis officium exequendum, absolventes te de predictorum fratrum consilio a vinculo, quo Agennensi tenebaris ecclesie, et ad eandem Jerosolimitanam auctoritate apostolica transferentes, et concedentes tibi licentiam ad illam libere transeundi, firma concepta fiducia, quod eadem Jerosolimitana ecclesia per tue diligentie studium per quod Agennensis predicta multiplicia incrementa suscepisse dinoscitur, gratis, auctore Domino, consurget augmentis. Ideoque discretioni tue per apostolica scripta in virtute obedientie districte precipiendo mandamus quatenus impositum a Domino tibi onus prompta mente suscipiens et submittens fortitudinis tue collum ad tanti honoris onera supportanda, sic te, sublato cujuslibet more dispendio, preparare procures, ut accedens prius ad apostolicam sedem, ibidem nobiscum de tuis et ipsius Jerosolimitane ecclesie negotiis tractaturus, possis ad partes ultramarinas in proximo futuro passagio, ad laudem et gloriam divini nominis transfretare. Sciturus pro certo quod nos apostolico tibi fautore constanter adesse proponimus et ipsius ecclesie Jerosolimitane statum condignis, auctore Domino, ampliare gratiis, et continuis ac oportunis munificentiis confovere. Datum apud Urbemveterem, v idus decembris, anno II. »

[1] Ce résumé est donné par le Registre en marge.

169 Orvieto, 12 décembre 1262.

Archiepiscopo Turonensi mandat quatenus Benedictum, rectorem ecclesiae de Semblancio, Turonensis diocesis, nepotem fratris Simonis, monachi Majoris Monasterii Turonensis, prio-

ris s. Martini de Lamblalia, in ecclesia de Caynono in canonicum recipi faciat. (Reg. 26, anni II, nº 31, fol. 57.)

«.. *archiepiscopo Turonensi.* Dilectum filium Benedictum —. Datum apud Urbemveterem, II idus decembris, anno II. »

170 Orvieto, 24 novembre 1262.

Inter abbatem et conventum monasterii s. Antonini Appamiarum, ordinis s. Augustini, Tholosanae diocesis litem exortam sententialiter terminat. (Reg. 26, fol. 57, anni II, nº 32.)

« .. *abbati et conventui monasterii sancti Antonini Appamiarum, ordinis sancti Augustini, Tholosane diocesis.* Ea que judicio etc. usque communiri. Ex parte siquidem vestra fuit propositum coram nobis, quod olim inter te, fili abbas, ex parte una, et vos, filii conventus, ex altera, super provisione reddituum, quam abbates monasterii vestri, predecessores tui, predicte abbas, habuisse dicebantur, et quam te contingere in eodem monasterio asserebas, et super hiis, que ad manus tuas debebant de bonis ejusdem monasterii pervenire, et super administratione reddituum ac proventuum ad communem mensam vestram, filii conventus, spectantium, et rebus aliis materia questionis exorta, tandem partes super hiis in venerabilem fratrem nostrum .. episcopum Tholosanum, tamquam in arbitrum, arbitratorem, et amicabilem compositorem concorditer compromittere curaverunt, concessa eidem episcopo diffiniendi, ordinandi, statuendi, et arbitrandi super premissis plenaria potestate, et de universis et singulis juxta diffinitionem, ordinationem, statutum vel mandatum ipsius episcopi observandis, hinc inde prestito juramento. Unde nominatus episcopus, hujusmodi compromisso suscepto, predictam questionem per quandam ordinationem providam terminavit, inter alia continentem, ut abbates qui pro tempore fuerint post electionem et confirmationem ipsorum, antequam in eorum officio administrent, de observanda ordinatione hujusmodi exhibeant juramentum, quod etiam canonici ejusdem ecclesie sue receptionis tempore per abbatem et conventum ipsius monasterii requisiti facere teneantur, alioquin abbates abbatia, canonici vero canonia ejusdem monasterii careant eo ipso, prout in instrumento publico inde confecto ipsius episcopi vestrisque sigillis munito, plenius continetur. Nos itaque vestris supplicationibus inclinati, ordinationem ipsam ad utilitatem prefati monasterii firmam, ratam habentes et gratam eam ex certa scientia, auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Et quia hujusmodi pena in ordinatione ipsa contra prefatum juramentum prestare nolentes statuta, aspera, duraque nimis existit, ex quo posset idem monasterium in spiritualibus et temporalibus incurrere lesionem; nos volentes super hoc paterna diligentia providere, penam ipsam taliter moderamur, ut videlicet abbates ab administratione abbatie ipsius monasterii, canonici autem a perceptione portionis, quam in dicto monasterio debent percipere, si jam dictum juramentum secundum tenorem ordinationis ejusdem exhibere noluerint, donec illud prestiterint, sint suspensi. Tenorem autem predicti instrumenti de verbo ad verbum presentibus fecimus annotari. Qui talis est :

In nomine Domini. Notificetur cunctis presentem paginam inspecturis, quod, cum questio seu controversia esset inter venerabilem virum G., Dei gratia abbatem Appamiarum, ex parte una, et conventum ejusdem loci ex altera, super provisione reddituum quam predecessores ipsius abbatis habuisse dicebantur, et super administratione reddituum et proventuum ad mensam comunem ejusdem loci pertinentium et rebus aliis, tandem idem abbas et conventus, scilicet dominus G. abbas, B. de Sancto Mezardo prior, B. de Aura sacrista, R. de Camprannano, Ar. Ramundi operarius, G. de Convenarum, B. Ramundi, Ugo de Castlardo, G. Borrel, P. Garda, Atho, A. de Hospitali camerarius, P. Morat, Azemarius de Miromonte, magister G., B. Seguer, R. Bernardi, Galardus, magister Johannes, P. de Staraco, P. de Montenespulo, B. de Bordis, Matheus de Durbanno, et Helyas de Lauraco, unanimiter et concorditer ad omnem materiam discordie in posterum amputandam compromiserunt in venerabilem patrem R., Dei gratia episcopum Tholosanum, tamquam in arbitrum, arbitratorem, seu amicabilem compositorem, super omnibus controversiis et questionibus supradictis, dantes et concedentes eidem domino episcopo plenariam potestatem et facultatem omnimodam, diffiniendi, ordinandi, constituendi, arbitrandi proprio motu et voluntate, super omnibus predictis questionibus et controversiis universis et singulis, hic expressis vel non expressis, quicquid ipsius placuerit voluntati, jure, consuetudine vel amicabili compositione promittentes idem abbas et canonici supradicti universi et singuli bona fide, tactis sacrosanctis Dei evangeliis, quod omnia universa et singula, que dominus episcopus supradictus super predictis controversiis et questionibus diffinierit, ordinaverit, statuerit vel etiam propria voluntate mandaverit observari, tenebunt et irrevocabiliter in perpetuum observabunt, ita quod per se ,

vel per aliquam interpositam personam seu personas nunquam venient vel contra venire facient, occulte vel manifeste, aliquo jure, consuetudine, seu statuto quocumque et a quibuscumque edito, quibus expressim et consulte certiorati in hac parte renuntiaverunt, vel aliquid facient, vel machinabuntur, quominus dicte diffinitio, ordinatio, seu compositio, faciende super predictis a venerabili patre domino episcopo supradicto, robur perpetue obtineant firmitatis. Actum fuit hoc in capitulo monasterii Appamiarum, die mercurii post festum beati Gregorii, mense martii, anno Domini MCCLXI, in presentia magistri Bertrandi de Miromonte, Ramundi Resplandi archidiaconi Lesatensis, Hugonis Mascaro, Ar. Ramundi de Palmeriis, canonicorum ecclesie Tholosane, Stephani precentoris Narbonensis ecclesie, magistri Pauli capellani domini pape, Ramundi Vitalis officialis Appamiarum, magistri Athonis capellani de Monteesquivo, magistri Ramundi David, magistri Ar. de Albinione, magistri Athonis de sancto Victore notarii domini episcopi Tholosani supradicti, et mei, Petri de Plano, notarii domini episcopi supradicti, qui hec scripsi.

Post hec, prefatus venerabilis pater R., Dei gratia episcopus Tholosanus, paci et tranquillitati dicte domus volens in posterum providere et omnem materiam discordie et scandali removere, auditis et intellectis utriusque partis rationibus, habito consilio sapientum, de comuni voluntate partium et expresso consensu, ita arbitrando diffinivit, ordinavit, statuit et precepit perpetuo observari, prout inferius exprimetur. In primis siquidem voluit, statuit et ordinavit, quod predictus dominus abbas Appamiarum et successores sui habeant, teneant et possideant in perpetuum pro sua provisione villam sancti Felicis de Rivotorto, cum omnibus juribus et pertinentiis suis, ita quod ratione dicte ville, prefatus dominus abbas camerarie quinquaginta solidos Tholosanos annis singulis solvere teneatur, quos dicta cameraria consuevit ibi percipere ab antiquo. Item foresapia venditionum et impignorationum, que abbas vel cellerarius percipere consueverunt ratione possessionum feudalium ville Appamiarum et de Alammanis, et de Villanova, et de Manso. Item questas omnium fortiarum, quas nunc tenet monasterium Appamiarum, pront ab antiquo percipi consueverunt a predecessoribus ipsius abbatis. Item questas de Artuz et agraria de Artuz, de Lastapias, de sancto Victore, et illorum hominum quos in villa Appamiarum habet dictum monasterium, qui questam dare consueverunt. Item questam Casalis de Sumpseio. Item questam Barrii quod est juxta monasterium supradictum. Item censum seu tributum, quod Judei de villa Appamiarum tenentur reddere annuatim. Item boariam et alia temporalia que Petrus de Montenespleo canonicus tenet et tenere debet in vita sua ultra flumen Aregie, post decessum tamen ejusdem Petri, et alios casales, quos dictum monasterium habet ultra flumen Aregie, qui non sunt aliquibus prioratibus assignati. Insuper provideatur predicto domino abbati et successoribus suis a communitate predicti monasterii, cum presens fuerit, in cotidianis victualibus sicut duobus canonicis de domo providetur. Item provideatur uni clerico et duobus scutiferis suis, sicut aliis de familia dicte domus, in cibo et potu. Insuper duobus troteriis suis, sicut est consuetum provideri troteriis abbatis. Item provideatur de communitate quatuor equitaturis dicti abbatis in avena, paleis et ferraturis cum fuerit presens. Item procurentur hospites dicti abbatis de communi more hospitum. Item quando exibit monasterium de consilio et assensu conventus pro communi utilitate monasterii, provideatur eidem in expensis necessariis moderate secundum possibilitatem monasterii supradicti, ita quod cellerarius vel alius canonicus sibi a conventu deputatus qui secum eat, ei expensas hujusmodi administret, et hiis omnibus supradictis tantummodo predictus abbas et successores sui pro se et familia sua sint contenti. Preterea statuit, voluit et ordinavit dominus episcopus supradictus quod administrationes seu prioratus et alia beneficia que inferius continentur, de communi assensu conventus vel majoris partis per abbatem et sanioris (*sic*) canonicis ejusdem monasterii conferantur; videlicet : sacristia cum omnibus juribus et pertinentiis suis prout melius et plenius ea habere, tenere et percipere consuevit. Item administratio operis cum redditibus et obventionibus suis et aliis eidem operi deputatis. Item cameraria cum ecclesiis de Varinola et de Juliaco et aliis omnibus juribus suis. Item infirmitorium cum ecclesia de Verneto et aliis juribus suis. Item prioratus de Adalone, prioratus de Praderiis cum ecclesiis sancti Baudilii et de Ussato. Prioratus de Pugiolo cum ecclesiis de Genaco et de Alveriis. Prioratus de Vallibus cum ecclesia de Arvinano. Prioratus de Castlardo cum omnibus juribus suis, sicut melius et plenius Ramundo Bernardi canonico fuit assignatus per venerabilem patrem dominum archiepiscopum Narbonensem et dominum episcopum Tholosanum. Prioratus de Montealto, prioratus de Creone, prioratus de Verneto de Cantaraina, cum casalibus de Bonaco et de Frostels, et cum aliis juribus suis, prout melius nunc tenet Ugo de Castlardo canonicus. Prioratus de Avezaco, prioratus de sancto Amatore cum ecclesia de Crivocroso,

prioratus de Faurinhano cum omnibus juribus suis. Prioratus de Exartis cum juribus, que percipit in ecclesiis de Bria et de Paulaco. Prioratus de Molivilla cum parte decime, quam percipit in ecclesiis de Antiocha et sancti Amantii. Prioratus de Artitio cum decima de Sumpseio. Prioratus sancti Victoris cum ecclesiis de Rioboer et de Maderia.

Insuper voluit, statuit et ordinavit dominus episcopus superius nominatus, quod redditus, proventus, obventiones et alia bona que subsecuntur, applicentur in perpetuum communitati monasterii supradicti, videlicet redditus et proventus tam spirituales quam temporales, quos dictum monasterium in villa Appamiarum et ejus territorio percipere consuevit, hiis exceptis, que abbati sunt superius assignata. Item fortie seu boerie omnes dicti monasterii, et barrium de Manso cum omnibus juribus et pertinentiis suis, exceptis villa sancti Felicis et fortia de Castlardo et aliis juribus que abbati vel aliis canonicis sunt superius assignata. Item territorium sive villarium de Juliaco cum juribus suis temporalibus. Item agraria, decime, primitie et alia jura, que dictum monasterium in villis seu fortiis de Alamannis et de Villanova percipere consuevit, excepta portione capellanie Villenove. Item albergum quod dominus comes Fuxensis facere debet et omnia alia alberga, que fieri debent monasterio supradicto. Item census et oblie, que percipi debent pro grangia de Combalonga et pro domo hospitali de Toro, et pro domo militie Templi de Nogareda, et generaliter omnia alia bona et jura spectantia ad monasterium supradictum, quocumque nomine censeantur, exceptis rebus et juribus dicto abbati vel canonicis superius assignatis, et exceptis redditibus de Bosqueto, quos Ramundus Vitalis, officialis Appamiarum, tenet, et agrariis de Silvatorta, que Ar. Grassi, capellanus Appamiarum, tenet, et ecclesia sancti Martini de Oleriis, quam tenet Stephanus de Lauriaco, et exceptis decimis et primitiis de Fraxineto et de Mediana, quas tenet magister R. David, et villa sancti Amatoris cum juribus suis temporalibus, que modo Petrus Pontii tenet; qui omnes redditus, jura et proventus, que vel quos seculares clerici vel laici supradicti nunc tenent, cum ea vacare contigerit, cum omnibus aliis decimis et primitiis et dominiis, que a clericis vel laicis nomine ejusdem monasterii percipiuntur in decimariis et territoriis ecclesiarum Mansi veteris et de Oleriis, et monasterii supradicti, cum eas vacare contigerit, communitati predicte perpetuo applicentur. Item ecclesia de Cossano cum decimis, primitiis et aliis juribus suis et pertinentiis, quam magister R. David a dicto monasterio tenet, et ecclesia de Calcideriis, quam magister Atho tenet, cum eas vacare contigerit, remaneant in dispositione et ordinatione abbatis et conventus prenominatorum.

Item voluit, statuit et ordinavit, quod duo canonici per abbatem et conventum de ipso monasterio in cellerarios communiter assumantur, qui assumpti incontinenti jurent in manu abbatis, presente conventu, quod negotia domus gerant et bona fideliter administrent, et de omnibus receptis et expensis integre reddant computum domino abbati et conventui, temporibus consuetis quater in anno, et in capitulis Pentecostes et Omnium sanctorum, reddito computo, statim in presentia conventus, reddant claves et officium cellerarie omnino dimittant, et ibidem illi iidem vel alii in cellerarios eligantur, prout superius est expressum.

Hiis ita preactis et ordinatis, sicut superius est expressum, idem venerabilis pater dominus episcopus Tholosanus, voluit, statuit et mandavit, quod predictus dominus abbas et omnes canonici superius nominati et eorum successores, qui pro tempore fuerint, omnia supradicta universa et singula, prout superius sunt expressa et declarata, teneant, custodiant et observent in perpetuum, ita quod per se vel per alios, in solidum vel in parte contra predictam ordinationem nunquam veniant vel venire faciant occulte vel manifeste, vel aliquid faciant quominus omnia supradicta inviolabiliter observentur, ita quod omnes abbates, qui pro tempore fuerint, quando electi et confirmati fuerint, antequam administrent, ordinationem hujusmodi proprio juramento confirment perpetuo observare; alioquin ipso facto careant abbatia. Hoc idem omnes canonici qui pro tempore creati fuerint vel recepti in suam receptionem requisiti per abbatem et conventum facere teneantur; alioquin ipso facto careant canonia. Que omnia supradicta idem dominus episcopus ab eodem abbate et canonicis supradictis, in virtute ab eisdem prestiti juramenti precepit inviolabiliter observari, nisi abbati et conventui communiter et concorditer videatur aliquid addendum, diminuendum vel aliter ordinandum. Retinuit insuper sibi dominus episcopus supradictus de consensu et voluntate abbatis et conventus predictorum, quod si super premissa ordinatione aliqua dubietas oriretur, vel aliquid ambiguum vel obscurum videretur, ipse possit illa omnia vel singula declarare, diffinire vel etiam interpretari, quandocumque vel quotiescumque expediens videretur, quam declarationem et interpretationem abbas et conventus predicti admittere et servare penitus teneantur. Qua ordinatione, arbitrio, seu dicto, sicut superius scriptum est, domino

G. abbati et conventui Appamiarum in capitulo predicti monasterii congregatis, lectis, publicatis et etiam diffinitis, idem dominus abbas et universi et singuli canonici dicti monasterii Appamiarum superius nominati, predictam ordinationem, dictum seu arbitrium expresse et consulte approbantes promiserunt, et tactis sacrosanctis Dei evangeliis, juraverunt omnia supradicta, universa et singula, prout melius et plenius sunt expressa, bona fide inviolabiliter observare, et nunquam contra venire in aliquo, nisi, ut premissum est, abbati vel abbatibus, qui pro tempore fuerint et conventui, communi et concordi assensu videretur aliter ordinandum. Et ad majorem firmitatem habendam in testimonium predictorum, predictus dominus G. abbas, dominus episcopus et conventus prefati presentem paginam sigillorum suorum munimine roborarunt. Acta fuerunt hec in capitulo dicti monasterii, die mercurii post festum beati Gregorii, mense martii anno Domini MDCLXI, in presentia domini Amanevi postulati in archiepiscopum ecclesie Auxitane, domini magistri Bertrandi de Miromonte abbatis Lombariensis, Ramundi Resplandi archidiaconi Lesatensis, Ugonis Mascaro, Ar. Ramundi de Palmeriis, canonicorum ecclesie Tholosane, Stephani Amelii precentoris ecclesie Narbonensis, magistri Pauli capellani domini pape, R. Vitalis officialis Appamiarum, magistri Athonis capellani de Monteesquivo, magistri R. David, magistri Ar. de Albinione, Stephani archipresbiteri Lauriacensis, magistri Ar. Crassi, magistri Pontii Maleti, fratris Pontii de Morero, fratris G. Garini ordinis Predicatorum, magistri Athonis de sancto Victore notarii domini episcopi supradicti, et mei, magistri Petri de Plano notarii domini episcopi Tholosani supradicti, qui hec scripsi et signum meum apposui.

« Nulli ergo nostre confirmationis et moderationis, etc. —. Datum apud Urbemveterem, VIII kalendas decembris, anno secundo. »

171 Orvieto, 13 décembre 1262.

Smaragdo, archiepiscopo Colocensi, mandat ut Olivero, Sirmiensi episcopo, licentiam tribuat transeundi ad Minorum ordinem. (Reg. 26, fol. 59, anni II, nº 33; Potthast 18435.)

«.. *archiepiscopo Colocensi*. Significavit nobis venerabilis —. Datum apud Urbemveterem, idus decembris, anno II. »

172 Orvieto, 13 décembre 1262.

Priori s. Petri Matisconensis mandat quatenus Gaufridum de Sinemuro, Brionensem clericum, Matisconensis diocesis, obtentu episcopi Ostiensis, in ecclesia Lugdunensi « cui diutius in divinis officiis se asserit servivisse », in canonicum recipi faciat. (Reg. 26, anni II, nº 34, fol. 59.)

«.. *priori s. Petri Matisconensis*. Dilectum filium Gaufridum —. Datum apud Urbemveterem, idus decembris anno II. »

173 Orvieto, 22 décembre 1262.

Abbati et capitulo ecclesiae Montis Sion in Jerusalem, ordinis s. Augustini, indulget ut ipsi aut rectores vel fratres domorum ipsis subjectarum ad procurationis exhibitionem vel cujuslibet subsidii alicui nisi duntaxat patriarchae Jerosolimitano vel legatis apostolicis *de latere* compelli possint. (Reg. 26, anni II, nº 35, fol. 59.)

«.. *abbati et capitulo ecclesie Montissyon in Jerusalem, ordinis s. Augustini*. Devotionem vestram apostolicis —. Datum apud Urbemveterem, XI kalendas januarii, anno II. »

174 Orvieto, 22 décembre 1262.

Eisdem indulget ut ad exhibendas collectas, tallias seu pecuniarum summas nisi a legatis *de latere* sedis apostolicae minime compelli possint. (Reg. 26, anni II, nº 36, fol. 59 vº.)

« *Eisdem*, Devotionem vestram etc —, ut in superiori proxima per totum usque anno II. »

175 Orvieto, 5 janvier 1263.

De absolutione Senensium morantium extra civitatem Senensem. Item habetur infra de conditionibus et pactis habitis inter eos et ecclesiam Romanam, capitulo CXXXVII. (Reg. 26, fol. 59 vº, anni II, nº 37 [1].)

« *Magistro Miloni, forisdecano Brivatensi, scriptori nostro*. Dudum reprobi Senenses perdito filio Manfredo, quondam principi Tarentino, cum omnibus adjutoribus et fautoribus suis per felicis recordationis Alexandrum papam, predecessorem nostrum, excommunicationis publice sententia innodato, in turbatione pacis Tuscie et in presumptuosa contrectatione jurium et bonorum

1. Ce résumé est donné en marge du Registre.

Romani imperii dampnabiliter adheserunt, roborantes ex hoc in sua pertinacia dictum Manfredum, Patrimonii beati Petri perfidum et sacrilegum invasorem, seque per hoc predicte sententie laqueis involventes. Unde predecessor ipse primo, et nos postmodum prefatos Senenses caritativis commonitionibus et asperis comminationibus jamdudum invitare curavimus ut ad gremium ecclesie redeuntes, Lucanos et alios apostolice sedis devotos filios de Florentia et aliis partibus Tuscie, qui stare contra publicum hostem pro libertate communi et legitime defensionis justitia elegerunt, nullatenus impugnarent; quin potius illos, quos ex ipsis ceperant, in ejusdem sedis traderent potestate; et quia ipsi monita et comminationes hujusmodi contemptibiliter respuerunt, tibi per nostras dedimus litteras in mandatis ut per te, vel alium ipsos singulis diebus dominicis et festivis, pulsatis campanis et accensis candelis, per omnes civitates et loca Francie, Alamnanie ac circumadjacentium provinciarum, prout tibi videretur expediens, usque ad satisfactionem condignam excommunicatos publice nuntiares et nuntiari per alios et a regibus et principibus ac aliis Christi fidelibus faceres artius evitari. Ceterum, quia nonnulle ecclesiastice et seculares persone diversorum ordinum, religionis et conditionis et etiam dignitatis, predictis Senensibus vel eorum aliquibus erant in diversis pecuniarum summis vel rebus aliis obligate, nos eas ad satisfaciendum illis sic ligatis de hiis pretextu alicujus promissionis, obligationis, juramenti, sententie vel conditionis non debere compelli nostra vel quavis auctoritate alia providentes, voluimus tibique mandavimus ut provisionem hujusmodi personis ipsis specialiter et generaliter in civitatibus et locis predictis procurares sollempniter publicari, inhibendo districtius omnibus judicibus predictis Senensibus vel eorum aliquibus super predictis vel aliis quibuscumque a sede apostolica deputatis et de cetero deputandis, ac subdelegatis eorum ne auctoritate litterarum sedis ipsius, necnon quibuscumque ordinariis, ne auctoritate propria in favorem dictorum Senensium, quamdiu predicto modo ligati fuerint, ad judicium reddendum vel alias quocumque modo sine speciali mandato nostro plenam mentionem de predictis nostris litteris faciente, procedere attemptarent, eosdem judices et subdelegatos super hoc, si opus foret, monitione premissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, ac processus eorum, si quos postmodum pro illis sic ligatis haberi contingeret, denuntiando irritos et inanes. Sane dilecti filii nostri, nobiles viri, Arigolus Acharisii, Andreas et Hugo fratres, filii ejusdem A., cives Senenses, reprobi sensus damnata studia Senensium predictorum prudentie meditationibus advertentes, sano decreverunt consilio declinare ac eidem ecclesie in illo constanter adherere proposito, quo ipsa pro defensione libertatis ecclesiastice ac pacifico statu fidelium perversoribus illis et hujusmodi perversoribus se opponit. Ipsi enim prestantes de parendo super premissis mandatis ipsius ecclesie juramentum, ac eligentes magis acerbitatem pati exilii quam dulcedine natalis soli cum ipsorum reproborum participio demulceri, civitatem Senensem per devotionis habundantiam reliquerunt, se ad terram ecclesie ac devotorum ejus cum suis familiis transferendo. Nos autem, qui more paterno in reditu filiorum quos error a devotione subduxerat, specialius delectamur, aperuimus eis tam paterne gratie, quam materne mansuetudinis amplum sinum, et ipsos ab hujusmodi et universis excommunicationis et interdicti sententiis quas eadem sedes in dictos cives Senenses et eorum terram propter premissa et suam indevotionem generaliter promulgavit, juxta formam ecclesie duximus misericorditer absolvendos, suscipientes ipsos cum omnibus bonis suis sub protectione beati Petri, ejusdem sedis et nostra, et admittentes eos in nostros et ipsius sedis filios speciales. Cum igitur dilecti filii Chisigius Arigoli et Parisius Ranucci, concives et socii nobilium predictorum in partibus Francie morantes, ad devotionem ecclesie ipsius, sicut intelleximus, venire proponant, discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatenus ipsos, recepto ab eis simili juramento, juxta formam eandem ab hujusmodi sententiis absolvere studeas vice nostra, et tam eos quam dictos nobiles per omnia loca, in quibus petierint, per te et alios denunties absolutos et ad devotionem ipsius ecclesie rediisse, ex parte nostra universis judicibus eis a sede apostolica deputatis et subdelegatis ipsorum, ac locorum ordinariis nuntiando, ut eis studeant plenam de prefatis suis creditoribus justitiam exhibere. Contra alios autem Senenses cives qui, in sua protervia perdurantes, ad sinum prefate ecclesie matris sue redire recusant, tanto diligentius procedere studeas juxta traditam tibi formam, quanto ipsi magis videntur animarum suarum interitum affectare, dum perire potius eligunt quam parere. Datum apud Urbemveterem, nonis januarii, anno II. »

In eundem modum eidem magistro. Dudum etc. usque Sane dilecti filii, nobiles viri, Raynerius et Gabriellus Rusticini et Henricus, filius ejusdem R., cives Senenses etc. usque Cum igitur dilectus filius Bernardinus Prioris, concivis et socius eorundem nobilium etc. ut supra.

In eundem modum eidem. Dudum etc. usque Sane dilectus

filius, nobilis vir, Hugo Hugolini Gentilis, civis Senensis etc. usque. Cum igitur Gentilis Hugolini, concivis et socius ejus, etc. ut in prima.

In eundem modum eidem. Dudum etc. usque Sane dilectus filius, nobilis vir, Tesus Paganelli, civis Senensis etc. usque Cum igitur dilectus filius Tengus Paganelli, concivis et socius dicti nobilis etc. ut in prima.

In eundem modum eidem. Dudum etc. usque Sane dilecti filii, nobiles viri, Campolus Albici, Bandus et Transmundus ejus filii et Giacoppus Giani, cives Senenses etc. usque Cum igitur dilecti filii Arigolus, Griphus et Gianus filius Giaccoppi Giani, concives et socii nobilium predictorum etc. ut in prima.

In eundem modum eidem. Dudum etc. usque Sane dilceti filii, nobiles viri, Ugo Incontratus, Deus et Guido Luteringi cives Senenses etc. usque Cum igitur dilectus filius Tavena Lutteringi concivis et socius nobilium predictorum etc. ut in prima.

In eundem modum eidem. Dudum etc. usque Sane dilecti filii Jacobus et Meus Tovene et Meus et Tengus Incontrati et Geri Bonincuntri, cives Senenses etc. usque Cum igitur dilectus filius nobilis vir Vivianus Detavive, concivis et socius Senensium predictorum etc. ut in prima.

In e. m. eidem. Dudum etc. usque Sane dilecti filii nobiles viri Nottus Giovannus, Alexander, Campolus et Bonutius Salimbene, cives Senenses etc. usque Cum igitur dilecti filii Palmerius Guidi Sarraceni concivis et socius eorundem nobilium etc. ut in prima.

In e. m. eidem. Dudum etc. usque Sane dilecti filii, nobiles viri, Raynerius et Guillelmus Benaki, cives Senenses etc. usque Cum igitur dilectus filius magister Guillelmus Raynerii concivis et socius eorundem nobilium etc., ut in prima.

In e. m. eidem. Dudum etc. usque Sane dilectus filius nobilis vir Hugo Guidonis Sarraceni, civis Senensis etc. usque Cum igitur dilectus filius Palmerius Guidi Sarraceni, concivis et socius ejus etc. ut in prima.

In e. m. eidem. Dudum etc. usque Sane dilecti filii nobiles viri Bonincuntrus Africantis et Jacopinus Guastelloni et Guastellinus Johannis cives Senenses etc. usque Cum igitur dilecti filii Johannes Africant et Gualterus Africani concivis et socius nobilium predictorum etc. ut in prima.

In e. m. eidem. Dudum etc. usque Sane dilecti filii nobiles viri Bernardinus Raynaldini et Lore Paganelli cives Senenses etc. usque Cum igitur dilecti filii Crescentius Raynerii et Minus Guidi concives et socii nobilium predictorum.

In e. m. eidem. Dudum etc. usque Sane dilecti filii nobiles viri Recovarus Bonaguide et Pescone, filius ejus, cives Senenses etc. usque. Cum igitur Mannus Recovari et Vitalionus Vitalioni concives et socii nobilium predictorum etc. ut in prima.

In e. m. eidem. Dudum usque Sane dilecti filii nobiles viri Petrus et Andreas Christofori, Guillelmus et Meus Raynaldi, eorum nepotes, cives Senenses etc. usque Cum igitur dilectus filius Minus Christofori, Fridericus Doni, Tebaldus Alteville et Andreas Christofori concives et socii nobilium predictorum etc. ut in prima.

176 Orviéto, 31 décembre 1262.

Obtentu J., s. Mariae in Cosmidin, et N., s. Eustachii diaconorum cardinalium, Arnoldo de Los, praeposito ecclesiae Coloniensis, facultatem concedit conferendi personae idonae praebendam, quam in ecclesia Monasteriensi Monasteriensis episcopus tempore promotionis possidebat. (Reg. 26, anni II, n° 38, fol. 60 v°.)

« *Arnoldo de Los, preposito ecclesie Coloniensis.* In desideriis nostris —. Datum apud Urbemveterem, II kalendas januarii, anno II°. »

177 Orvieti, 4 janvier 1263.

Magistro Marino, capellano apostolico, quondam Capuano electo, « quia circa Romanam ecclesiam studiosis ab olim et praesertim in officio cancellariae claruit servitiis » canonicatum in Turouensi ecclesia confert. (Reg. 26, anni II, n° 39, fol. 60 v°.)

« *Magistro Marino, capellano nostro, quondam Capuano electo.* Clara probitatis tue —. Datum apud Urbemveterem, II nonas januarii, anno II°. »

178 Orvieto, 4 janvier 1263.

Decano ecclesiae Magdunensis, et magistro Waltero committit ut magistrum Marinum in canonicatus possessionem in ecclesia Turonensi mittant. (Reg. 26, anni II, n° 40, fol. 61.)

«.. *decano ecclesie Magdunensi, Aurelianensis diocesis, et magistro Waltero, dicto Rubeo, canonico Aurelianensi.* Clara probitatis merita —. Datum ut alia. »

179 Orvieto, 4 novembre 1262.

Archiepiscopo Bracharensi mandat quatenus consideratione O., s. Adriani diaconi cardinalis, Egidium Martini, clericum Ulixbonensem, in aliqua cathedrali ecclesiae Portugalliae in canonicum recipi faciat. (Reg. 26, anni II, n° 41, fol. 61.)

«.. *archiepiscopo Bracharensi.* Honestatis debito suadente —. Datum apud Urbemveterem, II nonas novembris, anno II°. »

180 Orvieto, 31 décembre 1262.

Abbatibus de Steivelt et de Hamburne committit ut clerum Coloniensis civitatis, diocesis et provinciæ compellant ut vi-

cesimam archiepiscopo Coloniensi persolvant. (Reg. 26, anni II, n° 42, fol. 61 v°.)

«.. *de Steivelt et.. de Hamburne monasteriorum abbatibus, Premonstratensis ordinis, Coloniensis diocesis.* Devotionis affectum abicit—. Cum igitur venerabilis frater noster.. archiepiscopus Coloniensis, nobis exposuit, Coloniensis ecclesia, que sic erga omnes metropolico sibi jure subjectos jura materne affectionis observat, quod quantum est in ipsa, nulla que sunt genitricis, omittit, particeps adversitatis et prosperitatis eorum, diversorum fuerit malignantium et potentum attrita molestiis et injuriis lacessita, et propter hoc prelati ejus, qui fuerunt pro tempore, dura necessitate compulsi pro defensione libertatum et jurium ipsius expensas subierint non modicas, et gravia contraxerint onera debitorum, que propter usurarum voraginem adeo excreverunt, quod dicta ecclesia sine gravi jactura et non minima destructione mobilium et immobilium bonorum suorum ab eisdem nequit debitis liberari; nos dignum reputantes et equum, ut filii locupletes subventionis auxilia debeant in matris egentis subsidium erogare, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatenus vos vel alter vestrum universos de clero civitatis, diocesis et provincie Coloniensis, cujuscumque ordinis vel conditionis existant, quod eidem archiepiscopo vicesimam proventuum ecclesiasticorum suorum a festo Resurrectionis dominice proximo venturo usque ad biennium annuatim exhibeant, in solutionem debitorum hujusmodi per manus vestras integraliter convertendam, monitione premissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compellatis. Non obstante —. Datum apud Urbemveterem, II kalendas januarii, anno II. »

181 Orvieto, 18 janvier 1263.

Episcopo Sagiensi mandat quatenus Guillelmum, dictum Merulam, de ecclesiastico beneficio providere procuret. (Reg. 26, anni II, n° 43, fol. 61 v°.)

«.. *episcopo Sagiensi.* Constitutus in presentia nostra dilectus filius Guillelmus, dictus Merula, pauper clericus tue diocesis, nobis humiliter supplicavit ut cum ipse, sicut asserit, nullum sit beneficium ecclesiasticum assecutus, provideri sibi de benignitate apostolica mandaremus. Licet autem clericus ipse, quem per venerabilem fratrem nostrum.. episcopum Liddensem, examinari fecimus diligenter, inventus fuerit in litteratura competenter ydoneus ad ecclesiasticum beneficium obtinendum; tamen quia nobis de ipsius vita et conversatione non constitit, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatenus circa vitam et conversationem ejusdem clerici inquisitione diligenti premissa, si eum vite laudabilis et honeste conversationis esse reppereris, et alias non sit beneficiatus, aliudque canonicum non obsistat, de aliquo ecclesiastico beneficio cum cura vel sine cura ad collationem vel presentationem dilectarum in Christo filiarum.. abbatisse et conventus monasterii de Almeneschiis, ordinis sancti Benedicti, predicte diocesis, pertinente consueto clericis secularibus assignari, siquod in tua vel aliena civitate aut diocesi vacat ad presens, seu quamcito se facultas obtulerit, si nondum alii de beneficiis ad earundem abbatisse et conventus, collationem seu presentationem spectantibus mandavimus provideri, eidem clerico, dummodo velit in illo personaliter residere auctoritate nostra per te seu per alium providere procures, inducens eum in ipsius corporalem possessionem et defendens inductum ac faciens ipsum in ecclesia in qua sibi provideri contigerit, si collegiata existat, postquam de illo vacante sibi provisum fuerit, in canonicum recipi et in fratrem. Non obstante etc. — Contradictores etc. —. Ita tamen quod idem clericus ad ordines, quos requirit onus beneficii de quo sibi duxeris providendum, statutis temporibus se faciat promoveri. Mandatum nostrum taliter impleturus, etc. Datum apud Urbemveterem, XV kalendas februarii, anno II. »

182 Orvieto, 19 janvier 1263.

Januenses obsecrat ut a confœderatione Palaeologi, imperatoris Graecorum, desistant. (Reg. 26, anni II, n° 44, fol. 62.)

«.. *potestati, consilio et communi Januensibus spiritum consilii sanioris.* Post frequentes ammonitiones quibus apud vos per litteras et nuntios institimus, ut a confederatione Paleologi scismatici totaliter recedentes, ad sinum matris ecclesie, a quo propter hoc excidistis, humiliter rediretis, super ardentiori studio universitati vestre mandavimus, obsecrantes vos per aspersionem sanguinis Jesu Christi ut Deum vestramque salutem habentes pre oculis, nuntio ipsius P. qui ad vos veniens stipendiare bellatores ac galeas et naves contra Constantinopolitanum imperium et Latinos existentes ibidem, immo verius contra Romanam ecclesiam et catholicam fidem conducere intendebat a vobis, non preberetis aliquod in hac parte consilium, auxilium, vel favorem, nec locaretis ei galeas aliquas sive naves, nec locari ab aliis pateremini, nec etiam ipsum in vestra civitate vel districtu stipendiare sustineretis aliquos

bellatores, quinimmo eundem licentiantes nuntium, et ad mandatum ipsius ecclesie redeuntes, ab omni confederatione dicti scismatici totaliter recedere curaretis, non obstantibus aliquibus juramentis a vobis prestitis in robur confederationis ejusdem, a quibus, cum essent iniquitatis vincula, vos duximus absolvendos, notificantes vobis quod nos vestros in hac parte processus, carissimis in Christo filiis nostris.. Francorum,.. Anglorum,.. Castelle,.. Aragonum,.. Portugallie et.. Navarre illustribus regibus, et dilecto filio, nobili viro.. comiti Provincie, ceterisque christianis principibus et baronibus ecclesiasticis et mundanis tam in cismarinis quam in ultramarinis partibus constitutis, exposito eis qualiter propter hoc excommunicationis estis innodati vinculo, intimare diligentius curaremus, ac induceremus eos, ut vos tamquam excommunicatos artius evitarent, nec permitterent vos in terris eorum morari, et alias super hoc providerent, prout cultui Catholice fidei ac prospero statui rei publice christianitatis cognoscerent expedire. Vos autem firma radice conceptam malitiam prosequentes, non solum ab hujusmodi confederatione recedere non curastis, verum etiam ipsi nuntio galeas et naves locare, et quammultos bellatores dicimini presumptione dampnabili concessisse in non minimum mandatorum nostrorum contemptum et fidei predicte periculum manifestum. Quamvis autem adeo super hiis late pateant culpe vestre quod vix potest sine quadam culpa circa ipsas relaxari vel differri vindicta ; tamen memoria devotionis antique, qua pro utilitatibus ecclesie supradicte, dispendia rerum et personarum pericula dudum parvipendere didicistis, in nobis zelum temperant ultionis, et experiri nos cogit an adhuc in vobis aliqua, sicut speramus, ipsius devotionis scintilla remanserit, que in ignem filialis caritatis valeat reaccendi, ut si ad improbam matris instantiam in saniora consilia deliberaveritis vos referre in ipsius sinum claudi nescium redeuntibus, vos cum exultatione ac letitia resumamus, et si elegeritis perire, munde sint a vestro sanguine manus nostre. Hinc est quod nos eandem vestram universitatem attente rogandam duximus et hortandam, vobis per iterata scripta mandantes, et obsecrantes vos per divinum judicium et aspersionem sanguinis supradicti, quatenus saltem hac vice, monitis pie matris super vos amare dolentis obtemperantes humiliter et devote, a confederatione prefati scismatici verbis et operibus recedatis, abjuretis omnes promissiones, conventiones, confederationes, pacta et juramenta, quibus eidem scismatico tenebamini, revocetis bellatores et galeas et naves, quos ei, prout publica vulgavit infamia, transmisistis, et ad ipsius ecclesie gremium redeatis, satisfactionem plenam et debitam de premissis insolentiis impendendo, ac cavendo sufficienter, quod de cetero ipsi scismatico nullatenus adherebitis, vel prestabitis ei vel suis nuntiis consilium, auxilium vel favorem publicum vel ocultum, necnon specialem syndicum plenum a vobis mandatum de adimplendo per omnia sedis apostolice beneplacitum et parendo precise super hiis mandatis apostolicis obtinentem, ad sedem ipsam infra unum mensem a receptione presentium transmittendo. Alioquin scire vos volumus et pro certo tenere, quod non solum hujusmodi vestras insolentias regibus, comiti, principibus et baronibus supradictis intimare curabimus, sicut superius est expressum, ac ipsos inducere, ut vos tamquam excommunicatos evitent, nec permittant vos in eorum terris morari, et alias super hoc provideant quod fidei Catholice, ac rei publice christianitatis viderint expedire verumetiam procedemus contra vos ad privationem archiepiscopalis dignitatis et privilegiorum, quibus sedes apostolica vos hactenus insignivit, ac omnium bonorum vestrorum, et etiam alias, prout cultui fidei, statui christianitatis et animarum vestrarum saluti expedire videbimus, et obstinationis vestre proterviam promereri. Datum apud Urbemveterem, XIIII kalendas februarii, anno II°.

In eundem modum.. archiepiscopo Januensi. etc. — Datum ut supra, XIII kalendas februarii, anno II°. »

183 Orvieto, 1er février 1263.

Ludovicum, regem Francorum, hortatur ut *denarium Dei* in subsidium Terrae Sanctae in suo regno colligi faciat. (Reg. 26, anni II, n° 45, fol. 62 v°.)

« .. *illustri regi Francorum.* Quia novimus, christianissime princeps, quod tu eximie devotionis claritate prefulgidus, terre sancte necessitates advertens, ejus profectibus ferventer intendis ac operose sollicitudinis studio intentoque prosequeris animo, quecumque illi profutura cognoscis, regie serenitatis clementiam tanto fiducialius in cunctis utilitatibus ejusdem terre requirimus, quanto certiores existimus quod in hiis semper, etiam irrequisitus, inveniris promptus et diligens per te ipsum. Cum itaque dilectus filius nobilis vir Gaufridus de Serzina, regni Jerosolimitani senescallus, pro predicte terre defensione moram trahens in partibus transmarinis, sic totaliter Crucifixi obsequiis deputaverit se et sua, sicque totum quasi ejusdem terre pondus suis assumpserit humeris supportandum, quod cunctis studiis cunctisque laboribus defensioni hujusmodi per-

sonaliter imminens, pro ejusdem terre comodis hactenus vigilavit utiliter ac vigilat incessanter, nos ad ipsum digne decrevimus manum apostolice provisionis extendere, cum subveniendo illi subveniatur per consequens dicte terre. Verum, quia *denarius Dei* qui nonnunquam per loca regni tui ab emptoribus venditoribus exhibetur, in pios usus erogari seu distribui consuevit, nos provida consideratione pensantes quod hujusmodi denarius vix umquam converti posset in majoris pietatis opus quam in terre subsidium prelibate, celsitudinem tuam rogandam duximus attentius et hortandam, quatinus per tuos balivos et officiales facias mercatores burgenses et quoscumque alios regni tui diligenter induci, ut hujusmodi denarium predicte terre subsidio studeant liberaliter exhibere ac statuas seu statui facias qualiter in singulis civitatibus ac locis regni predicti tibi subjectis, hujusmodi denarius per personas ydoneas ad hoc deputandas annis singulis fideliter et integre colligatur et deponatur in aliquo tuto loco, assignandus postmodum certo nuntio predicti nobilis dicte terre servitio personaliter insistentis, et per nobilem ipsum in ipsius terre profectus, prout expedire viderit, convertendus. Nos enim de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui hujusmodi denarium integre solverint, collegerintque fideliter, et qui propter hoc sollicite laboraverint ac dederint ad id opem et operam efficacem, viginti dies de injunctis eis penitentiis misericorditer relaxamus. Datum apud Urbemveterem, kalendis februarii, anno II. »

In eundem modum .. illustri regi Navarre. Cum itaque dilectus filius nobilis vir, Gaufridus de Sarzina, etc., ut in proxima superiori usque, verum quia *denarius Dei*, qui nonnunquam per loca et nundinas Campanie, Brie atque Trecensis comitatuum tuorum, etc., usque quoscumque alios eorundem comitatuum diligenter induci, etc. usque locis et specialiter in nundinis ipsorum comitatuum, etc., ut in alia per totum »

184 Orvieto, 8 janvier 1262.

Archiepiscopo Coloniensi indulget ut per se vel per aliquem seu aliquos religiosos viros eandem suam provinciam pro anno proximo futuro valeat visitare ac procurationes, ratione hujusmodi debitas, exigere. (Reg. 26, anni II, n° 46, fol. 63.)

« .. *archiepiscopo Coloniensi.* Merita tue devotionis —. Datum apud Urbemveterem, VI idus januarii, anno II°. »

185 Orvieto, 31 décembre 1262.

Abbatibus de Steivelt et de Hamburne mandat ut usque ad biennium archiepiscopo Coloniensi exhiberi faciant proventus beneficiorum vacantium. (Reg. 26, anni II, n° 47, fol. 63.)

« .. *de Steivelt et .. de Hamburne monasteriorum abbatibus, Premonstratensis ordinis, Coloniensis diocesis.* Cum sicut venerabilis frater noster .. archiepiscopus Coloniensis, nobis exposuit, Coloniensis ecclesia, que sic erga omnes metropolitico sibi jure subjectos, jura materne affectionis observat, quo I quantum est in ipsa, nulla que sunt genitricis, omittit, adversitatis particeps et prosperitatis eorum, diversorum fuerit hactenus malignantium et potentum attrita molestiis et injuriis lacessita, et propter hoc prelati ejus qui fuerunt pro tempore, dura necessitate conpulsi, pro defensione libertatum et jurium ipsius expensas subierint non modicas et gravia contraxerint onera debitorum, que propter usurarum voraginem adeo excreverunt, quod dicta ecclesia sine gravi jactura et non minima distractione mobilium et immobilium bonorum suorum ab eisdem nequit debitis liberari, nos dignum reputantes et equum ut ei tamquam matri de bonis ecclesiarum Coloniensis civitatis, diocesis et provincie competentia proveniant subsidia pro exoneratione hujusmodi debitorum, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatinus dicto archiepiscopo proventus beneficiorum que vacant ad presens et de cetero vacabunt, usque ad biennium in eisdem civitate, diocesi et provincia pro uno anno faciatis integre exhiberi in solutionem debitorum hujusmodi convertendos. Contradictores, etc., non obstante, etc. — Datum apud Urbemveterem, II kalendas januarii, anno II. »

186 Orvieto, 31 décembre 1262.

Archiepiscopo Coloniensi concedit ut uni clerico in secularibus ecclesiis collegiatis Coloniensis diocesis canonicatum quamprimum vacaturum conferre valeat. (Reg. 26, anni II, no 48, fol. 63.)

« *E., archiepiscopo Coloniensi.* Quia inter prelatos —. Datum apud Urbemveterem, II kalendas januarii, anno II°. »

187 Orvieto, 25 janvier 1263.

De subsidio imperio Constantinopolitano et Terrae Sanctae adhibendo. (Reg. 26, anni II, n° 49, fol. 63 v°.)

« .. *archiepiscopo Bituricensi et ejus suffraganeis.* Uni-

genitus Dei filius, Jesus Christus, ut hominem quem plasmarat, diabolica postmodum fraude deceptum et dire servitutis addictum, jugo redimeret, de summis celorum ad ima descendens, pastoris peregit officium et pontificis partes diligenter implevit. Ipse namque pastor bonus pro suis ovibus animam suam ponens, ipse bonorum assistens pontifex futurorum et in ara crucis hostiam immaculatam offerens, sanctissimum corpus suum, eterna redemptione inventa, semel in sancta peramplius et perfectius non manufactum tabernaculum introivit. Verum hic vere pastor egregius, hic pontifex summe summus, cui dedit omnia Pater in manu, cui data est omnis in celo et in terra potestas, cujus sunt gentes hereditas, cujus sunt termini terre possessio, cum dilexisset suos qui erant in mundo, eos etiam in fine dilexit. Licet enim ipse celos penetrans, celos ascenderit et excelsior celis factus in dextera sedis magnitudinis superne consideat, sanctorum minister et tabernaculi veri, quod fixit Dominus et non homo, ne tamen genus humanum, quod ipse suo sanguine pretioso redemerat aspersione ipsius expiando veteris piaculi cautionem, destitutum pastoris cura relinqueret, vicarium reliquit in terris, beatum scilicet eterne vite clavigerum, et militantem ecclesiam quam ipsius regimini deputavit, solida firmitate stabiliens, celestis et terreni simul imperii, sibi et ejus successoribus in eodem jura commisit, pari cum ipso apostolorum principe, immo eadem potestate functuros, ut iidem nomen vicarii non inane gerentes, libere commissas sibi vices adimpleant, in celo et in terra potestate recepta, per quam et errata corrigant, et errantes dirigant, et de omnibus in oportunitate disponant. Cum sit igitur nobis, meritorum nostrorum supplente defectum miseratione divina, hujusmodi commissa potestas, cum vices geramus illius qui se morti tradidit ut, mortem moriendo destruens, nos ab eterne mortis nexibus liberaret, tenemur et nos ipsius beneplacitis exequendis et subditorum relevandis necessitatibus magnopere curas nostras impendere, ut prosequamur, quantum nobis ex alto permittitur, commisse vicis ministerium, et pro omnibus que nobis retribuit bonorum omnium retributor, ei de receptis ab ipso saltem aliquid rependamus. Propter quod, mirandum occurrit quod misse nobis nuper vestre littere, ac nuntiorum vestrorum relatio, super quibusdam que nobis procul dubio persuasit pietas et officii necessitas incumbentis exegit, amaras videbantur continere querelas, ecclesiam Gallicanam super variis subventionibus, multiplicibus beneficiorum collationibus per nos factis, frequentibus et immoderatis procurationibus, per nuntios nostros extortis gravatam multipliciter etiam nostris temporibus asserentes. Nam si ad subventiones aliquas pro ecclesia Romana petitas vestra feratur intentio, in publicum prodit sine causa querela, cum nullum processerit, sicut nostis, in hac parte gravamen. Quamquam enim eidem ecclesie que, priusquam fuerimus ad regimen ipsius assumpti, eris alieni gravi et importabili quasi onere premebatur, multa et ardua incumberent et incumbant, nos tamen super predictis, vestro licet necessario nondum implorato subsidio, in hiis et aliis anxietates subimus innumeras, ut vestra et aliorum gravamina quantum possumus evitemus.

Quod si ad ea que per nos et fratres nostros pro imperii Constantinopolitani et Terre Sancte necessitatibus sunt provisa, vester quo ad hoc dirigitur intellectus, vellemus circumspectionem vestram diligentius attendisse, quod omnes sumus unum corpus in Christo, vellemus vos attenta consideratione notasse quam sit nobile membrum universalis ecclesie Constantinopolitanum imperium et forsan subtractionem ipsius ab ejusdem ecclesie unitate non possetis equanimiter tolerare. Puderet enim vos, cum ejusdem corporis tam grandia membra sitis, insensibilitatis argui per prophetam ex eo, quod non solum in ejusdem imperii occupatione percussi et lesi graviter non doletis, sed etiam in tam gravi lesione medicum aspernari videmini cum lenitate medentem, dum pro ipso imperio exhortationibus benigne monentis petita subventio non coactione jubentis extorta querelandi vobis videtur materiam prestitisse, cum tamen petitionem hujusmodi oblationis promptitudine debuisset vestra devotio prevenire, nunc precipue, nobilissima scilicet civitate Constantinopolitana, que caput est ipsius imperii, per scismaticos pro dolor! occupata, et carissimo in Christo filio nostro B., imperatore Constantinopolitano illustri, miserabiliter exulare coacto. Ceterum, quia dum monitionibus circa caros insistitur, licet ipsi monentis instantie obstaculum noluntatis opponant, non tamen est desistendum a ceptis, nos qui sincera vos in Domino caritate complectimur, et plenis desideramus affectibus memorato imperio subvenire, de ipsorum fratrum consilio monitionibus insistimus solitis, et vos exhortationibus quibus possumus invitamus ut in spiritu pietatis eidem imperio compatiamini, sibi petite subventionis dexteram porrigendo, ne idem imperium in Christiane religionis obprobrium ab eisdem scismaticis occupatum detineatur ulterius, sed ipsius liberatio vestro proventura subsidio vobis apud homines laudem pariat et meritum comparet apud Deum.

Porro circa Terre Sancte subsidium prudenter ves-

tra remurmuratio substitisset, ad quod deceret vos potius per compassionis debitum favorabiles et propitios inveniri, ut meditatione debita recensentes, quod et principes seculares et alii laici ad vindicandas nostri Redemptoris injurias se frequenter et potenter spontanei accingunt, ad liberationem dicte terre se periculis et sua dispendiis liberaliter exponentes, nequaquam ipsi, tante necessitatis tempore, immani scilicet Tartarorum imminente tyrampnide, subventionem de ipsius Redemptoris patrimonio negaretis. Profecto multa clericis, et prelatis precipue, causa pudoris ingeritur, si nolint ipsi onera levia digito movere pro Domino, et laici fere importabilia gaudenter et libenter assumant, si clerici contra persecutores nominis christiani de Christi patrimonio subventionem denegent, et laici eos de bonis propriis personarum non vitando pericula persequantur. O quantus rubor, si recte pensetis, sic in regno celorum a laicis preveniri! Confortet vos itaque talis consideratio ad subveniendum misericorditer ipsi terre, nec patiamini vos in hiis amaritudine tanta perfundi ut non desit, presertim nobis ecclesie regimini presidentibus, terre prefate succursus, qui ad illum procurandum pro viribus eo amplius et officio et affectione tenemur, quo specialiori caritatis affectu ad ipsam afficimur et plenius gerendo inibi patriarchatus officium vidimus et palpavimus necessitates ipsius. Cum igitur urgens compellat necessitas, pungens artet conscientia, ingens ad hoc invitet affectus, terre predicte nullo modo deesse proponimus, sed eidem firmo proposito adesse intendimus, quantum cum Deo poterimus toto posse. Propter quod ad collectionem centesime ipsius terre succursui per nos de predictorum fratrum consilio usque ad quinquennium deputate, per venerabilem fratrem nostrum .. Tyrensem archiepiscopum, cui hoc per alias litteras nostras commisimus, decrevimus procedendum, universitati vestre per apostolica scripta mandantes quatinus illius obtentu qui terram illam sue nativitati, conversationi, passioni et morti delegit et ob reverentiam apostolice sedis et nostram ac vestre contemplatione salutis circa hoc sic promptos, benivolos et favorabiles vos exhibere curetis, quod id prestitisse potius offerentium liberalitas videatur quam jubentis auctoritas exegisse.

Collationem autem beneficiorum, quam in promotionis nostre primordio quamplurium ad nos confluentium, quibus nationis idemptitas, quorumque nonnullis multa notitia et grata ipsorum familiaritas supplicandi prebuit aditum, necessitatem quasi exauditionis indicens multitudo facere nos coegit, non debuisset vestra devotio extimare gravamina; quamquam enim jure potestatis cujus participium in vos et prelatos ceteros a sede apostolica derivatur utendo beneficia in regno Francie quandoque contulerimus, sic tamen moderatas tenuimus ejusdem nostre potestatis habenas, quod et alienigenas perpaucos in ecclesiis regni ejusdem induximus et indigenis vel notis, vel diligenti examinatione seu laudabili testimonio probatis, providere curavimus, ut juxta prophetam ex eodem loco habeant ecclesie vinitores, per quos cultui vinee Domini Sabaoth intendatur attentius, ecclesiarum onera supportentur comodius, et adiciatur efficacius ipsarum comodis et honori. Ex eo tamen quod super provisione plurium vobis per nostras concessimus litteras facultatem, vestras forsitan gravatas ecclesias non negamus, cum sicut audivimus plures per litteras hujusmodi sint recepti, quibus nec vite nec scientie merita suffragantur, nec per eos relevantur ecclesie, sed lugent potius se gravari, et ideo ne in hiis nostra tolerantia sit in culpa, et quod ad gratiam fecimus, nobis impingatur ad nostram, omnes hujusmodi litteras vobis concessas et quicquid per eas factum est hactenus revocamus. Nolumus tamen per hoc hiis, qui forsan in aliquibus ecclesiis talium litterarum auctoritate recepti, jam sunt in eis assecuti prebendas, aliquod prejudicium generari. Sane de procurationibus nuntiorum sedis ejusdem nulla digne potuit maxime nostris temporibus querela prorumpere, cum singulis quos, ut premittitur, non pro nostris, sed pro aliorum necessitatibus ex officii tamen debito misimus, taxaverimus moderatas expensas, et si de ipsorum excessibus aliquod certum ad nostrum perferri contingat auditum, scire vos volumus et tenere pro certo quod eos non intendimus relinquere incorrectos, sed taliter castigare proponimus excedentes, quod eorum pena ceteros a similibus deterrebit. Datum apud Urbemveterem, VIII kalendas februarii, anno II. »

In eundem modum .. archiepiscopo Senonensi et ejus suffraganeis.

In eundem modum .. archiepiscopo Remensi et ejus suffraganeis.

188 Orvieto, 12 janvier 1263.

Balium ac universos barones ceterosque nobiles regni Cypri hortatur ut caveant insidias Palaeologi scismatici, asserentis regnum Cypri ad suum imperium pertinere. (Reg. 26, anni II, n° 50, fol. 64 v°; Potthast 18465.)

« *Balio ac universis baronibus ceterisque nobilibus regni Cypri.* In supremo speculationis —. Datum apud Urbemveterem, II idus januarii, anno II°. »

189 Orvieto, 13 janvier 1263.

De translatione magistri Florentii, episcopi Acconensis, ad ecclesiam Arelatensem. Item de eadem supra capitulo XXXVII [1]. (Reg. 26, anni II, n° 51, fol. 65.)

« *Magistro Florentio, clerico Arelatensi.* Postquam omnipotens Dominus etc. — Ecclesia igitur Arelatensi, que regni Arelatensis metropolis et caput existit, pastoris tunc solatio destituta, nos attendentes quod eadem ecclesia inter alias illius patrie metropoles dignitate ac nobilitate refulget, pensantes etiam quod est in terra dilecti filii, nobilis viri, Caroli, Andegavie ac Provincie comitis, qui personam tuam benivolentia multa prosequitur, constituta, considerantes insuper, quod cum ubilibet Deo fueris per opera laudabilia utilis et exempla salubria fructuosus, edificans multipliciter ad salutem, scires et posses ex data tibi celitus gratia fructus animarum in predicta ecclesia et circumadjacentibus partibus germinare, te de Acconensi ecclesia de fratrum nostrorum consilio ad predictam Arelatensem duximus transferendum, prout in aliis nostris litteris, quas tibi super hujusmodi translatione transmisimus, plenius continetur. Euge ergo, serve bone et fidelis, quem pro eo quod in pauca fuisti fidelis, Christi vicarius constituit supra multa. Euge inquam, et ad sedem apostolicam confidenter et festinanter accede, de tuis et ipsius Arelatensis ecclesie ibidem tractaturus negotiis et favorabiles ab ea gratias, prout secundum Deum oportunum fuerit, percepturus. Ad hoc scire te volumus quod nos, ad hoc ut jura, fructus, redditus et proventus ipsius Arelatensis ecclesie ad opus tuum integre et sine diminutione qualibet conserventur, dilectum filium Nicolaum, clericum tuum, ad eandem Arelatensem ecclesiam misimus, eidem Nicolao et cuidam canonico ipsius Arelatensis ecclesie per nostras sub certa forma litteras injungentes ut hujusmodi jura, fructus, redditus et proventus integre colligere studeant et ad opus tuum fideliter conservare. Verum, quia nos nolentes ulterius sustinere, quod Jerosolimitana ecclesia, que gradum nobis prebuerat, per quem culmen specule superne conscendimus, longiora viduitatis sue tempora deploraret, dilectum filium Willelmum, electum Jerosolimitanum, de Agennensi ecclesia ad eandem Jerosolimitanam apostolica similiter auctoritate transtulimus, absolventes eum a vinculo, quo dicte Agennensi tenebatur ecclesie, ac concedentes sibi licentiam ad dictam Jerosolimitanam libere transeundi. Et quia eadem Jerosolimitana ecclesia facultates habet tenues et exiles, ut nosti, nos predictam ecclesiam Acconensem eidem electo suisque successoribus de predictorum fratrum consilio fore decrevimus committendam, et ab eis una cum dicta Jerosolimitana tamdiu in spiritualibus et temporalibus gubernandam donec eadem Jerosolimitana, bonis ejus recuperatis, possessionem habeat eorundem. Cupientes itaque tales personas ad predictarum Jerosolimitane ac Acconensis ecclesiarum custodiam interim donec idem electus ad partes transmarinas accesserit, deputare, quarum bonitate ac studio eedem ecclesie preservari a noxiis, ad salubria dirigi, et in prosperis, Deo propitio, valeant ampliari, venerabili fratri nostro, fratri Petro, episcopo Ebronensi, et dilecto filio Ade, archidiacono Acconensi, de quorum circumspectione plenam in Domino fiduciam obtinemus, curam et regimen ecclesiarum ipsarum, tam in spiritualibus quam temporalibus per nostras plene commisimus litteras tamdiu gerenda ab eis donec memoratus electus personaliter se ad easdem partes duxerit transferendum, concedentes eis disponendi, precipiendi, ordinandi et percipiendi ac conservandi ad opus ipsius electi ecclesiarum ipsarum jura, fructus, redditus et proventus, ac faciendi libere quicquid bono, prospero et salubri statui ecclesiarum ipsarum expedire viderint, necnon et contradictores quoslibet et rebelles per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendi plenam et liberam facultatem. Ideoque discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus, cum predicte Arelatensis ecclesie jura, fructus, redditus et proventus colligantur et conserventur ad opus tuum, prout superius est expressum, permittas libere ob reverentiam apostolice sedis et nostram, predictos episcopum et archidiaconum similiter jura, fructus, redditus et proventus ejusdem Acconensis ecclesie colligere et ad opus dicti electi, sicut eis injunximus, conservare, nullum in hoc eis difficultatis obstaculum ingerendo, ita quod nos devotionis tue promptitudinem dignis exinde in Domino laudibus merito commendemus. Datum apud Urbemveterem, idus januarii, anno II. »

1. Ce résumé est donné en marge du Registre.

190 Orvieto, 13 janvier 1263.

Jerosolymitanae et Acconensis ecclesiarum capitulis nunciat se ipsis ecclesiis unitis praefecisse G., olim episcopum Agennensem. (Reg. 26, anni II, n° 52, fol. 65 v°.)

« *Jerosolimitane et Acconensis ecclesiarum capitulis cete-*

risque ecclesiarum ipsarum subditis. Presidentibus nobis olim ecclesie Jerosolimitane regimini, ac cernentibus ipsius corpus ecclesie in ejus membris a nonnullis, qui oculos in eadem aviditatis injecerant, crudeliter laniari, de providentia divina processit quod circa ecclesiam ipsam, visceribus compassionis apertis, personam nostram maris et terre periculis exponere nullatenus formidantes, illo nobis viam demonstrante qui novit, et iter prosperum faciente qui potest, ad partes accessimus cismarinas, et sedem apostolicam adeuntes, longam ibidem moram protraximus, prosecutioni jurium ejusdem ecclesie personaliter insistendo. Cumque felicis recordationis Alexandro papa, predecessore nostro, de angusto et tetro carnis carcere vocato ad spatiosum et lucidum celi palatium, omnipotens Dominus, humilitatem nostram ex alto prospiciens, ad summi nos apostolatus apicem sublimasset, de provisione predicte Jerosolimitane ecclesie, que gradum nobis prebuerat per quem culmen specule supreme conscendimus, non immerito cepimus esse solliciti, et, licet ad hoc diu nostra invigilaverint studia fueritque ad id acies apostolice circumspectionis intenta, quia tamen via nobis in hac parte conveniens juxta affectus nostri plenitudinem non patebat, provisionem ipsius ecclesie usque ad hec tempora duximus differendam. Demum igitur hiis diebus diligentius attendentes quod prefata ecclesia gravia poterat in spiritualibus et temporalibus ex vacatione diutina incurrere detrimenta, dilectum filium Guillelmum, electum Jerosolimitanum, a vinculo quo Agennensi tenebatur ecclesie, de fratrum nostrorum consilio duximus absolvendum, ipsum ad predictam ecclesiam Jerosolimitanam auctoritate apostolica transferentes et concedentes ei licentiam ad illam libere transeundi. Et quamvis multe persone nobis note nominate fuerint, que, suis pensatis meritis, et digne forent et reputarentur ydonee ad ipsius Jerosolimitane ecclesie regimen obtinendum, quia tamen odor inclite fame ipsius electi, ac amena sue vite fragrantia velut ardentium fumi aromatum in conspectum nostrum quadam abolim delectabili suavitate conscenderant, quia etiam intelleximus quod idem electus, propter sue probitatis et bonitatis merita, magnum apud carissimum in Christo filium nostrum Ludovicum, illustrem regem Francorum, locum obtinet et favorem, nostros in eum qui zelo fidei et devotionis accensus jam humeris suis pro Terre Sancte subsidio triumphale salvifice signum crucis impresserat, convertimus oculos nostrumque direximus animum ac ejus preelegimus sufficientiam ad hujusmodi patriarchalis dignitatis officium exequendum. Et quia predicta Jerosolimitana ecclesia facultates habet tenues et exiles, nos ecclesiam Acconensem, de qua dilectum filium magistrum Florentium, Arelatensem electum, cupientes ipsum, pensatis sua eminenti scientia sueque probitatis meritis, ad sublimioris dignitatis eminentiam promovere, transtulimus ad vacantem tunc Arelatensem ecclesiam, que regni Arelatensis metropolis et caput existit, eisdem electo Jerosolimitano suisque successoribus de predictorum fratrum consilio fore decrevimus committendam, et ab eis etc., ut in proxima superiori, usque facultatem. Ideoque universitati vestre per apostolica scripta districte precipiendo mandamus quatenus eisdem episcopo et archidiacono de predictis juribus, fructibus, redditibus et proventibus, nomine predicti Jerosolimitani electi integre respondentes, eorum salubria monita et precepta, et quecumque vobis ex parte nostra vel ipsius electi Jerosolimitani injunxerint, efficaciter adimplere curetis. Alioquin sententiam quam iidem vel eorum alter rite tulerint in rebelles, ratam habebimus et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam, appellatione remota, inviolabiliter observari. Datum apud Urbemveterem, idus januarii, anno II. »

1. Le Registre donne en marge ce résumé: *De translatione G., episcopi Agennensis, ad ecclesiam Jerosolimitanam. Item de eadem supra, capitulo LI. Item infra, capitulo LIII. Item capitulo LIIII. Item capitulo LXXXXVIII.*

191 Orvieto, 13 janvier 1263.

Fratri Petro, episcopo Ebronensi, et Adae, archidiacono Acconensi, curam committit Jerosolymitanae et Acconensis ecclesiarum vacantium. (Reg. 26, anni II, n° 53, fol. 66.)

« *Fratri Petro, episcopo Ebronensi et Adæ, archidiacono Acconensi.* Presidentibus olim nobis —. Datum ut supra. »

191 (bis) Orvieto, 12 janvier 1263.

Episcopo Bethleemitano, mandat ut episcopo Ebronensi et archidiacono Acconensi auxilium praestet. (Reg. 26, anni II, n° 54, fol. 66.)

« .. *episcopo Bethlemitano, apostolice sedis legato.* Dum ad sollicitudines et labores, quos insistens in Terra Sancta obsequiis Crucifixi perferre te novimus, aciem mentis nostre convertimus, dum servitia que rei publice christianitatis, exercendo laudabiliter commissum tibi legationis officium, in partibus transmari-

nis hactenus fecisse dinosceris, ad memoriam revocamus, eorum qualitatem et quantitatem interni judicii statera librantes, illa proculdubio et sinceritate placere et pollere multitudine ac excellere magnitudine reperimus, et ideo omittimus hec ad presens commendatoriis explicare sermonibus, verba laudis postponimus nunc de illis, nec ad eorum preconium stilum producimus, sed potius in hiis calamum quodammodo coartamus. Tua namque acta in conspectu sedis apostolice tamquam eximia propatulaque resultant, et sicut que pre nimia claritate latere non possunt, suo se fulgore revera indicant et revelant. Restat igitur ut dicta sedes, que tua gesta et opera in sue regesto memorie conscribit fideliter et conservat, suo loco et tempore oculum ad illa rememorationis inflectat, suaque merita condignis remuneret largitionibus et munificentiis premiorum. Sane scimus amaras angustias, pressuras instantes, et defectus multiplices quibus predicta terra tuaque mens in illa hiis diebus affligitur et gravatur; scimus, inquam, et diros suarum sentimus aculeos passionum, quos in nobis sedula quam habemus de ipsa terra commemoratio, ac tuarum frequentium litterarum series sepe renovant et acuunt ad dolorem; propter quod ad ipsius terre succursum ferventius aspirantes, certa subsidia pecuniaria colligi jam mandavimus per omnia regna mundi que christiana professione censentur, ad ipsius terre profectus, auctore Domino, convertenda. Porro nos sustinere ulterius nequeuntes quod Jerosolimitana ecclesia, de qua fuimus ad apicem summi apostolatus assumpti, longiora viduitatis sue tempora deploraret, dilectum filium Guillelmum, Jerosolimitanum electum, de Agennensi ecclesia, cui utiliter prefuisse ac laudabiliter profuisse dinoscitur, ad predictam Jerosolimitanam ecclesiam de fratrum nostrorum consilio duximus transferendum, absolventes eum a vinculo quo eidem Agennensi ecclesie tenebatur, ac concedentes sibi licentiam ad dictam Jerosolimitanam libere transeundi. Verum quia dictus electus, cum habeat de suis disponere negotiis citra mare, non potest ad predictas partes, prout expediret, celeriter se transferre, nos quorum in te spiritus requiescit et qui etiam de tua sollicitudine tuaque constantia longo jam experimento probata plenam in Domino fiduciam obtinemus, fraternitatem tuam rogandam duximus attentius et hortandam, per apostolica tibi scripta mandantes quatinus, cum consueveris tuis robustis humeris illius terre onera laudabiliter supportare ac esse semper ibidem in persecutionibus solidis longanimis in adversis et in periculis cunctis invictus, terram ipsam saltem donec idem electus illuc accesserit, ob nostram et memorate sedis reverentiam non dimittas, sed interim ejus defensioni constanter insistens, illius comoda more solito procurare non cesses, venerabili quoque fratri nostro, fratri Petro, Ebronensi episcopo, et dilecto filio Ade, archidiacono Acconensi, quibus curam et regimen Jerosolimitane, et Acconensis ecclesiarum commisimus, in spiritualibus et temporalibus tamdiu gerenda ab eis, donec memoratus electus ad predictas partes accesserit, omne quodcumque potes prebeas consilium, auxilium et favorem. Preces et mandatum nostrum super premissis taliter impleturus ut pro multis bonis que in predicta terra fecisse crederis, dicta sedes effectum remunerationis pro tuis laboribus tibi propter hoc cumulet ampliorem. Datum apud Urbemveterem, II idus januarii, anno II°. »

192 Orvieto, 23 janvier 1263.

De sententia lata contra Spoletanos super restitutione terre Arnulphorum. Item quod mittant syndicum ad audiendum mandata domini pape; habetur infra capitulo CXXXVIII. Item capitulo CCXXXVII [1]. (Reg. 29, anni II, n° 55, fol. 66 v°.)

« *Ad perpetuam rei memoriam.* Olim intellecto quod commune Spoletanum detinebant occupatam terram Arnulphorum ad Romanam ecclesiam pertinentem, nos dilectum filium magistrum Raynerium de Viterbio, capellanum nostrum, Spoletum duximus destinandum, sibique dedimus nostris litteris in mandatis, ut in consilio loci ejusdem dictam terram ad demanium ejusdem ecclesie revocaret, ac eidem communi ex parte nostra sub certa pena preciperet ut, terram eandem nobis et eidem ecclesie dimittentes, permitterent ipsam per nuntios nostros regi et libere gubernari. Cumque dictus capellanus fuisset in hac parte mandatum apostolicum executus, et tandem ad castrum Porcarie, situm in eadem Arnulphorum terra, se personaliter contulisset, iidem commune ad dictum castrum universaliter et hostiliter accedentes, illud obsidere ac prefatum capellanum existentem ibidem ut exiret exinde compellere presumpserunt, invadendo temere castrum ipsum pro sue libito voluntatis. Unde, cum tante temeritatis excessus ad nostram audientiam pervenisset, nos dictum commune per dilectum filium magistrum Petrum, dictum Romanum, de Ferentino, capellanum nostrum, quem illuc propter hoc specialiter misimus, fecimus peremptorie citari, ut certo die comparerent per

1. Ce résumé est donné en marge du Registre.

sufficientem syndicum coram nobis super hiis mandatis apostolicis parituri, et ostensuri nichilominus quecumque jura se habere crederent in terra predicta. Porro quidam ambassatores ex parte dicti communis ad nostram presentiam accedentes exhibuerunt nobis et fratribus nostris transcripta quarumdam litterarum quas super dicta terra se habere dicebant: transcriptum videlicet quarumdam litterarum felicis recordationis Innocentii, pape, predecessoris nostri, continentes inter alia quod idem predecessor bone memorie R., sancte Marie in Cosmidin diacono cardinali, in Patrimonio beati Petri in Tuscia, ducatu Spoletano et Marchia Anconitana commisit in spiritualibus et temporalibus vices suas, concedens ei exercendi quicquid honori ipsius ecclesie et utilitati fidelium illarum partium expedire videret in utrisque potestatem. Insuper exhibuerunt transcriptum cujusdam articuli contenti, ut dicebant, in litteris dicti cardinalis, tunc in eodem ducatu vices gerentis hujusmodi; qui quidem articulus talis erat, videlicet quod idem cardinalis, volens exaudire petitiones Spoletanorum quantum indulte sibi auctoritatis se possibilitas extendebat, predictam terram Arnulphorum eisdem in fidelitate ac devotione sedis apostolice perseverantibus concedebat. Exhibuerunt et aliud transcriptum quarumdam litterarum dicti predecessoris in quo narrabatur quod idem cardinalis quedam eis duxerat concedenda, quodque idem predecessor confirmabat quod per eundem cardinalem provide factum erat. Tertium quoque transcriptum produxerunt quarumdam litterarum pie memorie Alexandri pape, predecessoris nostri, quod erat continentie talis, videlicet quod idem predecessor A. omnia castra, villas, tenimenta, jura, conditiones et consuetudines eorum Spoletane civitatis et diocesis, sicut ea omnia juste ac pacifice possidebant, eisdem Spoletanis de novo concessit et auctoritate apostolica confirmavit. Nos vero transcriptis eisdem non adhibentes fidem, sicut nec etiam debebamus, dictis ambassatoribus, nomine prefati communis, certum prefiximus terminum in quo per sufficientem compararent syndicum coram nobis, ostensuri autenticas litteras et quascumque alias de terra prefata rationes haberent, nostrisque super hiis parituri mandatis. Ipsi autem Spoletani nec sufficienter in eodem termino apostolico se conspectui presentarunt neque nobis aliquas scripturas autenticas obtulerunt. Nos autem volentes ad eorum malitiam convincendam, ut ipsorum contumaciam et pertinaciam nostra patientia superaret, dictum commune per eundem capellanum iterato peremptorie citari fecimus ut infra certum terminum post citationem suam cum omnibus juribus, munimentis, privilegiis et litteris autenticis ac rationibus suis coram nobis per ydoneum syndicum comparerent, denuntiato eisdem quod sive taliter venirent, sive forte venire comtempnerent, nos nichilominus, eorum absentia non obstante, ad pronuntiationem, sententiam et mandata procedere curaremus in ipso negotio, prout expedire honori nostro et ecclesie prefate videremus ac justitia suaderet. In ipso itaque termino syndico dicti communis ad nostram presentiam accedente, tam per eum quam alios nonnulla pro parte dicti communis fuerunt proposita coram nobis, super quibus nos et fratres nostri plenam audientiam eis duximus exhibendam. Nos igitur, pensatis et perspectis ecclesie Romane juribus, auditis etiam et plenius intellectis que pro eodem communi in nostra et fratrum nostrorum presentia proposita extiterunt, eisque cum ipsis fratribus plena deliberatione discussis, prefatum syndicum nomine dicti communis et ipsum commune ad dimissionem et restitutionem dicte terre Arnulphorum et pertinentiarum ipsius eidem ecclesie plenarie faciendam, cujus juris et proprietatis existit, ita quod eadem terra per eandem ecclesiam et nuntios vel officiales suos, sicut proprium ipsius ecclesie demanium, possit de cetero regi, et libere gubernari, de predictorum fratrum consilio sententialiter condempnamus. Nulli ergo nostre condempnationis etc. Datum apud Urbemveterem, x kalendas februarii, anno II°. »

193 Orvieto, 22 janvier 1263.

Conventionem initam confirmat inter priorem s. Egidii Acconensis et magistrum domus Militiae Templi Jerosolymitani. (Reg. 26, anni II, n° 56, fol. 67.)

« *Magistro Felici, capellano nostro, priori ecclesie sancti Egidii Acconensis.* Cum a nobis petitur etc., usque effectum. Sane exhibita nobis tua petitio continebat quod tu ecclesiam tuam sancti Egidii Acconensem cum possessionibus, redditibus et pertinentiis suis dilecto filio . . magistro domus Militie Templi Jerosolimitani concessisti ad firmam pro quadam annua pecunie quantitate, quam idem magister de consensu fratrum ipsius domus de thesauro suo Parisiensi tibi, quoad vixeris, vel procuratori tuo certo termino promisit solvere annuatim, prout in litteris inde confectis, quarum tenorem de verbo ad verbum presentibus inseri fecimus, plenius continetur. Nos itaque tuis supplicationibus inclinati, quod super hoc provide factum est, ratum et gratum habentes, id auctoritate apostolica confirmamus etc., usque communimus, supplentes defectum siquis in pro-

missione hujusmodi extitit, de nostre plenitudine potestatis.

Tenor autem litterarum ipsarum talis est. « Universis presentes litteras inspecturis, frater Thomas Berardi, Dei gratia pauperis Militie Templi magister humilis, salutem in Domino sempiternam. Noveritis nos de consensu fratrum nostrorum recepisse ad apatum (*sic*) vel ad firmam ecclesiam sancti Egidii Acconensem, possessiones, proventus et redditus cum omnibus pertinentiis ejusdem ecclesie pleno jure a dilecto nostro, viro discreto, domino Felice, priore et rectore ejusdem ecclesie ad Romanam curiam pro suis et ejusdem ecclesie negotiis properante, pro sexaginta libris Turonensium quolibet anno persolvendis eidem vel certo ejus nuntio et mandato annis singulis quamdiu vixerit, in festo sancti Michaelis, mense septembris, de thesauro nostro Parisiensi quousque questio, que orta est inter dictum dominum Felicem et Jacobum, clericum Anconitanum, terminata fuerit vel sopita. Qua terminata vel sopita, nos tenemur ei solvere extunc singulis annis pro dicta ecclesia centum libras Turonensium pro apauto predicto in termino sancti Michaelis superius nominato, ut in instrumento inde confecto plenius continetur. In cujus rei testimonium presentes litteras sigillo nostro plumbeo fecimus roborari. Actum Accone, anno Domini MCC LVIII, mense octobris, die decima intrante. »

Nulli ergo nostre confirmationis et suppletionis. Datum apud Urbemveterem, XI kalendas februarii, anno II°. »

194 Orvieto, 23 janvier 1263.

Archiepiscopo Senonensi et episcopo Trecensi mandat quatenus magistro Felici, capellano papae, priori ecclesiae s. Egidii Acconensis annis singulis centum libras Turonensium exhiberi faciant. (Reg. 26, anni II, n° 57, fol. 67.)

« . . *archiepiscopo Senonensi et . . episcopo Trecensi.* Exhibita nobis dilecti —. Datum apud Urbemveterem, X kalendas februarii, anno II°.

195 Orvieto, 1er février 1263.

Dispensatio super retentione plurium beneficiorum. (Reg. 26, anni II, n° 58, fol. 67.)

« *Magistro Johanni de Ebulo, subdiacono et capellano nostro.* Dum ad tue —. Decet namque ut, quia circa Romanam ecclesiam tu et domus tua studiosis servitiis claruistis, personam tuam, scientia utique ac moribus preditam, oportunis gratiarum titulis honoremus. Olim siquidem super provisione tibi de prebenda et dignitate seu personatu in aliqua ecclesiarum regni Anglie facienda, nostras ad certum executorem sub certa forma duximus litteras dirigendas. Nos itaque volentes tibi facere in hac parte gratiam specialem, devotioni tue ut preter de Halgthone et de Grandesdene ac de Wichiford ecclesias, Dunelmensis, Lincolniensis, et Wigorniensis diocesium, curam animarum annexam habentes, quas obtines et super quibus est tecum, ut asseris, per sedem apostolicam dispensatum, et canonicatus ac prebendas quos in Laudunensi et Lexoviensi habes ecclesiis, et pensionem quadraginta marcarum argenti quam a prioratu de Reppendone, Lichefeldensis diocesis, percipis annuatim, ac alia beneficia ecclesiastica sine cura, que in diversis locis obtinere dinosceris, hujusmodi prebendam et personatum seu dignitatem, etiam si similem curam habeat, si tibi jam est de ipsis predictarum litterarum auctoritate provisum vel contigerit provideri, libere recipere, et una cum predictis ecclesiis et canonicatibus, prebendis ac pensione et aliis beneficiis, licite valeas retinere, constitutione generalis concilii super hoc edita, et qualibet alia contraria nequaquam obstantibus, auctoritate presentium indulgemus. Proviso, quod prebenda, personatus, seu dignitas, ecclesie ac beneficia hujusmodi debitis non fraudentur obsequiis, et animarum cura in eis, quibus imminet, nullatenus negligatur. Nulli ergo nostre concessionis etc. Datum apud Urbemveterem, kalendis februarii, anno II°. »

196 Orvieto, 13 janvier 1263.

Archiepiscopo Coloniensi mandat quatenus Coloniensem ecclesiam in pristinum statum reducat, in quo erat antequam captivis habitationem in Colonia indulgeret. (Reg. 26, anni II, n° 59, fol. 67 v°.)

« *E., archiepiscopo Coloniensi.* Cum dilecti filii capitulum Coloniensis ecclesie, ad ipsius ecclesie regimen aliquam personam assumere proponentes per quam ejus jura non solum conservari, sed etiam adaugeri valerent, ad personam tuam suos duxerint oculos dirigendos, tibi ad confusionem quodammodo cedere videretur si jura ipsa que conservare ac promovere debueras, per tuum invenirentur consensum vel improvidentiam diminuta. Sane didicimus quod bone memorie C., Coloniensis archiepiscopus, predecessor tuus, campsores sive monete tue Coloniensis magistros, qui Husgenotem vulgariter appellantur, ac magistros civium et scabinos, videlicet Hermannum comitem, Theodoricum sa-

pientem, Theodoricum, dictum de Mulengassen, et Henricum fratres, Leodevicum, ejusdem Theoderici filium, Johannem de Lingassen et Gerardum fratres, Henricum, dictum Clingedane, Theodericum, dictum Gerin, Gerardum, dictum Gier, Ildegerum Brichin, Henricum, dictum Rufum, et Henricum Handewest et eorum complices et quosdam alios officiales, qui appellantur scabinorum fratres civitatis Coloniensis, in qua jurisdictionem obtines temporalem pro eo quod dicti campsores sive monete magistri monetam falsabant eandem, alii vero fraudulenter et inique commissa sibi officia exercebant condempnando, innocentes et impios absolvendo, prout de hoc contra ipsos publica laborabat infamia, et alias de hoc ipsi predecessori legitime constitit, a commissis sibi officiis auctoritate propria, prout spectabat ad ipsum, sententialiter amovit, justitia exigente, et eisdem campsoribus adjudicavit feuda, que pro cudenda moneta a sede Coloniensi tenebant, et loco campsorum, scabinorum et aliorum predictorum, alios cives Colonienses in eisdem officiis subrogavit. Demum, quia iidem sic amoti, concipientes propter hoc erga eundem predecessorem tuum animum malignandi, in tantam proterviam prorupe-runt quod, adjunctis sibi suis consanguineis et complicibus, congregatis aciebus et vexillis explicitis, contra eundem archiepiscopum tunc in palatio suo existentem insurgere hostiliter presumpserunt, predecessor ipse pro ecclesiastica libertate viriliter se opponens, captivavit quosdam ex eis et quosdam convertit in fugam. Alii vero ex eis male sibi conscii proprio motu fugerunt, quos tandem idem predecessor coram se in jus vocatos et se contumaciter absentantes, sententialiter, exigentibus hujusmodi excessibus, qui erant adeo notorii quod nulla poterant tergiversatione celari, proscripsit et perpetuo forbannivit proscriptione et forbannitione hujusmodi per sedem apostolicam confirmatis. Tu vero quorundam nobilium devictus instantia et sperans quod vexatio daret eisdem omnibus intellectum, eos quos captivos inveneras liberasti et eis habitationem in Colonia concessisti. Proscriptis autem de speciali gratia indulsisti, ut extra Coloniam in villis et oppidis tuis possent libere commorari, donec per te et per magnates terre discussum existeret, quo jure vel qua gratia possent reditum in Coloniam obtinere. Cum autem occasione hujusmodi portas et munitiones civitatis Coloniensis in tuam custodiam recepisses, sicut id poteras tamquam ejusdem civitatis dominus temporalis, et esses in earumdem portarum et munitionum possessione pacifica, iidem malefici, per verba mendacii coadunatis sue venenose machinationi popularibus Coloniensibus, ex improviso portas et munitiones ipsas hostiliter invaserunt, et quosdam de tuis ibidem captos crudeliter occiderunt; sed tu qui pro conservandis juribus et honoribus ipsius ecclesie super hiis etiam gravi te debueras exposuisse periculo, super injuriis tibi et eidem ecclesie taliter irrogatis et nonnullis juribus spectantibus ad sedem Coloniensem ratione temporalis jurisdictionis predicte, in quorum eras possessione pacifica, quorundam clericorum et laicorum arbitrio interpositis fide ac juramento, litteris et fidejussoribus datis et penis adjectis, te minus provide summisisti, qui super hoc iniquum arbitrium contra te et eandem ecclesiam protulerunt, cujus pretextu ipsa ecclesia in predictis juribus et aliis rebus enormem lesionem dicitur incurrisse. Verum, cum inter ceteraque idem arbitrium continebat, hoc esset expressum, quod tu Coloniam intrare deberes, recepturus emendam in arbitrio ipso expressam et fidelitatem ab omnibus supradictis, et in palatio tuo resideres fidelitatem recepturus eandem; tu per impressionem populi non rationis, sed voluntatis sententiam dictans, seu per quosdam nobiles dictari tolerans, prefatos proscriptos sustinuisti Coloniensi restitui civitati, qui, amotis illis quos in memoratis officiis dictus C. archiepiscopus constituerat, sibi officia pristina usurparunt in enormem lesionem ecclesie memorate. Volentes igitur hujusmodi errata corrigi per te ipsum, fraternitatem tuam monemus et hortamur attente per apostolica tibi scripta in virtute obedientie ac sub pena excommunicationis districte precipiendo mandantes quatinus, fide et juramento seu litteris, penis, cautionibus et sententia predictis nequaquam obstantibus, prefatam ecclesiam ad eum statum, quo ad omnia supradicta et eorum quodlibet sine dispendio more ac difficultate reducas, in quo erat antequam dictis captivis habitationem in Colonia indulgeres. Contradictores etc. Invocato etc. —. Alioquin dilectis filiis .. de Steivelt et .. de Hamburne monasteriorum abbatibus, Premonstratensis ordinis, Coloniensis diocesis, per nostras damus litteras in mandatis, ut te ad id, monitione premissa, auctoritate nostra, appellatione remota, compellant. Non obstante —. Datum apud Urbemveterem, idus januarii, anno II°. »

197 Orvieto, 13 janvier 1263.

Abbates monasteriorum de Steivelt et de Hamburne mandat quatenus archiepiscopum Coloniensem ad apostolicum mandatum exequendum cogant. (Reg. 26, anni II, n° 60, fol. 68 v°.)

« .. *de Steivelt et.. de Hamburne monasteriorum abbatibus, Premonstratensis ordinis, Coloniensis diocesis.* Cum dilecti filii —, ut in superiori per totum. »

198 Orvieto, 16 janvier 1263.

Eisdem committit archiepiscopum Coloniensem compellant ut proscriptos civitatem Coloniensem exire faciat. (Reg. 26, anni II, n° 61, fol. 68.)

« *Eisdem.* Ad audientiam nostram pervenit quod bone memorie C., Coloniensis archiepiscopus, quosdam campsores etc., ut in secunda proxima superiori, verbis competenter mutatis, usque, verum cum inter cetera que idem arbitrium continebat hoc esset expressum quod dictus E. archiepiscopus Coloniam intrare deberet, recepturus emendam in arbitrio ipso expressam et fidelitatem ab omnibus supradictis, et in palatio suo resideret, fidelitatem recepturus eandem, ipse per impressionem populi quamdam non rationis sed voluntatis sententiam super restituendis proscriptis ipsis civitati prefate dictavit, seu per quosdam dictari nobiles toleravit ; cujus sententie pretextu sic proscripti ad civitatem ipsam presumptuose reversi, scabinatus officium quod prius gerebant, assumere, ac amovere illos quos in memoratis officiis C. archiepiscopus constituerat, sibi officia pristina usurpare temere presumpserunt, magistris fraternitatum seu officiorum ac civibus Coloniensibus, quibus iidem magistri presunt, eos potissimum manutenentibus favore dampnabili in hujusmodi presumptione. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatenus, si est ita, circa dictum archiepiscopum fide et juramento hujusmodi relaxatis, dictos proscriptos quod, hujusmodi officio dimisso, civitatem exeant supradictam et eosdem magistros et cives quibus presunt, quod ab omni super hoc eorundem proscriptorum favore et auxilio desistentes et eis in hiis que ad dictum scabinatus officium pertinent, nullatenus intendentes, ipsi archiepiscopo ad amovendum ipsos ab hujusmodi officio et expellendum eos ab eadem civitate, oportunum ac debitum auxilium largiantur, monitione premissa, per excommunicationis in personas et, si eorum protervitas meruerit, interdicti in civitatem Coloniensem, appellatione remota, cogatis. Invocato ad hoc etc. Non obstante si —. Datum apud Urbemveterem, xvii kalendas februarii, anno ii°. »

199 Orvieto, 13 février 1263.

Fratrem Henricum, de ordine Minorum, quondam episcopum Curoniensem, a capitulo Kimensi in episcopum Kimensem electum, Kimensi ecclesiae praeficit. (Reg. 26, anni II, n° 62, fol. 68.)

« *Universo clero civitatis et diocesis Kimensis.* Divine sapientie inscrutabilis —. Datum apud Urbemveterem, idus februarii, anno ii. »

In e. m. universo populo civitatis et diocesis Kimensis.

In e. m. venerabili fratri, fratri Henrico de ordine fratrum Minorum, episcopo Kimensi.

200 Orvieto, 13 février 1263.

Episcopo Ratisponensi mandat quatenus praedicto Kimensi episcopo reverentiam et obedientiam debitam faciat exhiberi. (Reg. 26, anni II, n° 63, fol. 68 v°.)

« .. *episcopo Ratisponensi.* Cum olim Kimensi —. Datum apud Urbemveterem, idus februarii, anno ii°. »

201 Orvieto, 31 décembre 1263.

Capitulo et clero civitatis et diocesis Coloniensis nunciat se in Coloniensem archiepiscopum confirmasse Engelbertum, a canonicis electum. (Reg. 26, anni II, n° 64, fol. 69.)

« *Capitulo et clero civitatis et diocesis Coloniensis.* Plantans a principio Dominus Deus ecclesie paradysum in quo posuit hominem quem formarat, inter alia ligna pomifera pulchra visu et ad vescendum suavia, in medio ejus tamquam lignum vite Coloniensem ecclesiam salubri dispositione produxit, et eam venerandam universitati fidelium stabilivit, ipsam metropolitice dignitatis insigniis honorando, radicando ipsam in populo honorificato et ad ejus cultum deputando vos, filii capitulum, diversis meritis precellentes, qui sanis advertentes sensibus et prudentie consiliis providentes quod expediebat ecclesiam tam nobilem sponsum habere virtutum meritis et nature dotibus speciosum, et honorificatum populum presule regi scientia predito et stipato potentia seculari ac membra nobilia decorari capite generoso, ad venerabilem fratrem nostrum Engelbertum, Coloniensem archiepiscopum, tunc prepositum Coloniensem, consulte deliberationis oculos extendistis tamquam ad virum meritis istis et aliis tantis sufficientem oneribus, et tam magnis honoribus congruentem.

Ipsa siquidem ecclesia pastoris solatio destituta, vos, filii capitulum, die ad electionem prefixa, presentibus omnibus qui volebant, debebant et comode poterant interesse, ipsum in vestrum pastorem et archiepiscopum quasi per divinam inspirationem canonice ac concorditer elegistis, et, presentato nobis electionis decreto, supplicastis humiliter ut electionem ipsam confirmare de consueta benignitate sedis apostolice dignaremur. Ipso igitur archiepiscopo propter hoc in nostra presentia constituto, electionem eandem examinari fecimus diligenter et quia ipsam invenimus de persona non solum ydonea, sed etiam premissis et aliis meritis precellente canonice celebratam, eam de fratrum nostrorum consilio duximus confirmandam, consecrationis munus sibi de nostris manibus impendentes, sibique palleum de corpore beati Petri sumptum, in signum quidem plenitudinis pontificalis officii tribuentes —. Datum apud Urbemveterem, II kalendas januarii, anno secundo. »

In e. m. universis episcopis suffraganeis Coloniensis ecclesie.

In e. m. archiepiscopo Coloniensi.

In e. m. populo civitatis et diocesis Coloniensis.

In e. m. nobilibus viris universis ministerialibus et vassallis Coloniensis ecclesie.

202 Orvieto, 28 janvier 1263.

Archiepiscopo Tyrensi mandat quatenus novam ordinationem ecclesiae parrochialis s. Mariae de Salmuro ab episcopo Andegavensi factam, auctoritate apostolica confirmet. (Reg. 26, anni II, n° 65, fol. 69 v°.)

« .. *archiepiscopo Tyrensi*. Ecclesiarum omnium regimini, disponente Domino, licet immeriti presidentes, circa singulas sollicite vigilare tenemur in hiis maxime per que cultus divini nominis in eis valeat augmentari. Accepimus siquidem quod venerabilis frater noster .. episcopus Andegavensis, et quamplures illarum partium clerici in parrochiali ecclesia sancte Marie de Salmuro, Andegavensis diocesis, in qua duo monachi monasterii sancti Florentii de Salmuro et plures seculares capellani ab ipsa obtinentes beneficia commorantur, cupiunt de bonis suis propriis creare prebendas, ut per hoc eadem ecclesia, sicut in facultatibus sic et in servitoribus augmentata, decentius divinis laudibus ibidem jugiter insistatur. Nos igitur qui cultum divinum ampliari cupimus, volentes pium ac laudabile dictorum episcopi et clericorum in hac parte desiderium adimplere, ac de circumspectione tua plenam in Domino fiduciam obtinentes, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus, si tibi constiterit ita esse, prefatis monachis ad monasterium ipsum remissis, vel per eorum abbatem in aliquo prioratu ejusdem monasterii collocatis, ac reservatis ipsi monasterio cunctis aliis juribus necnon universis redditibus et proventibus que ad illud in dicta noscuntur ecclesia pertinere, prebendas hujusmodi de bonis, que ad id sufficientia nominati episcopus et clerici seu alii propter hoc duxerint exhibenda, in prefata ecclesia creare auctoritate nostra procures, ab illis qui eas creaverint retinendas dum vixerint, et postmodum personis ydoneis per illum ad quem ipsarum pertinebit collatio, conferendas, instituens eos hac vice in eadem ecclesia in canonicos et in fratres. Contradictores etc. — Ita tamen quod presbitero, qui ad presens curam et regimen gerit ecclesie supradicte, illisque qui eidem in hujusmodi regimine ac cura successerint, quos volumus ad eadem regimen et curam, sicut hactenus fieri consuevit, assumi, necnon et capellanis predictis pars proventuum et quicquid juris idem presbiter seu memorati capellani ad presens in ecclesia ipsa habere noscuntur, salva et integra reserventur. Datum apud Urbemveterem, v kalendas februarii, anno II. »

203 Orvieto, 9 janvier 1263.

Archiepiscopo Tyrensi mandat ut centesimam omnium ecclesiasticorum proventuum in regno Franciae ac diocesi Cameracensi ad quinquennium pro succursu Terrae Sanctae concessam, colligat. (Reg. 26, anni II, n° 66, fol. 69 v°; Potthast 18461.)

« *Eidem*. Clamante instanter ad —. Datum apud Urbemveterem, v idus januarii, anno II°. »

204 Orvieto, 12 janvier 1263.

Episcopo Monasteriensi indulget ut tribus clericis idoneis de totidem beneficiis, in sua civitate vel diocesi existentibus et ad cujuscumque collationem spectantibus, providere valeat. (Reg. 26, anni II, n° 67, fol. 70 v°.)

« .. *episcopo Monasteriensi*. Tuam volentes honorare —. Datum apud Urbemveterem, II idus januarii, anno II°. »

205 Orvieto, 22 février 1263.

Priori s. Savinae Januensis mandat quatenus Nicolao de Levanco, canonico ecclesiae s. Mariae de Castello Januensi, de aliqua praepositura vel archipresbyteratu aut alio ecclesiastico beneficio vacante vel quamprimum vacaturo providere valeat. (Reg. 26, anni II, nº 68, fol. 70.)

« .. *prioris. Savine Januensis.* Volentes dilecto filio —. Datum apud Urbemveterem, VIII kalendas martii, anno secundo. »

206 Orvieto, 8 février 1263.

Jacobum, electum Ebredunensem, eidem praeficit ecclesiae. (Reg. 26, anni II, nº 69, fol. 70 vº.)

« .. *electo Ebredunensi.* Exultat cor nostrum, etc. — Sane venerabili fratre nostro .. Ostiensi episcopo, tunc archiepiscopo Ebredunensis ecclesie, suis magnificis exigentibus meritis, ad honorem cardinalatus assumpto, dilecti filii capitulum ejusdem ecclesie, vocatis omnibus qui voluerunt, debuerunt et potuerunt comode interesse pro futuri substitutione pastoris, ut moris est, convenientes in unum, dilectis filiis Petro de Virduno, cantori, Lambertino et Guillelmo, ejusdem ecclesie canonicis, providendi ea vice cum consilio et assensu ipsius episcopi eidem ecclesie de pastore, si de nostre procederet beneplacito voluntatis, contulerunt unanimiter plenariam potestatem. Eisdem vero cantore et canonicis apud sedem apostolicam constitutis et in personam tuam dirigentibus concorditer vota sua, nos attendentes quod diversarum virtutum titulis insignitus et habitus multipliciter in conspectu sedis apostolice gratiosus, attolli dignis honoribus promereris, te de nostrorum fratrum consilio ac apostolice plenitudine potestatis, ad suplicationem quoque cantoris et canonicorum eorundem factam nobis, de assensu ejusdem episcopi prefecimus eidem Ebredunensi ecclesie in archiepiscopum et pastorem —. Datum apud Urbemveterem, VI idus februarii, anno II. »

In eundem modum capitulo Ebredunensi.

Exultat, etc. —, ut in prima proxima superiori usque constitutis, et in personam dilecti fili Jacobi, electi Ebredunensis tunc prefate ecclesie prepositi, dirigentibus, etc., usque ideoque universitati vestre per apostolica scripta mandamus quatinus eundem electum devote suscipientes et honorifice pertractantes, ei tamquam patri et pastori animarum vestrarum, obedientiam et reverentiam debitam impendatis, ejus salubria monita et mandata suscipiendo devote, ac humiliter observando. Alioquin sententiam, quam idem rite tulerit in rebelles, ratam habebimus et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum ut supra.

In eundem modum suffraganeis Ebredunensis ecclesie.

Exultat, etc. —, ut in prima usque constitutis, in personam dilecti fili Jacobi, electi Ebredunensis, tunc prefate ecclesie prepositi, dirigentibus etc. —, usque ideoque fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus quatinus eidem electo tamquam metropolitano vestro intendatis et obedire curetis. Alioquin sententiam, etc. Datum apud Urbemveterem, VI idus februarii, anno secundo.

In eundem modum vassallis ecclesie Ebredunensis.

Exultat, etc. —, ut in proxima superiori usque universitati vestre per apostolica scripta mandamus quatinus eidem electo homagium et juramenta fidelitatis, prout tenemini, exhibere curetis. Alioquin sententias sive penas quas ipse per se vel per alium seu alios spiritualiter vel temporaliter rite tulerit in rebelles, ratas, etc. — usque observari. Datum ut supra. »

207 Orvieto, 18 février 1263.

Episcopo, capitulo et clero Anagninis indulget ut eorum familiares et servientes in foro civili convenire nequeant et in datiis contribuere minime teneantur. (Reg. 26, anni II, nº 70, fol. 71.)

« .. *episcopo, capitulo et clero Anagninis.* Meritis vestre devotionis —. Sane lecta coram nobis vestra petitio continebat, quod .. potestas, consilium et populus civitatis Anagnine, familiares et servientes vestros ad forum eorum pertinere dicentes, in ipsos sicut in alios homines prefate civitatis jurisdictionem exercere nituntur, quamquam tu, frater episcope, paratus existas universis conquerentibus de prefatis familiaribus et servientibus exhibere coram te justitie complementum, dictosque familiares et servientes ad solvendum et contribuendum cum aliis civibus Anagninis in datiis, collectis, angariis, perangariis, expensis et aliis oneribus supradicte civitatis propria temeritate compellunt in vestrum prejudicium et gravamen. Quare humiliter petebatis a nobis ut providere super hoc paterna sollicitudine curaremus.

Nos itaque vestris in hac parte gravaminibus occurrere cupientes, ut familiares et servientes vestri commensales dumtaxat in predicto foro conveniri nequeant et in datiis et aliis premissis solvere et contribuere minime teneantur, nec ad ea compelli valeant, sine speciali mandato sedis apostolice, faciente plenam et expressam de presentibus mentionem, vobis auctoritate apostolica indulgemus. Nulli ergo nostre concessionis, etc. —. Datum apud Urbemveterem, XII kalendas martii, anno II. »

208 Orvieto, 21 février 1262.

Episcopo Vicano mandat ut electionem et personam abbatis electi monasterii Montis Virginis, Avellinensis diocesis, qui propter dicti monasterii paupertatem sedem apostolicam nequit adire, examinet, ipsumque in abbatem confirmet, juramento ecclesiae Romanae praestari solito prius recepto. (REG. 26, anni IV, n° 71, fol. 71.)

« .. *episcopo Vicano.* Ex parte dilectorum —. Datum apud Urbemveterem, VIIII kalendas martii, anno II »

209 Orvieto, 23 mars 1263.

Isabellam monasterio monialium s. Mariae Trecensis praeficit in abbatissam. (REG. 26, anni II, n° 72, fol. 71.)

« *Ysabelli, abbatisse monasterii monialium sancte Marie Trecensis, ordinis sancti Benedicti.* Dum curam omnium ecclesiarum —. Inter alias autem monasterium beate Marie Trecensis, ordinis sancti Benedicti, speciali prosequi favoris prerogativa tenemur, cum fuerit solum natalis nostre parrochialis ecclesie infra septa ipsius monasterii constitute, et, dato nobis in eadem ecclesia sacramento baptismatis, annos ibidem exegerimus pueriles. Inducit nos itaque tam pastoralis officii debitum, quam ipse naturalis affectus, ut predicti monasterii studeamus precavere dispendiis et ejus, quantum cum Deo possumus, commoda promovere. Sane, monasterio ipso abbatisse regimine destituto, contigit in eo duas electiones, unam videlicet de te, tunc infirmaria, reliquam vero de Emeniardi, thesauraria dicti monasterii, in discordia celebrari. Orta igitur super hoc inter te ac eandem, E. materia questionis et hujusmodi negotio per appellationem ad sedem apostolicam devoluto, nos dilecto filio .. abbati monasterii Deruensis, Cathalaunensis diocesis, negotium ipsum per litteras nostras sub certa forma commisimus terminandum. Cumque idem negotium fuisset ad nos per appellationem iterato delatum, tandem, procuratoribus partium in nostra presentia constitutis, dilectum filium nostrum J., sancte Marie in Cosmedin diaconum cardinalem, eo quod causam appellationis in partibus illis duxeramus committendam, aliis non obstante, in ipso negotio deputavimus dictis partibus auditorem. Ceterum, cum idem cardinalis nobis et fratribus nostris merita ipsius negotii que, servato juris ordine, plene discusserat, retulisset, nos, eisdem meritis intellectis et cum dictis fratribus deliberatione habita diligenti, de ipsorum consilio predictas electiones, non personarum sed ipsarum electionum vitio, justitia cassavimus exigente, illas nichilominus cassas et irritas nuntiantes. Verum, ne memoratum monasterium cujus statum prosperum multo desiderio affectamus, prolixioris vacationis incommoda deplorare cogatur, te de cujus prudentia, vita et conversatione laudabili, morumque gravitate bonum nobis a fidedignis testimonium perhibetur, cuique generis nobilitas dicitur suffragari, eidem monasterio in abbatissam prefecimus de apostolice plenitudine potestatis —. Datum apud Urbemveterem, X kalendas aprilis, anno II. »

210 Orvieto, 12 février 1263.

Omnes domos monialium s. Lazari de Bethania in Acconensi civitate, in regno Cypri et alibi constitutas, ab omni archiepiscoporum et episcoporum jurisdictione eximit. (REG. 26, anni II, n° 73, fol. 71 v°.)

« .. *abbatisse et conventui monasterii sancti Lazari de Bethania, ordinis sancti Benedicti, Jerosolimitane diocesis.* Circa preclaram Jerosolimitanam ecclesiam —. Sane, hostibus catholice fidei et persecutoribus nominis christiani, scilicet reprobis et spurcidis Sarracenis, civitatem Jerosolimitanam, cunctis mundi provinciis digniorem, terribili Dei judicio detinentibus occupatam, vos et quamplures alie religiose persone civitatis ejusdem sueque diocesis ecclesie prefate subjecte in civitate Acconensi coacte fuistis anxio spiritu commorari, quousque Regis eterni benignitas juxta suorum pia vota fidelium clementer super hoc duxerit providendum. Ne itaque vos ipsius ecclesie filie speciales interim hominum afflicte molestiis, occasionem aliquam tepescendi circa divini cultus studium habeatis, sed eo major delectatio vobis in illo proveniat, quo per apostolice sedis auxilium obtinebit vestra devotio status tranquilli et liberi fulcimentum, nos vestris precibus inclinati, domum quam in civitate Acconensi habetis, ac vestri monasterii prioratus et membra existentia in quibus-

cumque partibus transmarinis et etiam regno Cipri, eorumque priorissas et sorores ab omni jurisdictione, potestate ac dominio archiepiscoporum et episcoporum omnium in quorum provinciis et diocesibus partium et regni predictorum hujusmodi domus, prioratus et membra ipsa consistunt, et aliorum quorumlibet prelatorum seu capitulorum tam cathedralium quam aliarum ecclesiarum et omnium ecclesiasticarum personarum totaliter et perpetuo auctoritate apostolica eximimus, statuentes ut monasterium, domus, prioratus et membra ipsa cum priorissis et sororibus eorum in spiritualibus et temporalibus soli Jerosolimitane ecclesie ipsiusque patriarche, qui pro tempore fuerit, et nulli alii sint subjecta; ita quod nec dicti archiepiscopi, episcopi et prelati, capitula ecclesiasticeque persone nisi tantum dictus patriarcha, monasterium, domum, prioratus et membra eadem, utpote ab illorum jurisdictione prorsus excepta, vel vos aut priorissas et sorores easdem communiter vel divisim interdicere, suspendere vel excommunicare valeant aut alias quocumque modo in vos monasterium, domum, prioratus et membra predicta vel priorissas et sorores easdem, potestatem vel jurisdictionem aliquam exercere. Nos enim, si secus presumptum fuerit, decernimus irritum et inane. Nulli ergo nostre concessionis, constitutionis et exemptionis, etc. —. Datum apud Urbemveterem, II idus februarii, anno II. »

211 Orvieto, 18 mars 1263.

Prioratum s. Lazari Nicosiensem, ordinis s. Benedicti, ad monasterium s. Lazari de Bethania spectantem, a jurisdictione archiepiscopi et ecclesiae Nicosiensis eximit, cumque subjectum esse soli patriarchae Jerosolymitano decernit. (Reg. 26, anni II, nº 74, fol. 71 vº.)

« *Eisdem.* Sincere caritatis affectum —. Datum apud Urbemveterem, xv kalendas aprilis, anno II. »

212 Orvieto, 18 mars 1263.

Licentia testandi. (Reg. 26, anni II, nº 75, fol. 71 vº.)

« .. *episcopo Paphensi.* Devotionis tue precibus inclinati, quod de hiis que tibi superfuerint ex parsimoniis reddituum obvenientium tibi ab ecclesia Paphensi, in ultima voluntate usque ad summam trium milium bisantiorum Saracenatorum libere et pie, prout secundum Deum anime tue saluti expedire videris, disponere valeas ac testari, fraternitati tue auctoritate presentium duximus concedendum —. Datum apud Urbemveterem, xv kalendas aprilis, anno II. »

213 Orvieto, 5 mars 1263.

Episcopo Warmiensi, apostolicae sedis legato, mandat ut ad requisitionem magistri Hospitalis s. Mariae Theutonicorum Jerosolymitanorum, Emundum de Werd, presbyterum, fratrem ejusdem Hospitalis vel aliquem alium fratrum clericorum ipsius Hospitalis praeficiat episcopatui Curoniensi. (Reg. 26, anni II, nº 76, fol. 72; Potthast 18496.)

« . . *episcopo Warmiensi, apostolice sedis legato.* In nostra sollicite —. Cum itaque nos pridem venerabilem fratrem nostrum, Henricum de Luzemburgo, quondam episcopum Curoniensem, absolventes a vinculo quo Curoniensi episcopatui tenebatur astrictus, eum ad regimem episcopatus Kymensis, tunc pastore vacantis, duxerimus transferendum, dictusque Curoniensis episcopatus propter hoc vacet ad presens, nos dignum esse providimus ut in pastorem sibi de persona ydonea consulamus. Hinc est quod nos obtentu dilecti filii A., magistri Hospitalis sancte Marie Theotonicorum Jerosolimitani cujus principaliter super hoc volumus honorare personam, ac etiam intuitu dilectorum filiorum magistri Johannis de Capua, notarii, et Wultardi, capellani et penitentiarii, necnon Hermanni de Livonia, hostiarii nostrorum, Hospitalis ejusdem fratrum, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus ad requisitionem ipsius magistri A., dilectum filium Emundum de Werd, presbiterum, fratrem Hospitalis ejusdem, virum utique per ipsos de litterarum scientia et honestate morum, ac de circumspecta industria commendatum, seu aliquem alium de fratribus clericis ipsius Hospitalis, qui tanto congruat oneri et honori, auctoritate nostra preficias eidem episcopatui Curoniensi, nullum propter hoc ecclesia Rigensi, metropolitana loci, passura prejudicium, in episcopum et pastorem; ac ascitis tibi duobus vel tribus episcopis, ei munus consecrationis impendens, facias sibi a suis subditis obedientiam et reverentiam exhiberi debitam, nec non de ipsius episcopatus fructibus et proventibus sibi debitis responderi. Contradictores, etc., usque compescendo. Proviso quod idem frater E. vel quicumque alius ydoneus de fratribus memoratis, postquam fuerit juxta premissi mandati nostri tenorem in Curoniensem episcopum consecratus, se venerabili fratri nostro.. Rigensi archiepiscopo, representet, exhibiturus ei tamquam metropolitano suo fidelitatis solite juramentum. Nos enim

nichilominus exnunc irritum decernimus et inane, si secus super dicto episcopatu Curoniensi ab aliquo fuerit attemptatum. Datum apud Urbemveterem, III nonas martii, anno II°. »

214 Orvieto, 19 mars 1263.

Manfredo, Veronensi electo, mandat ut monasterio s. Victoris de Clusis, ordinis s. Benedicti, Camerinensis diocesis, abbatem praeficiat. (Reg. 26, anni II, n° 77, fol. 72.)

« *Manfredo Veronensi electo, capitaneo et rectori ducatus Spoletani et Marchie Anconitane.* Intelleximus quod, monasterio sancti Victoris de Clusis, ordinis s. Benedicti, Camerinensis diocesis, pastoris solatio destituto, quidam ex monachis ipsius monasterii dilectum filium Andacondeum, sancti Angeli de Monte, Nucerine, reliqui vero Gratianum, sancti Antimi, Clusine diocesium, monasteriorum, ejusdem ordinis, abbates, ad regimen ipsius monasterii sancti Victoris, in discordia postularunt. Cum igitur terra de Clusis, in qua monasterium ipsum sancti Victoris consistit, adherere dicatur Manfredo, quondam principi Tarentino, persecutori Romane ecclesie manifesto, nosque olim de fratrum nostrorum consilio duxerimus inhibendum universis capitulis, collegiis et conventibus omnium ecclesiarum et monasteriorum existentium in terris predicto Manfredo adherentibus seu faventibus, ne ad providendum ecclesiis et monasteriis ipsis de pastoribus, cum vacaverint, per electionem vel postulationem procedere quoquomodo presumant, decernentes irritum et inane quicquid contra hujusmodi inhibitionem nostram contingeret attemptari; propter quod constat postulationem hujusmodi utpote contra et post inhibitionem ipsam presumptas, et quicquid ex eis secutum est vel ob ipsas, penitus nulla esse, volumus et presentium tibi auctoritate mandamus quatinus, postulationibus hujusmodi auctoritate nostra cassatis, immo potius cassis et irritis nuntiatis, ad providendum eidem monasterio sancti Victoris, ne ex vacatione diutina incurrat gravia in spiritualibus et temporalibus detrimenta, de predicto Andacondeo, de cujus firma devotione circa nos et Romanam ecclesiam laudabile nobis testimonium perhibetur, vel de alia persona ydonea que tanto congruat oneri et honori auctoritate apostolica procedas, prout bono statui ipsius monasterii et honori ecclesie videris expedire, faciens ei de quo dicto monasterio sancti Victoris provideri contigerit, a monachis et aliis ipsius monasterii subditis tamquam patri et pastori animarum suarum obedientiam et reverentiam debitam exhiberi. Contradictores etc. — Non obstante etc. —. Datum apud Urbemveterem, XIIII kalendas aprilis, anno II. »

215 Orvieto, 6 février 1263.

Sententia in causa vertente inter Lugdunensem electum ex parte una, et Flandriae Hannoniaeque comitissam, Guidonem, natum ejus, Flandriae comitem, Johannem clericum, nepotem ipsius comitissae et comitis filium, ac decanum et capitulum Brugensis ecclesiae ex altera, super praepositura ipsius ecclesiae Brugensis, cancellaria Flandriae, necnon et ipsarum proventibus. (Reg. 26, anni II, n° 78, fol. 72 v°.)

« *Philippo, Lugdunensi electo.* Olim inter te ex parte una, et dilectam in Christo filiam, nobilem mulierem, M., Flandrie et Hanonie comitissam, ac nobilem virum, Guidonem, natum ejus, Flandrie comitem, et Johannem clericum, nepotem ipsius comitisse, dicti comitis filium, ac decanum et capitulum ecclesie Brugensis ex altera, super prepositura ipsius ecclesie, cancellaria Flandrie, ac omnibus juribus et pertinentiis ipsarum, necnon super redditibus, fructibus et proventibus perceptis, seu qui percipi potuerunt ex ipsis, et super collationibus prebendarum ejusdem Brugensis ecclesie factis tam a te quam a predicto nepote comitisse prefate ratione prepositure et cancellarie predictarum, dampnis etiam et injuriis que hujusmodi occasione controversie tam tu quam quidam nuntii et executores tui et aliqui canonici dicte Brugensis ecclesie tibi adherentes dicebatis vos esse passos, et certis aliis articulis exorta materia questionis, tandem dilectus filius Borno, prior prioratus Belli Vicini et magister Rodulphus de Viviaco tui, magister vero Johannes de Douring comitisse, filii, nepotis, decani et capituli predictorum procuratores, specialia mandata super hiis ab ipsis habentes, libera ac spontanea voluntate in dilectos filios nostros H., tituli sancte Sabine presbiterum, et O., sancte Marie in Via Lata diaconum cardinales, de alto et basso libere et absolute sub certis forma et pena super omnibus predictis et singulis compromittere curaverunt. Nos quoque cardinalibus eisdem super predictis omnibus exequendis dedimus plenariam potestatem, eisque viva voce mandavimus ut in premissis procederent et auctoritate nostra nichilominus ordinarent, secundum quod ex forma compromissi concedebatur eisdem et sicut viderent ipsi negotio expedire. Sane memorati cardinales, eisdem compromisso, potestate ac mandato receptis, negotii quoque meritis plena deliberatione discussis, per certam ordinationem questionem hujusmodi termi-

narunt, prout in litteris inde confectis dictorum cardinalium munitis sigillis, plenius continetur. Nos itaque tuis supplicationibus inclinati, ordinationem eandem ratam et gratam habentes, eam auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Tenorem dictarum litterarum de verbo ad verbum presentibus inseri facientes, qui talis est :

« In nomine Domini, amen. In causa que vertebatur inter venerabilem patrem, dominum Philippum, Lugdunensem electum, ex parte una, et nobilem mulierem Margaritam, Flandrie et Haynonie comitissam, nobilem virum Guidonem, filium ejus, comitem Flandrie, ac Johannem, nepotem ipsius comitisse, filium ejusdem comitis, et.. decanum et capitulum ecclesie Brugensis ex altera, super prepositura Brugensis ecclesie, cancellaria Flandrie et omnibus juribus et pertinentiis ipsarum, necnon super redditibus, fructibus et proventibus perceptis seu qui percipi potuerunt ex ipsis, et super collationibus prebendarum ipsius Brugensis ecclesie et aliis factis tam ab ipso electo, quam a memorato nepote dicte comitisse ratione prepositure ac cancellarie predictarum dampnis et injuriis, que occasione hujusmodi questionis passi dicuntur memoratus electus, nuntii et executores sui, nenon (*sic*) et quidam canonici memorate ecclesie ipsi adherentes electo, ac quibusdam aliis articulis, discretus vir dominus Borno, prior Pontis Belli-Vicini et magister Rodulfus de Viviaco, domini electi, et magister Johannes de Douring, comitisse, filii et nepotis predictorum, ac decani et capituli ecclesie memorate procuratores, habentes ab ipsis ad omnia infrascripta mandata, non dolo nec fraude inducti, nec vi vel metu coacti, set libera et spontanea voluntate, videlicet memorati prior et Rodulfus de discreti viri Jacobi, prepositi Ebredunensis, domini pape capellani, et magister Johannes de fratris Michaelis de Novirella, ordinis fratrum Predicatorum, presentium et mandantium consilio et assensu, in nos, fratrem Hugonem, tituli sancte Sabine presbiterum, et Octavianum, sancte Marie in Via Lata diaconum cardinales, alte et basse, libere et absolute, super omnibus predictis et singulis, sub certis pena et forma compromittere curaverunt, prout in instrumento publico inde confecto per manum Raymundi de Campaniaco, publici notarii, plenius continetur, cujus tenor talis est :

« In nomine Domini, amen. Cum inter venerabilem patrem, dominum Philippum, Lugdunensem electum, ex una parte, et nobilem mulierem Margaritam, Flandrie et Haynonie comitissam, et nobilem virum Guidonem, filium ejus, comitem Flandrie, ac Johannem, nepotem ipsius comitisse, filium ejusdem comitis et . . decanum et capitulum Brugenses ex altera, super prepositura Brugensis ecclesie, cancellaria Flandrie et omnibus juribus et pertinentiis ipsarum, necnon super redditibus, fructibus et proventibus perceptis seu qui percipi potuerunt ex ipsis, et super collationibus prebendarum ipsius Brugensis ecclesie et aliis factis tam ab ipso electo, quam a memorato nepote dicte comitisse, ratione prepositure et cancellarie predictarum, dampnis et injuriis que occasione questionis hujusmodi passi dicuntur memoratus electus, nuntii et executores sui, necnon et quidam canonici ecclesie memorate ipsi adherentes electo, ac quibusdam aliis articulis orta esset materia questionis, discretus vir dominus Borno, prior Pontis Belli-Vicini, et magister Rodulfus de Viviaco, domini electi, et magister Johannes de Douring, comitisse, filii et nepotis predictorum ac decani et capituli ecclesie memorate procuratores, habentes ab ipsis ad omnia infrascripta mandata, quorum tenores inferius inseruntur, non dolo, non fraude inducti nec vi vel metu coacti, set libera et spontanea voluntate, videlicet memorati prior et Rodulfus de discreti viri Jacobi, prepositi Ebredunensis, domini pape capellani, et magister Johannes de fratris Michaelis de Novirella, ordinis fratrum Predicatorum, presentium et mandantium consilio et assensu compromiserunt alte et basse, libere et absolute in reverendos patres, dominum Hugonem, tituli s. Sabine presbiterum, et O., s. Marie in Via Lata diaconum cardinales, tamquam in arbitros, arbitratores, laudatores, ordinatores, diffinitores seu amicabiles compositores super omnibus et singulis supradictis et aliis ea contingentibus vel ad ea pertinentibus, seu que ipsi domini cardinales ad ea putaverint pertinere, et super omni jure que alterutri partium competebat vel competere poterat, seu altertra partium sibi vindicabat vel defendebat in premissis vel aliquo predictorum ; quod quidem jus utraque pars libere posuit in manibus cardinalium eorundem habentium ad hoc et ad omnia que in compromisso hujusmodi continentur, a domino nostro summo pontifice auctoritatem et speciale mandatum, prout iidem domini cardinales et partes etiam asserebant, et dederunt iidem procuratores eisdem dominis cardinalibus expresse plenam et liberam potestatem judicandi, diffiniendi, laudandi, arbitrandi, disponendi, providendi, declarandi et interpretandi semel vel pluries super premissis et eorum singulis, prout eis placuerit et videbitur expedire, et specialiter adjudicandi alteri parti preposituram et cancellariam predictas, sive de novo conferendi, et relique parti super prepositura et cancellaria predictis perpetuum silentium

imponendi, necnon et conferendi in bonis vel super bonis illius qui prepositurani eandem obtinebit, et specialiter comitis et comitisse, videlicet super et in comitatu Flandrensi vel aliis bonis eorum, certam annuam pensionem certo tempore persolvendam illi, si ad vitam illius pensionem hujusmodi duxerint conferendam, et apponendi circa hec penas spirituales et alias, ac leges et condiciones quascumque voluerint et viderint expedire, et moderandi penam inferius exprimendam tam circa quantitatem ipsius, quam circa modum et tempus commissionis ejusdem. Promiserunt insuper dicti procuratores sibi adinvicem necnon et ipsis dominis cardinalibus stipulatione sollempni et corporali prestito juramento, nomine et in animas illorum quorum procuratores existunt, omnia predicta et singula, et quicquid predicti domini cardinales semel vel pluries judicando, diffiniendo, laudando, arbitrando, disponendo, providendo, declarando et interpretando diebus feriatis et non feriatis, partibus presentibus vel absentibus, vel altera presente et alia absente per contumaciam vel alias, servato juris ordine vel non servato, in scriptis vel sine scriptis, super premissis duxerint statuendum, inviolabiliter observare et contra ea vel ipsorum aliquid per se vel per alium non venire, sub pena quatuor milium marcarum argenti totiens committenda, secundum ipsorum cardinalium moderamen, et solvenda parti parenti dictis laudo, diffinitioni, arbitrio, dispositioni et provisioni predictorum cardinalium a parte non parente, quotiens contraventum fuerit in premissis vel aliquo predictorum, ita quod, pena soluta vel non, dicta diffinitio, laudum, arbitrium, dispositio, provisio, declaratio et interpretatio nichilominus valeant et rata et firma consistant. »

Tenor vero procuratorii dicti domini electi talis est: « Nos, Philippus, miseratione divina prime Lugdunensis ecclesie electus, prepositus ecclesie sancti Donatiani Brugensis et cancellarius Flandrensis, notum fieri volumus universis quod nos religiosum virum B., priorem Pontis Belli-Vicini, et magistrum Rodulfum de Viviaco, clericum, procuratores et nuntios nostros constituimus ad exponendum sanctissimo patri, domino Urbano, summo pontifici, injurias tam nobis quam multis ejusdem ecclesie canonicis in hac parte nobis adherentibus irrogatas per nobilem mulierem M., comitissam, et nobilem virum .. comitem Flandrensem, necnon et J., ejusdem comitis filium, in preposituram nostram predicte ecclesie et cancellariam Flandrensem, intrusum, per .. decanum et canonicos quosdam ecclesie supradicte, quod non solum in prejudicium nostrum verum etiam in ecclesie Romane contemptum dinoscitur redundare, concedentes eisdem et eorum alteri plenam et liberam potestatem agendi, defendendi, excipiendi, replicandi super predictis et dependentibus ex eisdem contra predictos omnes et singulos, et jus nostrum et nobis adherentium quocumque modo nobis melius expedire noverint, prosequendi. Damus etiam et concedimus predictis procuratoribus vel alteri ipsorum, si alter interesse non posset, plenam et liberam potestatem componendi, transigendi, compromittendi super predictis et ex eis dependentibus sive ad ea pertinentibus, et compositionem, transactionem et compromissum hujusmodi penis et juramentis vallandi et firmandi, necnon subiciendi ordinationi et voluntati domini pape negotium prelibatum, et omnia alia faciendi que nos facere possemus, si presentes essemus. Ratum et gratum perpetuo habituri quicquid per eos vel eorum alterum in predictis et circa predicta fuerit actum vel modo quolibet in judicio vel extra judicium procuratum. In cujus rei testimonium et evidentiam pleniorem sigillum nostrum Brugense presentibus litteris duximus apponendum. Datum Nantuaci, xv kalendas aprilis, anno Domini M.CC.LXI. »

Tenor autem procuratorii dicte comitisse talis est : « Nos, Margarita, Flandrie et Haynonie comitissa, notum facimus universis presentes litteras inspecturis, quod nos dilectos clericos nostros, magistrum Johannem de Douring et Johannem de Gramines, canonicum Curtracensem, seu alterum eorum ponimus loco nostri et nostrorum ad tractandum, componendum, transigendum, compromittendum seu etiam ordinandum super negotio cancellarie Flandrensis nostre et prepositure Brugensis, et super omnibus accessoriis et contingentibus negotium memoratum, cum venerabili patre, domino Philippo, Lugdunensi electo, vel cum illo seu illis quem vel quos dictus electus deputaverit ad premissa seu aliquid premissorum super negotio antedicto et simili modo cum quibuscumque aliis qui in dictis cancellaria et prepositura jus aliquod possint vel debeant reclamare, dantes eisdem clericis nostris seu alteri eorundem potestatem et speciale mandatum dictos tractatum, compositionem, transactionem, compromissionem et ordinationem pena firmandi pecuniaria, si necesse fuerit, ac etiam sacramento, super quo prestando in animam nostram ipsis clericis nostris vel alteri ex ipsis specialem concedimus potestatem. Ratum habiture et firmum quicquid per ipsos vel alterum ex eis factum fuerit in premissis, dum tamen ipsi duo vel alter eorum de consilio viri religiosi fratris Michaelis de Novirella, ordinis fratrum Predicatorum de conventu Insulensi, si presens fuerit, processerint sive processerit et con-

sensu super negotio prelibato. Datum anno Domini M.CC.LXI, feria v ante festum beati Dionisii. »

Tenor procuratorii predicti comitis talis est :

« Nos, Guido, Flandrie comes, notum facimus universis presentes litteras inspecturis, quod nos dilectos clericos nostros, magistrum Johannem de Douring et Johannem de Gramines, canonicum Curtracensem, seu alterum eorum ponimus loco nostri et carissimi filii nostri, Johannis, cancellarii Flandrensis et prepositi Brugensis in nostra potestate paterna constituti, ad tractandum, componendum, transigendum, compromittendum, seu etiam ordinandum super negotio cancellarie Flandrensis et prepositure Brugensis et super omnibus accessoriis et contingentibus negotium memoratum, cum venerabili patre, domino Philippo, Lugdunensi electo, vel cum illo seu illis quem vel quos dictus electus deputaverit ad premissa seu aliquid premissorum super negotio antedicto, dantes eisdem clericis nostris seu alteri eorundem potestatem et speciale mandatum firmandi dictos tractatum, compositionem, transactionem, compromissionem et ordinationem pena pecuniaria, si necesse fuerit, et etiam sacramento, super quo prestando in animam nostram ipsis clericis nostris vel alteri eorum specialem concedimus potestatem. Ratum habituri et firmum quicquid per ipsos vel alterum eorundem factum fuerit in premissis, dummodo ipsi duo vel alter eorum super dicto negotio de consilio viri religiosi fratris Michaelis de Novirella, ordinis fratrum Predicatorum de conventu Iusulensi, si presens fuerit, processerint sive processerit et consensu. Datum anno Domini M.CC.LXI, feria v ante festum beati Remigii. »

Procuratorii vero dicti Johannis talis est tenor :

« Ego, Johannes, filius illustris viri G., comitis Flandrie, cancellarius Flandrensis et prepositus Brugensis, notum facio universis presentes litteras inspecturis, quod ego de consensu et voluntate virorum venerabilium.. decani et capituli Brugensis ecclesie, prout in ipsorum litteris super hoc confectis plenius continetur, dilectos clericos meos magistrum Johannem de Douring et Johannem de Gramines, canonicum Curtracensem, seu alterum eorum pono et constituo loco mei ad tractandum, componendum, transigendum, compromittendum seu etiam ordinandum super negotio cancellarie Flandrensis et prepositure Brugensis et super omnibus accessoriis et contingentibus negotium memoratum, cum venerabili patre, domino Philippo, Lugdunensi electo, vel cum illo seu illis quem vel quos dictus electus deputaverit ad premissa vel aliquid premissorum, et simili modo cum quibuscumque aliis qui jus in dictis prepositura et cancellaria possint vel debeant aliquid reclamare, dans eisdem clericis meis aut alteri ex eis potestatem et speciale mandatum firmandi dictos tractatum, compositionem, transactionem, compromissionem seu ordinationem pena pecuniaria, si necesse fuerit, ac etiam sacramento, super quo prestando in animam meam ipsis clericis meis aut alteri eorundem specialem potestatem concedo. Ratum habiturus et firmum quicquid per ipsos vel alterum eorum factum fuerit in premissis, dum tamen ipsi duo vel alter eorum de consilio viri religiosi fratris Michaelis de Novirella, ordinis fratrum Predicatorum de conventu Insulensi, si presens fuerit, super dicto negotio processerint sive processerit et consensu. Datum anno Domini M.CC.LXI, feria v post festum beati Remigii. »

Tenor litterarum dictorum decani et capituli hic est :

« Universis presentes litteras inspecturis, Guillelmus decanus totumque capitulum ecclesie s. Donatiani Brugensis, salutem in Domino. Noveritis quod, cum dominus Johannes, filius illustris domini G., Flandrie comitis, cancellarius Flandrensis et propositus ecclesie nostre Brugensis, de consensu et voluntate nostra dilectos clericos suos, magistrum Johannem de Douring et Johannem de Gramines, canonicum Curtracensem, aut alterum eorum posuerit et constituerit loco sui ad tractandum, componendum, transigendum, compromittendum seu etiam ordinandum super negotio cancellarie Flandrensis et prepositure nostre ecclesie Brugensis, et super omnibus accessoriis et contingentibus negotium memoratum, cum venerabili patre domino Philippo, Lugdunensi electo, vel cum illo seu illis quem vel quos dictus electus deputaverit ad premissa seu aliquid premissorum, concesseritque eisdem clericis suis aut alteri eorum potestatem et speciale mandatum firmandi dictos tractatum, compositionem, transactionem, compromissionem seu ordinationem, pena pecuniaria, si necesse fuerit, aut etiam sacramento et super ipso sacramento in animam suam prestando ipsis clericis suis aut alteri ex ipsis specialem dederit potestatem, ratum habiturus et firmum quicquid per ipsos vel alterum ex eis factum fuerit in premissis, dummodo ipsi duo vel alter ex eis de consilio viri religiosi fratris Michaelis de Novirella, ordinis fratrum Predicatorum de conventu Insulensi, si presens fuerit, processerint vel processerit et consensu super negotio prelibato, nos omnia et singula supradicta rata et firma habentes, quantum in nobis est, promittimus inviolabiliter observare —. In cujus rei testimonium presentibus litteris duximus sigillum nostrum apponendum. Datum anno Domini M.CC.LXI, in die s. Dionisii. »

Ad majorem autem firmitatem et testimonium om-

nium predictorum, nos cardinales predicti, ad rogatum procuratorum ipsorum, presenti publico instrumento sigilla nostra duximus apponenda. Acta sunt hec Viterbii in domo fratrum Predicatorum Viterbiensium, vi die mensis junii exeuntis, indictione v, pontificatus domini Urbani, pape IIII, anno primo, presentibus domino Hugone de Turre, domini pape capellano, archidiacono Biliomensi in ecclesia Claromontensi, magistris Johanne, archidiacono Thoarcensi in ecclesia Pictaviensi, capellano, et Guillelmo de Morestello, cantore Virdunensi, camerario domini Hugonis cardinalis predicti. ad hoc vocatis testibus et rogatis. Et ego Raymundus de Campaniaco, clericus, auctoritate sancte Romane ecclesie publicus notarius, qui predictis interfui, ea omnia, ut supra legitur, scripsi et in hanc publicam formam redegi ac meo signo signavi rogatus.

Nos igitur, hujusmodi compromisso recepto, addita etiam nobis a domino nostro Urbano, divina providentia summo pontifice, super predictis omnibus et singulis plenaria potestate, et dato nobis oraculo vive vocis ab eodem domino speciali mandato procedendi in premissis secundum quod nobis ex forma conceditur compromissi et sicut videbimus hujusmodi negotio expedire, singulis quoque negotii circumstantiis diligenter inspectis, attendentes quod inter tantas personas nimis esset periculosa discordia, quodque de ipsorum concordia multa bona poterunt provenire, in primis pro bono pacis inter easdem partes conservande, omnes sententias latas in comitissam, comitem et Johannem ac terras ipsorum occasione hujusmodi discordie, quantum ad personas ipsorum et terras, auctoritate apostolica nobis in hac parte commissa specialiter relaxamus. Reliquos autem in quos fuerint hujusmodi sententie promulgate ad venerabiles patres.. Parisiensem vel.. Belvacensem episcopos, quibus super hoc committimus vices nostras, accedere volumus recepturos sine difficultatis obstaculo absolutionis beneficium et dispensationis gratiam super irregularitatibus si quas propter hoc forsitan contraxerunt. Item cassamus, annullamus et viribus omnino carere decernimus omnes litteras pro parte ipsorum comitisse, comitis et Johannis hucusque super hujusmodi negotio negotio (*sic*) impetratas. Volumus etiam et mandamus quod omnis questio super quibuslibet injuriis quibuscumque personis occasione discordie istius illatis et expensis hinc inde factis cessent omnino, et eedem injurie ac expense pro remissis penitus habeantur. Ceterum arbitramur, laudamus, diffinimus et ordinamus, quod memoratus Johannes, comitissa et comes pro subtractis omnibus satisfaciant dicto electo Lugdunensi seu procuratori suo ejus nomine in duobus milibus et sexcentis libris Turonensium. terminis hiis : videlicet de medietate predicte summe in festo beati Martini hyemalis primo venturi, Parisius in domo Militie Templi, de reliqua vero medietate in festo Resurrectionis dominice primo venture ibidem. Item diffinimus et arbitramur quod omnia ea que idem electus vel alius pro eo tamquam prepositus vel cancellarius fecit hucusque seu ratione prepositure vel etiam cancellarie conferendo canonicatus et prebendas Brugensis ecclesie, rata, firma et illibata permaneant, ita quod illi quibus idem electus canonicatus et prebendas contulit, plenum jus habeant in eisdem, et ad pacificam possessionem eorum admittantur et omnia habeant que habituri fuissent, si ad prebendas ipsas recepti fuissent, et omnes electo adherentes eidem qui occasione hujusmodi discordie vel litis suis prebendis destituti fuerint seu dampna passi vel ab ipsa abesse compulsi, restituantur ad plenum, ita quod omnia habeant que alias fuerant habituri et detur omnibus predictis plena securitas per comitissam, comitem et Johannem pro se ipsis et suis. Que vero dictus Johannes vel alius ejus nomine sive pro eo fecit hucusque tamquam prepositus vel cancellarius sive ratione prepositure vel cancellarie, conferendo canonicatus vel prebendas in eadem Brugensi ecclesia seu aliud spirituale faciendo, sint cassa et irrita et omni careant firmitate, et nos nichilominus ea quatenus de facto processerunt, cassamus, cassa et irrita nuntiamus. Nolumus tamen quod illis qui recepti sunt in dicta Brugensi ecclesia auctoritate papali vel qui ut recipiantur insistunt, per hoc aliquod prejudicium generetur. Ceterum volumus et mandamus, ordinamus, arbitramur et diffinimus, quod idem electus nullum jus habeat vel sibi vindicet in prepositura et cancellaria predictis et pertinentiis earundem, nec ratione ipsarum comitisse, comiti vel Johanni predictis in aliquo teneatur, sed specialiter a fidelitatis homagio liber sit penitus et immunis, et omne jus, quod in ipsis habuit, abjudicantes eidem ac imponentes sibi perpetuum silentium super eis, ipsas cum suis juribus et pertinentiis Johanni prefato conferimus et assignamus, predictum magistrum Johannem de Douring, procuratorem ipsius, investientes ejus nomine de eisdem. Non obstante defectu ordinum seu etatis quem idem Johannes patitur, utpote qui primam solum habere tonsuram et tantum annum undecimum dicitur attigisse, vel si forsitan in partibus illis super beneficiis, personatibus, prepositurís vel quibuscumque aliis dignitatibus generaliter vel specialiter apostolica sint scripta directa pro aliis, seu inhibitiones, reservationes facte vel decreta etiam super ipsis prepositura et cancellaria sint interposita, aut alii

processus habiti pro eisdem, quos quantum ad prepossituram et cancellariam predictas, viribus decernimus omnino carere, sed illis pro quibus predicta facta sunt alias seu quo ad alia beneficia, personatus, prepossituras vel dignitates nullum decernimus prejudicium generari, aut quibuslibet indulgentiis quibuscumque sub quacumque verborum forma concessis, etiamsi de toto tenore earum de verbo ad verbum et de impetrantium nominibus deberet haberi mentio specialis, per quas effectus hujusmodi nostri processus impediri valeat vel differri, vel quod idem Johannes alias beneficiatus existit. Insuper arbitramur, dicimus et ordinamus, quod idem electus habeat annuam pensionem quingentarum librarum Parisiensium solvendam sibi vel procuratori suo loco et termino infrascriptis, videlicet Parisius in domo Militie Templi singulis annis in festo Resurrectionis dominice, et percipiendam ab eo toto tempore vite sue, etiam si quoquomodo statum suum ipsum mutare contingat, in bonis seu de bonis comitisse, comitis et comitatus Flandrensis, quicquid eveniat de memorato Johanne et prepositura vel cancellaria predictis. Fiet autem prima pensionis solutio primo festo Resurrectionis Domini quod occurret, et deinde singulis annis in festo eodem, et hujusmodi pensionem taliter solvendam et percipiendam eidem electo conferimus et assignamus, et dictos comitissam, comitem et Johannem, quemlibet eorum in solidum condempnamus ad dictam pensionem et ad solutionem ipsius eidem electo vel procuratori suo predictis loco et termino faciendam, et ad hoc ipsos comitissam, comitem et Johannem ac heredes ipsorum, quemlibet eorum in solidum necnon et comitatum ipsum obligamus eidem electo et teneri volumus obligatos, omni auctoritate ac potestate nobis in hac parte commissis prefatos procuratores ipsius electi investientes ejus nomine de pensione predicta. Memoratum autem Johannem, prepositum, et successores ejus in prepositura et cancellaria predictis, et ipsas preposituram et cancellarium obligamus et teneri volumus obligatas comitisse, comiti et successoribus eorum ad refundendum eis singulis annis hujusmodi pensionem, eisdem comitisse, comiti et Johanni nichilominus injungentes et omni auctoritate nobis in hac parte commissa mandantes, quod tempore et modo inferius exprimendis dent suas patentes litteras sigillis eorum propriis communitas in forma quam eis mittimus, sigillorum nostrorum munimine roboratas, super ratificatione omnium que per nos in premissis ordinata sunt vel ordinabuntur inferius, per quas dicti comitissa et comes summittent se et heredes suos et terras libere et absque ulla conditione jurisdictioni et potestati.. illustris regis Francorum, et heredum suorum, ut idem rex et heredes ejus possint predictos comitissam, comitem et heredes eorum quemlibet in solidum compellere sine aliqua cause cognitione per modum et penam quibus voluerint, ad satisfaciendum dicto electo de memorata pensione, et injungimus ac mandamus magistro Johanni, procuratori eorundem comitisse, comitis et Johannis, quod presentem ordinationem et predictarum litterarum formam ipsis infra sex septimanas insinuare ac destinare procuret, ut ex tunc infra tres septimanas memorati comitissa, comes et Johannes litteras patentes in supradicta forma sub sigillis suis pendentibus, Parisius in domo Militie Templi deponere teneantur, reddentes libere et absque dilatione aliqua prefato electo vel procuratori suo, cum eas duxerint requirendas. Quod si predicte littere suprascripto modo deposite non fuerint, extunc scilicet predictis tribus septimanis elapsis, committatur pena in compromisso expressa et nichilominus in comitem et Johannem prefatos excommunicationis et in terras dicte comitisse ac ipsorum ex nunc interdicti sententias promulgamus ac interdicimus memoratis comitisse, comiti et specialiter ipsi Johanni omnem administrationem predictarum prepositure et cancellarie vel pertinentium ad easdem, et precipimus quod se de ipsis nullomodo per se vel alios intromittant vel aliquid percipiant ex eisdem, donec omnia ordinata per nos ratificaverint et litteras predictas dederint in forma et modo predictis. Volumus etiam et mandamus quod, postquam dicti comitissa, comes et Johannes predicta omnia ratificaverint et litteras suas super hoc dederint, ut superius est expressum, memoratus electus pacem et concordiam, compositionem et ordinationem hujusmodi approbet et ratificet omnia que in presenti ordinatione continentur, et super hiis infra octo dies postquam super hoc fuerit requisitus, litteras patentes det in forma quam ei sub nostris duximus destinandum (*sic*); quod si non fecerit, in penam incidat in compromisso expressam. Circa commissionem autem pene in compromisso expresse hoc moderamen adicimus quo ad reliquos articulos in quibus de commissione pene nichil superius est expressum: volumus siquidem, si contingat per quindecim dies in pensionis electo debite solutione cessari, primo capellam comitisse et comitis interdicti; et si per alios quindecim dies in eadem solutione cessetur, eosdem comitem et Johannem excommunicationis; quod si adhuc per alios quindecim dies fuerit in hujusmodi solutione cessatum, terras ipsorum interdicti sententiis, quas in predictas capellas, personas et terras exnunc ferimus, subjacere. Quod si quanto per tantundem temporis dilata fuerit predicta so-

lutio, penam mille marcarum argenti committi volumus et extunc per singulos cessationis menses in singulis mille marcis usque ad summam quatuor milium marcarum argenti, quam tenor exprimit compromissi. Si vero quo ad articulum restitutionis subtractorum ab aliqua partium fuerit contraventum, pena committatur in mille marcis argenti. In reliquis autem presentis nostre ordinationis articulis volumus et mandamus penam infrascripto modo committi si contingat aliquam partium contra dictum nostrum venire. In restitutionis canonicorum articulo volumus penam committi in quingentis marcis argenti. In ceteris autem articulis si contra venire contingat, pena committatur in ducentis marcis argenti. Predictis autem penis predicto modo commissis et solutis, compromissum et arbitrium nostrum nichilominus in sua maneat firmitate. Predicta autem omnia et singula judicando, arbitrando, laudando, ordinando, diffinimus et precipimus inviolabiliter observari. Acta sunt hec Viterbii in ecclesia fratrum Predicatorum, XII die mensis julii intrantis, indictione V, pontificatus domini Urbani, pape IIII, anno primo, presentibus domino.. abbate monasterii sancti Bertini, ordinis sancti Benedicti, magistro Berardo de Neapoli, domini pape notario, magistro Bernardo Yspano et.. decano Cameracensi, et domino Guillelmo de Chamiensi, canonico Lingonensi, Jacobo preposito Ebredunensi, domini pape capellanis, et fratre Michaele de Novirella ac fratre Nicolao de Insula, ordinis fratrum Predicatorum, et Johanne de Gramines, canonico Curtracensi, et pluribus aliis ad hoc vocatis testibus et rogatis. In quorum omnium predictorum testimonium et munimen litteras sigillorum nostrorum munimine duximus roborandas. Nulli ergo nostre confirmationis etc. — Datum apud Urbemveterem, VIII idus februarii, anno II. »

216 Orvieto, 10 janvier 1263.

Provisio canonicatus et praebendae in Vapincensi ecclesia in favore Petri de Virduno, cantoris Ebredunensis. (Reg. 26, anni II, n° 79, fol. 75 v°.)

« .. *priori de Guillestra, Ebredunensis diocesis.* Licet ecclesiarum onera —. Hiis igitur in dilecto filio Petro de Virduno, cantore Ebredunensi, paterna consideratione pensatis, volentes obtentu venerabilis fratris nostri H., Ostiensis episcopi, nobis super hoc cum instantia supplicantis, et ob predicta merita gratiam sibi facere specialem, discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatenus de canonicatu et prebenda si qua in Vapincensi ecclesia vacat ad presens, vel quamcito ad id se facultas obtulerit, per te vel per alium providere procures, faciens ipsum vel procuratorem ejus ipsius nomine in eadem ecclesia per te vel per alium in canonicum recipi et in fratrem, ac ipsum in hujusmodi prebende possessionem inducens, vel induci faciens et defendens inductum. Non obstante etc. — Datum apud Urbemveterem, IIII idus januarii, anno II°. »

217 Orvieto, 6 février 1263.

Sententia lata in causa vertente inter Guillelmum Pellizonum et Vivaldum, nepotem Johannis de Camezano, praepositi Januensis, canonicos Ebredunensis ecclesiae, super ejusdem ecclesiae quadam praebenda. (Reg. 26, anni II, n° 80, fol. 75 v°.

« *Isnardo, dicto de Charentesio, canonico Aquensi.* Inter dilectum filium Guillelmum Pellizonum et Vivaldum, nepotem dilecti filii magistri Johannis de Camezano capellani nostri, prepositi Januensis, canonicos Ebredunensis ecclesie, super quadam prebenda que in eadem ecclesia per mortem Porcelleti, canonici ipsius, vacaverat, quam uterque ipsorum ad se spectare dicebat, questione suborta et ad sedem apostolicam legitime devoluta, nos in ea dilectum filium nostrum Sy., tituli s. Martini presbiterum cardinalem, deputavimus partibus auditorem, in quem, lite coram eo legitime contestata, tamquam in arbitrum, arbitratorem et amicabilem compositorem dictus P. personaliter et prefatus V. per procuratorem habentem ad componendum et compromittendum plenum ac speciale mandatum compromittere curaverunt. Porro dictus cardinalis, compromisso hujusmodi et a nobis tam super dicta prebenda et ejus fructibus, quam super alia, si qua tunc in predicta vacabat ecclesia, vel proximo vacatura, diffiniendi, ordinandi, statuendi, disponendi, decernendi, reservandi, et contradictores etiam per censuram ecclesiasticam compellendi, prout expedire videret, sibi tradita vive vocis oraculo potestate receptis, visis rationibus utriusque partis et diligenter discussis, communicato quoque super hiis consilio peritorum, prebendam ipsam ad dictum pertinere Vivaldum sententialiter declarans, eamque ipsi V. adjudicans, voluit, arbitratus est atque precepit quod de fructibus seu proventibus ejusdem prebende medietatem prefatus G. percipiat et idem Vivaldus eam sibi solvere annis singulis teneatur, donec in eadem ecclesia prebendam, si qua vacat ibidem ad presens, aut proximo vacaturam, fuerit paci-

fice assecutus, quam donationi apostolice cardinalis ipse reservans decrevit de speciali mandato et auctoritate nostra eam conferendam sibi eumque in ipsius assecutione, omnibus in eadem ecclesia quacumque auctoritate receptis, seu qui ut recipiantur insistunt et qui super receptione ac provisione sua ibidem forsitan litteras apostolicas vel quascumque alias impetrarunt, vel de cetero impetraverint preferendum. Insuper cardinalis prefatus dicto G. prebendam si qua in ipsa ecclesia tunc vacabat, auctoritate nostra cum juribus et pertinentiis suis omnibus contulit et de ipsa eum per suum annulum presentialiter investivit, statuens quadam alia circa ista, prout in publico instrumento confecto exinde ipsius cardinalis, sigillato, sigillo plenius continetur. Unde nos, quod ab eodem cardinale super hoc factum est, ratum habentes et firmum, illud per nostras duximus litteras confirmandum. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus auctoritate nostra per te vel per alium eidem Guillelmo juxta premisse ordinationis tenorem predictam medietatem reddituum sive proventuum faciens exhiberi, prebendam sibi si qua in prefata ecclesia vacat ad presens, alioquin proximo vacaturam conferre et assignare procures, inducens eum in corporalem possessionem ipsius et defendens inductum. Contradictores etc. — Invocato etc. Non obstante si —. Datum apud Urbemveterem, VIII idus februarii, anno II°. »

218 Orvieto, 6 mars 1263.

Cum capitulis, conventibus et collegiis regni Siciliae per sedem apostolicam sit prohibitum ne, cum ecclesias ipsas vacare contingat, ad electionem procedant, de apostolicae potestatis plenitudine Valvensi ecclesiae Jacobum, de ordine Praedicatorum, praeficit in episcopum. (Reg. 26, anni II, n° 81, fol. 76.)

« .. *preposito et capitulo ecclesie Valvensis.* Rationis oculis —. Datum apud Urbemveterem, II nonas martii, anno II°. »

In e. m. clero Valvensis civitatis et diocesis.
In e. m. Jacobo, Valvensi episcopo.

219 Orvieto, 9 avril 1263.

G., familiarem et capellanum suum, Anteradensi praeficit ecclesiae. (Reg. 26, anni II, n° 82, fol. 76.)

« *Capitulo et clero civitatis et diocesis Anteradensis.* Inter primas sollicitudinis —. Datum apud Urbemveterem, V idus aprilis, anno II°. »

In e. m. fratri G., Anteradensi episcopo.

220 Orvieto, 12 avril 1263.

Episcopo Burgensi mandat ut cum Gonsalvo Gometii de Sandoval milite et Elvira Martini de Ficero muliere, Burgensis diocesis, dispenset ut, non obstante quarto consanguinitatis gradu, in contracto matrimonio licite remanere valeant. (Reg. 26, anni II, n° 83, fol. 76 v°.)

«.. *episcopo Burgensi.* Romani pontificis precellens —. Datum apud Urbemveterem, II idus aprilis, anno II°. »

221 Orvieto, 20 mars 1263.

Episcopo Lingonensi mandat quatenus reformet certa hospitalia, ordinis s. Augustini, ipsi subjecta. (Reg. 26, anni II, n° 84, fol. 76 v°.)

« .. *episcopo Lingonensi.* Ad salubrem —. Sane tua nobis insinuatio patefecit, quod de Mormento cum valle Dominarum, de Bellochimino, de Troncheto, de Morum, de Grossasilva, de Septemfagis, de Aurivilla, de Tilicastro, de Brachans, de Acellis, de Chalereio, de Sancto Nicolao et de Susseio hospitalia tue jurisdictioni subjecta, Lingonensis civitatis et diocesis, propter incuriam et malitiam personarum in eis degentium, adeo in spiritualibus et temporalibus sunt collapsa, quod vix ut resurgant adicere posse creduntur, nisi super hoc eis per apostolice sedis providentiam remedio celeri succurratur. Nam, licet in eisdem hospitalibus que ad subventionem potissime infirmorum et pauperum, hospitalitatem quoque servandam, aliaque in eis caritatis exercenda opera pia fidelium construxit devotio et dotavit, beati Augustini ordo ab ipsa hospitalium predictorum fundatione fuerit institutus, persone tamen hospitalium eorundem, que utriusque sexus existunt, insimul habitantes, proprie salutis et fame immemores, per campum licentie dampnabiliter discurrentes, non solum predicti ordinis regulam non observant et hospitalitati aliisque hujusmodi operibus vacare non curant, quin immo in suis actibus depravate ac concupiscentiis et immunditiis carnis totaliter dedite vitam ducunt adeo dissolutam, quod in ipsis quidem hospitalibus omnino perit observantia regularis et, quod dolentes audivimus, incestus, stupra, partuum suffocationes et alia plurima enormia committun-

tur, sicque, divino cultu et aliis piis virtutum studiis abdicatis, inibi dampnabiliter vitiis intenditur, ex quibus secuntur animarum pericula, intolerabile ipsis hospitalibus detrimentum imminet, graviter divina majestas offenditur ac non leve in populo scandalum generatur. Et quamvis tu de subditorum tuorum salute sollicitus circa correctionem predictarum personarum caritative institeris, et ad reformationem hospitalium eorundem diligentem curam ac operam adhibueris indefessam, ex tuo tamen in hac parte studio fructus aliquis, predictarum personarum obstinata faciente malitia, non potuit provenire. Quare super hoc apostolice circumspectionis implorans presidium petiisti per eam prefatis hospitalibus et personis super hiis salubri consilio provideri. Quia vero ubi temptata medicamina non procedunt, efficacioribus est remediis insistendum, nos, quia salutem animarum appetimus et ex suscepti regiminis cura invigilare tenemur ut errata in prefatis hospitalibus corrigantur salubriter et indirecta utiliter dirigantur, plenis desiderantes affectibus hospitalia ipsa eo providentie studio reformari ut, vitatis in eis noxiis, eadem circa spiritualia et temporalia continuis, auctore Domino, proficiant incrementis; fraternitati tue de cujus industria et sinceritatis zelo fiduciam in Domino gerimus pleniorem, per apostolica scripta mandamus quatinus personaliter accedens ad loca predicta et habens pre oculis solum Deum, super premissis auctoritate nostra provideas, reformando eadem hospitalia de ordine supradicto si commode fieri poterit, vel de novo ibidem alium de approbatis et non exceptis ordinibus inducendo, super hiis ordinando et disponendo, prout consideratis diligenter circumstantiis universis que circa hec attendende fuerint, utilitati ac bono statui hospitalium eorundem ac personarum ipsarum secundum Deum videris expedire. Proviso quod in prefatis hospitalibus perpetuo servetur hospitalitas et personis ipsarum, si alium in illis ordinem induci contigerit, quamdiu vixerint de bonis hospitalium eorundem vite necessaria ministrentur. Non obstante si —. Contradictores etc., usque compescendo. Datum apud Urbemveterem, xiii kalendas aprilis, anno ii°. »

222 Orvieto, 22 novembre 1262.

Manfredo, electo Veronensi, mandat ut cessionem abbatis monasterii s. Laurentii in Campo recipiat. (Reg. 26, anni II, n° 85, fol. 77.)

« *Manfredo, Veronensi electo, Marchie Anconitane rectori.* Cum dilectus filius P., abbas monasterii s. Laurentii in Campo, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, Fanensis diocesis, confractus jam senio et infirmitate gravatus, onera ipsius monasterii supportare non valens, cedere, prout didicimus, regimini ejusdem affectet, faciens per te nobis humiliter supplicari ut cessionem ejus recipere dignaremur, nos gerentes plenam in Domino de tua circumspectione fiduciam, discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatenus, si est ita et utilitati ipsius monasterii expedire videris, cessionem ipsius, cum eam obtulerit, recipias vice nostra, et tandem injungas ex parte nostra conventui monasterii supradicti ut infra quindecim dies post monitionem tuam, sibi de tuo consilio et assensu per electionem canonicam de abbate ydoneo providere procurent. Alioquin tu extunc habens pre oculis solum Deum, eidem monasterio auctoritate nostra de abbate ydoneo studeas providere, faciens sibi eadem auctoritate munus benedictionis impendi et a suis subditis obedientiam et reverentiam debitam exhiberi. Contradictores etc. Non obstante —. Datum apud Urbemveterem, x kalendas decembris, anno ii°. »

223 Orvieto, 25 avril 1263.

M., canonicum Narbonensem et capellanum suum, Narbonensi praeficit ecclesiae. (Reg. 26, anni II, n° 86, fol. 77 v°.)

« *Capitulo et clero Narbonensibus.* Suscepti cura regiminis etc. —. Sane, Narbonensi ecclesia pastoris solatio destituta, vos, filii capitulum, presentibus omnibus qui voluerunt, debuerunt et potuerunt commode interesse, die ad electionem prefixa, convenientes in unum, quinque ex vobis providendi eidem ecclesie de pastore contulistis unanimiter potestatem, illum in archiepiscopum recipere promittentes, quem ipsi concorditer ducerent assumendum; iidem autem ad venerabilem fratrem nostrum M., archiepiscopum Narbonensem, tunc concanonicum vestrum et capellanum nostrum, tamquam ad virum Deo gratum et acceptum hominibus, dotatum naturalibus bonis, et gratuitis virtutibus redimitum, presignem claritate fame, munditia vite fulgentem et nitentem eminenti scientia litterarum, industria quoque aliisque variis meritis insignitum, provide considerationis oculos dirigentes eum, Spiritus Sancti gratia invocata, in vestrum archiepiscopum et pastorem canonice ac concorditer elegerunt, et vos quod per ipsos super hoc factum extitit, protinus acceptantes, eum in vestrum archiepiscopum unanimiter assumpsistis, no-

bis humiliter supplicantes ut electionem ipsam confirmare de consueta circumspectione sedis apostolice dignaremur. Eodem itaque archiepiscopo vestrisque nuntiis propter hoc in nostra presentia constitutis, electionem ipsam examinari fecimus diligenter, et quia eam invenimus de persona non solum ydonea, verum etiam premissis et aliis meritis precellenti canonice celebratam, ipsam de fratrum nostrorum consilio duximus confirmandam, ipsi archiepiscopo consecrationis munus de nostris manibus impendentes, sibique palleum de corpore beati Petri sumptum in signum quidem plenitudinis pontificalis officii tribuentes —. Datum apud Urbemveterem, VIII kalendas maii, anno II°. »

In eundem modum populo civitatis et diocesis Narbonensis

In eundem modum universis episcopis suffraganeis Narbonensis ecclesie.

In eundem modum nobilibus viris, universis vassallis sedis Narbonensis.

In eundem modum M., archiepiscopo Narbonensi.

224 Orvieto, 27 avril 1263.

Francisce indulget ut etiam cum aliquo, qui eam in quarto consanguinitatis vel affinitatis gradu attingat, matrimonium licite contrahere valeat. (Reg. 26, anni II, n° 87, fol. 78.)

« *Nobili mulieri Francisce, sorori nobilis viri Johannis Comitis, proconsulis Romanorum.* Etsi conjunctio copule etc. —. Cum igitur, sicut dilectus filius, nobilis vir Johannes Comes, Romanorum proconsul, frater tuus, proposuit coram nobis, idem intendens te nuptui tradere in Romana provincia secundum tui generis qualitatem aliquem invenire nequeat, cui possis de pari nubere et qui te in consanguinitatis vel affinitatis gradu prohibito non contingat, nos ejusdem nobilis supplicationibus inclinati, ut, impedimento consanguinitatis vel affinitatis hujusmodi nequaquam obstante, cum aliquo, etiam qui te in quarto consanguinitatis vel affinitatis gradu attingat, licite contrahere valeas, tecum auctoritate apostolica dispensamus. Nulli ergo nostre dispensationis etc. —. Datum apud Urbemveterem, V kalendas maii, anno II°. »

225 Orvieto, 31 janvier 1263.

Ordonio Petri, canonico Palentino, indulget ut secularem abbatiam s. Quirici in ecclesia Burgensi et archidiaconatum de Alcor in ecclesia Palentina, licite recipere et retinere insimul, et loco alterius vel utriusque totidem alia recipere beneficia valeat. (Reg. 26, anni II, n° 88, fol. 78.)

« *Ordonio Petri, canonico Palentino.* Etsi propter ambitiones —. Datum apud Urbemveterem, II kalendas februarii, anno II°. »

226 Orvieto, 9 mai 1263.

Oddonem, Bajocensem electo, eidem praeficit ecclesiae. (Reg. 26, anni II, n° 89, fol. 78.)

« *Oddoni, electo Bajocensi.* Inter primas sollicitudines —. Dudum siquidem bone memorie Guidone, Bajocensi electo, viam universe carnis ingresso, capitulum Bajocensis ecclesie, die ad celebrandam electionem futuri pontificis assignata, omnibus qui voluerunt, debuerunt et potuerunt comode interesse tum per se, tum per procuratores presentibus, convenientes in unum et die ipsa in diem continuata sequentem, per viam temptantes procedere compromissi, quia hii quibus providendi eidem ecclesie de pastore collata fuerat, durata usque ad certam horam, potestas, nequiverant in aliquam convenire personam, per viam procedere scrutinii curaverunt, et, hujusmodi publicato scrutinio et collatione facta canonica, cum in te, tunc ipsius ecclesie canonicum, majorem partem totius capituli, et aliquos ex aliis in dilectum filium magistrum Adenulfum, capellanum nostrum, ipsius decanum ecclesie, convenisse ac divisisse in diversos reliquos sua vota constaret, hii qui in personam consenserant tuam, te continuo per dilectum filium G., ipsius ecclesie archidiaconum, sibi ad hoc libera potestate concessa, in ejusdem ecclesie episcopum elegerunt, parte ipsius decani propter hoc ad sedem apostolicam appellante. Sane, hujusmodi electionis negotio per appellationem hujusmodi ad sedem devoluto eandem et apud ipsam coram venerabili fratre nostro.. Penestrino episcopo, auditore per felicis recordationis Alexandrum papam, predecessorem nostrum, super hoc deputato eisdem partibus, constituto, et aliquibus ab adversa parte, quibus te ineligibilem fuisse pars eadem ostendere nitebatur, objectis, ac super ipsis et aliis diutius disceptato, tandem tu per procuratorem habentem a te ad hoc speciale mandatum, et dictus decanus per se in nostris manibus renuntiastis spontanei omni juri quod vobis ex consensu et electione hujusmodi competebat. Porro nos de ipsius ecclesie ordinatione sollicite cogitantes, ne ipsa in gravem sui

dispendium et animarum periculum remaneret diutius, si forsitan iterate dissentionis emergeret scrupulus, viduata, cognito tam per fratres nostros quam per alios fidedignos qui te per conversationem diutinam tecum habitam plenius cognoverunt, quod ea, que tibi objecta fuerant, nulla erant veritate subnixa, quodque vir es preminentis scientie, munde vite, conversationis honeste, in spiritualibus providus et in temporalibus circumspectus et ydoneus ad quamlibet ecclesiasticam dignitatem, considerato quoque quod major et sanior pars capituli supradicti te duxerat eligendum, de ipsorum fratrum consilio et apostolice plenitudine potestatis te ipsi ecclesie in episcopum prefecimus et pastorem —. Datum apud Urbemveterem, VII idus maii, anno II°. »

In eundem modum capitulo Bajocensi.
In eundem modum clero civitatis et diocesis Bajocensis.
In eundem modum populo Bajocensi.
In eundem modum .. archiepiscopo Rothomagensi.
In eundem modum .. regi Francie illustri.

227 Orvieto, 26 avril 1263.

Quamdam reformationem ab episcopo Parisiensi in ecclesia b. Martini de Campellis in Bria initam confirmat. (Reg. 26, anni II, n° 90, fol. 78 v°).

« .. *episcopo Parisiensi.* Divini cultus diligentes —. Sane petitio tua nobis exhibita continebat, quod ecclesia beati Martini de Campellis in Bria, tue diocesis, in qua prebendarum collatio et canonicorum ordinatio, institutio, correctio et reformatio ad te pertinet pleno jure, ad tantam desolationem devenisse dinoscitur, ut in ea in qua consistit numerus viginti duarum prebendarum et totidem canonicorum preter prebendam, quam monasterium sancti Victoris Parisiensis ibidem obtinet, cujusque proventus valori fructuum duarum aliarum prebendarum ipsius ecclesie comparantur, vix tres aut quatuor possunt residentes canonici repperiri, tum pro eo quod cotidiane distributiones, que solum inibi residentibus assignantur, utpote que residenti canonico ultra centum solidos Parisiensium non valent annis singulis, nimis sunt tenues et exiles, tum quia nonnulli canonicorum ipsorum in cathedrali vel aliis ecclesiis beneficia obtinentes, certis indulgentiis aut privilegiis apostolicis asserunt se munitos, quod, non obstante statuto de facienda in dicta ecclesia beati Martini residentia personali, juramento vel alia qualibet firmitate vallato, fructus prebendarum suarum ipsius ecclesie integre percipere valeant, dummodo in aliis ecclesiis in quibus beneficia hujusmodi obtinent, residere procurent, tum etiam quia diversas alias causas iidem fingunt et adinveniunt fraudulenter. Propter quod eadem ecclesia tam celebris, tam famosa, debitis defraudatur obsequiis ac circa spiritualia et temporalia gravibus subjacet detrimentis. Porro tu post diversas monitiones super residentia hujusmodi factas canonicis memoratis, ac diligentem tractatum habitum cum aliquibus eorum qualiter eidem ecclesie super hoc posset salubrius provideri, tuam in eo deliberationem asseris resedisse, ut de corpore cujuslibet prebende ipsius ecclesie dimidius modius bladi, quod *ybernagium* vulgariter dicitur, annis singulis subducatur, et illud ac tria parva molendina ejusdem ecclesie, in quibus quilibet predictorum canonicorum quatuor sextarios bladi vel circiter annuatim percipit, predictis tenuibus distributionibus, que ministrentur tantum residentibus ac ibidem personaliter Deo servientibus, perpetuo applicentur, ut sic facilius possint inveniri ministri ydonei qui velint et valeant in predicta ecclesia divinis obsequiis immorari. Quare humiliter petebas a nobis ut de qualibet dictarum prebendarum dimidium modium ybernagii supradicti subtrahi facientes, ipsumque cum molendinis eisdem annectere in perpetuum prefatis distributionibus curaremus. Nos itaque de tua circumspectione confisi, faciendi premissa juxta predictam deliberationem tuam, quam providam reputamus, et contradictores ac rebelles per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendi, fraternitati tue auctoritate presentium liberam concedimus facultatem —. Datum apud Urbemveterem, VI kalendas maii, anno II°. »

228 Orvieto, 7 mai 1263.

Quod Januenses recedant a confederatione Paleologi et redeant ad mandatum ecclesie. Item de eodem supra capitulo XLIII. Item capitulo L. Item infra capitulo LXXXXII, Item capitulo LXXXXIII. (Reg. 26, anni II, n° 91, fol. 79 [1].)

« .. *potestati, . . capitaneo, consilio, et communi Januensibus, spiritum consilii sanioris.* Post frequentes ammonitiones quibus apud vos et per litteras et per nuntios institimus, ut a confederatione Paleologi scismatici totaliter recedentes, ad sinum matris ecclesie a quo, vestris culpis exigentibus, excidistis, humiliter rediretis, demum ardentiori studio vobis mandavimus

1. Ce résumé est donné en marge du Registre.

obsecrantes vos per aspersionem sanguinis Jesu Christi ut Deum vestramque salutem habentes pre oculis, nuntio ipsius scismatici qui ad vos veniens, stipendiare bellatores ac galeas et naves contra Constantinopolitanum imperium et Latinos existentes ibidem, immo verius contra Romanam ecclesiam et catholicam fidem conducere intendebat a vobis, non preberetis aliquod in hac parte consilium, auxilium, vel favorem, nec locaretis ei galeas aliquas sive naves, nec locari ab aliis pateremini, nec etiam ipsum in civitate vel districtu vestris stipendiare sustineretis aliquos bellatores, quinimmo eundem licentiantes nuntium, et ad mandatum ipsius ecclesie redeuntes, ab omni confederatione dicti scismatici recedere curaretis, non obstantibus aliquibus juramentis a vobis prestitis in robur confederationis ejusdem, a quibus, cum essent iniquitatis vincula, vos duximus absolvendos; predicentes vobis quod nos vestros pravos in hac parte processus carissimis in Christo filiis nostris.. Francorum,.. Anglorum,.. Castelle,.. Aragonum,.. Portugalie ac Navarre illustribus regibus et dilecto filio, nobili viro.. comiti Provincie, ceterisque principibus et baronibus ecclesiasticis et mundanis, tam in cismarinis quam ultramarinis partibus constitutis, exposito eis qualiter propter hoc excommunicationis estis innodati vinculo, intimare diligentius curaremus, ipsosque induceremus ut vos tamquam excommunicatos artius evitarent, nec permitterent vos in terris eorum morari, et alias super hoc providerent, prout cultui catholice fidei ac prospero statui rei publice christianitatis cognoscerent expedire. Sed quia vos non solum ab hujusmodi confederatione recedere non curastis, verum etiam ipsi nuntio galeas et naves locare et quammultos bellatores dicebamini presumptione dampnabili concessisse in non minimum mandatorum nostrorum contemptum et fidei predicte periculum manifestum, nos, quamvis adeo super hiis culpe vestre late paterent, quod vix poterat sine quadam culpa circa ipsas relaxari vel differri vindicta, memoria tamen devotionis antique, qua pro ipsius ecclesie utilitatibus, dispendia rerum et personarum pericula parvi pendere didicistis, ultionis zelum temperante in nobis et nos experiri cogente an adhuc in vobis aliqua ipsius devotionis scintilla remanserat, que in ignem filialis caritatis reaccendi valeret, vos attente rogavimus per iterata vobis scripta dantes firmiter in mandatis et obsecrantes vos per divinum judicium et aspersionem predicti sanguinis, ut saltem ea vice monitis pie matris super vos amare dolentis obtemperantes humiliter et devote, a confederatione predicti scismatici verbis et operibus recederetis, abjuraretis omnes promissiones, conventiones, confederationes, pacta et juramenta quibus eidem scismatico tenebamini, revocaretis bellatores et galeas ac naves quos ei, prout publica vulgavit infamia, transmisistis, et ad ipsius ecclesie gremium non perfunctorie rediretis, satisfactionem plenam et debitam de premissis insolentiis impendendo, ac cavendo sufficienter quod de cetero non adhereretis ipsi scismatico vel prestaretis ei suisve nuntiis consilium, auxilium, vel favorem publicum vel occultum, specialem quoque syndicum plenum a vobis mandatum de adimplendo per omnia sedis apostolice beneplacitum, et parendo super hiis precise mandatis apostolicis obtinentem, ad sedem ipsam infra certum terminum transmittendo. Nuntiavimus quoque vobis quod, si premissa non faceretis, non solum intimaremus hujusmodi vestras insolentias regibus, comiti, principibus et baronibus supradictis ac ipsos induceremus ut vos tamquam excommunicatos vitarent, nec permitterent vos in eorum terris morari et alias providerent super hoc, prout fidei catholice ac rei publice christianitatis foret expediens, verum etiam procederemus contra vos ad privationem archiepiscopalis dignitatis et privilegiorum quibus sedes apostolica vos hactenus insignivit, ac omnium bonorum vestrorum, prout cultui fidei, statui christianitatis et animarum vestrarum videremus expedire saluti et obstinationis vestre protervia mereretur. Vos autem nobiles viros Guidonem Spinolam, Neapoleonem de Vultabio et Symonem Strillaporcum, nuntios vestros, ad sedem transmisisti eandem, quibus in nostra et fratrum nostrorum presentia constitutis, non sine amaritudine cordis ex vestris (nec mirum) actibus prodeunte, curavimus exponere seriatim quam graviter divine offendebatis oculos majestatis ejusque provocabatis iram ad vindictam et hic et in futurum vobis vestrisque posteris inferendam, quam etiam injuriosam nobis et predicte sedi irrogabatis offensam, et quale ac quantum ingerebatis fidei orthodoxe dispendium totique religioni christiane jacturam, et quanta etiam conspergebatis infamia nomen vestrum, dicto scismatico sic publice, sic potenter et patenter, quasi prodigi vestre salutis et fame, impendendo favorem, cum iniistis cum dicto scismatico federa, ut Dei confunderetis amicos, fovetis ipsius perfidiam, ut cum ea devotionem fidelium consternatis. Diximus quoque ipsis quod, licet frequenter ad vos litteris et monitis clamaverimus ut ab invio hujusmodi recederetis et converteretis vos ad dulces dicte matris amplexus, noluistis tamen vocem pie nostre revocationis audire, sed dicto scismatico majora semper continuastis incrementa favoris qui, vestris telis armatus, fortius, durius et crudelius ad christianorum Latinorum

depressionem insiliit, et in eorum indesinenter exterminium et ruinam nocentiora patravit. Et quia de persecutionibus que in ejusdem favorem scismatici per naves et galeas et alia vasa vestra dilecto filio nobili viro Guillelmo de Villarduino, principi Achaye, devotissimo utique matris ecclesie filio, ac suis et vassallorum atque fidelium suorum terris et insulis inferuntur, plena quasi certitudo ad nos de novo pervenerat, licet hoc alias fama, immo infamia potius divulgarit, nos eisdem nuntiis cum acerbo mentis merore retulimus qualiter pretextu discordie quam inter vos et Venetos asseritis suscitatam, impugnabatis hostiliter dictum principem ac fideles et vassallos ipsius, eorumque terras et insulas vastabatis, cum per naves et galeas et alia vasa vestra nuper introduxeritis magnam bellatorum ejusdem scismatici in civitatem Monovasie ac per illam in terram ipsius principis quantitatem, et occupaveritis quasdam insulas Latinorum, qui eas in feudum ab eodem principe obtinebant, alias eundem principem, fideles et vassallos ejusdem, dictasque terras et insulas vexando marinis aggressibus et diris molestiis impetendo. Expressimus insuper prefatis nuntiis, quanta ex hiis erant viscera nostra commotione turbata et quanta per hec dicta sedes confundebatur injuria et provocabatur offensa, quantumve generali ecclesie periculum imminebat, et quantum etiam ista cedebant in ipsius fidei detrimentum. Propter quod volebamus omnino ut dissolverentur penitus omnes confederationes et colligationes habite inter vos et scismaticum supradictum, ac revocarentur totaliter de partibus illis naves, galee vasaque predicta, ita quod nullam inferrent predictis principi, fidelibus et vassallis, terris et insulis lesionem, aperte nichilominus predicentes, quod nisi nostrum super hiis beneplacitum celeriter impleretur, cum oporteat nos stare pro defensione fidelium et obfirmare vultum adversus illos qui fidem in ipsis fidelibus persecuntur, de oportunis super hoc, prout tanti negotii gravitas exigit, providere remediis curaremus. Ipsi vero nuntii devotionis constantiam et fidei firmitatem quas vos et antecessores vestri semper ad Deum et predictam ecclesiam habuistis, calamitates insuper et jacturas quas in ecclesie prefate servitiis a persequentibus illam sub diversitate temporum pertulit civitas Januensis, coram nobis et eisdem fratribus retulerunt, supplicantes humiliter, ut, hujusmodi devotionis et fidei meritis paterna meditatione pensatis, ageremus vobiscum benignius in ipso negotio et aperiremus circa vos clementius apostolice oculos pietatis. Et cum ea que de predictorum principis suorumque vassallorum atque fidelium molestiis et eorum terris et insulis sunt predicta, ut asserebant, nova erant eisdem, nec quicquam ex hiis ad eas, nisi tunc primum ex nostra relatione pervenerat, dixerunt quod, cum nichil de talibus fuisset eis a vobis injunctum, nec aliquod in hac parte haberent speciale mandatum, ac sperarent vos a nostris et ipsius ecclesie beneplacitis nullatenus recessuros, vestram super hoc providentiam, quam ad omnia que nostro resident animo paratam inveniremus et promptam, requireremus fiducialiter in premissis. Nos itaque, licet hactenus erga nos et predictam ecclesiam, matrem vestram, usi fueritis duritia privignorum, pro eo tamen quod apud ingenuos animos plus proficit verbum mite quam asperum, et lenis persuasio quam exactio violenta, ex intimis cordis affectibus vos super hiis duximus requirendos, sperantes quod, cum predicta civitas olim fide peclara, devotione sincera et insuperabili constantie armatura munita, suos in magnis et arduis consueverit pro fide catholica probare conatus, ac de se ipsa civitatibus aliis exhibere salubrium exempla gestorum, cum etiam ipsa in devotione ad Deum et dictam ecclesiam stabilis et accensa suum favorem magnificum, quotiens fuit expediens, in cunctis ipsius ecclesie agendis potenter et patenter impenderit, ad memorate sedis exaltationem totis intendendo viribus, cunctisque studiis laborando, nec assueverit usque ad hec tempora mandatis et beneplacitis apostolicis obviare, vos hec attendentes diligentius et ante vestre mentis oculos reducentes, nostra super hiis desideria filiali promptitudine curabitis adimplere. Ideoque universitatem vestram de predictorum fratrum consilio monemus, rogamus et hortamur attente, per apostolica vobis scripta districte precipiendo mandantes, ac obsecrantes vos per Deum vivum et verum, ac per Crucem et Passionem ac Resurrectionem unigeniti ejus Filii Jesu Christi, quatenus attendentes provide quod gravem et inextricabilem ponitis in ipsius civitatis gloria maculam, dum predicto scismatico viribus indefessis assistitis in oppressionem et confusionem filiorum quos Deo genuit fidei professio christiane, quodque ecclesiam et fidem ipsam deprimitis, dum scismaticum eundem ad imperiale fastigium exaltatis, ejus solium continuis roborando favoribus et indeficientibus auxiliis confovendo, pensantes etiam quod detestandam de vobis memoriam et dampnandam relinqueretis Christifidelibus, si (quod absit) terra illa, quam predicta ecclesia non sine multa eorumdem sanguinis effusione fidelium, ad unitatem catholicam conquisivit, et innumerabilibus postmodum impendiis et laboribus usque ad hec tempora conservavit, vobis procurantibus, vero divini nominis subtracta cultui, ad pristinos re-

verteretur errores, et quod insuper notabilia valde crudelitatis signa de vobis in corpore vestre matris ecclesie remanerent, si corpus ipsum membro tam nobili, vestris gladiis illud ab eo precidentibus, existeret mutilatum, sicut divinam et nostram ac memorate sedis cordi habetis gratiam, statim receptis presentibus, omnes naves et omnes galeas cunctaque vasa vestra que ad partes Romanie, sive sub vestris sive sub ejusdem scismati stipendiis destinastis, de terris et insulis predictorum principis vassallorum atque fidelium et specialiter de insula Nigripontensi penitus revocetis, ac faciatis et procuretis quod ammirati et prepositi ceterique naute et bellatores navium, galearum et vasorum ipsorum, exinde cum ipsis navibus, galeis et vasis, sublata qualibet mora et difficultate, recedant, eosdemque principes, vassallos, et fideles ipsorumque terras et insulas et presertim eandem Nigripontensem insulam non offendant, nec offendi, quantum in eis fuerit, patiantur, nullumque ipsi scismatico suisve subditis et bellatoribus et etiam guarnimentis ad easdem terras et insulas, sicut fecerunt hactenus, transitum prebeant vel conductum, et nichilominus ad ejusdem ecclesie gremium, que anxiis desideriis conversionem vestram expectat, et ad vos, ut ad ipsam convertamini, clamare suasque voces exaltare non desinit, devote ac humiliter redire curetis, a confederatione prefati scismatici totaliter recedendo, ac dissolventes omnes conventiones, pactiones, promissiones et colligationes cum eo initas, etiamsi fuerint juramento vallate, a quo apostolica vos auctoritate absolvimus, prout superius est expressum, naviumque, galearum, vasorum ac bellatorum vestrorum subsidia ab ejusdem scismatici servitiis de quibuslibet locis omnimode subtrahendo. Nos enim quibus ex apostolatus officio competit pacem christiano populo procurare, in votis gerimus super discordia, quam inter vos et memoratos Venetos inimicus humani generis dicitur seminasse, taliter, auctore Domino, providere, quod honor vester illibatus conservetur et integer et super dampnis, que ab ipsis Venetis illata vobis asseritis, fiat vobis favorabilis justitie plenitudo, ac omnis inter vos et illos dissentionis materia precidatur. Scindat itaque cor vestrum in maternis clamoribus compassio filialis, pietas illud emolliat, et moveat instanter affectio qua vos ad suos amplexus eadem ecclesia brachiis extensis invitat. Hec sunt enim illa que a vobis cum tanta instantia petimus. Hec sunt que per vos fieri cunctis desideriis affectamus. Satisfacite ergo in illis patri fidelium, implete vota matris ecclesie, ut non oporteat ipsam de cetero ad vos pro vestra conversione altius exclamare; laboravit enim clamans hactenus et rauce facte sunt fauces ejus; nolite deinceps illius dissimulare dolores. Nam si ad illam reversi fueritis de regione dissimilitudinis in qua cum inimicis ejus et fidei, quod dolentes referimus, ambulatis, omnem ecclesia ipsa de facie cordis sui quam propter hoc habet, nubem meroris abjiciet, et in laudis superne canticum letanter assurget, referetque Altissimo super tanto bono gratiarum multiplices actiones ac vobis per effectum operis demonsbit, quod vix hoc tempore possetis aliquid facere, quod sibi amplius complaceret. Et ecce venerabilem fratrem nostrum .. archiepiscopum Turritanum, virum utique experte prudentie ac examinate virtutis, ad vos propter hoc specialiter duximus destinandum, cui in hiis que super premissis vobis ex parte nostra dixerit, indubitatam adhibere fidem illaque efficaciter adimplere curetis. Datum apud Urbemveterem, nonis maii, anno II°. »

229 Orvieto, 7 mai 1263.

Archiepiscopo Turritano mandat requirat potestatem et consilium Januenses ut de insula Nigripontensi galeas revocent, nullumque scismatico Palaeologo praebeant ad dictam insulam transitum vel conductum. (Reg. 26, anni II, n° 92, fol. 80 v°.)

« .. *archiepiscopo Turritano.* Post frequentes ammonitiones quibus apud .. potestatem, consilium et commune Januenses et per litteras et per nuntios ferventer institimus etc., ut in superiori proxima, verbis competenter mutatis, usque subtrahendo. Cum igitur nos de circumspectione tua plenam in Domino fiduciam obtinentes, te ad dictam civitatem de predictorum fratrum consilio destinemus, volumus et presentium tibi auctoritate mandamus quatinus ad eandem civitatem te personaliter conferens, eosdem potestatem, consilium et commune sollicite ex parte nostra requiras, ut omnes naves, galeas cunctaque vasa predicta de prelibatis terris et insulis, et specialiter de insula Nigripontensi, secundum quod eis per predictas litteras nostras injungimus, protinus revocent, et faciant et procurent quod iidem amirati et prepositi ceterique naute et bellatores navium, galearum et vasorum ipsorum, exinde cum navibus, galeis et vasis eisdem sine qualibet mora et difficultate recedant, et dictos principem, vassallos et fideles ipsorumque terras et insulas et presertim predictam Nigripontensem insulam non offendant nec offendi, quantum in eis fuerit, patiantur, nullumque dicto scismatico suisve subditis, bellatoribus ac etiam guarnimentis ad easdem terras et insulas transitum

prebeant vel conductum, prout superius est expressum. Quod si predicti potestas, consilium et commune requisiti a te hoc voluerint efficaciter adimplere, et pro hiis adimplendis sine cujuslibet more dispendio bona fide se coram te astrinxerint juramento, et obligaverint se tibi recipienti vice nostra sub ydoneis et sufficientibus pecuniariis penis de quibus videris expedire, ac se et civitatem eorum penis privationis archiepiscopalis dignitatis ac privilegiorum concessorum eis a sede predicta, omniumque honorum suorum sponte subjecerint, tu, postquam ipsi hujusmodi juramentum et obligationem plene prestiterint, seque hujusmodi privationi submiserint et confecta fuerint super hiis publica instrumenta, sententiam interdicti in predictam civitatem occasione favoris exhibiti per eos scismatico supradicto dicte sedis auctoritate prolatam, sublata qualibet difficultate, suspendas. Mandatum —. Datum apud Urbemveterem, nonis maii, anno II°. »

230 Orvieto, 7 mai 1263.

Certas edicit poenas in Januenses si Palaeologo scismatico, indurato corde auxilium praestare non desinant. (Reg. 26, anni II, n° 93, fol. 80 v° [1].)

« *Eidem*, Post frequentes etc., ut in prima, usque filiali curabunt promptitudine adimplere. Nos igitur de circumspectione tua plenam in Domino fiduciam obtinentes, mandamus quatinus ad eandem te conferens civitatem, potestatem, consilium et commune predictos ex parte nostra requiras sollicite ac cum omni diligentia moneas, ut, infra spatium sex mensium post monitionem tuam, omnes naves et galeas cunctaque vasa ipsorum de prelibatis terris et insulis et specialiter de insula Nigripontensi protinus revocent et faciant et procurent quod ammirati etc., usque conductum, et nichilominus ad ejusdem ecclesie gremium humiliter redeuntes, a confederatione ipsius scismatici etc., usque subtrahendo. Nos enim, nisi predicti potestas, consilium et commune monitis tuis infra hujusmodi terminum paruerint, naves, galeas et vasa hujusmodi de predictis partibus revocando, redeundo ad ipsius ecclesie gremium et a confederatione dicti scismatici penitus recedendo, cum ad nostrum specialiter spectet officium hujusmodi pravis et perversis eorundem potestatis, consilii et communis processibus obviare, non valentes ulterius absque gravi Christi offensa tam detestabilia tamque perversa ipsorum opera que in dispendiosa totius Christianitatis pericula redundare noscuntur, sub dissimulatione transire ac dignum differre judicium circa ipsos, quin immo volentes eorum presumptuosam pertinaciam, debita, faciente Domino, animadversione punire, prefatum potestatem necnon consiliarios et cives Januenses exnunc ex parte Dei omnipotentis, Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, auctoritate quoque beatorum apostolorum Petri et Pauli ac nostra excommunicationis innodamus vinculo et tam ipsos quam dictam civitatem archiepiscopali dignitate omnibusque privilegiis eis ab apostolica sede concessis et cunctis eorum honoribus de fratrum nostrorum consilio apostolica penitus auctoritate privamus, decernentes eos tamquam catholicorum Christianorum persecutores et hostes a cuncto christiano populo diffidatos. Volumus igitur tibique districte precipimus, ut, si premissa per predictos potestatem, consilium et commune infra prefatum terminum non fuerint efficaciter adimpleta, tu extunc ipsos potestatem, consiltarios (*sic*) et cives excommunicatos, et tam ipsos quam dictam civitatem privatos predictis dignitate, privilegiis et honoribus et a populo diffidatos eodem, per te et per alios, quibus hoc commiseris, ubi et quando videris expedire, sollempniter denuntiare procures. Contradictores etc. — Et nichilominus pravos et perversos Januenses, ipsorum processus et qualiter contra eos processerimus memoratis ceterisque catholicis regibus ac predicto comiti Provincie et aliis principibus ecclesiasticis et mundanis studeas fideliter intimare, requirens ipsos ut in hac parte provideant, prout augmento catholice fidei et rei publice Christianitatis viderint expedire, ita quod eisdem Januensibus qui noluerunt intelligere ut bene agerent, saltem continuata vexatio prebeat intellectum, et quos a malo lenis persuasio revocare non potuit, digna et justa coerceat severitas ultionis. Datum apud Urbemveterem, nonis maii, anno II°. »

1. Le Registre porte en marge : *Quod Januenses recedant a confederatione Paleotogi et redeant ad mandatum ecclesie. Item supra de eodem, capitulo XLIV. Item capitulo L. Item capitulo LXXXXI. Item capitulo LXXXXII.*

231 Orvieto, 27 avril 1263.

De subventione facienda nobili viro Willelmo de Willarduino, principi Achaie, a prelatis ipsius terre. Item infra de eodem, capitulo LXXXXV [1]. (Reg. 26, anni II, n° 94, fol. 81.)

1. Ce résumé est donné en marge du Registre.

« .. *Patracensi, .. Corinthiensi, .. Atheniensi et .. Thebano archiepiscopis, necnon .. Coronensi, .. Olenensi, .. Lacedemonensi et .. Nigripontensi episcopis ac abbatibus, prioribus, archidiaconis, preceptoribus seu commendatoribus ac fratribus domorum Militie Templi, Hospitalis sancti Johannis Jerosolimitani, sancte Marie Theutonicorum et sancti Sansonis aliisque prelatis et ecclesiarum rectoribus, capitulis, collegiis et conventibus ceterisque personis ecclesiasticis secularibus et regularibus, tam sancti Benedicti quam aliorum quorumcumque ordinum, exemptis et non exemptis, per Romaniam, in terris nobilis viri Willelmi de Villarduino, principis Achaye, ac aliorum Latinorum suorum fidelium existentibus.* Gravis doloris sensimus in corde puncturas, intellectis persecutionibus que dilectis filiis, nobili viro, Willelmo de Willarduino, principi Achaye, ceterisque Latinis in illa terra, que ipsis de toto Constantinopolitano imperio remansit, per Grecos scismaticos inferuntur. Accepimus etenim quod eorundem Grecorum perfidia faventis temporis tumefacta suffragio, elata sue superbie cornua contra eosdem principem et Latinos erigere dictamque terram hostiliter impetere ac crudeliter impugnare presumit, satagens illam in gravem superni regis offensam, et dispendiosam apostolice sedis injuriam, ad pristinos errores reducere sueque subdere servituti. Nos igitur attendentes, quod irremediabilis doloris gladius viscera nostra perfoderet si, quod absit, contingeret terram ipsam, quam dudum ecclesia non sine multis laboribus et effusione sanguinis fidelium ad fidem et unitatem catholicam conquisivit, ab eisdem scismaticis occupari, et in ea, ubi tanta viget devotio, fides orthodoxa periret, ac volentes super hoc, prout tanti negotii gravitas exigit, cor et mentem apponere ac intenta studia et indefessas sollicitudines adhibere ut ipsi terre, que tempestuosis guerrarum fluctuationibus estuat, celeri succurratur auxilio et a filiorum alienorum exterminio eadem, favente Domino, preservetur, universitatem vestram monendam, rogandam attente duximus et hortandam, mandantes quatinus et vos ipsi pensantes provide quod non solum Dei et generalis ecclesie ipsiusque principis, set et vestrum proprium negotium agitur in hac parte, cum si, quod absit, dicta terra occuparetur ab illis, non minora vobis et ecclesiis ac locis vestris que ibi sunt dotata magnifice, quam predicto principi suisque baronibus desolationis dispendia imminerent, considerantes etiam quod si vobis nulla ex amissione, quod absit, predicte terre accidерent detrimenta, divine tamen majestatis intuitu, obtentu quoque catholice fidei, cujus vos non solum professores, sed etiam defensores esse tenemini, deberetis pro ipsius terre tuitione ac munitione totaliter exponere ac effundere vos et vestra ob reverentiam apostolice sedis et nostram vestramque spiritualem et temporalem salutem, illam yperperorum summam vel illum ydoneorum bellatorum Latinorum, balistariorum vel aliorum numerum, quam vel quem venerabiles fratres nostri .. Argolicensis et .. Mothonensis episcopi, quos in hujusmodi subsidio juxta proprias facultates contribuere ac ad contribuendum in hoc per te, frater Nigripontensis episcope, auctoritate nostra compelli volumus, vobis universis et singulis vestrisque ecclesiis atque locis universaliter et particulariter, pensatis vestris facultatibus, imposuerint, sublato cujuslibet more ac difficultatis obstaculo, annuatim usque ad triennium integre persolvere vel exhibere curetis, convertendam seu convertendum totaliter per eosdem in defensionem dicte terre juxta consilium principis supradicti. Ita quod eadem terra non solum ejusdem principis, sed vestro etiam suffulta subsidio, ab imminentibus sibi et vobis periculis eruatur, nosque videntes et recognoscentes quod nostris vos libenter in hoc beneplacitis coaptatis devotionis et obedientie vestre promptitudinem, dignis exinde in Domino laudibus commendare merito valeamus. Datum apud Urbemveterem, v kalendas maii, anno II°. »

232 Orvieto, 27 avril 1263.

De subventione facienda principi Achaiae. (Reg. 26, anni II, n° 95, fol. 81 v°.)

« .. *Argolicensi et .. Mothonensi episcopis.* Gravis doloris etc. — ut in superiori proxima, verbis competenter mutatis, usque commendamus. Ideoque fraternitati vestre mandamus quatinus certam de qua expedire videritis yperperorum summam, seu certum ydoneorum bellatorum Latinorum, balistariorum vel aliorum numerum imponendo singulis onus juxta proprias facultates, annis singulis usque ad triennium per vos vel per alium seu alios ab eis integre exigere ac recipere, et in dicte terre defensionem juxta consilium ipsius principis fideliter convertere studeatis, ipsos universos et singulos, si necesse fuerit, ad solvendum impositam eis yperperorum summam, vel ad exhibendum impositum ipsis numerum hujusmodi bellatorum auctoritate nostra, sublato cujuslibet appellationis obstaculo, compellendo —. Datum ut supra. »

233 Orvieto, 19 avril 1263.

Sententia in questione quae inter archiepiscopum Cretensem et dominium Venetorum orta erat super quibusdam juribus et jurisdictionibus quorumdam monasteriorum dicto archiepiscopo subjectorum. (Reg. 26, anni II, n° 96, fol. 81 v°.)

« *Leonardo, archiepiscopo Cretensi.* Ea que judicio etc., usque communiri. Exhibita siquidem nobis tua petitio continebat quod, cum felicis recordationis Alexander papa, predecessor noster, in causa que inter te ex parte una et .. ducem, consilium et commune Venetorum ex altera super quibusdam juribus et jurisdictionibus quorumdam monasteriorum tibi subjectorum ordinationibus, decimis, casalibus et rebus aliis orta extitit, dilectum filium nostrum J., sancti Nicolai in Carcere Tulliano diaconum cardinalem, dedisset partibus auditorem, et coram eo fuisset inter partes aliquamdiu litigatum, nos tandem causam ipsam dilecto filio nostro J., sancte Marie in Cosmedin diacono cardinali, commisimus audiendam, coram quo, lite inter partes ipsas legitime contestata, juramento tam de calumpnia quam de veritate dicenda hinc inde prestito, fa[c]tisque positionibus et responsionibus subsecutis, necnon articulis ab utraque parte porrectis, dictus Jacobus cardinalis, visis et intellectis utriusque partis rationibus, ac nobis et fratribus nostris de hiis relatione facta fideli, interloquendo pronuntiavit hujusmodi articulos partis adverse, prout offerebantur, non esse aliquatenus admittendos. Et licet procurator ipsius partis adverse ad audientiam nostram ab interlocutoria hujusmodi appellaret, nos tamen appellationem hujusmodi non admisimus, sed partes ipsas ad examen sepedicti Jacobi cardinalis duximus remittendas. Qui tandem, auditis et intellectis rationibus utriusque partis eisque diligenter inspectis ac super hiis provida deliberatione secum habita et nobis relatione facta fideli, necnon auctoritate et speciali mandato pronuntiandi receptis a nobis, te quoque et alterius partis procuratore presentibus, diffinitivam pro te sententiam promulgavit, jamdictam partem alteram tibi expensarum nomine, juramento a te super hoc prestito et taxatione secuta, in certa summa pecunie condempnando, prout in publico instrumento confecto exinde ac sigillo cardinalis sepedicti signato, plenius continetur. Quare humiliter petebas a nobis, ut sententiam et condempnationem hujusmodi apostolico curaremus munimine roborare. Nos itaque tuis supplicationibus inclinati, sententiam et condempnationem easdem provide latas, ratas et firmas habentes, eas auctoritate apostolica confirmamus etc., usque communimus. Tenorem autem ipsius instrumenti de verbo ad verbum presentibus fecimus annotari, qui talis est :

« Jacobus, miseratione divina sancte Marie in Cosmedin diaconus cardinalis, ad perpetuam rei memoriam. In statera juris trutinata discussio veritatis, examinante judicio justitiam reddens et ponderans equitatem, litigantium contentiones reducit ad pacem, et discordias ad consensum, ex quo fit ut preterite repugnantie, sublata formidine, ad caritatis unionem et amicitie puritatem dissensio revocetur, dum quod suum est, unicuique tribuitur, et implicite questiones virtute justitie resolvuntur. Sane, cum inter venerabilem patrem Leonardum, archiepiscopum Cretensem, ex parte una et .. ducem, consilium et commune Venetorum ex altera, super diversis articulis dudum orta fuisset materia questionis, felicis recordationis dominus Alexander, papa IIII, venerabili in Christo patri domino J., Dei gratia sancti Nicolai in Carcere Tulliano diacono cardinali, causam super hiis audiendam commisit. Cumque partes coram eo aliquamdiu litigassent, tandem sanctissimus pater, dominus Urbanus, papa IIII, nos dedit in causa hujusmodi predictis partibus auditorem. Eisdem igitur ad nostram presentiam convocatis, dictoque archiepiscopo pro se ex parte una, et Jacobo Malaenzocho, archidiacono Castellano, procuratorio nomine ducis, consilii et communis predictorum pro ipsis mandatum legitimum ostendente, ex altera, comparentibus coram nobis, idem archiepiscopus contra ducem, consilium et commune prenominatos et eorum procuratorem petitiones suas in scriptis obtulit tenores hujusmodi continentes :

« Coram vobis, venerabili patre domino J., sancte Marie in Cosmedin diacono cardinali, a domino papa partibus auditore concesso, proponit .. archiepiscopus Cretensis nomine ecclesie Cretensis et episcopatus sancti Miri sibi uniti, contra .. ducem, consilium et commune Venetorum, et contra procuratorem eorum legitimum, quod, cum dictus archiepiscopus habeat jurisdictionem spiritualem et temporalem in presbiteris, diaconibus, clericis et aliis ecclesiasticis personis, tam Grecis quam Latinis et liberis laicis eorundem predictorum archiepiscopatus et episcopatus et ipsi presbiteri, clerici et alie ecclesiastice persone eidem archiepiscopo tamquam suo prelato obedire debeant, tamen predicti dux, consilium et commune impediunt per se vel per alios et vetant ne aliqui de dictis clericis et personis ecclesiasticis et filiis eorundem eidem archiepiscopo tamquam suo prelato obediant et ejus mandata servent, et de juribus archiepiscopalibus et episcopalibus respondeant, ut tenentur, aliquos de ipsis capiendo seu

capi faciendo ac detineri, et nonnullis ipsorum angaria et perangaria et alia onera imponendo et ab eis extorquendo, et quamplures eorundem tamquam servos proprios sub jugo servitutis opprimendo, et vendendo ac locando seu etiam redimi faciendo, ac multis aliis vexationibus et gravaminibus eosdem clericos et personas ecclesiasticas affligendo, quamvis nullum jus habeant talia faciendi. Quare petit sententialiter declarari dictos ducem, consilium et commune non habere jus predicta faciendi vel similia in personis predictis, ac eosdem sententialiter condempnari, ut dictos clericos et ecclesiasticas personas permittant libere et quiete predicto archiepiscopo tamquam suo prelato obedire, intendere, ac de juribus archiepiscopalibus et episcopalibus eidem respondere, et quod ab hujusmodi molestiis, gravaminibus et oneribus desistant et permittant eos ecclesiastica et clericali libertate gaudere et immunitate, et super hoc sufficientem cautionem exponant, ac de injuriis, dampnis, expensis et interesse que extimat ducentas marcas argenti, eidem satisfaciant, et protestatur de faciendis expensis, quas suo tempore declarabit. Salvo jure etc.

« Item proponit quod, cum ordinatio, institutio et destitutio monasterii Pale, monasterii Faske, et monasterii Cremosin, et monasterii Panagie, et monasterii Standie, et monasterii Sylami, que sunt sita in archiepiscopatu et episcopatu predictis et eidem archiepiscopo subjecta, ad ipsum archiepiscopum de jure pertineant, dicti Veneti ipsum archiepiscopum impediunt per se vel per alios quominus ea ordinet de personis ydoneis, et dicti Veneti per se vel alios in monasterio Pale et monasterio Faske, et monasterio Cremosin abbates et alias personas intruserunt et, quod deterius est, cetera prenominata monasteria, utpote monasterium Panagie, et monasterium Standie, et monasterium Sylami et eorum res, possessiones et bona totaliter occuparunt et occupata detinent in ejusdem archiepiscopi prejudicium et gravamen. Quare petit eosdem sententialiter condempnari, ut permittant memoratum archiepiscopum libere et quiete ordinare monasteria et ecclesias predictas, et in ipsis jura temporalia et spiritualia libere exercere, ac intrusiones et alienationes et donationes ab ipsis Venetis factas declarari nullas esse et fuisse, ac eosdem compelli ad restitutionem monasteriorum et ecclesiarum occupatorum et rerum et possessionum eorundem cum fructibus medio tempore perceptis et omni causa, que extimat mille marcas argenti. Item petit expensas etc.

« Item proponit, quod cum dictus archiepiscopus habeat in predictis archiepiscopatu et episcopatu et eorum diocesibus terras, possessiones decimales, dicti tamen Veneti hujusmodi terras et possessiones illis personis tribuunt excolendas, que secundum suos ritus decimas de more non solvunt, quamvis censeantur nomine Christiano, et sic ipsum et dictas ecclesias defraudant decimis memoratis, ac etiam cum illis et aliis quibus hujusmodi terras et possessiones tribuunt excolendas, pacta ineunt, vel inhibent ne prenominato archiepiscopo aliquas decimas de ipsis exolvant, et nichilominus dicti Veneti de parte fructuum et censuum illarum ipsos contingente, decimas solvere denegant archiepiscopo memorato. Quare petit eos sententialiter condempnari ut terras et possessiones hujusmodi talibus personis et taliter tribuant excolendas que absque contradictione sibi et ecclesiis predictis decimas cum integritate persolvant, et, ne de cetero hujusmodi pacta cum aliquibus personis ineant vel inhibeant vel faciant, et facta cassetis et irritetis et nullius momenti esse decernatis. Item petit eosdem sententialiter condempnari ut de parte fructuum hujusmodi terrarum et censuum et possessionum eos contingente, decimas cum integritate persolvant et de subtractis satisfaciant, que extimat tria milia marcarum sterlingorum. Item, petit expensas etc. salvo jure etc.

« Item proponit quod, cum quedam casalia consistentia in plano Paracandie quorum ista sunt nomina : casale Macraticho, Gaiafa, Sylamo, Agyos Pantalemon, Papadiotissa, Agyos Paulos, et Maratici, fuerint a predecessoribus suis possessa nomine archiepiscopatus et episcopatus predictorum et predicte ecclesie et archiepiscopi qui pro tempore fuerunt, tenuerint et possederint dicta casalia, et in possessione ipsorum fuerint, predicti tamen Veneti casalia hujusmodi occuparunt et occupat detinere presumpserunt et nunc detinent occupata possessione predictorum casalium predictas ecclesias et archiepiscopum memoratum spoliando. Quare petit predictos Venetos sententialiter condempnari ad restitutionem possessionis predictorum casalium de fructibus censuum et omni causa medio tempore perceptis et subtractis, que extimat quingentas marcas sterlingorum, sibi satisfieri. Item petit expensas factas etc., salvo jure etc.

« Item dicit contra eosdem, nomine predictarum ecclesiarum, quod, cum predicte ecclesie fuerint in possessione omnium possessionum et rerum immobilium quas predicti detinent per se vel per alios in diocesi Cretensis archiepiscopatus et sancti Miri episcopatus, dicti dux et commune predictas possessiones et casalia et immobilia occuparunt et contra justitiam detinent occupata. Unde petit, nomine predictarum

ecclesiarum, ad predictas possessiones, casalia et immobilia et ad jura sibi pertinentia restitui cum fructibus medio tempore perceptis, quos extimat decem millia marcarum argenti, de quibus omnibus per vos, reverende pater, petit legitime condempnari et ad satisfactionem compelli. Petit etiam expensas factas et faciendas. »

Lite igitur super premissis petitionibus inter archiepiscopum et Jacobum Malaenzochum procuratorem predictos legitime contestata, juramento quoque tam de calumpnia quam de veritate dicenda ab utraque parte prestito, factisque positionibus et responsionibus subsecutis ad eas, datis etiam articulis hinc et inde, pro parte ipsius archiepiscopi propositum extitit coram nobis, quod articuli per procuratorem ducis, consilii, et communis predictorum oblati, non erant aliquatenus admittendi, procuratore Venetorum in contrarium asserente suos articulos admittendos esse de jure. Cum itaque super hujusmodi articulis extitisset inter partes diutius disceptatum, nos, visis et intellectis rationibus super hiis ab utraque parte datis, factaque domino pape et fratribus relatione fideli, de mandato ejusdem domini pape interloquendo pronuntiavimus ipsos articulos, prout offerebantur, non esse aliquatenus admittendos. Verum, procuratore predicto ad dominum papam a nostra interlocutoria appellante, idem dominus papa appellationem hujusmodi non admittens, partes predictas ad nostrum remisit examen. Partibus quoque postmodum in nostra presentia constitutis, diem ipsis assignavimus ad dicendum et proponendum in dicta causa quicquid dicere et proponere vellent de jure, et tandem, datis nobis rationibus et allegationibus hinc et inde, et termino ad concludendum in causa partibus assignato peremptorie, ceterisque rite peractis, ac demum die prefixa peremptorie ad sententiam audiendam, nos, auditis et intellectis rationibus utriusque partis et eisdem diligenter inspectis, super hiis provida deliberatione nobiscum habita et domino pape fideli relatione facta, pronuntiandi quoque ab eodem domino auctoritate et speciali mandato receptis, solum Deum habentes pre oculis et ipsius nomine invocato, quia nobis constat prefatum archiepiscopum tam de jure communi quam per confessionem partis adverse super prima petitione intentionem suam plene fundasse, sententialiter declaramus eidem archiepiscopo de jure competere spiritualem et temporalem jurisdictionem in omnibus clericis et personis ecclesiasticis, Grecis seu Latinis et eorum legitimis liberis, tam clericis quam laicis, archiepiscopatus Cretensis et episcopatus sancti Miri, eidem archiepiscopatui uniti, et utramque jurisdictionem in predictis personis ipsi archiepiscopo adjudicamus, sententiando pronuntiantes prenominatos clericos et alias personas ecclesiasticas, archiepiscopatus et episcopatus predictorum debere ipsi archiepiscopo tamquam suo prelato obedire et eidem de juribus archiepiscopalibus et episcopalibus respondere, et condempnamus memoratos ducem, consilium et commune Venetorum, ac ipsorum procuratorem pro eis, ne per se vel per alios aliquatenus impediant vel perturbent, quominus prefati clerici et alie persone ecclesiastice superius nominate obediant et de juribus archiepiscopalibus et episcopalibus respondeant archiepiscopo supradicto, et quominus eedem persone possint ecclesiastica libertate gaudere, precipientes quod ipsi Veneti sufficienter caveant ne de cetero in predictis personis presumant talia attemptare.

Item, cum super secunda petitione certum sit quod ordinatio, institutio et destitutio in monasterio Pale et monasteriis Faske, Cremosyn, Panagie, Standie, Sylami sitis in archiepiscopatu et episcopatu predictis, de jure communi spectant ad archiepiscopum memoratum, et per confessionem partis adverse constet prefatos Venetos dicta monasteria cum possessionibus cujuslibet eorum occupasse et adhuc occupata tenere, nec ipsi eadem restituere voluerint, pluries super hoc requisiti, et sic iidem Veneti impedierint quominus dictus archiepiscopus possit illa monasteria de personis ydoneis ordinare, eundemque archiepiscopum jure, quod in eisdem monasteriis obtinere debet, per ipsos Venetos spoliatum fuisse, nos ducem, consilium et commune prefatos ac ipsorum procuratorem pro eis ad restitutionem dictorum monasteriorum, cum possessionibus et pertinentiis cujuslibet eorum et cum fructibus exinde perceptis memorato archiepiscopo nomine Cretensis ecclesie faciendam, sententialiter condempnamus; prohibentes eisdem Venetis ne de cetero per se vel per alios prohibeant quominus dictus archiepiscopus vel successores ejusdem, qui pro tempore fuerint, possint ipsa monasteria libere ordinare et in ipsis jura spiritualia et temporalia libere exercere. Donationes autem et alienationes per ducem, consilium et commune factas de terris et possessionibus ad ipsa monasteria vel eorum aliquod pertinentibus revocamus sine juris prejudicio alieni.

Item super tertia petitione, cum constet decimas de fructibus terrarum et possessionum que in archiepiscopatu et episcopatu predictis site sunt, spectare de jure nomine Cretensis ecclesie ad archiepiscopum predictum, utpote loci diocesanum, dictusque procurator confessus sit predictos Venetos aliquas de terris et possessionibus quas in predictis locis habent,

tradidisse excolendas Grecis qui secundum suos ritus decimas de more non solvunt, diffiniendo precipimus duci, consilio et communi prefatis ut sua predia que in archiepiscopatu et episcopatu predictis obtinent, talibus personis et taliter excolenda committant, quod absque contradictione dicto archiepiscopo nomine Cretensis ecclesie decimas cum integritate persolvant, et ad hoc ducem, consilium eosdem et commune, ac prefatum procuratorem pro eis sententialiter condempnamus. Verum, cum de fructibus terrarum et possessionum que dantur ad affictum, tam dantes quam recipientes decimas de jure solvere teneantur, ducem, consilium et commune predictos ad solvendam decimam prefato archiepiscopo nomine Cretensis ecclesie de parte fructuum supradictarum terrarum et possessionum eos contingente, et ad restitutionem illarum decimarum, quas a viginti annis citra de fructibus terrarum et possessionum quas habent in Paracandia, quam constat esse in diocesi sancti Miri, predicti solvere debuerunt, cum tanto tempore confessus sit dictus procurator eosdem Venetos de affictu ipsarum terrarum et possessionum, decimas non solvisse, sententialiter condempnamus.

Item, quia super quarta petitione constat legitime per confessionem ejusdem procuratoris ecclesiam Cretensem possedisse casale nomine Gaiafa et casale nomine Sylamo, et casale quod vocatur Agyos Pantalemon, et casale quod dicitur Papadiotissa, et casale quod dicitur Agyos Paulos, et medietatem casalis quod dicitur Macratichos, partes insuper casalis quod dicitur Maratici, constat etiam eadem casalia consistere in plano Paracandie superius nominate, ipsosque Venetos memorata septem casalia, prout superius sunt expressa, occupasse et eosdem requisitos et monitos dicta quinque casalia et medietatem sexti ac partes septimi restituere noluisse, eosdem ducem, consilium et commune ac procuratorem ipsorum pro eis ad restitutionem possessionis dictorum quinque casalium et medietatis sexti et partium septimi, predicto archiepiscopo, nomine Cretensis ecclesie, faciendam sententialiter condempnamus.

Super quinta vero petitione, cum prefatus archiepiscopus non concluserit in eadem, sed potius fuerit protestatus quod salvum sit ei jus ponendi et probandi super ea in partibus Cretensibus, nos omnimodum jus prosequendi ipsam petitionem contra ducem, consilium et commune predictos eidem archiepiscopo reservamus.

Acta et pronuntiata sunt hec apud Urbemveterem in hospitio nostro , anno Domini M.CC.LXIII, indictione VI[a], VIII kalendas aprilis, pontificatus domini Urbani, pape IIII, anno secundo, presentibus archiepiscopo et Jacobo Malaenzocho, procuratore Venetorum, superius nominatis, presentibus etiam venerabilibus in Christo patribus magistro Angelo, Cathaniensi, fratre Viviano, ordinis fratrum Minorum, Ruthenensi episcopis, et magistro Oddone Caputii, domini pape capellano et archidiacono Cameracensi, magistro Galabruno, priore secularis ecclesie sancti Caprasii Agennensis, magistro Hugone, archipresbitero de Rupella, Xanctonensis diocesis, Petro, archidiacono de Friacastella in ecclesia Legionensi, Cinthio de Urbe, canonico ecclesie Anthoniensis, Cameracensis diocesis, capellanis nostris, magistro Johanne de Curtraco, domini pape subdiacono, canonico ecclesie Harlebecensis, Tornacensis diocesis, et fratre Johanne Petri, fratre Stephano Didaci, fratre Johanne Gondisalvi, monachis monasterii Cellenove, diocesis Auriensis, ordinis sancti Benedicti, et pluribus aliis testibus ad hoc vocatis specialiter et rogatis.

Anno vero, die et loco predictis, prefato archiepiscopo Cretensi a nobis cum instantia postulante ut ad taxationem et condempnationem expensarum in supradictis petitionibus petitarum procedere deberemus, nos, predicto procuratore vocato ipsoque in nostra presentia constituto, cum dicta causa per tres annos et amplius perdurasset, predictas expensas in quindecim libris Venetorum grossorum taxamus, restringentes eas potius quam laxantes et, ab eodem archiepiscopo super hiis juramento recepto, ducem, consilium et commune predictos et eorum procuratorem pro eis in expensis predictis prenominato archiepiscopo in scriptis sententialiter condempnamus. Actum presentibus venerabilibus in Christo patribus, fratre Dominico, Abulensi, domino Garsia, Silvensi episcopis, magistro Johanne, archidiacono Compostellano, magistro Radulfo, procuratore.. illustris regis Castelle, Fernando Arie, canonico Compostellano, et magistro Galabruno, priore secularis ecclesie sancti Caprasii Agennensis, capellano nostro, et pluribus aliis testibus ad hec vocatis specialiter et rogatis. In quorum omnium testimonium et evidentiam pleniorem omnia supradicta sigilli nostri munimine roborari fecimus et per Bernardum, dictum Bardonier, infrascriptum notarium, precepimus publicari.

Et ego Bernardus, dictus Bardonier, publicus apostolice sedis auctoritate notarius, qui pronuntiationi omnium predictorum per venerabilem patrem dominum J., Dei gratia sancte Marie in Cosmedin diaconum cardinalem predictum, facte presens interfui, supradicta omnia de mandato ipsius domini cardinalis propria manu scripsi, et in publicam formam redegi meoque signo signavi

Nulli ergo nostre confirmationis etc. Datum apud Urbemveterem, XIII kalendas maii, anno II. »

234 Orvieto, 20 avril 1263.

Proximarum litterarum executionem episcopo Vicentino et archipresbytero Paduano committit. (Reg. 26, anni II, n° 97, fol. 86 v°.)

« .. *episcopo Vicentino et .. archipresbitero Paduano.* Exhibita nobis venerabilis —. Datum apud Urbemveterem, XII kalendas maii, anno II°. »

235 Orvieto, 11 mai 1263.

Episcopum Agennensem ad patriarchatum Jerosolymitanum transfert. (Reg. 26, anni II, n° 98, fol. 83 v° [1].)

« .. *patriarche Jerosolimitano.* Ad apostolice dignitatis apicem nos divina miseratio provehens, Jerosolimitanam ecclesiam, quam olim, ejus presidentes regimini, sponsam habuimus sic predilectam, nobis convertit in filiam, ut affectus quem ex officii debito gerebamus ad ipsam nec diminutionem nec immutationem receperit, sed successivis cotidie amplietur augmentis, propter quod ei, cui tunc sponsi debebamus affectum, nunc libenter paternam exolvimus pietatem, ipsam inclitis favoribus prosequentes. Sane circa prosperum statum ejus eo amplius nostra semper desideria fervuerunt, quo magis eam in medio nationis perverse positam majoribus novimus presidiis indigere. Illud autem mentem nostram in continuas vigilias excitavit, ut ibidem secundum cor nostrum personam substitueremus ydoneam, que nobis in ipsius gubernatione succedens, suos erga ipsam nostris conformaret affectus, et ad ejus exaltationis augmenta, sua totaliter studia deputaret. Profundis itaque meditationibus ejusdem ecclesie non dissimulanda necessitas nos et fratres nostros reddidit anxios in exquirenda persona consilii maturitate conspicua, discretionis honestate decora, magnanimitate sublimi et precellente virtutibus ad ecclesie prefate regimen assumenda. Decebat enim ut circa id tanto vigilantius pensaremus, quanto ipsa majori coruscat privilegio sanctitatis et donorum perceptione celestium dinoscitur amplius insignita. Inter alios autem quos, pensatis omnibus diligenter que in hujusmodi pensari negotio debuerunt, eidem ecclesie utiles esse cognovimus, ad te, tunc episcopum Agennensem, specialiter mentis nostre (nec mirum) vertimus aciem, cum existas per opera utilia et exempla laudabilia fructuosus, ac ex prudentia tibi data divinitus consueveris fructus amabiles in domo Domini germinare. Sperantes igitur quod per tue circumspectionis industriam eadem ecclesia, Deo propitio, relevetur a noxiis, et in spiritualibus et temporalibus salubria suscipiat incrementa, te de predictorum fratrum consilio a vinculo quo Agennensi ecclesie tenebaris, absolvimus, et ad memoratam Jerosolimitanam ecclesiam te de apostolice potestatis plenitudine transferentes, ipsi ecclesie in patriarcham prefecimus et pastorem, tibi nichilominus licentiam concedentes ad eandem libere transeundi. Commisimus quoque tibi curam et administrationem spiritualiter ac temporaliter Acconensis ecclesie, quam per translationem dilecti filii magistri Florentii, Arelatensis electi, ad ecclesiam Arelatensem vacantem patriarche Jerosolimitano, qui esset pro tempore, de ipsorum fratrum consilio committendam duximus et per eum fore decrevimus una cum dicta Jerosolimitana ecclesia plene in omnibus gubernandam, donec eadem ecclesia Jerosolimitana, bonis ejus recuperatis, possessionem habeat eorundem. Quocirca fraternitati tue mandamus, quatenus impositum tibi onus devote suscipiens, earundem Jerosolimitane et Acconensis ecclesiarum curam sic laudabiliter gerere studeas, quod exinde tibi premium compares apud illum qui est bonorum omnium retributa, nosque personam tuam precipui favoris gratia prosequi non immerito teneamur. Datum apud Urbemveterem, V idus maii, anno II. »

In eundem modum suffraganeis ecclesie Jerosolimitane.

In eundem modum Jerosolimitane et Acconensis ecclesiarum capitulis.

In eundem modum vassallis Jerosolimitane et Acconensis ecclesiarum.

236 Orvieto, 18 mai 1263.

Willelmum, episcopum Liddensem, ad Agennensem ecclesiam transfert vacantem per promotionem Agennensis episcopi ad Jerosolymitanum patriarchatum. (Reg. 26, anno II, n° 99, fol. 84.)

« *Willelmo, episcopo Agennensi* [1]. Cum ecclesiarum

1. Le Registre porte en marge ce résumé : *De translatione G., episcopi Agennensis, ad ecclesiam Jerosolimitanam. Item de eodem supra, capitulo LI. Item capitulo LIII. Item capitulo LIIII. Item capitulo LXXXXVIII.*

2. En marge, d'une main postérieure : *per translationem.*

1. En marge une main postérieure a écrit ces mots : *Pulchra translatio et provisio ecclesie Agennensis.*

omnium —. Datum apud Urbemveterem, xv kalendas junii anno II°. »

In e. m. capitulo Agennensi.

237 Orvieto, 26 mai 1263.

A., electo Auxitano, pallium confert pro ipso per Raymundum Garsiae et Guillelmum de Picat clericos, ejus nuntios, postulatum, ipsique per episcopum Bigorritanum assignandum. (Reg. 26, anni II, n° 100, fol. 84 v°.)

« *A., electo Auxitano* [1]. Cum palleum videlicet —. Datum apud Urbemveterem, VII kalendas junii, anno II°. »

238 Orvieto, 26 mai 1263.

Episcopo Bigorritano mandat ut pallium electo Auxitano assignet et ab eo fidelitatis recipiat juramentum. (Reg. 26, anni II, n° 101, fol. 84 v°.)

« .. *episcopo Bigorritano.* Cum palleum videlicet —. Datum ut supra. »

239 Orvieto, 15 mai 1263.

Approbat cessionem ecclesiae de Paterno, Pergamensis diocesis, a monialibus Vallismarinae, ordinis s. Benedicti, ejusdem diocesis, fratribus ordinis Humiliatorum Cremonensibus. (Reg. 26, anni II, n° 102, fol. 84 v°.)

« .. *ministro et fratribus domus nove ordinis Humiliatorum Cremonensis.* Devotionis vestre precibus benignum impertientes assensum, votis vestris libenter annuimus et petitiones vestras, quantum cum Deo possumus, favorabiliter exaudimus. Ex parte siquidem vestra fuit propositum coram nobis quod dilecte in Christo filie .. abbatissa et conventus monasterii Vallismarine, ordinis s. Benedicti, Pergamensis diocesis, attendentes quod ecclesia s. Nazarii de Paterno, ejusdem diocesis, membrum ipsius monasterii speciale, erat adeo in temporalibus dissipata quod per eas in statum erigi non valebat, ipsam cum omnibus bonis suis de consensu venerabilis fratris nostri .. episcopi et dilectorum filiorum capituli Pergamensium et personarum ipsius ecclesie, vobis pro vestris necessitatibus per liberalitatem concesserunt, prout in instrumentis publicis inde confectis dicitur plenius contineri. Nos igitur vestris supplicationibus inclinati, concessionem hujusmodi, sicut provide facta est, ratam et gratam habentes, eam auctoritate apostolica confirmamus etc., usque communimus. Nulli ergo —. Datum apud Urbemveterem, idus maii, anno II. »

1. En marge : *de concessione et assignatione pallii.*

240 Orvieto, 14 mai 1263.

Episcopo et capitulo Palentinis notum facit se, ad studii generalis reformationem in civitate Palentina, omnibus doctoribus et scolaribus ibidem existentibus privilegia Parisiensis universitatis concessisse. (Reg. 26, anni II, n° 103, fol. 84 v°; Potthast 18533.)

« .. *episcopo et capitulo Palentinis.* Colebat hactenus deliciarum ortum civitas Palentina, de sub cujus portis fons irriguus emanabat. Ortus ille profecto fructus uberes producebat, quorum suavitatem et dulcedinem ad diversas mundi partes fontis affluentia derivabat. Erat enim in eadem civitate, sicut ex parte vestra fuit propositum coram nobis, scientiarum studium generale, rudes erudiens, reddens debiles virtuosos et viros efficiens virtutum varietate fecundos, horumque gratiosa fecunditas litterarum dignitate plurimos instruebat. Et quia per hoc non solum Palentia, sed tota solebat Ispania spiritualis et temporalis percipere comoditatis augmentum, supplicastis humiliter ut ad reformationem predicti studii, quod est non sine multo ejusdem provincie dispendio dissolutum, apostolici favoris partes interponere curaremus. Cum igitur, sicut accepimus, ipsius studii reformatio possit eidem provincie multipliciter existere fructuosa, nos, nolentes quod lucerna tante claritatis in commune multorum dispendium sic extincta remaneat, sed cupientes potius partes nostras adicere ut solito fortius accendatur, tuis, frater episcope, supplicationibus inclinati, omnibus et singulis doctoribus et scolaribus quos in eadem civitate in quacumque facultate studere contigerit, quod illis privilegiis, indulgentiis, libertatibus et immunitatibus gaudeant, quibus magistri et scolares gaudent Parisius, vel in aliis locis in quibus habetur studium generale, auctoritate presentium indulgemus. Nulli ergo nostre concessionis etc. Datum apud Urbemveterem, II idus maii, anno II. »

241 Orvieto, 23 mai 1263.

Willelmo, patriarchae Jerosolymitano, legationis officium confert. (Reg. 26, anni II, n° 104, fol. 84 v° [1].)

1. Le Registre donne en marge ce résumé : *De legatione concessa Willelmo, patriarche Jerosolymitano; item de eodem infra, capitulo CV. Item capitulo CVI.*

« *Willelmo, patriarche Jerosolimitano, apostolice sedis legato.* Levantes in circuitu oculos nostros ut ad singulas mundi partes, Deo et ecclesie Romane devotas, pro salubri statu earum juxta pastoralis officii debitum apostolice considerationis aciem extendamus, ad Terram Sanctam, quam Dei Filius, Dominus Jesus Christus sue Nativitatis, Passionis et Resurrectionis gratia multipliciter illustravit, frequentius figimus considerationis intuitum, quod sibi circa felicem gubernationem ejus expediat, solerti studio cogitantes. Et quoniam in eadem terra Jerosolimitana ecclesia, que inter ceteras illarum partium dignitate prefulget, disponente Domino, firmamenta suscepit, dignum duximus te, quem utpote virum secundum cor nostrum ydoneum, nuper ipsi ecclesie prefecimus in pastorem, illis specialiter honoribus insignire, per quos tam eidem ecclesie, quam terre prefate preesse utiliter valeas et prodesse, illas erga statum earum sollicitudines impendendo, quas non possumus ibidem presentialiter adhibere. Nos enim illius cujus licet immeriti, vices in terris gerimus, eruditione docemur, ut sicut ipse qui secundum humanitatis naturam loco et tempore potuit, quia voluit, comprehendi, licet ubique secundum omnipotentiam divinitatis existeret, in universum mundum discipulos, quos elegerat, destinavit ad predicandum Evangelium omni creature; sic nos, qui, quamvis assumpti simus ab ipso in plenitudinem potestatis, non tamen quocumque pretenditur nostra potentia ibi adesse possumus presentia corporali, que nobis incumbunt per illos interdum exequimur, de quorum virtutibus per probatam experientiam plenam fiduciam obtinemus. Hiis itaque provida consideratione pensatis, tibi, quem novimus dono scientie preditum, morum honestate decorum, et consilii maturitate preclarum, in Cypri et Armenie regnis, principatu Antiochie, partibus Syrie ac insulis, seu provinciis circumadjacentibus, et in omni parte Orientali plene legationis officium de fratrum nostrorum consilio duximus committendum, ut evellas et destruas, edifices et plantes, et facias tamquam legatus ejusdem sedis de latere nostro missus, quecumque circa executionem ipsius officii videris expedire. Ideoque fraternitati tue mandamus quatinus impositum tibi onus devote suscipiens, sic illud ad laudem divini nominis et prosperum statum partium earundem, quem ferventibus desideriis affectamus, laudabiliter gerere studeas, quod preter divine retributionis premium, exinde nostram et sedis memorate gratiam plenius merearis. Datum apud Urbemveterem, x kalendas junii, anno II°. »

242 Orvieto, 23 mai 1263.

Eis mandat ut Jerosolymitano patriarchae, tanquam legato apostolico, obediant et intendant. (Reg. 26, anni II, n° 105, fol. 85.)

« *Archiepiscopis et episcopis, abbatibus, prioribus, prepositis, decanis, archidiaconis et aliis ecclesiarum prelatis per Cypri et Armenie regna, in principatu Antiochie, partibus Syrie ac Insulis seu provinciis circumadjacentibus et in omni parte Orientali constitutis.* Levantes in circuitu —. Datum ut supra. »

243 Orvieto, 23 mai 1263.

Willelmo, apostolicae sedis legato, patriarchae Jerosolymitano, indulget ut in territorio suae legationis legati insignia deferre valeat. (Reg. 26, anni II, n° 106, fol. 85.)

« *Willelmo patriarche Jerosolimitano, apostolice sedis legato.* Ecclesia militans divina —. Cum itaque in Cypri et Armenie regnis, principatu Antiochie, partibus Syrie, ac Insulis seu provinciis circumadjacentibus et in omni parte Orientali legationis officium tibi duxerimus committendum, nos ad exaltationem ecclesie Jerosolimitane que in eadem terra, disponente Domino, firmamenta suscepit, et quam nunc habentes in filiam, sponsam nostram, dum ejus regimini preeramus, fuisse recolimus, plenis desideriis aspirantes, et eam in suis manutenere ac aliis ampliare dignitatibus intendentes, fraternitati tue quod predictis insigniis tam infra provinciam tuam, in qua tibi hoc ex legationis officio, dignitati Jerosolimitani patriarchatus annexo, competere declaramus, quam in predictis aliis partibus in quibus tibi idem officium est commissum, uti libere valeas, et quod nullus alius legatus prefate sedis, nisi ecclesie Romane cardinalis extiterit, quo tamen adveniente, eadem deponere usque ad ipsius reditum insignia tenearis in eadem provincia, dum in ea presens fuerit, dictis utatur insigniis de apostolice potestatis plenitudine auctoritate presentium indulgemus. Nulli ergo nostre declarationis et concessionis etc. —. Datum apud Urbemveterem, x kalendas junii, anno II°. »

244 Orvieto, 5 juin 1263.

Eidem indulget ut tres clericos in tribus ecclesiis, videlicet s. Stephani et s. Caprasii Agennensium ac s. Vincentii de

Manso, Agennensis diocesis, in canonicos faciat recipi. (Reg. 26, anni II, n° 107, fol. 85 v°.)

« *Eidem.* Tuam volentes honorare —. Datum apud Urbemveterem, nonis junii, anno II°. »

245 Orvieto, 1er juin 1262.

Eidem diffinit quibus diebus pallio uti valeat. (Reg. 26, anni II n° 108, fol. 85 v°.)

« *Eidem.* Nuper tibi palleum, insigne videlicet pontificalis officii, cum ea qua decuit petitum instantia, solito more concessimus, ut eo illis diebus infra tuam provinciam utereris, qui in ecclesie tue privilegiis sunt expressi. Cum itaque major tibi favor et gratia ipsique ecclesie potior honorificentia debeantur, auctoritate tibi presentium indulgemus, ut non solum in illis diebus, qui in hujusmodi privilegiis continentur, verum etiam in aliis quos omnes volumus inferius exprimi, uti valeas palleo supradicto, videlicet in Nativitate Domini cum tribus diebus sequentibus, in Circumcisione ac Epyphania, in festivitatibus Purificationis, Assumptionis, Annuntiationis et Nativitatis Beate Marie Virginis gloriose, in dominica qua cantatur *Letare Jerusasem* et Ramis palmarum, in Cena Domini et in die sancto sabbati, Resurrectionis dominice cum tribus sequentibus, in Inventione ac Exaltatione sancte Crucis, in Ascensione Domini, et in Pentecoste cum uno die sequente, in festo beati Johannis Baptiste ac in festo sanctorum apostolorum Petri et Pauli, Commemoratione Omnium Sanctorum ac etiam quotiens pro episcoporum vel monialium aut ecclesiarum vel altarium consecrationibus et pro clericis ordinandis in statutis temporibus te contigerit sollempniter celebrare. Nulli ergo nostre concessionis etc. — Datum apud Urbemveterem, kalendis junii, anno II°. »

246 Orvieto, 1er juin 1263.

Eidem indulget « ut etiam ubilibet extra tuam provinciam citra mare, quotienscumque te sollempniter celebrare contigerit, nisi forsitan Romanus pontifex presens esset, diebus illis duntaxat in quibus tibi a nobis in tua provincia usus hujusmodi pallei est concessus, libere possis uti eodem palleo. » (Reg. 26, anni II, n° 109; fol. 85 v°.)

Eidem. Quamvis in concessione —. Datum apud Urbemveterem, kalendis junii, anno II°. »

In e. m. Quamvis etc., usque Provinciam ultra mare etc., ut in alia.

247 Orvieto, 25 mai 1263.

Ad instantiam patriarchae Jerosolymitani, apostolicae sedis legati, ipsis concedit ut de blado, vino, lana et aliis bonis eorum vel eorum ecclesiarum transportandis ad usus ipsorum per terram vel per mare, nulli pedagia, winagia, roagia vectigal et alias consuetudines solvere teneantur. (Reg. 26, anni II, n° 110, fol. 85 v°.)

Universis ecclesiarum prelatis ceterisque ecclesiasticis personis tam religiosis quam secularibus per Jerosolimitanum et Cypri regna et circumadjacentes insulas constitutis. Venerabili fratri nostro —. Datum apud Urbemveterem, VIII kalendas junii, anno II°. »

248 Orvieto, 18 mai 1263.

Willelmo, patriarchae Jerosolymitano, apostolicae sedis legato, indulget ut clerici ipsius servitiis permanentes proventus beneficiorum, quotidianis duntaxat distributionibus exceptis, cum ea integritate percipere valeant ac si in ecclesiis in quibus ea obtinent, personaliter residerent. (Reg. 26, anni II, n° 111, fol. 86.)

« *Willelmo, patriarche Jerosolimitano, apostolice sedis legato.* Ut hii qui —. Datum apud Urbemveterem, XV kalendas junii, anno II°. »

249 Orvieto, 18 mai 1263.

Eidem indulget ut extra regnum Jerosolymitanum in causam trahi non possit. (Reg. 26, anni II, n° 112; fol. 86.)

« *Eidem.* Pro sincere devotionis —. Datum apud Urbemveterem, X kalendas junii, anno II°. »

250 Orvieto, 15 mai 1263.

Eidem indulget ut cum clericis infra ipsius legationis terminos existentibus, super defectu natalium dispensare valeat. (Reg. 26, anni II, n° 113; fol. 86.)

« *Eidem.* Gratus tui nominis —. Datum apud Urbemveterem, idus maii, anno II°. »

251 Orvieto, 23 mai 1263.

Approbat quod in monasterio s. Sepulcri de Aquapendente, Urbevetanae diocesis, regula s. Augustini loco regulae s. Benedicti instituatur. (Reg. 26, anni II, n° 114, fol. 86.)

« *Guillelmo, abbati et fratribus monasterii Sancti Sepulchri de Aquapendente, ad ecclesiam Sancti Sepulchri Jerosolimitani immediate spectantis, ordinis sancti Augustini, Urbevetane diocesis.* Hiis que fiunt etc. — Sane vestra petitio nobis exhibita continebat, quod venerabilis frater noster .. patriarcha Jerosolimitanus, considerato prudenter, quod vos quatuor vel circiter estis ibidem, et si obedientiam promiseritis olim vestro prelato, non tamen professionem sollempnem secundum beati Benedicti regulam emisistis, et quod in ecclesia Sancti Sepulchri Jerosolimitani, cui subestis immediate, sunt canonici regulares, ut membra conformarentur capiti et in eisdem domibus nulla diversitas regule vel habitus notaretur, de speciali mandato nostro facto sibi a nobis oraculo vive vocis, habito quoque consilio venerabilis fratris nostri .. episcopi Sabinensis, quem specialiter in hac parte requiri mandavimus, dispensavit, ordinavit et statuit ut ad ordinem canonicorum regularium sancti Augustini vos conferre possetis, et secundum observantias ipsius ordinis prelato vestro professionem facere regularem circa membra vestri monasterii servari statuens illud idem. Tradidit etiam vobis patriarcha predictus regularem habitum canonicorum ejusdem ecclesie Sancti Sepulchri Jerosolimitani, et recepit a vobis nichilominus obedientiam manualem, prout hec omnia in instrumento publico inde confecto et sigillo ipsius patriarche munito dicuntur plenius contineri. Nos itaque vestris supplicationibus inclinati, quod ab eodem patriarcha factum est super hiis, ratum habentes et firmum, illud auctoritate apostolica confirmamus etc., usque communimus. Nulli ergo nostre confirmationis etc. — Datum apud Urbemveterem, x kalendas junii anno II°. »

252 Orvieto, 4 juin 1263.

Bona Senensium civium, indurato animo ecclesiae Romanae rebellium, usque ad decem millia marcarum sterlingorum publicat. (Reg. 26, anni II, n° 115, fol. 86.)

« *Ad futuram rei memoriam*[1]. Exigente perfidia civium Senensium, qui civitatem Senensem hoc tempore detinent, pro eo quod profundo malorum immersi dum perire potius eligunt quam parere, ad ecclesie mandata redire contempnunt, sedes apostolica manum suam apponere studuit contra eos. Et quia caritativis monitis et asperis comminationibus invitati, redire ad ipsius ecclesie gremium non curarunt, spirituales propter hoc latas in eos sententias contempnendo, nos expedire videntes suorum delictorum vulnera debere ferro pene temporalis abscidi, que oleum minime respuerunt, dilecto filio magistro Miloni, scriptori et nuntio nostro in Francie et Anglie regnis, dedimus inter alia nostris litteris in mandatis, ut de civium ipsorum debitoribus Francie, Anglie, Alamannie vel circumadjacentium provinciarum, prout expedire videret, ecclesiasticis vel secularibus cujuscumque dignitatis essent vel ordinis, etiam si Cisterciensis, Premonstratensis, ac Cluniacensis seu Templarii vel Hospitalarii existerent, et precipue de illis qui facultatibus et facilitate conveniendi ac fide magis essent ydonei, et a quibus facilius et comodius ea que deberent possent exigi et haberi, per se vel per alium seu alios diligenter inquireret, et hiis quos tales inveniret, ex parte nostra districte preciperet, ut de hujusmodi debitis sex milia marcarum argenti detinerent, et prefatis civibus Senensibus nequaquam restituere absque speciali mandato nostro presumerent, injungendo singulis debitorum eorundem certe quantitatis detentionem de dicta summa sex milium marcarum, sicut expedire videret, itaquod si forte dicti debitores secus attemptare presumerent, eo ipso excommunicationis sententie, quam auctoritate nostra in ipsos proferret, se cognoscerent subjacere, ac nichilominus debitoribus ipsis denuntiaret, vel denuntiari faceret quod nostre intentionis erat facere moneri dictos Senenses eisque dari districtius in preceptis, ut ad ecclesie mandata redirent, et denuntiari quod, si monitis hujusmodi acquiescere spiritu nequitie ducti contempnerent, nos bona publicaremus ipsorum, et tam ipsa quam ipsorum personas, ubicumque inveniri possent, mandaremus detineri, ac nichilominus contra eos alias spiritualiter et temporaliter, sicut videremus expedire, procedere curaremus. Et quia ipsi tamquam iniquitatis filii, ut ad viam salutis redirent, declinare a perditionis invio moniti non curarunt, nos qui non debemus nec volumus eorum pertinaciam et nequitiam tolerare, universis et singulis eorundem civium debitoribus et omnibus de bonis ipsorum habentibus undecumque fo-

1. Le Registre porte en marge : *De publicatione bonorum civium Senensium usque ad decem milia marcarum sterlingorum.* »

rent, auctoritate apostolica sub pena excommunicationis in die Cene Domini proximo preterito districtius duximus inhibendum ne ipsis aliqua de debitis et bonis hujusmodi in parte vel in toto restituerent sine mandato nostro vel licentia speciali, denuntiantes publice ac peremptorie, astante tunc multitudine fidelium copiosa, quod nisi dicti cives infra festum Ascensionis Dominice proximo tunc futurum, ad ecclesie mandata redirent et captivos quos habent de Lucanis, super quo fuerant a nobis moniti diligenter, restituerent pristine libertati, extunc bona eorum ubicumque invenirentur, sicut expedire videremus, exponeremus fidelibus occupanda. Ipsi vero Senenses, quorum corda dormiunt nec clamantis vocibus in vigilias excitantur, spretis paternis monitis et comminationibus apostolicis vilipensis, nedum quod in eodem termino non curaverunt ad ipsius ecclesie redire mandata, verumetiam Manfredo, quondam principi Tarentino, persecutori ecclesie manifesto, adhuc patenter adherere presumunt, quasi prefatam ecclesiam Christi sponsam, cunctorum fidelium matrem, sub cecitatis errore miserabiliter abnegarint. Ut igitur comminationes hujusmodi transeant in effectum, memoratis Senensibus, juxta suorum enormium et detestabilium reatuum exigentiam pariture dolorem, nos, super hiis cum fratribus nostris diligenti deliberatione prehabita, bona dictorum civium Senensium, usque ad decem milia marcarum sterlingorum, de ipsorum fratrum consilio, sententialiter publicamus distribuenda, exhibenda, tradenda et assignanda juxta nostrum arbitrium et mandatum. Actum apud Urbemveterem, II nonas junii, anno II°. »

253 Orvieto, 4 juin 1263.

Magistro Miloni mandat ut quamdam summam a debitoribus civium Senensium exactam et exigendam, coram praesulibus fratrum Praedicatorum et Minorum ac officiali Parisiensi, tribuat procuratori civitatis Lucanae. (Reg. 26, anni II, n° 116, fol. 86 v°; Potthast 18556[1].)

« *Magistro Miloni, scriptori et nuntio nostro in Francie et Anglie regnis.* Exigente perfidia civium Senensium etc., ut in superiori proxima, verbis competenter mutatis, usque arbitrium et mandatum. Sane dignum reputamus et congruum ut commune Lucanum, qui sedem apostolicam filiali subjectione tamquam matrem et dominam recognoscunt, et qui stare contra publicum hostem pro libertate communi et legitime defensionis justitia, exponendo eorum bona dispendiis et personas periculis, non pavescunt, apud sedem ipsam favorem et gratiam consequantur. Volentes igitur in hujusmodi negotio predictarum sex milium marcharum cum tanta cautela procedi, quod contra fraudem quamcumque omnem adhibuisse diligentiam commendemur, discretioni tue mandamus quatenus mandatum apostolicum super premissis in eo in quo illud non es forsitan executus, diligenter exequens juxta traditam tibi formam, predicta sex milia marcharum, que juxta prefati mandati tenorem fecisti vel feceris detineri, facias ab ipsis debitoribus in presentia et sub testimonio dilectorum filiorum .. prioris Predicatorum et .. guardiani Minorum fratrum ac .. officialis Parisiensis in tuis manibus assignari. Contradictores etc. Cum autem pecunia ipsa tibi fuerit assignata, illam integraliter .. procuratori dicti communis Lucani, sine difficultatis obstaculo, in presentia et sub testimonio eorumdem tribuas et assignes in utilitatem ipsius communis, prout sibi expedire viderint, convertendam, eosdem vero singulos debitores ab hujusmodi debitis pro quantitatibus quas tibi duxerint exhibendas, perpetuo auctoritate nostra, similiter in presentia et testimonio predictorum, prorsus absolvas, ita quod ad aliam restitutionem memoratis civibus Senensibus aut heredibus vel successoribus eorumdem seu aliis quibus jus suum dederint aut concesserint, faciendam nullo umquam tempore teneantur nec propter hoc valeant aliquatenus conveniri, sed exinde tam ipsi quam eorum heredes et successores remaneant penitus absoluti. Non obstantibus quibuscumque instrumentis vel litteris super eisdem debitis sub quacumque verborum forma confectis seu juramentis interpositis, a quibus debitores eosdem quoad dictas quantitates eadem auctoritate, in presentia et sub testimonio predictorum, absolvere non postponas et quibuslibet penis, obligationibus, renuntiationibus, pactis, conventionibus interjectis, etiam si hec omnia vel eorum aliqua sint auctoritate sedis apostolice confirmata, que prefatis civibus Senensibus quoad easdem quantitates nolumus in aliquo minime suffragari. Proviso quod in litteris que super assignatione hujusmodi pecunie tibi facienda et quam tu de illa facies predictis Lucanis, necnon absolutione debitorum ipsorum ab hujusmodi debitis conficientur, tuum et eorumdem prioris, guardiani et officialis sigilla facias ad firmitatem eorum que gerentur, appendi, una cum ipsis nobis quid, quantum, quando et a quibus de hujusmodi debitis assignatum fuerit, et quibus, quid et quando collatum et qui absolventur ab hujusmodi debitis, et in quanto, per

1. Le Registre porte en marge : *Quod de predictis decem milibus marcharum, dentur procuratori communis Lucani sex milia marcharum. Item de eodem infra capitulo CXVII.*

litteras patentes tuo et illorum sigillis sigillatas quamtocius intimando. Nos enim omnes interdicti, suspensionis et excommunicationis sententias latas vel ferendas occasione predictorum debitorum in eosdem debitores, et quaslibet litteras apostolicas ad quoscumque judices vel executores super debitis ipsis obtentas vel etiam obtinendas, necnon et quoslibet processus per eas habitos, et quos haberi contigerit, de apostolice potestatis plenitudine decernimus nullius existere firmitatis. Datum apud Urbemveterem, II nonas junii, anno secundo. »

254 Orvieto, 5 juin 1263.

Priori Praedicatorum, guardiano fratrum Minorum ac officiali Parisiensibus mandat quatenus negotio praedicto (cf. nº 253), quotiens opus fuerit, ipsius praesentiam commodet. (Reg. 26, anni II, nº 117, fol. 87; Potthast 18557.)

« .. *priori Predicatorum et .. guardiano Minorum fratrum ac .. officiali Parisiensi.* Super exigendis certe —. Datum apum Urbemveterem, nonis junii, anno IIº. »

255 Orvieto, 15 juin 1263.

Paulo nato, Theodino et Raynaldo nepotibus quondam Fortisbrachii mandat ne cives Assisinates in percipiendis fructibus in castro Saxi Rubei molestent. (Reg. 26, anni II, nº 118, fol. 87; Potthast 18566.)

« *Paulo nato, Theodino et Raynaldo nepotibus quondam Fortisbrachii, laicis Perusine et Asisinatis dioecsium.* Ex insinuatione dilectorum filiorum .. potestatis, .. capitanei, consilii et communis Asisinatum nos noveritis accepisse, quod vos falso pretendentes predictum commune vobis in castro Saxi Rubei et pertinentiis suis circa fructus et proventus eorum jacturas et dampna erogasse, eosdem fructus et redditus occupando, commune ipsum vobis in mille libris parve usualis monete per consules mercatorum civitatis Perusine, pretextu cujusdam statuti civitatis ejusdem de facto, cum hoc de jure fieri nequiverit, occasione hujusmodi condempnari, ac insuper capiendi usque ad quantitatem hujusmodi de bonis vel rebus ipsius communis et civium Asisinatum per nominatos consules, seu per nobilem virum Petrum Parentii, civem Romanum, tunc potestatem civitatis predicte, concedi vobis licentiam indebite procurastis. Et, licet occasione represaliarum, que tamen sunt penitus interdicte, per abusionem interdum inter aliquas communitates bona dumtaxat mobilia, quod est etiam improbandum, consueverint occupari, tamen consules sive memoratus Petrus potestas vos in tenutam et possessionem corporalem possessionum et terrarum, quas sitas in loco, qui Traversa vulgariter appellatur, cives Asisinates obtinent, ad instantiam vestram fecerunt induci motu proprie voluntatis. Quoniam igitur erga civitatem Asisinatem ac habitatores ipsius propter grata devotionis ac fidelitatis obsequia, quibus eos apostolice sedi continuato studio adhesisse laudabiliter docet experientia manifesta, debitum esse conspicimus, ut eos apostolice benivolentie plenitudine prosequentes, illos a discriminibus et vexationibus indebitis perservare ipsisque tranquilli ac prosperi status comodum studeamus intenta sollicitudine procurare : nos eorundem potestatis, capitanei, consilii et communis hujusmodi gravamina et injurias, prout nec debemus, etiam nolentes, conniventibus oculis pertransire, ac dissensionibus et scandalis, que ob premissa in illius contrate dispendium sequi possent, congruis celeriter obviare remediis intendentes, vobis sub debito fidelitatis et sub pena ducentarum marcarum argenti, ad quam vos et quemlibet vestrum in solidum teneri ac esse volumus obligatos, si mandato nostro non parueritis in hac parte, presentium auctoritate districte precipiendo mandamus quatenus, vestra in hac parte studia nostris affectibus conformantes et a predictorum potestatis, capitanei, consilii ac civium super premissis gravaminibus et injuriis penitus desistentes, ipsos aut eorum aliquos occasione hujusmodi condempnationis, concessionis et inductionis in possessionem nullatenus molestetis, seu molestari ab aliis faciatis, nec possessiones aut terras predictas pretextu inductionis predicte occupare, seu alias de illis vos intromittere quomodolibet presumatis ; et si illas sive ipsarum aliquas forsitan occupastis, eas cum fructibus ex illis perceptis memoratis civibus absque alicujus difficultatis et tarditatis obstaculo restituere ipsisque illas in pace dimittere studeatis. Nos enim, qui parati sumus vobis de communi et civibus Asisinatibus predictis exhibere justitie complementum, si forsan adversus eos aliquid questionis habetis, hujusmodi penam minime remittendam, sed integre proculdubio exigendam, si eam huic nostro non parendo precepto incurreretis, quaternis curie nostre ad futuram rei memoriam fecimus annotari. Datum apud Urbemveterem, XVII kalendas julii, anno IIº. »

256 Orvieto, 9 juin 1263.

Potestatem, capitaneum, consilium et commune Perusinos

monet et hortatur ne Assisinates a Paulo nato, Theodino Leonardi et Raynaldo nepotibus quondam Fortisbrachii circa iura castri Saxi Rubei molestari permittant. (Reg. 26, anni II, nº 119, fol. 87 vº; Potthast 18560.)

« *Nobilibus viris .. potestati, .. capitaneo, consilio et communi Perusinis.* Perusina civitas sic suum semper ad ecclesiam gessit affectum, quod habetur et in conspectu apostolice sedis placida et in oculis hominum gratiosa : ipsa namque a retroactis temporibus non solum a vicinorum suorum abstinuit injuriis, verum etiam ipsis in necessitatis tempore subsidia oportuna impendit. Ex quo, dum hoc in animo nostro revolvimus, letitiam concipimus specialem, unde libenter de vestra utilitate tractamus, et procuramus ea que vobis spiritualiter et temporaliter noscimus expedire, ac eo turbamur vehementius et dolemus, cum audimus quod a vobis aliqua in devotorum ipsius sedis dispendium seu prejudicium committuntur, quo sinceriori desiderio cupimus, quod vos antiqua sequentes vestigia de bono in melius procedatis. Sane fuit ex parte dilectorum filiorum .. potestatis, .. capitanei, consilii et communis Asisinatis propositum coram nobis, quod Paulo nato, Theodino Leonardi et Raynaldo nepotibus quondam Fortisbrachii, laicis Perusine et Asisinatis diocesium, falso asserentibus quod idem commune ipsis in castro Saxi Rubei et pertinentiis suis circa fructus et proventus eorum dampna intulerunt et jacturas, fructus et redditus hujusmodi occupando, consules mercatorum ipsius civitatis Perusine predictum commune laicis ipsis in mille libris parve usualis monete occasione hujusmodi, pretextu cujusdam statuti ejusdem civitatis de facto, cum de jure nequiverint, condempnarunt; iidem etiam consules, seu nobilis vir Petrus Parentii, civis Romanus, tunc potestas predicte civitatis Perusine, eisdem laicis capiendi de bonis vel rebus ipsius communis ac civium Asisinatum usque ad quantitatem hujusmodi licentiam concesserunt. Et, licet occasione represaliarum, que tamen sunt a jure penitus interdicte, per abusionem interdum inter aliquas communitates bona dumtaxat mobilia, quod est etiam improbandum, consueverint occupari, tamen consules sive predictus Petrus potestas eosdem laicos in tenutam et possessionem corporalem omnium possessionum et terrarum, quas cives Asisinates in ducatu Spoletano infra certos confines obtinent, fecerunt induci pro sue libito voluntatis. Quare predicti potestas, capitaneus, consilium et commune Asisinates nobis humiliter supplicarunt ut, cum ex hoc possit dissensionis et scandali materia suscitari, super hoc adhibere salubre remedium paterna sollicitudine curaremus. Quia vero civitatem Asisinatem sincera diligimus in Domino caritate, cujus incolas vobis et civitati vestre devotos vestrique zelatores comodi et honoris, nulla tribulatio nullaque adversitas, prout vestra devotio plene novit, a devotione sedis ipsius subtrahere potuerunt, predictorum potestatis, capitanei, communis et civitatis Asisinatum ac vestrum etiam et totius regionis statum tranquillum et prosperum affectamus. Quocirca universitatem vestram rogamus, monemus et hortamur attente, per apostolica vobis scripta mandantes quatenus attendentes provide, quod predicte sedi ac vobis et aliis ipsius devotis non expedit quod in illis partibus scandalum suscitetur, et vestrum in hac parte nostro affectui coaptantes, quod super hoc circa prefatos commune ac cives Asisinates factum extitit, ob reverentiam predicte sedis et nostram sine difficultate qualibet revocetis, nec ipsos occasione hujusmodi seu alias in aliquo molestetis, nec permittatis ab eisdem laicis vel aliquibus vestre jurisdictioni subjectis aliquatenus molestari, et super hoc acquiescatis consiliis et mandatis dilecti filii magistri Willelmi de Placentia, capellani venerabilis fratris nostri .. episcopi Penestrini (*sic*), quem propter hoc ad vos duximus specialiter destinandum. Si vero predicti laici contra commune vel cives Asisinates predictos habent aliquid questionis, eis de communi et civibus eisdem exhiberi faciemus justitie complementum. Preces autem nostras et mandatum sic adimpleat vestra sinceritas, rescribendo nobis quicquid super hoc duxeritis faciendum, quod predictis potestati, capitaneo, consilio et communi Asisinatibus nulla de vobis remaneat materia conquerendi, nosque, quod id gratum habebimus plurimum et acceptum, devotioni vestre proinde oportunis temporibus exponere teneamur apostolice benignitatis affectum. Datum apud Urbemveterem, v idus junii, anno IIº. »

257 Orvieto, 1er juin 1263.

Omnes domos capituli Sepulcri Dominici Hierosolymitani ab omni ordinariorum subjectione eximit. (Reg. 26, anni II, nº 120, fol. 88.)

« *Hugoni, priori, et capitulo Sepulchri Dominici Jerosolimitani, ordinis s. Augustini.* Honestatis debito suadente —. Hinc est quod nos vestris supplicationibus inclinati, universos prioratus, ecclesias, domos, preposituras et omnia loca eidem subjecta ecclesie, ad vos spectantia, tam in transmarinis quam cismarini

partibus constituta et personas ipsorum ab omni jurisdictione, subjectione ac dominio archiepiscoporum et episcoporum, archidiaconorum et quorumlibet aliorum ordinariorum et ecclesiarum ipsorum penitus auctoritate presentium de gratia eximimus speciali, ita quod prioratus, domus, ecclesie, preposituræ et loca predicta cum personis ipsorum Romano dumtaxat pontifici et patriarche Jerosolimitano qui fuerit pro tempore, ac etiam vobis per omnia sint subjecta, et quod archiepiscopi et episcopi, archidiaconi et ordinarii predicti censuram ecclesiasticam seu jurisdictionem aliquam in prioratibus, ecclesiis, domibus, prepositaris, locis et personis predictis nequeant exercere. Ceterum excommunicationis, suspensionis et interdicti sententias, si quas contra hujusmodi exemptionis tenorem, postquam hujusmodi exemptio ad prelatorum et ordinariorum notitiam pervenerit, promulgari contigerit, decernimus irritas et inanes. Nulli ergo nostre exemptionis et constitutionis etc. Datum apud Urbemveterem, kalendis junii, anno II°. »[1]

258 Orvieto, 1er juin 1263.

Eisdem indulget ut in causam per litteras sedis apostolicae vel legatorum ipsius, priores et fratres minime trahi valeant. (Reg. 26, anni II, n° 121, fol. 88; Potthast * 18552.)

« .. *priori et capitulo ecclesie Dominici Sepulcri Jerosolimitani.* Ex eo non —. Datum apud Urbemveterem, kalendis junii, anno II°. »

259 Orvieto, 30 mai 1263.

Eisdem indulget ut nulli decimas solvere teneantur. (Reg. 26, anni II, n° 122, fol. 88.)

Eisdem. Vestris supplicationibus inclinati —. Datum apud Urbemveterem, III kalendas junii, anno II°. »

260 Orvieto, 23 mai 1263.

Hugonem, priorem ecclesiae Dominici Sepulcri, priorem Hierosolymitanae ecclesiae constituit. (Reg. 26, anni II, n° 123, fol. 88.)

« *Capitulo et fratribus aliisque ecclesie Jerosolimitane subjectis, ordinis s. Augustini.* Comperimus laudabili testimonio —. Datum apud Urbemveterem, X kalendas junii, anno secundo. »

In e. m. Hugoni, priori ecclesie Jerosolimitane, ordinis s. Augustini.

261 Orvieto, 8 juin 1263.

Fratribus ecclesiae Dominici Sepulcri Hierosolymitani indulget ut « priores qui per eos in Franciam ad prioratum de Vinhareria et domos alias quas ecclesia predicta ibidem obtinet, fuerint destinati, in ecclesia de Cellis, Senonensis diocesis, in qua consuevit per fratres dicti ordinis, institutos per Senonensem archiepiscopum, deserviri, » instituantur, et ipsis cura dictae ecclesiae de Cellis committi valeat. (Reg. 26, anni II, n° 124, fol. 88 v°.)

« .. *priori et capitulo ecclesie Dominici Sepulchri Jerosolimitani, ordinis s. Augustini.* Ecclesiam Dominici Sepulchri —. Datum apud Urbemveterem, VIII idus junii, anno II°. »

262 Orvieto, 8 juin 1263.

Eisdem simile confert privilegium pro ecclesiis de Calatajup, de Fontibus pressiatis, de Lucronio et de Tauro, Zamorensis, Tyrasonensis et Calagurritanae dioecesium. (Reg. 26, anni II, n° 125, fol. 88 v°; Potthast 18559.)

« *Eisdem.* Ecclesiam Dominici Sepulchri, ut in alia usque in finem. »

263 Orvieto, 30 mai 1263.

Eisdem indulget ut capellas, oratoria et coemiteria in bonis propriis habere valeant. (Reg. 26, anni II, n° 126, fol. 88 v°; Potthast 18548.)

« *Eisdem.* Vestris supplicationibus inclinati —. Datum apud Urbemveterem, III kalendas junii, anno II°. »

264 Orvieto, 11 juin 1263.

Hugoni de Nysum indulget ut cum prioratu Dominici Sepulcri Hierosolymitani conservare valeat administrationem ecclesiae Sebastiensis. (Reg. 26, anni II, n° 127, fol. 88 v°.)

« *Hugoni de Nysum, priori Dominici Sepulchri Jerosoli-*

1. En marge sont écrits ces mots : *Hic incepit Mascardus.*

mitani. Felicis recordationis Innocentius papa, predecessor noster, bone memorie .. episcopo Liddensi et ejus college suas, ut asserit, direxit litteras continentes ut de Sebastiensi episcopatu, ecclesie Cesariensi metropolitico jure subjecto, cujus collatio per vacationem diutinam erat ad sedem apostolicam devoluta, tibi auctoritate apostolica provideret. Cum autem ex hujusmodi gratia nullum esses comodum assecutus, venerabilis frater noster .. episcopus Tusculanus, de speciali mandato pie memorie Alexandri pape, predecessoris nostri, procurationem, curam et administrationem predicti episcopatus in spiritualibus et temporalibus tibi quousque in ipso, qui ab hostibus fidei detinetur, posses in episcopum prefici et pastorem, commisisse dicitur, et te de ipso per suum anulum investisse. Cum igitur nuper ecclesie Dominici Sepulchri te auctoritate apostolica prefecerimus in priorem, nos tuis supplicationibus inclinati, procurationem, curam et administrationem hujusmodi tam in temporalibus quam in spiritualibus tibi nichilominus reservantes, quod illas gerere ac una cum ipso prioratu licite retinere possis, constitutione canonica non obstante, tibi auctoritate presentium indulgemus. Proviso quod episcopatus et prioratus predicti debitis non fraudentur obsequiis et in ipsis animarum cura nullatenus negligatur. Nulli ergo nostre concessionis etc. Datum apud Urbemveterem, IIII idus junii, anno II°. »

265 Orvieto, 20 juin 1263.

De absolutione communis civitatis Callensis. Item de eodem capitulo CXXXI. [1] (Reg. 26, anni II, n° 128, fol. 88 v°.)

« .. *episcopo Callensi*. Nobilis vir .. potestas, consilium et commune civitatis Callensis ad devotionem apostolice sedis a qua recesserant, adherendo Manfredo quondam principi Tarentino, humiliter redeuntes, nobis humiliter supplicarunt, ut ipsos ab excommunicationis sententia, quam propter hoc incurrerunt, mandaremus absolvi. Nos itaque ipsorum supplicationibus inclinati, absolvendi predictos potestatem, consilium et commune ac universos et singulos de ipso communi necnon judicem et tabellionem ipsius potestatis et omnes officiales civitatis ejusdem et clericos Callensis civitatis et diocesis ab hujusmodi excommunicationis sententia, et relaxandi interdictum cui predicte civitas et diocesis sunt hujusmodi occasione supposite, liberam tibi concedimus auctoritate presentium facultatem ; ita tamen quod circa hujusmodi absolutionem infrascriptam formam studeas observare, videlicet quod predicti potestas, consilium et commune et eorum quilibet, ac judex, tabellio, officiales et clerici predicti prestent ante omnia de stando mandatis ecclesie corporaliter juramentum, quibus mandabis sub debito prestiti juramenti, quod de cetero eidem Manfredo nullum omnino favorem, consilium vel auxilium exhibebunt publice vel occulte, quodque ab ipso nec litteras nec nuntios neque munera magna vel parva recipient, neque mittent eidem, quamdiu predictus M. in excommunicatione lata contra ipsum per sedem eandem duxerit persistendum, salvis aliis mandatis nostris, que super hoc eis viderimus facienda. Datum apud Urbemveterem, XII kalendas julii, anno II°. »

1. Ce résumé est donné en marge du Registre.

266 Orvieto, 17 juin 1263.

Priori et capitulo ecclesiae Dominici Sepulcri indulget ut ad receptionem vel provisionem alicuius in pensionibus vel ecclesiasticis beneficiis compelli minime possint. (Reg. 26, anni II, n° 129; fol. 89; Potthast * 18535.)

« .. *priori et capitulo Dominici Sepulchri Jerosolimitani*. Quieti vestre quam —. Datum apud Urbemveterem, XV kalendas julii, anno II°. »

267 Orvieto, 23 mai 1263.

Universis Christi fidelibus vere poenitentibus et confessis qui sepulturam in ecclesia Hierosolymitana elegerint, centum dierum indulgentiam elargitur. (Reg. 26, anni II, n° 130, fol. 89 ; Potthast * 18539.)

« *Universis Christi fidelibus, ad quos littere iste pervenerint*. Advertimus et digna —. Datum apud Urbemveterem, X kalendas junii, anno secundo. »

268 Orvieto, 26 juin 1263.

De absolutione communis civitatis Callensis. Item de eodem supra, capitulo CXXVIII. (Reg. 26, anni II, n° 131, fol. 89 ; Potthast 18578 [1].)

« *Magistro Petro de Ferentino dicto Romano, capellano nostro*. Illum circa filios sancta mater ecclesia servat pietatis affectum, ut hiis qui sibi continue filiali reverentia, ut condecet, obsecuntur, beneficia grandia largiatur, ac illos qui post inobedientiam et indevotionem

1. Ce résumé est donné en marge du Registre.

ejus devote mandatis et beneplacitis se committunt, a sua gratia non repellens, propitiationis sinum ac misericordie januam benignius illis pandat. Sane nobilis vir.. potestas, consilium et commune civitatis Callensis ad gremium ipsius ecclesie, a quo diabolica fraude seducti dampnabiliter recesserant, adherendo Manfredo, quondam principi Tarentino, sano ducti consilio redeuntes [1], a nobis devotione humili postularunt, ut ipsos ab excommunicationis sententia, quam propter hoc incurrerant, absolvi, ac interdictum, cui predicta civitas necnon et Callensis diocesis sunt hoc pretextu supposite, relaxari de benignitate solita faceremus, dilectis filiis communi Perusino, nostris et ecclesie predicte fidelibus, suarum precum instantia super hoc apud nos efficaciter insistentibus pro eisdem. Nos igitur qui ad exemplar illius qui, cum traditus fuerit, misereri non obliviscitur, faciles ad veniam, salvo tamen justitie moderamine, cupimus inveniri, quique convertentibus se ad salutis semitas libenter manum adjutricem porrigimus, ipsos ad reconciliationis gratiam clementer admisimus et hujusmodi eorum petitionibus favorabiliter duximus annuendum, discretioni tue, de qua per familiarem experientiam approbatam plene confidimus, presentium auctoritate precipiendo mandantes quatinus ad civitatem predictam, ad quam te propter hoc destinandum providimus, accedens personaliter, predictos potestatem, consilium et commune ac universos et singulos de ipso communi, necnon judicem et tabellionem ipsius potestatis et omnes officiales civitatis ejusdem et clericos, auctoritate nostra ab hujusmodi sententia excommunicationis absolvens, interdictum relaxes predictum ac insuper venerabilem fratrem nostrum.., Callensem episcopum, ad episcopalem sedem Callensem reducens, memoratam civitatem pontificali gaudere facias dignitate. Volumus tamen ut circa predictam absolutionem infrascriptam formam observes, videlicet quod nominati potestas, consilium et commune ac eorum quilibet, necnon judex, tabellio, officiales et clerici predicti ante omnia jurent quod ecclesie mandatis parebunt, eisque mandes sub debito prestiti juramenti, quod de cetero prefato Manfredo nullum omnino favorem, consilium vel auxilium exhibebunt publice vel occulte, quodque ab ipso nec litteras nec nuntios neque munera quecumque recipient neque sibi mittere attemptabunt, quamdiu ipse M. in excommunicatione lata contra ipsum duxerit persistendum, et nichilominus a predictis omnibus et eorum singulis, nostro et ecclesie sepedicte nomine, fidelitatis debite recipias juramentum, salvis aliis mandatis nostris, que super premissis eis decreverimus facienda. Tu autem illam in hac parte sollicitudinem et diligentiam studeas adhibere quod te possimus proinde merito commendare. Datum apud Urbemveterem, VI kalendas julii, anno II°. »

1. Ces cinq derniers mots ont été ajoutés en marge.

269 Orvieto, 17 juin 1263.

Magistro Alberto, notario suo, proponit conditiones sub quibus Carolum, Andegaviae ac Provinciae comitem, regno Siciliae investiat. (Reg. 26, anni II, n° 132, fol. 89 v°; Potthast 18567 [1].)

« *Conditiones super negotio regni Sicilie.* Iste sunt conditiones super negotio regni Syciliae et totius terre que est citra Farum, usque ad confinia terrarum Romane ecclesie, excepta terra inferius annotata que ipsi ecclesie remanebit, nobili viro Karolo, Andegavie ac Provincie comiti, ostendende.

Remanebit Romane ecclesie tota terra que remansit eidem per pacem olim initam inter dilectum filium nostrum O., s. Marie in Via Lata diaconum cardinalem, tunc in regno Sicilie apostolice sedis legatum, et Manfredum, quondam principem Tarentinum, et ultra etiam usque Beneventum, per viam Vallisgaudii, et ipsa Vallisgaudii. Dictus vero comes [2] terram ipsam cum omni diligentia et studio acquiret, et totaliter liberabit, et acquisitam ac liberatam statim ecclesie tradet et assignabit eidem. Fines autem ipsius terre inferius exprimentur.

Item, civitas Beneventana, quam hactenus Romana ecclesia sibi retinuit et in suum demanium et dominium cum omnibus juribus suis et pertinentiis reservavit, et totum tenimentum civitatis ejusdem cum finibus ejus antiquis, eidem ecclesie et in ejus proprietate libere remanebit, nullo jure ipsi comiti vel cuicumque alii de regno predicto ibidem retento seu quomodolibet reservato. Fines autem seu termini territorii seu districtus aut tenimenti civitatis ejusdem, cum de illis ad presens constare non possit, tempore quo tractatus sive negotium consumandum erit, per aliquas deputandas ad hoc personas ydoneas distinguentur.

Idem autem comes et sui heredes in dicta civitate et ejus territorio aut in alia terra que ipsi remanebit ecclesie, vel in Urbe seu in Campania vel Maritima, sive in ducatu Spoletano aut Marchia Anconitana, vel in Patrimonio beati Petri in Tuscia seu in aliis quibuscumque terris aut demaniis sive feudis ipsius ec-

1. En marge du Registre : *De eodem negotio habetur supra capitulo VIII, item infra capitulo CXXXIII, item capitulo CXXXV, item capitulo CLVIIII, item capitulo CLX, item capitulo CLXI.*
2. Ces six derniers mots sont récrits sur un grattage.

clesie ubilibet constitutis, ex successione vel legato, aut venditione, seu donatione, aut alio quocumque jure vel titulo seu contractu, nichil umquam sibi acquirent vel vendicabunt, seu poterunt acquirere vel quomodolibet vindicare ac nullam potestariam, seu capitaniam vel rectoriam, nullumque alium honorem, nullamque dignitatem seu potestatem, senatoriam vel quamcumque aliam, aut administrationem vel commendam nec quodcumque aliud officium recipient seu recipere poterunt in eisdem.

Item, pro predicta civitate Beneventana hac vice reficienda per Beneventanos, exponet per septennium pro lignaminibus omnia nemora predictorum regni et terre et omnem materiam ad edificia oportunam, puta lapides, arenam que puteolana vocatur, cementum et similia, sine prejudicio juris singularium personarum, ad unam dietam prope Beneventum.

Prestabit quoque ipsis Beneventanis securitatem per totum regnum et terram predictam, nisi in terra sua de novo delinquant, propter quod ad ipsum de jure justitia pertinebit. Privilegia etiam dicte civitati a regibus et principibus concessa illibata servabit. Omnia statuta per quondam Fr., olim Romanorum imperatorem, seu quoscumque alios reges Sicilie facta contra libertatem civitatis ejusdem revocabit, et in omnibus et per omnia que libertatis fuerint ceteris regnicolis parificabit eandem, nec aliqua statuta seu aliquas leges condet in posterum, per que dicte civitati directe vel indirecte possit prejudicium generari et pro apostolice sedis et beati Bartholomei, patroni civitatis ejusdem, reverentia fidantias ab omnibus remitti faciet et remittet eisdem. Fidantiarum autem remissio est concessio libertatis, ut cives Beneventani possint libere proprias vineas et terras excolere, ipsarumque fruges et fructus recolligere, ac easdem vineas et terras vendere, et de ipsis pro sua voluntate disponere sine aliqua exactione vel munere vel etiam datione.

Item, totum ejusdem regni residuum perpetuo concedetur in feudum eidem comiti et heredibus suis ex eo legitime descendentibus, sub infrascriptis conditionibus que, prout competet, in concessionis privilegio exprimentur; ita videlicet quod, si in ejus vel heredum ipsorum obitu legitimum heredem de proprio corpore ipsos, quod absit, non habere contigerit, regnum ipsum ad Romanam ecclesiam ejusque dispositionem libere revertatur.

Item, pro toto generali censu ipsorum regni et terre, duo milia unciarum auri ad pondus Romanum, in festo beati Petri, ubicumque Romanus pontifex fuerit, ipsi Romano pontifici et Romane ecclesie annis singulis persolventur. Si vero idem comes, vel illi qui ei in predictis regno et terra succedent, aliquo termino non solverint censum ipsum, et expectati per duos subsequentes menses de illo non satisfecerint, eo ipso erunt excommunicati; et, si in secundo termino in ipsius census solutione defecerint nec satisfecerint de ipso infra alios proximos duos menses, regnum et terra predicta interdicto ecclesiastico subjacebunt, salvis aliis penis et processibus, que vel qui de jure inferri et haberi poterunt per Romanum pontificem in hoc casu.

Item, postquam dictus comes prefatum regnum vel tantum de ipso acquisieverit et habuerit quod, etiam si alique civitates vel munitiones aut aliqua alia loca ipsius regni adhuc ei rebellia fuerint, reputetur et possit ipsius regni rex et dominus reputari, solvet Romane ecclesie quinquaginta milia marcarum sterlingorum, per certos et diversos terminos ad hoc statuendos tempore quo erit tractatus sive negotium consumandum. Quod si dictus comes in hujusmodi terminis illa non solverit, liberum erit Romano pontifici contra ipsum comitem pro singulis terminis ad penas spirituales procedere, prout sibi videbitur expedire.

Item, in quolibet triennio dabit rex Romano pontifici unum palafridum album, pulchrum et bonum in recognitionem veri dominii eorumdem regni et terre.

Item, quandocumque Romanus pontifex qui pro tempore fuerit, asseruerit vel dixerit Romanam ecclesiam indigere, ita quod super ejus indigentia hujusmodi ipsius Romani pontificis simplici verbo stetur, idem comes vel heredes ejus requisiti ab eo ad Urbem, in Campaniam et Maritimam, in Patrimonium beati Petri in Tuscia, ducatum Spoletanum, Marchiam Anconitanam, et in premissam terram vel ipsius regni partem que remanebit ecclesie et in omnes alias terras ipsius ecclesie per Italiam, trecentos milites equis et armis bene ac decenter munitos et paratos, ita quod unusquisque ipsorum habeat quatuor equitaturas ad minus, in obsequium et subsidium ecclesie predicte transmittent, per tres menses integros in ipsius vel dictorum heredum sumptibus et stipendiis, semel tamen in anno, in servitio ejusdem ecclesie moraturos, mensibus ipsis a die quo iidem milites terram sui dominii vel fines sui districtus egressi fuerint, per vulgares dietas et solitas computandis. Quod si maluerit ecclesia eadem, ingruenti necessitate, super qua stetur verbo Romani pontificis, ut est dictum, navali juvari exercitu, predicti milites, debita taxatione ac recompensatione prehabita, in navale stolium commutentur.

Item, tam ipse quam heredes sui domino pape suisque successoribus canonice intrantibus et ecclesie Romane ligium homagium facient et juramentum fideli-

tatis prestabunt secundum formam inferius annotatam, et singulis ipsis successoribus et eidem Romane ecclesie renovabunt tam ipsum homagium quam hujusmodi juramentum. In optione autem et beneplacito erit Romane ecclesie ipsum et heredes suos vocare ad prestandum personaliter juramentum fidelitatis et ligium homagium Romano pontifici et eidem ecclesie, dummodo ad hoc sibi tutum locum statuant et assignent, vel aliquem cardinalem ipsius ecclesie seu alium, qui vice Romani pontificis juramentum juxta eandem formam et homagium recipiat, destinare.

Item, dictus comes et ejus heredes regnum et terram prefata nullatenus divident ; sed semper illa unus tantum sub ipsis condicionibus immediate ac in capite a Romana tenebit ecclesia, et tam idem comes quam ipsius heredes nobis et successoribus nostris canonice intrantibus et ecclesie Romane ligium homagium facient et fidelitatis juramentum prestabunt in hunc modum :

« Ego.. plenum et ligium vassallagium faciens Romane ecclesie pro regno Sicilie et tota terra que est citra Farum, usque ad confinia terrarum ipsius ecclesie, excepta terra.... (et exprimentur terra et limites ejus), ab hac hora in antea fidelis et obediens ero beato Petro et domino meo pape .. suisque successoribus canonice intrantibus sancteque apostolice Romane ecclesie. Non ero in consilio aut consensu vel facto, ut vitam perdant aut membrum, aut capiantur mala captione. Consilium quod mihi credituri sunt per se aut per nuntios suos sive per litteras, ad eorum dampnum, me sciente, nemini pandam; et si scivero fieri vel procurari sive tractari aliquid quod sit ad ipsorum dampnum, illud pro posse impediam, et si impedire non possem, illud eis significare curabo. Papatum Romanum et regalia sancti Petri tam in regno Sicilie et terra predictis quam alibi existentia, adjutor eis ero ad retinendum et defendendum ac recuperandum et recuperata manutenendum contra omnem hominem. Universas et singulas condiciones contentas in apostolico privilegio super ipsorum regni et terre concessione confecto, ac omnia et singula que continentur in eodem privilegio, plenarie adimplebo et inviolabiliter observabo, nec ullo umquam tempore veniam contra illa. Sic me Deus adjuvet et hec sancta Dei Evangelia. »

Item, ipse et singuli heredes sui Romano pontifici et singulis successoribus suis et ecclesie Romane, quando prestabunt hujusmodi juramentum fidelitatis, jurabunt, se ad hoc specialiter obligantes, quod numquam per se vel alios seu quocumque modo procurabunt ut eligantur vel nominentur in regem vel imperatorem Romanum vel regem Theotonie seu dominum Lombardie aut Tuscie vel majoris partis earumdem Lombardie vel Tuscie; et, si electionem vel nominationem ad imperium vel ad regnum Romanum seu ad regnum Theotonie aut ad dominium Lombardie vel Tuscie seu majoris partis earum de ipsis celebrari contigerit, nullum hujusmodi electioni vel nominationi assensum prestabunt nec intromittent se ullo modo de regimine ipsius imperii vel regni Romani seu regni Theotonie aut Lombardie seu Tuscie vel majoris partis earum, ad quodcumque horum nominati fuerint vel electi. Quod si ipse vel aliquis heredum suorum, studentibus et procurantibus eis, ad imperium ipsum sive ad dictum regnum Romanum seu regnum Theotonie, aut dominium Lombardie seu Tuscie vel majoris earum partis electi vel nominati fuerint, si hoc verum et manifestum fuerit, aut si post talem electionem vel nominationem de imperii vel regni Romani seu regni Theotonie aut Lombardie seu Tuscie vel majoris ipsarum partis regimine se manifeste intromiserint, eo ipso a jure predictorum regni Sicilie et terre cadant ex toto ipsaque prorsus amittant. Si autem electioni vel nominationi facte non procurantibus ipsis aut procurantibus consenserint, et ut huic electioni seu nominationi vel juri omnino renuntient, et quod de imperio seu de aliquo alio premissorum, ad quod electi seu nominati fuerint, se nullatenus intromittant, moniti, infra quatuor mensium spatium post monitionem hujusmodi, tali electioni seu nominationi vel juri non renuntiaverint, vel de ipso imperio seu aliquo premissorum, ad quod electi vel nominati fuerint, se intromiserint quoquomodo, ex hoc sint eisdem regno Sicilie et terra et omni eorum prorsus jure privati. Si vero ad ipsum comitem vel ejus heredes non poterit commode talis monitio pervenire, super quo utique impedimento, videlicet quod moneri comode nequeant, credetur et stabitur assertioni Romani pontificis sive dicto, sufficiet pro ea super hoc ipsius Romani pontificis monitio publica et sollempnis ; ita quod, si infra sex menses post illam non renuntiaverint aut de imperio seu de aliquo alio premissorum ad quod electi seu nominati fuerint, se quomodolibet intromiserint, cadant ex hoc ab omni jure ipsorum regni et terre. Ceterum, si contigerit aliquem de suis heredibus, qui deberet in predictis regno Sicilie et terra succedere, in regem vel imperatorem Romanum seu regem Theotonie vel dominum Lombardie aut Tuscie seu majoris partis earum nominari seu eligi vel assumi, nullatenus possessionem eorumdem regni Sicilie ac terre nanciscatur vel habeat, nec se de illorum cura seu dominio et regimine per se vel per alios aliquatenus intromittat, nisi prius imperio

vel regno Romano seu regno Theotonie aut dominio Lombardie vel Tuscie seu majoris earum partis, ad quodcumque eorum electus, nominatus fuerit vel assumptus, et omni juri competenti sibi in illis omnino renuntiet et illorum regimen, nec de jure nec de facto illud gerens vel retinens, omnino dimittat, ipsum nullo umquam tempore resumpturus. Alioquin cadat ab omni successione ac jure, que in regno Sicilie ac terra predictis sibi competerent ipso facto : ita quod eadem regnum Sicilie et terra ad Romanam ecclesiam ejusque dispositionem plene ac libere devolvantur. Quod si, non extantibus masculis, femina in eisdem regno et terra successerit, illa regi vel imperatori Romano, seu in regem vel imperatorem Romanum electo, aut regi vel electo in regem Theotonie, seu domino Lombardie vel Tuscie aut majoris partis earum seu electo ad illarum dominium, numquam matrimonialiter copuletur; et si contrarium fecerit, eo ipso cadat a Sicilie regno et terra predictis maneatque prorsus ipsorum jure privata. Si autem ipse vel aliquis heredum suorum contra hec venerint, eo ipso excommunicati et insuper labe ac reatu perjurii respersi et notati existant. In hujusmodi quoque juramento addetur expresse, quod nullo umquam tempore regnum seu imperium Romanum aut regnum Theotonie, vel dominium Lombardie sive Tuscie seu majoris earum partis, aut easdem Lombardiam vel Tusciam vel majorem partem ipsarum per se vel per alios seu alium occupabunt, capient vel acquirent, aut sibi alias quomodolibet vendicabunt; et si secus fecerint, similes secundum prescriptam formam penas incurrent.

Item, si forte, deficientibus masculis, contigerit feminam in regno succedere, illa maritabitur persone que ad ipsius regni regimen et defensionem existat ydonea, Romani tamen pontificis prius super hoc consilio requisito, nec nubet nisi viro catholico et ecclesie Romane devoto; et si contra hec fieret, licebit eidem Romano pontifici contra ipsam ad privationem predictorum regni et terre sine figura judicii et absque omni juris sollempnitate, in quacumque etate filia ipsa consistet, procedere, si hoc ei videbitur expedire.

Item, in regnum et terram predicta nullus succedet, qui non fuerit de legitimo matrimonio procreatus.

Item, regnum Sicilie ac terra predicta imperio nullo modo subdentur, seu sibi ullo umquam tempore in eadem persona quomodolibet unientur, et precise super hoc articulo tam per penas spirituales quam alias cautiones cavebitur, juxta ecclesie voluntatem, cum prorsus intentionis sit Romane ecclesie, ut regnum et terra predicta nullo umquam tempore imperio uniantur, ut scilicet unus Romanus imperator et Sicilie rex existat. Quod autem circa unionem ipsorum regni et terre cum imperio dicimus, hoc ipsum circa unionem eorumdem regni et terre cum regno Romano aut regno Theotonie, seu cum Lombardia vel Tuscia sive cum majori parte ipsarum Lombardie et Tuscie intelligimus et volumus esse dictum.

Item, si ipse vel sui heredes predictam terram, que remanebit ecclesie, vel aliquam ejus partem, aut Campaniam vel Maritimam, seu Urbem vel ducatum Spoletanum, aut Marchiam Anconitanam, sive Patrimonium beati Petri in Tuscia, aut alias quascumque terras Romane ecclesie ubilibet constitutas occupaverint vel occupari fecerint aut super hiis offenderint, vel molestaverint ecclesiam seu fecerint molestari : et postquam super hoc a Romano pontifice moniti et requisiti fuerint vel, si comode moneri aut requiri nequiverint, juxta ipsius Romani pontificis assertionem vel dictum, postquam de hoc ipse publice ac sollempniter eos monuerit, infra tres menses non restituerint integre omnia occupata, eo ipso ab eorumdem regni Sicilie et terre jure cadant totaliter, ipsaque regnum et terram prorsus amittant. Quod si etiam restituerint occupata, nichilominus ad plenum de universis injuriis et dampnis illatis ad mandatum ejusdem Romani pontificis satisfacere teneantur.

Item, omnibus ecclesiis tam cathedralibus quam aliis regularibus et secularibus, necnon et omnibus prelatis et clericis et universis personis ecclesiasticis, secularibus et religiosis, et quibuslibet religionis locis plenarie dimittentur et restituentur integre omnia bona eorum immobilia, a quibuscumque ablata vel occupata sint et per quoscumque detineantur. Mobilia vero que extant et potuerunt inveniri, simili modo restituentur eisdem. Hec autem restitutio fiet absque contradictione seu difficultate qualibet, sicut nanciscetur predictorum regni Sicilie ac terre possessionem, hoc modo, scilicet quod statim in illa parte ipsorum regni et terre que sibi obediet restitutio ipsi fiet ipsaque postmodum confirmabitur successive, sicut eadem regnum habebuntur et terra. Ne autem super hiis rebus restituendis ingeri possit aliqua difficultas, deputabuntur a Romano pontifice aliqui viri discreti, ad quorum mandatum et arbitrium, jurium et rerum immobilium et mobilium que extant, restitutio plena fiet : ita quod ea de quorum dominio vel proprietate seu possessione notorium fuerit, ad eorum mandatum et arbitrium mox reddentur. In dubiis vero, per ipsos de plano et absque judicii strepitu veritas diligentius inquiretur. Sufficiet autem vocari camerarium vel procuratorem seu ballivum,

in cujus jurisdictione vel balliva seu territorio bona de quibus agetur consistent, ad videndum jurare testes qui in hujusmodi inquisitione deponent.

Item, omnes ecclesie tam cathedrales quam alie regulares et seculares, necnon et omnes prelati et clerici, et universe persone ecclesiastice, seculares et religiose, ac quecumque religionis loca cum omnibus bonis suis in electionibus, postulationibus, nominationibus, provisionibus et omnibus aliis plena libertate gaudebunt; nec ante electionem sive in electione vel post, regis assensus vel consilium aliquatenus requiretur. Quam utique libertatem ipse et heredes sui semper manutenebunt et conservabunt et manuteneri et conservari facient ab omnibus subditis suis, dicteque ecclesie ac persone utentur libere omnibus bonis et juribus suis, salvo ei et suis heredibus jure patronatus in ecclesiis in tantum quantum in hac parte patronis ecclesiarum canonica instituta concedunt, ubi antiqui reges Sicilie hujusmodi jus patronatus in ipsis ecclesiis habuerunt. Omnes etiam cause ad forum ecclesiasticum pertinentes libere et absque ullo impedimento agitabuntur, tractabuntur et ventilabuntur coram ordinariis et aliis ecclesiasticis judicibus et terminabuntur per eos; et si ad sedem apostolicam super hujusmodi causis appellari contigerit, tam appellantes quam appellati ad eandem venire sedem pro appellationum prosecutionibus libere et absque inhibitione aliqua permittentur. Sacramenta vero fidelitatis prestabuntur secundum antiquam et rationabilem consuetudinem, prout canonica instituta permittunt, ab illis ecclesiarum prelatis, quorum predecessores antiquis illa Sicilie regibus prestiterunt. Ab illis autem prelatis et ecclesiis qui regalia sive temporalia bona tenent, si qui tamen sunt qui hujusmodi bona teneant a domino regni et aliis dominis temporalibus, et qui, ratione hujusmodi bonorum, ab antiquo consueverunt regibus et ipsis dominis temporalibus servitia exhibere, hujusmodi honesta et antiqua servitia eis, secundum rationabilem et antiquam consuetudinem et sicut instituta patiuntur canonica, impendentur; salva semper circa ecclesias cathedrales et alias regulares et seculares ac personas et loca ecclesiastica tam in faciendis provisionibus et electionibus confirmandis quam in omnibus quibuscumque aliis, Romani pontificis et ecclesie Romane jurisdictione ac auctoritate plenaria et libera potestate.

Item, revocabit omnes constitutiones seu leges per predictum Fr. vel per reges Sicilie sive per Conradum, ipsius Fr. filium, aut Manfredum, quondam principem Tarentinum, qui de facto regnum ipsum detinet occupatum, editas contra ecclesiasticam libertatem, nec statuta vel constitutiones aliquas edet aut etiam promulgabit, per que juri vel libertati ecclesiastice derogetur.

Item, comes promittet quod nullus clericus vel persona ecclesiastica eorumdem regni et terre in civili vel criminali causa convenietur coram judice seculari, nisi super feudis judicio petitorio conveniatur civiliter, sed omnes ecclesie ac persone ecclesiastice omnimode erunt libere et in nullo regi vel principi subjacebunt.

Item, nullas tallias vel collectas imponet ecclesiis, monasteriis, clericis et viris ecclesiasticis, vel rebus eorum.

Item, in ecclesiis vacantibus rex nulla habebit regalia nullosque fructus, redditus et proventus, nullas etiam obventiones, ac nulla prorsus alia percipiet ex eisdem, custodia earumdem ecclesiarum interim libera remanente penes personas ecclesiasticas. juxta canonicas sanctiones.

Item, comites, barones, milites et universi homines totius regni et terre predicte vivent in ea libertate et habebunt illas immunitates illaque privilegia ipsisque gaudebunt, quas et que tempore clare memorie Guillelmi secundi, Sicilie regis, et aliis antiquis temporibus habuerunt.

Item, omnes exules regni Sicilie et terre predicte, cujuscumque condicionis existent, ad mandatum ecclesie reducentur in regnum et terram predicta, ipsisque de bonis et juribus eis debitis restitutio plena fiet. In hujusmodi autem restitutione, secundum prescriptam formam in capitulo de bonis ecclesiarum restituendis contentam, tam in notoriis quam dubiis procedetur.

Item, nullam confederationem seu pactionem vel societatem faciet cum aliquo imperatore vel rege, seu principe vel barone Saraceno, Christiano vel Greco, aut cum aliqua provincia seu civitate aut communitate vel loco aliquo contra Romanam ecclesiam vel in dampnum ecclesie.

Item, omnes captivos et obsides qui tenentur in regno et terra predictis, Romanos, regnicolas et alios de terra ecclesie, Tuscos, Lombardos et illos de Marchia Tervisina pro posse suo bona fide restituet libertati. Super comitatibus vero et aliis, si qua in regno et terra predictis Romane ecclesie aut aliis ecclesie Romane fidelibus a regibus et principibus sunt concessa, salvum omnino erit jus ipsius ecclesie ac fidelium eorumdem, nec per ipsorum regni et terre concessionem, comitatuum seu concessorum eorumdem cuiquam, quoad proprietatem seu possessionem, prejudicium generabitur, regio in hiis omnibus jure salvo.

Item, idem comes veniet cum mille ad minus ultramontanorum militum comitiva, quorum quilibet equi-

taturas quatuor secum ducet. Habebit etiam idem comes trecentos balistarios et tot alios bellatores, quot ad prosecutionem negotii sufficere videbuntur.

Item, dictus comes usque ad annum a die consumationis tractatus hujusmodi computandum sic munitus cum tota sua hujusmodi comitiva fines comitatus Provincie versus Italiam sit egressus, et ex tunc infra tres menses immediate sequentes sit in terris conterminis regno Sicilie, nisi forsitan in Italia hostium impediatur obstaculo vel occursu, quorum impugnationi et debellationi quamdiu taliter munitus perseveranter institerit, intelligatur negotium prosequi, nec tempus predictorum trium mensium ei currat. Quod si dictus comes sic munitus usque ad annum hujusmodi non fuerit fines predicti comitatus egressus, vel si infra eosdem tres menses, tali non prepeditus obstaculo, non fuerit in terris eidem Sicilie regno conterminis cum comitiva hujusmodi constitutus, vel in quocumque casu, eo prosecutioni negotii oportunam non impendente operam, ad easdem terras conterminas dicto regno infra ipsos tres menses non venerit sic munitus, liberum erit Romano pontifici ac in ipsius potestate remanebit dicere, pronuntiare vel proferre in scriptis vel sine scriptis, de consilio vel sine consilio fratrum suorum, eodem comite vel alio etiam quocumque cujus forsitan interesset, non vocatis, et absque omni juris sollempnitate, concessionem eidem comiti et ejus heredibus de regno et terra predictis factam, vacuam omnino esse, nullumque robur vel valorem habere, ac eam revocare, cassare et irritare ac ipsam cassam et irritam nuntiare. Liberum quoque erit eidem Romano pontifici hoc idem facere si, quod absit, dictus comes vel longa prepeditus valetudine vel morte preventus, dictum negotium juxta eandem formam non assumpserit, vel assumptum non fuerit prosecutus, nisi forte talis persona et tam ydonea juxta formam eandem vices ejus vel suorum heredum in hac parte suppleverit, que merito ad hoc sufficiens possit et debeat a Romana ecclesia reputari.

Item, postquam dictus comes predicta regnum Sicilie ac terram habuerit, jurare faciet omnes eorumdem regni et terre comites, barones et nobiles ac milites, cives et burgenses ceterosque alios, quod toto posse facient et curabunt quod dictus comes et ejus heredes omnes et singulas hujusmodi condiciones ac universa et singula premissa inviolabiliter observabunt, nec ullo umquam tempore venient contra illa; et si eum vel heredes suos a predictis regno et terra in quibuscumque casibus juxta tenorem conditionum et penarum cadere contigerit, vel ipsos juxta eundem tenorem illis privari, seu concessionem factam eis de ipsis evacuari et irritari per Romanum pontificem, nullatenus eis, sed Romano tantum pontifici obedient et intendent, tamquam regi Sicilie et ipsorum domino temporali. Hoc etiam juramentum de decennio in decennium renovabitur, et tam idem comes quam singuli heredes sui, qui in eisdem regno et terra succedent, illud perpetuo singulis continuis decenniis renovari facient et prestari.

Item, omnes premissas conditiones que in persona comitis apponentur, circa ipsius etiam heredes comitis intelligimus et volumus esse dictas.

Item, postquam tractatus hujusmodi negotii fuerit concorditer consumatus, fiet super hoc privilegium concessionis a domino papa, subscriptionibus cardinalium Romane ecclesie roboratum; et comes dabit privilegium suum eidem domino pape ac Romane ecclesie aurea bulla bullatum, in quo proprio juramento fatebitur et recognoscet expresse regnum Sicilie ac totam terram que est citra Farum usque ad confinia terrarum Romane ecclesie, excepta terra que ecclesie remanebit eidem, ex sola gratia et mera liberalitate sedis apostolice sibi suisque heredibus de novo fore concessa, seque recipere ac tenere regnum et terram hujusmodi a dicta Romana ecclesia, sub condicionibus et pactis hinc inde tractatis.

Fines autem terre que remanebit ecclesie isti sunt : terra Laboris ex parte una continuata est cum principatu, et dividitur per flumen quod dicitur Sarnum et quod intrat mare sub civitate que dicitur castrum Maris de Surrento sive Stabium, et procedunt fines versus Montem Lauri et versus Palmam. Et hec sunt loca ex illa parte superiori : castrum sive civitas que dicitur Sarnum, castrum Montis Lauri, Palma, Avellum, Summa, Nola, Cicala et comitatus Acerrarum, Argentium et Arpagia, Matalonum, comitatus Caserte et Thelesie, rocca Capue, Cajazia, castrum S. Angeli, baronia de Draconibus, baronia Mazana, baronia illorum de Rosel, et sicut currit flu[v]ius Capue usque ad comitatum Molisii, Vayranum, Presenzanum, Minianum, S. Germanus et tota terra monasterii Casinensis, Atinum et tota terra que dicitur Cominum, Sora, Insula, Arpinum, Fontana, Montenigrum, Castrum Celi, Rocca et Villa Arcis, Pontecurvum et Insula inferior. Ex parte maris castrum Schifati, quod situm est ubi flumen Sarni intrat mare, Neapolis, castrum Salvatoris supra mare, due insule, quarum altera dicitur Capri et altera Procida; item, altera que dicitur insula et est civitas Puteolana, Aversa, Capua, villa que dicitur Baronia, castrum Maris de Vulturno, Rocca Montis Draconis, civitates Calinensis, Calvensis, Theanensis et Sues-

sana, baronia Rogerii de Gallutio, Trajectum, Gaieta, comitatus Fundanus, Rocca Guillelmi et quedam alia sunt juxta istos fines. Extra istos vero fines vel nulla loca sunt, vel pauca non magni valoris : Vallisgaudii, Aynola, Montisarculum, Toccum, baronia Feniculi et castrum S. Martini. Beneventum cum suo tenimento est in fine hujus vallis cum toto territorio suo. Datum apud Urbemveterem, xv kalendas julii, anno secundo. »

270 Orvieto, 17 juin 1263.

Magistro Alberto, notario suo, proponit modificationes conditionum super regno Siciliae. (Reg. 26, anni II, nº 133, fol. 92 vº; Potthast 18568 [1].)

« *Modificationes predictarum condicionum.* Iste sunt modificationes conditionum. Si postquam ille qui mittitur diligenter tractaverit et institerit quod prefata terra, de qua agitur, ecclesie Romane remaneat, hoc obtinere non poterit nec ad id comitem inclinare, et idem comes omnino habere voluerit integrum regnum Sicilie et totam terram que est citra Farum, usque ad confinia terrarum Romane ecclesie, ita quod, excepta civitate Beneventana cum omnibus districtibus et pertinentiis suis, nichil eidem ecclesie de terra predicta remaneat ad ampliationem census seu pensionis, sicut oblatum est per nuntios ejusdem comitis, videlicet ad annuum censum seu annuam pensionem decem milium unciarum auri ad pondus ipsius regni pro toto regno et terra predictis, ipse qui mittitur sapienter et caute procedat, salva semper exceptione predicte civitatis Beneventane cum suis districtibus et pertinentiis, prout in secundo articulo plenius et expressius continetur.

Item, si articulus qui sic incipit : Item, totum ejusdem regni residuum, etc., non admittitur sicut est scriptus, cum hac adjectione modificari poterit, videlicet quod, si contigerit dictum comitem decedere sine liberis ex eo legitime descendentibus, possit ei in regno et terra predictis succedere nobilis vir Alfonsus, comes Pictavensis, germanus ejusdem; et si dictus Alfonsus eidem Karolo non superviveret, possit ei succedere unus ex filiis Ludoici, illustris regis Francie, videlicet major natu post illum qui succedet in regno Francorum, et hec gratia vel successio, tam ex parte ipsius Karoli quam ex parte illorum, erit tantummodo personalis; ita scilicet quod ad nullum filiorum vel heredum ipsius Alfonsi, si Alfonsum ipsum premori Karolo predicto contigerit, hujusmodi successio se extendet, sed hujusmodi major natu succedet in regno Sicilie et terra predictis. Similiter etiam nullus filiorum vel heredum ipsius majoris natu, si idem major natu prefato Karolo non supervixerit, hujusmodi successionem habebit; sed regnum Sicilie ac terra predicta ad Romanam ecclesiam ejusque dispositionem libere devolventur. Si vero Alfonsum et majorem natu predictos premori Karolo prefato contigerit, nullus alius ipsi Karolo sine liberis ex ipso legitime descendentibus decedenti in eisdem regno et terra succedet ; sed liberum erit eidem Romane ecclesie de ipsis regno Sicilie ac terra disponere juxta sue beneplacitum voluntatis. Si autem prefatos Alfonsum vel majorem natu post successionem hujusmodi aut eorum heredes sine liberis ex ipsis legitime descendentibus mori contigerit, regnum Sicilie et terra predicta similiter ad eandem Romanam ecclesiam ejusque dispositionem libere revertentur.

Item, circa articulum qui sic incipit : Item, dictus comes et ejus heredes regnum et terram prefata nullatenus divident etc., talis modificatio poterit adhiberi, si non admittatur ut jacet, videlicet quod regno et terra predictis eorumque dominio semper remanentibus penes unum, nec ratione hereditatis, vel successionis, aut concessionis, seu donationis nec quocumque alio pretextu, aliqua divisio vel diminutio fiet de ipsis regno et terra, per quam utique divisionem seu diminutionem ipsorum regni et terre dominium deformiter mutiletur, vel regie dignitatis seu potestatis status enormem sustineat vel recipiat lesionem. Sed si qui partes aliquas forsan habuerint de regno et terra predictis, illas tenebunt in feudum a rege Sicilie, ipsumque regem exinde superiorem et dominum recognoscent, eique certa servitia pro hujusmodi partibus exhibebunt.

Item, illa pars articuli in quo agitur de restitutione captivorum et obsidum, que utique pars sic incipit : Super comitatibus vero et aliis etc., si ab eodem comite non admittitur sicut jacet, taliter modificari poterit, videlicet quod illud quod ibi dicitur de comitatibus et aliis que in regno et terra predictis Romane ecclesie sunt concessa, totaliter auferatur, et fiat tantum mentio de illis comitatibus et in aliis que in eisdem regno et terra ipsius ecclesie fidelibus a regibus et principibus sunt concessa.

Item, si comes omnino habere voluerit sub annuo censu decem milium unciarum auri totum et integrum

1. En marge du Registre : *De negotio regni Sicilie habetur supra capitulo VIII, item capitulo CXXXII, item capitulo CXXXV, item infra capitulo CLVIIII, item capitulo CLX, item capitulo CLXI.*

regnum Sicilie et totam terram que est citra Farum usque ad confinia terrarum Romane ecclesie, ita quod nichil de ipsis regno et terra, excepta civitate Beneventana cum districtibus et pertinentiis suis, eidem Romane ecclesie remaneat, prout in primo modificationum articulo plenius continetur, circa solutionem ejusdem census per infrascriptas penas erit ipsi ecclesie providendum, videlicet quod idem comes vel ejus heredes quocumque termino non solverint integre censum ipsum et expectati per duos menses terminum ipsum immediate sequentes, de illo ad plenum non satisfecerint, eo ipso erunt excommunicationis vinculo innodati. Quod si in secundo termino et infra subsequentes duos menses eundem censum sine diminutione qualibet non persolverint, totum regnum Sicilie ac tota terra predicta erunt supposita interdicto. Si vero nec in tertio termino nec infra duos menses proximos per plenam satisfactionem illius ejusdem census sibi duxerint consulendum, ita quod transactis eodem tertio termino et duobus proximo sequentibus mensibus, non sit de decem milibus hujusmodi primi termini ipsi ecclesie integre satisfactum, ab eisdem regno et terra ipsorumque jure cadent ex toto. Si autem de censu decem milium unciarum hujusmodi primi termini infra dictos tertium annum et duos sequentes menses plenarie satisfecerint, nichilominus semper pro singulis decem milibus unciarum singulorum terminorum, si simili modo in eorum solutione cessaverint vel illa non solverint, similes penas incurrent. Datum apud Urbemveterem, xv kalendas julii, anno II°. »

271 Orvieto, 13 juin 1263.

Dunkeldensi, Brechinensi et Rossensi episcopis mandat ut, si magistrum Walterum de Baltrodin, canonicum Catanensem, de legitimo matrimonio procreatum et dignum invenerint ad pontificalis apicem dignitatis, ipsum Catanensi ecclesiae praeficiant in episcopum. (Reg. 26, anni II, n° 134, fol. 93; Potthast 18565.)

« .. *Dunkeldensi*, .. *Brechinensi et* .. *Rossensi episcopis*. Inter curas multiplices —. Datum apud Urbemveterem, idus junii, anno II°. »

272 Orvieto, 26 juin 1263.

De decima aliisque conditionibus Carolo, comiti Provinciae, concedendis pro regni Siciliae negotio. (Reg. 26, anni II, n° 135, fol. 93 v°; Potthast 18579[1].)

« *Magistro Alberto, notario nostro*. Cum te ad dilectum filium nobilem virum Karolum, Andegavie ac Provincie comitem, pro negotio regni Sicilie specialiter destinemus, presentium tenore scire te volumus quod, si contingat dictum negotium secundum conditiones tibi a nobis traditas inter Romanam ecclesiam et eundem comitem consumari, taliter super infrascriptis petitionibus quas propter hoc dictus comes per suos nobis porrexit nuntios, intendimus, auctore Domino, condescendere votis ejus, quod propterea dictum impediri vel retardari negotium non continget. Petitiones autem sunt hee, videlicet ut nos decimam omnium ecclesiasticorum proventuum regni Francie ac comitatus Provincie, necnon et Lugdunensis, Viennensis, Ebredunensis, Tarentasiensis et Bisuntine provinciarum eidem comiti pro ipsius prosecutione negotii per triennium concedamus, et faciamus verbum crucis proponi contra Manfredum, quondam principem Tarentinum, et Sarracenos Lucerie per omnes terras in quibus decima concedetur eidem comiti, ac etiam per Lombardiam, Tusciam, Marchiam Anconitanam et alias terras dicto regno Sicilie adjacentes, in quibus verbum hujusmodi poterit secure proponi, illamque indulgentiam ac illa privilegia et illas immunitates hiis qui contra Manfredum et Sarracenos predictos signum crucis assumpserint, largiamur, que transfretantibus in Terre Sancte subventionem in generali concilio sunt concessa; demus etiam dicto comiti omnes redemptiones votorum personarum illarum, que signum crucis in subsidium dicti negotii duxerint assumendum et redimere voluerint hujusmodi vota sua; totam quoque terram ipsius comitis et terras illorum qui secum propter hoc venerint sub nostra et apostolice sedis protectione recipiamus, durante ipsius prosecutione ac promotione negotii, et in omnes illos qui comitem et alios predictos in terris eorum turbare, molestare aut violentiam inferre presumpserint, generalem excommunicationis sententiam proferamus; nec ullo umquam tempore consentiamus quod Conradus puer, natus quondam Conradi, filii quondam Fr., olim Romanorum imperatoris, vel aliquis per descendentem eorumdem Fr. et Conradi lineam quomodolibet procreatus, aut etiam aliquis qui se in prefato regno Sicilie vel aliqua ejus parte contenderet seu posset contendere jus habere, imperii Romani culmen ascendat; et ut

1. En marge du Registre : *De negotio regni Sicilie habetur supra capitulo VIII, item capitulo CXXXII, item infra capitulo CXXXIII, item infra capitulo CLVIIII, item capitulo CLX, item capitulo CLXI.*

dictum Manfredum eodem regno Sicilie et omnibus aliis terris que in regno ipso infra confinia terrarum dicte Romane ecclesie detinet, si comes ipse voluerit, per diffinitivam sententiam privare curemus, ac publicari faciamus ubique omnes spirituales et temporales sententias latas jam et ferendas in eum et in omnes consiliarios, adjutores et fautores ipsius; omnes insuper illos qui eidem Manfredo, postquam dictum regnum Sicilie fuerit comiti predicto concessum, adherere presumpserint, universis terris, feudis, bonis et juribus que a predicta Romana et aliis quibuscumque ecclesiis et personis ac locis ecclesiasticis obtinent, apostolica auctoritate privemus; denique ut vinculum confederationis et pacis fieri procuremus inter omnes illas personas, quas idem comes nobis nominaverit, dummodo persone tales existant, quarum confederatio vel unitas aut unanimitas nobis expediens videatur. Datum apud Urbemveterem, vi kalendas julii, anno ii°. »

273 Orvieto, 6 juillet 1263.

Philippum, filium regis Franciae, absolvit a juramento quod matri suae praestiterat de non adjuvando patruo suo Carolo, comite Provinciae et Andegaviae. (Reg. 26, anni II, n° 136, fol. 93 v°.)

« *Nobili viro Philippo, primogenito carissimi in Christo filii nostri L., regis Francorum illustris.* Gaudet in te —. Ecce, fili, sicut accepimus, carissima in Christo filia nostra M., illustris regina Francie, mater tua, inter cetera, quod usque ad tricesimum etatis tue annum sub ipsius regine ballo et tutela consisteres quodque interim aliquem in consiliarium familiarem contra ipsius non reciperes voluntatem, confederationem, conspirationem seu alligationem aliquam cum dilecto filio nobili viro K., patruo tuo, Provincie comite [1] inires, eidem regine si de ipsa sinistri quicquam intelligeres revelares, nulli ultra certam quantitatem aliquid largireris et premissa nemini revelares, a te promissionem et juratoriam obligationem exegit, et tu ea sibi tamquam bone indolis ac devotus filius, filiali ductus reverentia, promisisti, teque ad id nichilominus juramento prestito obligasti. Cum igitur ex innata tibi bonitate, tante sinceritatis, industrie atque constantie te futurum credimus, quod numquam ad aliquas confederationes, conspirationes vel alligationes honestati contrarias tuum animum inclinares, propter quod reputamus superfluum ad id te juramento astringi, ad quod innata constringeris probitate ut virtuosi et strenui actus tui eo propius ascribantur virtuti sintque magis meritorii apud Deum, quo de liberioris processerint arbitrio voluntatis, nobilitatem tuam a promissione et obligatione ac juramento predictis, ad que potius juvenilis etatis facilitate quam animi judicio es inductus, auctoritate presentium de apostolice plenitudine potestatis prorsus absolvimus et ad ea decernimus te aliquatenus non teneri. Nulli ergo nostre absolutionis et constitutionis, etc. Datum apud Urbemveterem, ii nonas julii, anno ii°. »

1. Le Registre porte *comitem*.

274 Orvieto, 6 mars 1263.

Certas init conditiones cum Senensibus quorum nomina inseruntur extra civitatem Senensem morantibus. (Reg. 26, anni II, n° 137, fol. 94 [1].)

« *Conditiones et pacta habita inter Romanam ecclesiam et Senenses morantes extra civitatem Senensem.* Nobilibus viris Petro Christofori de Tholomeis, Ciampolo Albizi, Riccovaro Bonaguide, Ranerio Rusticini, Arigolo Accerigi, Renaldo Renaldini, Notto Salimbene, Hugoni Lutteringi, Bernardino Renaldini, Albizino Boundelmontis, Johanni Salimbene, Salimbene Ranerii, Ranerio Benachi, Gualterio Renaldini, Ciampolo Salimbene, Gabrihello Rusticini, Bonincontro Guestelloni, Ranerio Ranerii, Ranerio Turchi, Gullelmo Benachi, Jacopino Guastellone, Benutio Salimbene, Bonafatio Johannis, Griffolo Jacobi judicis, Jacoppo Johannis, Andree Christofori, Bando Ciampoli, Incontrato Lutteringi, Jacobo Tavene, Segerio Johannis, Frederico Renaldi, Meo Incontrati, Robbaconte Renaldini, Arigo Ranerii, Nicolao Turchi, Deo Incontrati, Stricce Ranaldi, Jacomino Segerii, Renaldo Turchi, Giliberto Frederici, Jacobo Viteleonis, Guastello Maffei, Divaloro Paganelli, Bonaventure Bonriccovari, Pescioni Riccovari, Tengo Incontrati, Arigolino Ciampoli, Hugoni Accerigi, Meo Tavene, Alexandro Salimbene, Orlando Scotti, Tese Paganelli, Hugoni Guidi Sarraceni, Ugerio Bonincontri, Ugolino Ugolini Gentilis, Caulino Paganelli, Andree Arigoli, Gullelmo Renaldi, Guide Parabuchi, Guidoni Lutterengi, Meo Renaldi, Tengo Paganelli, Bacche Ranerii, Palmerio Guidi, Mino Focalcherii, Mino Accherigi, Nicolao Accerigi, Tase Roberti, Ugolino Rusticini, Gregorio Jacobi, Cavatorte Scudaccolli, Bartholomeo Crescentii, Renaldo Mainetti, Galobie Ugolini, Viviano Bonamici, Rogerio Bonavogle, Vence Bonaguide, Rodulfo Orlandini, Thure Orlandini, Monteliscario Imigle, Provenzano Johannis, Fede Adote, Ugoni Ranerii Ricchi, Nicolao Bonifilli notarii, Gra-

1. On lit en marge du Registre : *Item supra, capitulo XXXVII, habetur de absolutione eorum.*

tiano Ildebrandini, Arigo Cenci, Transmundino Ciampoli, Ranutio Pipini, Turre Ferri, Venturelle Gidonis, Gattavaie Cambi, Scagloncino Iscaglione, Fotarigo Saberii, Ugolino[1] Galterii, Chiavellino Alberti, Jacobo Roberti, Ugolino Bonaguide, Boltroni Ildebrandini, Matheo Ranerii, Bartholomeo Grifuli, Turcio Chiermontosi, Salimbene Giovannis, Ranerio Salimbene, Teste Tebaldi, Neri Stephani Sarraceni, Orlandutio Ranerii, Giovanno Stricche domini Johannis, Bernardino Piciullo et aliis civitatis et diocesis Senensis qui nuper ad devotionem ecclesie redierunt, salutem et apostolicam benedictionem. Actori luminum et patri misericordiarum super eo gratiarum supplices exolvimus actiones, quod per multitudinem miserationum suarum illuminare voluit corda vestra et eis prudentie consilium inspirare, ut daretur vobis evitare malum et eligere bonum, sequi viam rectam et effugere deviam reprobi circuitus, vos ab umbra mortis et regione dissimilitudinis elongare et appropinquare lumini vite, recognoscere salutis patriam et vos consortio fidelium aggregare, exhibere vos omnibus Tuscie indevotis ad meritorum vestrorum cumulum in exemplum, ut ad devotionem apostolice sedis et Creatoris sui beneplacitum imitatione laudabili revertantur, et per hec tam hunc quam illam ea vehementius gaudii jocunditate replere, qua ille de unius peccatoris conversione plus gaudet quam super justorum multitudinem copiosam, et qua mater solet exultare carnalis, dum reperit filios quos putabat perditos et cernit vivere quos mortuos extimabat, ut etiam daretur vobis tam apud illum quam apud istam indevotis ipsis, si ad viam salutis converti voluerint, eis meritis veniam impetrare, quibus ob paucos justos tam hic quam illa de habundantia pietatis sue infinitis solent peccatoribus indulgere. Nuper siquidem didicimus quod vos reprobi sensus dampnata studia, quibus concives vestri ab ecclesia Romana, fidelium omnium pia matre, post sequelam perditi filii Manfredi, quondam principis Tarentini, manifesti jurium ipsius ecclesie pervasoris, exorbitant, tanquam publico vestre civitatis honori, animarum saluti et personarum commodo certo certius inimica sano decrevistis judicio declinare ac ipsi ecclesie in illo constanter adherere proposito, quo pro defensione libertatis ecclesiastice ac pacifico statu fidelium, pervasoribus illius et istius perversoribus indefessa sollicitudine se opponit, pro illorum quiete vitam non refugens (*sic*) inquietam, dies laboriosos et noctes insompnes. Nunc autem hujusmodi consulte deliberationis vestre propositum perducentes per operis evidentiam ad effectum, per nuntium specialem de parendo mandatis sedis ejusdem super hiis pro quibus ipsa in cives Senenses pro ipsorum indevotione ac favore prestito dicto Manfredo et ejus sequacibus, generales excommunicationis et interdicti sententias promulgavit, prestitistis in habundantia devote promptitudinis juramentum, humiliter supplicantes ut vobis universis et singulis absolutionis beneficium ab hujusmodi sententiis juxta formam ecclesie misericorditer impendere, ac vos ad unitatem ecclesiasticam, devotionem et gratiam sedis ejusdem admittere dignaremur.

Sane ecclesiastice maternitatis est proprium filios ad ejus gremium redeuntes, a quo fuerant suis exigentibus culpis excussi, interioribus paterne caritatis continere visceribus et pleniori materne dulcedinis ubere confovere. Hoc igitur instinctu inducti et vestris precibus inclinati, circa vos hujusmodi sententias juxta formam ecclesie relaxantes, de fratrum nostrorum consilio personas vestras cum omnibus bonis que impresentiarum rationabiliter possidetis, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et presentis scripti patrocinio communimus, ac vos expansis et letis amplexibus recipimus in filios speciales, et aperimus vobis tam paterne gratie quam materne mansuetudinis amplum sinum. Curabimus etiam contra ecclesie inimicos de civitate, diocesi ac districtu Senensibus et alios matrem in filiis persequentes, vobis sanis consiliis et congruis adesse favoribus per nos fideles ecclesie ac devotos (*sic*). In civitatibus insuper et locis fidelium et devotorum ipsorum vos mandabimus recipi et specialiter quamdiu negotio expedire viderimus, in burgo Radicofani, tuto habitaculo et valido contra ipsos inimicos propugnaculo, receptari, eisdem devotis et fidelibus injungentes ut, quamdiu in civitatibus et locis eisdem fueritis, vos tamquam speciales ecclesie filios non permittant ab inimicis ipsis offendi seu quomodolibet molestari. Quod si indevoti civitatis, diocesis et districtus Senensium eligentes in sua pertinacia manere ac perire potius quam parere, propter hoc devastaverint bona vestra, vel dampnificaverint vos in illis, aut personas vestras capere presumpserint vel etiam detinere, nos ad captionem personarum et occupationem bonorum suorum ubicumque fuerint, et ad detentionem tam personarum quam bonorum ipsorum necnon ad faciendum vobis de hujusmodi bonis plenam restaurationem pro dampnis propter hoc vobis illatis, impendi, ac pro vestris predictis personis competens exhibere concambium, prout eorumdem indevotorum pertinacia et rebellio meruerit, nos et ecclesie honorem decuerit ac devotionis vestre

1. Ces quatre derniers mots sont en partie ajoutés dans la marge et en partie récrits sur un grattage.

perseverantia exegerit, rationabiliter procedemus. Si vero potestas et commune predicti devia, per que periculose incedunt, prudentie consiliis relinquentes, ad devotionem redire curaverint ejusdem ecclesie matris sue, etiam illorum profectibus, sed vestris precipue, quantum cum dicte sedis honore poterimus, intendemus, eos quidem ac civitatem, diocesim ac districtum predictos sub nostra et ejusdem sedis curabimus protectione suscipere, ac inter ipsos et Lucanos nec non et Guelfos de Florentia honorifice pacis consilia cogitare, quantum utilitati communis ejusdem et ipsius sedis honori videbimus convenire. Inter hec autem ab utilitatibus vestris oculos mentis nullatenus avertemus, sed requiremus vos specialiter super istis et juxta officii nostri debitum ac prioris vestre devotionis exigentiam signanter ad procurandum vobis pacem et dampnorum predictorum restaurationem debitam insistemus. Universos quoque debitores vestros, clericos et laicos, ecclesie jurisdictioni subjectos, cujuscumque preminentie, dignitatis, conditionis vel ordinis aut religionis fuerint, per litteras sufficientes ad satisfaciendum vobis de omnibus debitis vestris cum justis et moderatis expensis ac debita restauratione dampnorum, sive illa propter indevotionem civitatis predicte detineri vel aliquibus concedi vel judicibus ne de illis vobis satisfieri faciant mandaverimus sive non, compelli per censuram ecclesiasticam faciemus, addituri vobis nichilominus ad honorem et comodum potiora, prout vestre ad nos et ecclesiam conversionis utilitas suadebit. Rogamus igitur universitatem vestram attentius et hortamur, per apostolica vobis scripta in remissionem peccaminum injungentes quatenus, attendentes quod si Dei estis in negotio quod agitur fideles adjutores et nostri, hoc accedet precipue bonis vestris, et quod non solum per participationem felici bonorum laborum fructu gaudebitis in communi cum omnibus, sed etiam per cooperationem consequemini cum paucis specialem gratie ac glorie portionem. Tamquam viri strenuitatis experte, sic agite, sic operemini, sic indefessa sollicitudine procurate quod per devotionem assumptam a vobis accrevisse videatur ecclesie ac ipsius hostibus decrevisse. Insistatis precipue, ut civitas predicta ad devotionem ejusdem ecclesie revertatur et evitet rerum pericula et discrimina personarum que potest et debet ex resistentie pertinacia formidare. Datum apud Urbemveterem, II nonas martii, anno secundo. »

275 Orvieto, 9 juillet 1263.

Quod Spoletani mittant syndicum ad audienda mandata domini. Item habetur supra capitulo LV. De sententia lata contra eos de restitutione terre Arnulphorum. Item de eodem infra capitulo CCXXXII. (Reg. 26, anni II, n° 138, fol. 95 [1].)

« .. *capitaneo, consilio, communi et populo Spoletano spiritum consilii sanioris.* Nuper postquam syndicus vester, habens a vobis ad hoc speciale mandatum, nostris juravit stare mandatis, que vobis injungeremus ratione offensarum a vobis hoc tempore contra nos et Romanam ecclesiam commissarum, nos dilectum filium magistrum Gregorium de Neapoli, subdiaconum et capellanum nostrum, ad vestram pro hujusmodi negotio transmisimus civitatem, qui inter alia commissa ei super hoc auctoritate vobis injunxit, ut syndicum cum sufficienti et pleno mandato ad audiendum hujusmodi mandata nostra eisque parendum ad nostram presentiam mitteretis. Vos autem nobilem virum Bertuldum de Babangano, potestatem, et quosdam alios concives vestros ad sedem apostolicam destinastis. Sed quia nullus ex parte vestra comparuit syndicus coram nobis, qui mandata nostra et audire et implere valeret, nos licet propter hujusmodi contumaciam vestram potuissemus contra vos de jure procedere, vobis tamen in hoc ad presens apostolica benignitate detulimus, et supersedentes expressioni hujusmodi mandatorum, eisdem potestatí et concivibus peremptorie ac expresse mandavimus viva voce, ut infra diem lune proximo venturum hujusmodi syndicum propter hoc ad presentiam nostram mittant, et nichilominus quantumcumque tale mandatum nostrum eisdem potestati et concivibus factum sufficere videatur, vos in hac parte fore providimus requirendos. Ideoque universitati vestre mandamus quatenus syndicum seu procuratorem ydoneum cum mandato plenario ad audiendum et recipiendum mandata nostra que vobis premissa ratione facienda duxerimus, et ad parendum eisdem totaliter, ad nos infra hujusmodi terminum, quem peremptorio (*sic*) vobis prefigimus, sublato cujuslibet difficultatis et occasionis obstaculo, transmittatis, scituri quod, sive miseritis sive non, nos ex tunc nichilominus in hujusmodi negotio, prout suadente justitia expedire viderimus, constanter, auctore Domino, procedemus. Ad hec volumus ac vobis auctoritate presentium firmiter inhibemus, ut nullam interim guerram nullamque molestiam vel offensam nobilibus viris de Arrone et de Castrolacus ac Interamnensibus necnon et hominibus monasterii de Ferentillo et Cassie ac Nursie aliisve nostris et ecclesie Romane fidelibus, qui de mandato nostro contra vos hoc tempore processerunt, inferre quomodolibet

1. Ce résumé est donné en marge du Registre.

presumatis. Datum apud Urbemveterem, VII idus julii, anno II. »

276 Orvieto, 11 juillet 1263.

Eos hortatur ut, Manfredi derelicto servitio, ad ecclesiae Romanae fidelitatem veniant. (Reg. 26, anni II, nº 139, fol. 95.)

« *Universis Theutonicis in Tuscia, Lombardia, Marchia Anconitana et in aliis diversis Italie partibus ad servitium Manfredi, quondam principis Tarentini, suorumque fautorum morantibus, spiritum consilii samioris.* Militantibus vobis in castris dampnationis et mortis sub duce perfidie ac principe tenebrarum Manfredo, videlicet quondam principe Tarentino, persecutore Romane ecclesie manifesto, neque attendendibus quod illius reprobata et iniqua sequendo vestigia, sub ejus precipiti et periculoso ducatu cum eo dampnabiliter properatis ad interitum salutis eterne, nos circa dolendum et flebilem statum vestrum paterna compassione commoti, cupientes vos apostolice exhortationis funiculo a finali casu retrahere, ne irreparabiliter corruatis, viam aperuimus ad vitam et iter ostendimus ad salutem, per quod de regione dissimilitudinis ad matris ecclesie gremium, relictis ejus persecutoribus, salubriter redeatis. Ecce itaque nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis, in quo, si vultis, diabolum ejusque ministrum deserere, ac Deo et ecclesie sue sine detrimento vestro servire potestis. Intendimus etenim pro recuperatione Anconitane Marchie aliorumque jurium dicte Romane ecclesie ducentos ex vobis armis et equis decenter munitos usque ad annum, et ducentos alios usque ad tres menses ad ipsius ecclesie obsequia, sub illis stipendiis que percipitis a predicto Manfredo ejusve fautoribus, persolvendis unicuique juxta conventionem que super hoc inter nos et vos interveniet, retinere. Quesumus igitur et discretionem vestram tenore presentium requirimus et rogamus per apostolica vobis scripta mandantes, ac in remissionem peccaminum nichilominus injungentes, quatenus de vestrarum animarum et corporum salute solliciti, ad paratos vobis materne susceptionis amplexus promptis animis redire curetis, ab ipsa ecclesia non solum hujusmodi pecuniaria, sed etiam spiritualia stipendia recepturi, ita quod tempus quod in servitio adversariorum ipsius ecclesie inutiliter consumpsistis, eidem serviendo ecclesie utiliter redimatis. Nos enim illos ex vobis qui propter hoc ad nos venerint, beneficio eis juxta formam ecclesie absolutionis impenso, a vinculo excommunicationis, quo dictis persecutoribus favendo tenentur astricti, ad nostram et apostolice sedis gratiam liberaliter admittemus, et sicut eos in nostris servitiis fideles inveniemus et promptos, sic eos favoribus apostolicis prosequemur. Ut autem liberius a prefatis persecutoribus recedere valeatis, vos universos et singulos a juramentis si quibus eisdem persecutoribus astricti tenemini, apostolica auctoritate absolvimus et decernimus absolutos. Datum apud Urbemveterem, V idus julii, anno II. »

277 Orvieto, 9 juillet 1263.

Archiepiscopo Tyrensi inhibet ne mandatum absolvendi fautores Frederici, Romani imperatoris, ad Senenses et Florentinos extendat. (Reg. 26, anni II, nº 140, fol. 95 vº.)

«.. *archiepiscopo Tyrensi.* Cum nos quasdam —. Datum apud Urbemveterem, II nonas julii, anno IIº. »

278 Orvieto, 27 mai 1263.

Concessiones Gratiano Bellimontis, civi Romani, super hominibus castri Guarcini, Alatrinae dioecesis, factas, revocat idemque castrum demanium Romanae ecclesiae esse declarat. (Reg. 26, anni II, nº 141, fol. 95 vº; Potthast 18542.)

« *Ad certitudinem presentium et memoriam futurorum.* Dudum intellecto quod —. Datum apud Urbemveterem, V kalendas junii, anno IIº. »

279 Orvieto, 15 juillet 1263.

Quod, nisi veniant ad mandata ecclesie infra certum tempus, extunc inhibebit dominus papa omnibus Christi fidelibus quod non participent cum eis in mercimoniis; sed exponet bona eorum libere occupanda. Item habetur infra de arrestatione predictorum bonorum capitulo CLXXXXVIII. (Reg. 26, anni II, nº 142, fol. 96 [1].)

« *Consulibus et universis hominibus artis lane de Florentia, spiritum consilii sanioris.* Recolimus vos nuper per nostras sub certa forma litteras requisiisse ut ad miserabilem civitatis vestre statum debitum habentes compassionis affectum, ac de salute vestra sollicite cogitantes, de regione dissimilitudinis, per quam post ducem perfidie et principem tenebrarum, Manfredum videlicet, quondam principem Tarentinum, persecutorem ecclesie

1. Ce résumé est donné en marge du Registre.

manifestum, periculose nimis inceditis, redire ad matris ecclesie gremium curaretis. Vos autem ad exhortationes apostolicas obturantes more aspidum aures vestras, nedum redire ad ipsius ecclesie gremium contempsistis, verum etiam quam plura gravia perpetrare in offensionem civitatis Lucane, sedis apostolice devotissime, contra inhibitionem nostram temere ac dampnabiliter attemptastis, nullatenus attendentes quod potens ipsius ecclesie brachium lento gradu ad vindictas procedere consuevit, quodque moram quam in puniendis excessibus adhibet, solet postmodum gravitate supplicii compensare. Cum igitur jam quasi liquido nobis constet quod a vobis panditur omne malum quod civitas Florentina immo verius ecclesia in partibus Tuscie patitur hiis diebus, quodque vos soli estis et nulli alii qui contra nos et eandem ecclesiam predictam detinetis hoc tempore civitatem, ad universitatem vestram presentium tenore deferimus, quod nisi infra festum Assumptionis b. Virginis proximo venturum, quod pro peremptorio vobis prefigimus termino, humiliter et precise curaveritis ad ipsius ecclesie mandata redire, ac reformationem ipsius procuraveritis civitatis, nos ex tunc tam Venetis, quam ceteris Christi fidelibus per Italiam constitutis, sub excomunicationis pena firmiter inhibere curabimus, ne vobiscum in aliquibus mercimoniis participare, seu vestros a vobis vel aliis pannos emere, vel lanam vobis vendere quoquomodo presumant, et nichilominus personas et omnia bona vestra exponemus libere fidelibus occupanda. Datum apud Urbemveterem, idus julii, anno II°. »

280 Orvieto, 7 juillet 1263.

Electo Argentinensi mandat ut canonicatum et praebendam, resignatione magistri Henrici scolastici prius recepta, personae idoneae conferat. (Reg. 26, anni II, n° 143, fol. 96 [1].)

«.. *electo Argentinensi.* Ex parte dilecti filii —. Datum apud Urbemveterem, nonis julii, anno II°. »

281 Orvieto, 27 juin 1263.

Ei mandat ut Gutterium Petri in canonicum ecclesiae Palentinae recipi faciat. (Reg. 26, anni II, n° 144, fol. 96 v°.)

«.. *abbati secularis ecclesie de Servato in ecclesia Burgensi.* Petitio dilecti filii Gutterii Petri, canonici ecclesie Palentine, nobis exhibita continebat quod nos venerabili fratri nostro .. episcopo Palentino, conferendi canonicatum uni persone ydonee, ac faciendi eam recipi in Palentina ecclesia in qua prebendarum collatio ad eundem episcopum et capitulum ejusdem ecclesie communiter pertinere asseritur, in canonicum et in fratrem, ac providendi sibi de prebenda cum ad id se facultas offerret, compescendi quoque contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, non obstante statuto de certo ipsius ecclesie canonicorum numero, confirmatione sedis apostolice vel quacumque alia firmitate vallato, aut si in predicta ecclesia scripta nostra forent directa pro aliis quibus per hoc noluimus prejudicium generari, seu si capitulo ipsius ecclesie a sede predicta esset indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicujus per litteras ejusdem sedis minime tenerentur, et ad id compelli non possent, sive quacumque indulgentia sedis ipsius, per quam effectus hujusmodi gratie impediri vel differri valeret, per nostras litteras licentiam duxerimus concedendam, idem episcopus cui de ydoneitate ipsius Gutterii constitit, canonicatum ecclesie supradicte ipsi G. auctoritate litterarum ipsarum canonice contulit, et ipsum de illo per suum annulum investivit, ac nichilominus si tunc in ipsa ecclesia nulla vacabat prebenda, prebendam in ipsa proximo vacaturam conferendam sibi donationi apostolice reservavit, prout in litteris ipsius episcopi inde confectis suoque sigillo munitis, plenius continetur. Cum autem nos prefati Gutterii supplicationibus inclinati, provisionem et reservationem predictas, sicut per eundem episcopum provide facte sunt, ratas habentes et firmas, easdem auctoritate apostolica duxerimus confirmandas, discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatenus eundem Gutterium aut procuratorem suum ejus nomine per te vel per alium in canonicum ecclesie predicte recipi facias et in fratrem, stallo sibi in choro et loco in capitulo assignatis eique de prebenda hujusmodi si vacat ibidem ad presens, vel quam primum ad id se facultas obtulerit, providere procures. Contradictores auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo. Non obstantibus —. Datum apud Urbemveterem, v kalendas julii, anno II°. »

282 Orvieto, 14 juillet 1263.

Episcopo Anagnino mandat ut illicitas inter clericos et laicos civitatis et diocesis Anagninae societates initas nullius existere firmitatis decernat et sub certis penis inhibeat; praeterea fautores Manfredi, quondam principis Tarentini, excommunicatos

1. Le Registre porte en marge : *Commissio admictendi resignationem simplicem canonicatus et prebende et eos conferendi ydonee persone hic qualificate.*

publice nuntiet. (Reg. 26, anni II, n° 115, fol. 96 v Potthast 18588.)

« .. *episcopo Anagnino.* Etsi generalem [1] pacem ac pacificum statum patrimonii beati Petri nos pervigil cura sollicitet, super civitate tamen Anagnina tanto diligentiorem debemus adhibere cautelam quanto ipsius fuit erga Romanam ecclesiam fides sincerior ab antiquo, et quanto majorem sentiret eadem ecclesia de tanti membri lesione jacturam. Accepimus sane quod nonnulli, tam clerici quam laici, nobiles, milites et pedites civitatis et diocesis Anagnine diversas inter se et alios conspirationes, colligationes, societates seu confederationes ausu temerario inierunt, ordinando etiam seu statuendo inter alia, quod illatas eis in se vel aliis injurias vindicabunt, et si eorum aliquem pro patrato homicidio seu dampno dato aut injuria ab eo aliis irrogata pecunialiter puniri contingat, ceteri in hujusmodi pena equa contribuant portione, et quod ipsorum aliquis cum aliquo de illis, qui partem adversam seu contrariam nominant, pacem non reformet ac familiaritatem non contrahat seu etiam parentelam, seque ad observationem conspirationum, colligationum ac ordinationis et statutorum hujusmodi, juramentis interpositis, penis adjectis et confectis exinde instrumentis publicis, temeritate propria obligarunt in proprie salutis dispendium, civitatis predicte subversionem ac nostrum et prefate ecclesie prejudicium et contemptum. Nos igitur attendentes quod, pretextu conspirationum, colligationum et aliorum predictorum, non solum pax in civitate predicta dissolvitur, sed tam in ipsa quam etiam in ceteris Campanie ac Maritime partibus non levis dissidii materia suscitatur, conspirationes, colligationes, societates, confederationes, conventicula et alia predicta, quocumque nomine censeantur, irrita et inania et nullius decernimus existere firmitatis, et ea nichilominus revocamus, cassamus, cassa et irrita nuntiamus, ac prefatos clericos, nobiles, milites et pedites a juramentis, penis et obligationibus, quibus se invicem taliter astrinxerunt, absolventes omnino, ea omnia nec non et instrumenta super hiis confecta decernimus et denuntiamus penitus non tenere, inhibendo nichilominus clericis sub privationis ab officiis et beneficiis, nobilibus vero sub mille, militibus quoque quingentarum et peditibus dicte civitatis ducentarum librarum provesinarum senatus camere Romane ecclesie solvendarum penis ne ipsorum aliquis hujusmodi conspirationes, colligationes, societates, confederationes seu conventicula et alia observare aut reformare vel similia facere, ac tabellionibus, sub officii eorum privatione, ne super illis conficere de cetero presumant aliqua instrumenta. Hujusmodi autem penas illos, qui contra hujusmodi nostram inhibitionem venire presumpserint, incurrere, ac ipsos in eas committere volumus ipso facto. Quocirca fraternitati tue, sub pena excommunicationis, quam eo ipso incurras si preceptum nostrum in hac parte neglexeris adimplere, per apostolica scripta mandamus quatenus, clero et populo civitatis predicte ad hoc specialiter convocatis, hujusmodi revocationem, cassationem, nuntiationem, absolutionem, constitutionem, denuntiationem, inhibitionem et voluntatem nostras exponens et publicans coram eis, mandes illas in civitate ac diocesi supradictis perpetuo observari et super hujusmodi expositione, publicatione ac mandato tuis per diversos tabelliones confici facias publica instrumenta. Quicquid autem super premissis feceris, nobis per tuas litteras presentium seriem continentes fideliter intimare procures. Ceterum, quia, sicut audivimus, nonnulli partium illarum nobiles et alii, non absque infidelitatis nota, relegato fidelitatis debito quo ecclesie Romane tenentur, sententiam excommunicationis in fautores et auxiliatores Manfredi, quondam principis Tarentini, per sedem apostolicam generaliter promulgatam, incurrere non verentes, pecunia et aliis muneribus diversis ab ipso Manfredo receptis, illa in subversionem contra te presumptuose distribuere non formidant, volumus et presentium tibi auctoritate, sub eadem excommunicationis pena, districte precipiendo mandamus ut omnes tales generaliter, et nominatim illos, si quos specialiter scire poteris in hac parte culpabiles, per omnia loca, in quibus expedire videris, excommunicatos publice nunties et ab aliis facias nuntiari, eorum nomina, quos, ut predicitur, culpabiles noveris, sub tuo sigillo nobis fideliter nichilominus transmissurus. Datum apud Urbemveterem, II idus julii, anno II°. »

In e. m. .. episcopo Ferentinati.
In e. m. .. episcopo Alatrino.
In e. m. .. episcopo Verulano.

1. Potthast, d'après Theiner, désigne cette bulle par les mots : *Etsi circa generalem. Circa* n'existe pas dans le Registre.

283 Orvieto, 11 juillet 1263.

Archiepiscopo Tyrensi, cui negotium Crucis in regno Franciae commisit et antea in his partibus providendi quinque clericis de totidem beneficiis praebendalibus vel aliis facultatem dedit, mandat ut potestatem sibi traditam, quia ecclesiae

hujus regni per sedem apostolicam his temporibus multipliciter gravatae fuerunt, ad duos clericos et totidem beneficia ecclesiarum non cathedralium dumtaxat restringat. (Reg. 26, anni II, n° 146, fol. 97.)

« .. *archiepiscopo Tyrensi.* Ut negotium Crucis, quod pro subsidio Terre Sancte in regno Francie tue circumspectioni commisimus, in tuis posset manibus efficacius prosperari, providendi quinque clericis tecum in hujusmodi negotio laborantibus, de quibus expedire videres, de totidem beneficiis prebendalibus vel aliis, etiam si curam habeant animarum, et faciendi singulos eorum in singulis ecclesiis illarum partium, in quibus eis duxeris providendum, per te vel alium seu alios in canonicos recipi et in fratres, tibi sub certa forma dedisse dicimur per nostras litteras facultatem. Sane ecclesie illarum partium adeo per sedem apostolicam hiis temporibus sunt gravate, quod ipsarum prelati et clerici coguntur ad nos pro illarum exoneratione multotiens suspirare. Hinc est quod nos ipsis ecclesiis, prelatis et clericis sic gravatis nolentes accumulare gravamen, ac ideo potestatem hujusmodi tibi traditam de providendo quinque clericis de totidem beneficiis, sicut superius est expressum, ad duos clericos et totidem beneficia ecclesiarum non cathedralium dumtaxat auctoritate apostolica restringentes, fraternitati tue tenore presentium districtius inhibemus, ne per litteras ipsas ultra quam duobus clericis et ultra quam de duobus beneficiis ecclesiarum ipsarum, cathedralibus exceptis, providere presumas. Nos enim, si secus feceris, irritum decernimus et inane. Datum apud Urbemveterem, v idus julii, anno II°. »

284 Orvieto, 14 juillet 1263.

Potestati, capitaneo, antianis, consilio et communi Pisanis, ad quos sincerae dilectionis affectum, dum erat in patriarchatus officio constitutus et in ultramarinis et in cismarinis partibus, constanter habuit, mandat ut excessus enormitatem ab eis commissi in captione cardinalium Romanae ecclesiae et aliorum praelatorum vehementer miretur, atque fratrem Mansuetum, ordinis Minorum, capellanum et poenitentiarium, et Sigerum de Saxeta marescalcum, suos, ad eos fiducialiter destinet. (Reg. 26, anni II, n° 147, fol. 97; Potthast 18586 [1].)

« .. *potestati, .. capitaneo, antianis, consilio et communi Pisanis spiritum consilii sanioris.* Postquam omnipotens Dominus —. Datum apud Urbemveterem, II idus julii, anno II°. »

1. Le registre porte en marge : *De tractatu pacis inter Pisanos et Lucanos. Item de eodem infra capitulo* CLXXXI. *Item capitulo* CLXXXII. *Item capitulo* CLXXXIII.

285 Orvieto, 15 juillet 1263.

Fratri Mansueto, ordinis Minorum, capellano et poenitentiario suo, mandat ut Ottoni Gualducii, civi Pisano et antea praecipuo in civitate Pisana Ecclesiae persecutori, qui nunc ordinem fratrum de Poenitentia ingredi proponit, beneficium absolutionis impendat. (Reg. 26, anni II, n° 148, fol. 97 v°; Potthast 18591 [1].)

« *Fratri Mansueto, ordinis Minorum, capellano et penitentiario nostro.* Ad audientiam nostram —. Datum apud Urbemveterem, idus julii, anno secundo. »

286 Orvieto, 15 juillet 1263.

Crasso, canonico Pisano, mandat quatenus potestati et consiliariis civitatis Pisanae firmiter inhibere procuret ne Ottonem Gualducii, postquam professionem in ordine fratrum de Poenitentia fecerit, ad aliquod ejusdem civitatis officium vel eum aliquibus saecularibus occupationibus involvere quoquomodo praesumant. (Reg. 26, anno II, n° 149, fol. 167 v°.)

« *Crasso, canonico Pisano.* Ad audientiam nostram —. Datum ut supra. »

287 Orvieto, 15 juillet 1263.

Potestati, consilio et communi Pensauriensibus mandat ut Ecclesiae adversariis viriliter resistant, quia magnificum in eorum succursum in proximo destinandum exercitum congregare non cessat. (Reg. 26, anni II, n° 150, fol. 97 v°; Potthast 18590, *note.*)

« .. *potestati, consilio et communi Pensauriensibus, fidelibus nostris.* Opera vestre devotionis —. Datum apud Urbemveterem, idus julii, anno II°. »

288 Orvieto, 14 juillet 1263.

Johanni, s. Nicolai in Carcere Tulliano diacono cardinali, mandat ut ordinis s. Damiani, a beato Francisco et Gregorio papa nono instituti, curam et regimen suscipiat. (Reg. 26, anni II, n° 151, fol. 98; Potthast 18585.)

« *Johanni, s. Nicolai in Carcere Tulliano diacono cardinali.* Licet ex injuncto —. Datum apud Urbemveterem, II idus julii, anno II°. »

1. Le registre porte en marge : « *De absolutione Ottonis Gualducii, civis Pisani. Item de eodem infra capitulo* CXLVIIII. »

289 Orvieto, 13 juillet 1263.

Abbatem et conventum monasterii Aquicinctensis a jurisdictione Atrebatensis episcopi, qui eos variis afflixit modis, pro certo tempore totaliter eximit. (Reg. 26, anni II, n° 152, fol. 98.)

« .. *abbati et conventui monasterii Aquicinctensis, ordinis s. Benedicti, Atrebatensis diocesis.* Immanis adversitas quam, prout referentibus vobis didicimus, venerabilis frater noster P., Atrebatensis episcopus, super vos, nostris admonitionibus vilipensis, sine intermissione multiplicat, de vestra liberatione cogitare nos cogit, et vobis contra ipsius vexationes ex consueta sedis apostolice providentia remedium adhibere. Ipse enim, sicut asseritis, contra vos, illa occasione rancore concepto quod tu, fili abbas, in monasterio de Filines, Cisterciensis ordinis, Atrebatensis diocesis, cum mitra et anulo et aliis pontificalibus ex concessione privilegiorum sedis apostolice celebrasti, vos hactenus variis afflixit modis et continue diversis studet motibus perturbare, in te, fili abbas, et monasterii tui monachos, occasione hujusmodi post appellationem ad nos legitime interjectam, excomunicationis sententiam per injuriam promulgando ipsamque sententiam, post illius relaxationem per dilectum filium magistrum Bartholomeum, archidiaconum Ambianensem, auditorem contradictarum litterarum nostrarum, de speciali mandato nostro factam, per diocesim predictam faciendo nichilominus publicari et etiam aggravari, postquam jam venerabilis frater noster.. Cameracensis episcopus, per eandem diocesim, auctoritate litterarum nostrarum relaxationem hujusmodi publicarat. Et licet ipsum Atrebatensem episcopum per nostras interim duxerimus litteras admonendum ut, a vestris molestiis super hiis omnino desistens, nullum impedimentum vobis inferre presumeret quominus uti libere possetis privilegiis supradictis, ita quod ad providendum vobis per exemptionis vel aliam gratiam de uberiori remedio minime cogeremur, tamen idem Atrebatensis episcopus, hujusmodi nostris monitis vilipensis, non solum, ut proponitis, a vestris abstinere molestiis non curavit, verum etiam cepit magis solito vos gravare, illos omnes per quos idem Cameracensis episcopus fecit relaxationem publicari predictam, et eos qui exequebantur mandata conservatoris privilegiorum ab eadem sede predicto vestro monasterio concessorum, capi et incarcerari mandando ac contra ipsos secularis brachii auxilium invocari et, hiis non contentus, omnibus debitoribus ejusdem monasterii, ne vobis de debitis in quibus vobis tenentur, ac censuariis et firmariis vestris, ne vobis de vestris responderent redditibus, nec non generaliter omnibus ne in molendinis molerent vel coquerent aliquid in furnis vestris artius inhibendo pro sue libito voluntatis, in omnes qui secus facerent excommunicationis sententia promulgata. Propter quod, vos a tot oppressionibus ad matris auxilium suspirantes, nobis humiliter supplicastis ut compati et providere vobis super hoc misericorditer dignaremur. Quia igitur tot et tanta gravamina vobis illata nos gravant et molestie in vos totiens iterate mentem nostram sauciant et molestant, ac ideo volentes competens vobis super hiis ex nostris studiis remedium provenire, vestris precibus inclinati, vos et monasterium vestrum a jurisdictione ipsius P., Atrebatensis episcopi, durante hujusmodi questione, cum, ea durante, vobis merito sit suspectus, totaliter eximimus, ita quod idem P., Atrebatensis episcopus, interim in vos censuram non possit ecclesiasticam exercere. Nulli ergo nostre exemptionis etc. —. Datum apud Urbemveterem, III idus julii, anno II°. »

290 Orvieto, 11 juillet 1263.

Declarat quod concessio nonnullis in episcopos electis facta, ut usque ad certum tempus vel Romani pontificis beneplacitum voluntatis possint retinere omnia beneficia ecclesiastica, quae promotionis tempore obtinebant, extendatur ad illa dumtaxat beneficia quae ab electis ipsis canonice obtinentur. (Reg. 26, anni II, n° 153, fol. 98 v°; Potthast 18583.)

« *Ad perpetuam rei memoriam.* Contingit interdum quod —. Datum apud Urbemveterem, v idus julii, anno II°. »

291 Orvieto, 24 juin 1263.

Archiepiscopo Corinthiensi mandat ut, a Peregrino dicto Bautiano, capellano apostolico, canonico ecclesiae Tholonensis, canonicatus et beneficii cum cura resignatione recepta, ipsa Guillelmo Simeonis de Castro Arcarum, clerico capellani predicti, Tholonensis diocesis, sub certis conditionibus conferat. (Reg. 26, anni II, n° 154, fol. 98 v°.)

« .. *archiepiscopo Corinthiensi.* Cum, sicut accepimus —. Datum apud Urbemveterem, VIII kalendas julii, anno II°. »

292 Orvieto, 26 mai 1263.

Paulo, episcopo Tripolitano, concedit ut B., principem An-

tiochenum, comitem Tripolitanum, praedicti episcopi nepotem, qui ad Tartaros se subjecisse dicitur et hac occasione ab episcopo Bethleemitano excommunicationis sententia fuit innodatus, ejusdem appellatione ad sedem apostolicam pendente, vitare nequaquam oporteat. (Reg. 26, anni II, n° 155, fol. 99.)

« *Paulo, episcopo Tripolitano.* In nostra proposuisti presentia constitutus, quod olim venerabilis frater noster .. episcopus Bethleemitanus, apostolice sedis legatus, tamquam zelator fidei orthodoxe, omnes et singulos christianos sue legationis, cujuscumque dignitatis, ordinis vel conditionis existerent, qui sine conscientia legati sedis ejusdem, prelatorum et magnatum regni Jerosolimitani ac comitatus Tripolitani vel majoris partis eorum, se subjicerent Tartaris vel eis tributum promitterent sive darent aut ipsos in terram suam receptare presumerent vel permitterent receptari, et omnes de quorum consilio ista fierent, publice, sollempniter et in scriptis excommunicationis sententia innodavit, omnibus predictis sub certis penis spiritualibus et temporalibus nichilominus inhibendo ne contra premissa aliquid attemptarent. Verum nobilis vir B., princeps Antiochenus, comes Tripolitanus, nepos tuus, a dicta sententia, per quam asserebat se gravari multipliciter, utpote cum inhibitioni predicte sine persone periculo ac terre sue totali destructione, ut dicebat, maxime cum Tartarorum pestis, que terram in vicino vastabat et cui se verisimiliter non sperabat posse resistere, inevitabiliter immineret, parere non posset priusquam ipse contra tenorem hujusmodi sententie vel inhibitionis aliquid attemptasset, ex certis causis apostolice sedis audientiam appellavit. Unde cum tu ad ecclesiam Tripolitanam, cujus es regimini deputatus, desideres personaliter te transferre et dubites an communicare valeas eidem principi qui postmodum accedens ad Tartaros dicitur se ipsis subjecisse ac eos receptasse, maxime cum ipse per nuntios et procuratores suos infra terminum appellantibus ad prosequendum appellationem suam a jure concessum, coram felicis recordationis Alexandro papa, predecessore nostro, appellationem hujusmodi prosequendo, causas sue appellationis pluries proposuerit et postmodum eas expresserit coram nobis, nec tamen adhuc per eumdem predecessorem seu per nos super appellatione predicta extiterit aliquid diffinitum, petiisti tibi super hoc, presertim cum ipsum principem absque periculo ecclesie tue vitare non possis, prefate sedis consilio provideri. Licet itaque nos nequaquam consideratio illa pretereat quod idem princeps deberet potius rerum temporalium sustinere jacturam, etiam si nullam dictus legatus hac occasione excommunicationis sententiam protulisset, quam in tantam Dei et fidei christiane offensam sic miserabiliter labi et prebere aliis perniciose labendi materiam per exemplum, tecum tamen misericorditer agere ac tuis et ecclesie prefate dispendiis precavere tueque conscientie providere volentes, ut dictum principem tamquam excommunicatum hac occasione te vitare, hujusmodi appellatione pendente, nequaquam oporteat, nisi forsan in hiis que ut actor idem princeps in judiciis attemptaverit vel alias aut tibi fuerit per sedem apostolicam specialiter interdictum, aut declaratum, eundem principem dicti legati sententiam incurrisse, fraternitati tue auctoritate presentium indulgemus. Nulli ergo nostre concessionis etc. —. Datum apud Urbemveterem, VIII kalendas junii, anno II°. »

293 Orvieto, 20 juillet 1263.

Manfredo, electo Veronensi, Marchiae Anconitanae ac ducatus Spoletani rectori, mandat quatenus potestatem et commune Callenses compellat ut Raynaldum Sycardi militem et alios sibi adhaerentes civitatis et dioecesis Callensis, quos pro ecclesiae devotione exulare coegerint, ad earumdem civitatis et dioecesis participium sine qualibet dilatione resumant et permittant gaudere libere bonis suis, eis de dampnis illatis satisfactionem plenam impendendo. (Reg. 26, anni II, n° 156, fol. 99; Potthast 18592.)

« *Manfredo, electo Veronensi, Marchie Anconitane ac ducatus Spoletani rectori.* Cum dilectorum filiorum —. Datum apud Urbemveterem, XIII kalendas augusti, anno II°. »

294 Orvieto, 23 juillet 1263.

Potestati et communi Callensibus mandat quatenus Manfredo praedicto (v. n° 293) prompte ac humiliter intendant. (Reg. 26, anni II, n° 157, fol. 99; Potthast 18593.)

« *Nobili viro, .. potestati et communi Callensibus.* Ut ad devotionem —. Datum apud Urbemveterem, X kalendas augusti, anno II°. »

295 Orvieto, 18 juillet 1263.

Quod redeat ad unitatem et mandatum ecclesie Paleologus, et destinantur ad eum apocrisarii super hoc petiti ab eo. Item de eodem habetur infra, capitulo CLXXXV. Item capitulo CLXXXVI.

Item capitulo CLXXXVII. Item capitulo CLXXXVIII. Item capitulo CLXXXVIIII. (REG. 26, anni II, n° 158, fol. 99 v°; POTTHAST 18605 [1].)

« *Michaeli Paleologo, illustri imperatori Grecorum, viam agnoscere veritatis.* Imperialis excellentie nuntios, videlicet Maximum dictum Alufardum, monachum, Andronicum dictum Muzalonem et Michaelem dictum Abalantem, necnon et litteras quas nobis ex parte tui culminis iidem nuntii presentarunt, cum ingenti gaudio et exultatione ac honorificentia condigna recepimus; et tam ea que coram nobis et fratribus nostris dicti proposuere nuntii, quam earumdem litterarum seriem, quas de greco transferri fecimus in latinum, plene advertimus et intelleximus diligenter. Sane in ipsis litteris, in primo utique salutationis alloquio, nos papam veteris Rome, throni apostolici successorem et spiritualem tui patrem Imperii recognoscens, quedam deinde de caritate utilia subjuncxisti dicens quod Imperium tuum, caritatem libenter amplectens ac habens zelum Dei et zelans pacis et concordie bonum, se ad mittendum ad nos et apostolicam sedem predictos nuntios et litteras preparavit. Scripsisti etiam inter alia, quod nos, qui patres sumus, ad te, quem asseris nostrum devotissimum filium, paterni affectus viscera nullatenus aperimus, quantumcumque tu filius nos diligas sicut patrem. Nam licet, statim capta Constantinopolitana urbe, alias nobis epistolares litteras miseris eandem intentionem idemque propositum continentes, nichilominus tamen propter ardens tuum in hoc desiderium, predictos nuntios cum hujusmodi litteris mittere decrevisti, postulans ut circa priorem unitatem in Dei ecclesia renovandam pater filio conjungatur, quoniam, si hoc Dominus ex alto permiserit, nullus pro certo presumet contra ipsam ecclesiam superbire, quia nec rex nec princeps aliquis apostolice audebit resistere jussioni. Adjecisti quoque quod tuum Imperium multo fuit dolore turbatum, intellecto quod nos contra Januenses, pro eo quod se tibi vinculo confederationis astrinxerant, excommunicationis duxeramus sententiam promulgandam, apud ipsos ut ab hujusmodi confederatione discedant preceptis et monitis apostolicis insistendo. Propter quod miratus es valde quod nos, qui magni et primi sacerdotis locum tenere dinoscimur, hec jubemus guerram paci et bellum amicitie preponendo, cum tamen et Januenses et Greci christiani existant nec sit incongruum cum christianis dilectionem et unionem colere christianos. Descripsisti insuper multa mala que contigerunt populo christiano a tempore quo Latine gentes Grecorum terram, ut tuis verbis utamur, velut sortem propriam acceperunt, imponens Latinis eisdem templorum conculcationes et exterminia divinorum et quamplura alia que in sacris illarum partium edibus per eos asseris attemptata; que quidem, quoniam facta sunt et preterierunt, et quod factum est pro infecto haberi non potest, in eisdem litteris videbaris appetere ut hinc inde inimicitie dissolverentur, abicerentur scandala, et omne removeretur obstaculum, ad quod pedes suos possent offendere christiani; presertim cum tu, sicut asseris, id toto desideres mentis affectu, et si nos ad hoc ex corde velimus intendere, nichil est quod tantum bonum valeat prohibere.

Sed cum nos, qui patres sumus, te in hoc debuerimus implendo patris officium prevenisse, tu nos in hac parte preveniens pacem et concordiam obtulisti, propter quod ad consu[m]mationem tractatus hujusmodi reputabas nos amplius obligatos, expresse protestans Imperium tuum id quod in eo est, jam laudabiliter explevisse ac posse dicere coram Deo et angelis ejus qualiter cucurristi ad patrem tamquam filius patris amator, debitam nobis habitudinem et convenientem honorem ac dispositionem sponte ac liberaliter offerendo. Unde, si filium occurrentem pater repelleret. Imperium tuum se de hoc coram Deo et ejus angelis excusaret. Dixisti preterea quod de dogmatibus fidei et consuetudinibus seu ritibus ecclesiasticis nullum tunc sermonem in eisdem litteris faciebas. Nam si aliqua in hiis esset discordia, pace premissa prehabitaque inter Latinos et Grecos concordia, hec solverentur facilius et celerius sopirentur. Demum autem tua sublimitas tam per easdem litteras quam etiam per memoratos nuntios cum multa petivit instantia ut apocrisarios seu legatos nostros, homines videlicet pacis et pacificos Christi discipulos, non gaudentes in vanitate verborum neque bono pacis mundanam sapientiam preponentes ad tuam presentiam mitteremus, cum per ipsos tuum expectet Imperium recipere a nobis et predicta sede responsum.

Nos igitur, hujusmodi litteris debita cum predictis fratribus nostris attentione discussis, Deo patri omnipotenti, a quo bona cuncta procedunt et in cujus manu regum corda consistunt et qui etiam quocumque vult illa sine obice difficultatis inclinat, multimodas gratiarum retulimus actiones, totaque Romana mater ecclesia in superne laudis jubilum assurrexit, pro eo quod Spiritus sancti gratia videbatur mentales tanti principis oculos sui fulgoris radiis illustrasse ac ostendisse sibi viam catholice veritatis, per quam ad matrem filia, pars ad totum et membrum reducatur ad caput. Hoc

1. Ce résumé se trouve en marge du Registre.

etenim eadem Romana semper affectavit ecclesia et ad hoc indesinenter sue studium considerationis inflexit ut Grecorum ecclesia sue reficeretur lacte dulcedinis sueque affluentis educaretur uberibus caritatis, ita quod ovile dominicum sub unius pastoris regimine alimenta doctrine salutaris acciperet et nomen Domini sub uno vere fidei dogmate utilius et salubrius invocaret. Volentes itaque, quinimmo toto mentis cupientes affectu tam utili tamque fructuoso tractatui diligenter et ferventer insistere ac nostros propter hoc ad te apocrisarios juxta imperialis petitionis desiderium destinare, memoratis tue celsitudinis nuntiis paterna benignitate respondimus quod circa mittendas ad te personas ydoneas, in quarum ore verba responsionis apostolice ponerentur, libenter tue satisfaceremus beneplacito voluntatis. Licet ergo, eisdem tuis recedentibus nuntiis, vellemus nostre super hoc intentionis affectum producere, favente Domino, celeriter ad effectum, longa tamen loci distantia in quo dilecti filii Symon de Alvernia, Petrus de Moras, Petrus de Crista et Bonifatius de Yporia, fratres ordinis Minorum, latores presentium, apocrisarii nostri, tunc temporis morabantur, nostris super hoc votis ultra spem nostram obstaculum dilationis ingessit. Infesti quoque rumores, que ad audientiam nostram medio tempore pervenerunt, de persecutionibus, vexationibus, molestiis et pressuris que nobili viro Guillelmo de Villarduino, principi Achaye, devotissimo utique dicte matris ecclesie filio, ejusque terris et insulis ac Latinis morantibus in eisdem, per tui vires Imperii jugiter inferuntur, celerem expeditionem legationis hujusmodi retardarunt, cum per hujusmodi tuorum operum novitatem resiliisse a concepto proposito nec in eadem voluntate persistere crederereris. Verumtamen, quia tanti boni prosecutio non potuit apud nos nec debuit per aliquod quantumcumque verisimile retractivum finaliter impediri, cum ceteris mentis nostre desiderabilibus id specialiter preferamus ut Christiana plebs sub orthodoxe professione fidei atque cultu proficiat et in idem individuum collegium unius pastoris solidetur magisterio et custodia muniatur ; ecce predictos fratres, viros utique religione conspicuos et in lege Domini eruditos, pacificos et ramum olive in ore gestantes, veritatis evangelice professores, amatores et cultores humilitatis, qui Christum sequendo pauperem, seculo cum suis divitiis et deliciis derelicto, ad solam celestem patriam tota mentis intentione suspirant, ad tuam magnitudinem tamquam pacis angelos de fratrum nostrorum consilio destinamus, sperantes in illo qui, arcem possidens unitatis, universitati rerum, quas condidit, sue vestigium unitatis impressit, per quam ad suum principium recurrentes, in eo recipiunt perfectionis finem a quo subsistendi sumpsere primordium, quod aures imperialis mansuetudinis ad eorumdem fratrum salutaria monita efficaciter inclinabit tibique tribuet ex alto virtutem cogitandi vias Domini tuosque pedes in ejus testimonia convertendi, preduce caritate que, sicut litterarum tuarum habet assertio, tuum excitavit et induxit Imperium ad pacem a nobis et concordiam requirendam et super qua etiam, veluti super solidum fundamentum, litterarum ipsarum structuram quasi totaliter erexisti. Et ideo nos qui vices illius, licet immeriti, tenemus in terris, qui caritatem docuit, caritatem dilexit, caritatem ostendit et caritatem misit in mundum, verba caritatis a te proposita in ipso primo earumdem exordio litterarum caritative recepimus et libenter audivimus, Deo qui caritas est, labiorum nostrorum propter hoc vitulos immolantes ac devote supplicantes eidem ut te per suam clementiam ad illius vere caritatis perducat effectum, per quam in Deo maneas et Deus in te dignetur tamquam in suo habitaculo permanere. Ex zelo namque sincerissime caritatis procul dubio procedere noveris quod ad te et ad cunctos populos, quos tuum regit et gubernat imperium, ut ad unitatem redeatis catholicam, totis clamamus affectibus et vos ut ad sinum matris ecclesie convertamini promptis desideriis invitamus, quoniam hujusmodi unio sive connexio salutaris, si placeret Altissimo quod nostris et tuis temporibus fieret, cordi nostro inextimabilis gaudii rorem infunderet et ancxie propter hoc nostre mentis ardorem affluentis letitie refrigeraret irriguo, nostrumque animum panem salutis et fructum animarum desiderabiliter appetentem pabulo reficeret caritatis. Tunc enim nobis et ipsi ecclesie proveniret magnum et desiderabile salutare, cum videremus varias gentium nationes sub ejusdem observantia fidei in unum acceptabilem Christo populum congregatas. Tunc per universam ecclesiam inundantis jubilationis erumperet plenitudo, cum ejus uterus sobole geminata concrescere cerneretur. Tunc etiam exultatione nimia ylaresceret totus orbis, quia valde bonum et jocundum existeret fratres simul in domo Domini habitare. Hec, inquam, domus est ecclesia Christi firmiter edificata et bene fundata supra firmam petram fidei orthodoxe, quam ipse Christus suo fundavit sanguine pretioso et in qua multitudini credentium est cor unum et anima una, unus Dominus, una fides et unum baptisma, et in qua etiam tota fidelium multitudo uni corpori comparatur, dicente apostolo : « Multi unum corpus sumus in Christo, cujus quidem corporis unitas a spiritus unitate procedit, qui

etsi sit unus, pro suo tamen arbitrio membris ipsius ecclesie diversitatem influit gratiarum; propter quod idem apostolus, enumeratis Spiritus sancti donis, ait : « Hec autem operatur unus atque idem spiritus, dividens singulis prout vult »; et post pauca subjungit : « In uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus. » Hec quippe ecclesiastici corporis unitas per inconsutilem Christi tunicam que, divisis aliis vestibus, uni tantum cessit in sortem, non immerito figuratur. Hanc unitatem piscina probatica designavit, in qua unus tantummodo sanabatur, extra ipsam languentium multitudine remanente, quoniam in hujusmodi unitatis circuitu impii ambulant et in eam intrare renuunt ut sanentur. Hanc etiam unitatem commendat sponsus in Canticis dicens : « Una est columba mea, perfecta mea », quamquam plures reginas, concubinas et adolescentulas esse describat. Ut igitur hujusmodi unitatis gratia firma et illibata penitus servaretur, unum eidem unitati Dominus, videlicet beatum Petrum, apostolorum principem, caput instituit et magistrum, ut illam quasi Noe arcam, extra quam animantia derelicta in aquis diluvii submerguntur, in ipso apostolorum principe velut in uno cubito consumaret, eique magisterium ecclesie sue conferens et primatum, oves et agnos suos illi pascendos premissa trina dilectionis interrogatione commisit, tradens ei claves regni celorum cum libero ligandi atque solvendi pontificio et plenaria potestate; et ne ipsius principis fides deficeret, adeo pro ipso efficaciter exoravit quod, cum postmodum aliarum ecclesiarum nonnulle fuerint hereticorum errore fedate, Romana ecclesia, cujus idem beatus Petrus magister extitit, immaculata remansit nullamque prorsus labem contraxit heretice pravitatis. Unde reliqui apostoli et discipuli hujusmodi institutionem Dominicam, etiam post Christi ascensionem, inviolabiliter observantes, recognoverunt eundem beatum Petrum fore Christi vicarium et super eos primatus officium in omnibus obtinere. Ad verbum namque ipsius beati Petri surgentis in medio fratrum unanimiter per apostolos ad electionem Mathie proceditur. Surrexit enim in medio, tamquam ardens igne sancti Spiritus, loco magistri qui ei commiserat gregem suum et tamquam honorabilissimus cui omnes pariter intendebant. Ejus quoque sermonibus illi, qui blasphemabant apostolos, immo sanctum Spiritum, convincuntur. Multa insuper fidelium milia ipsius predicatione convertuntur ad fidem, in qua quidem predicatione se ferventer et ardenter velut Christi vicarius exercebat. Neque huic institutioni Dominice sancti patres postmodum restiterunt; sed ipsius principis successorem, tanquam illum qui Christi vices in terris obtinet, venerantes et ad ejus judicium in fidei recurrentes dubiis, ejus auctoritate hereses condempnarunt, manentes sicut membra in eorum capite, apostolico scilicet throno pontificum Romanorum, a quo querendum est quid sit tenendum quidve credendum, cum ejus sit reprehendere, statuere, ordinare, disponere, precipere, solvere et loco illius ligare, qui edificavit illum et qui nulli alii, sed ipsi soli, quod suum est plenum tradidit et concessit. Huic etiam throno omnes catholici jure divino caput inclinant et primates mundi, veram confitentes fidem, tamquam ipsi Domino Jesu obediunt et intendunt, ac in illum tamquam in solem respiciunt et ab eo lumen veritatis et fidei ad salutem recipiunt animarum, prout nonnullorum sanctorum patrum, tam Grecorum quam aliorum, scripture veridice firmiter asseverant. Porro cum precellens ecclesie predicte auctoritas et potestas et evangelico roboretur privilegio et quamplurium sanctorum doctorum testimonio fulciatur, nequaquam expediens fore decrevimus plura horum super hoc scripta producere, quia supervacuum prorsus existeret solem adjuvare facibus et id quod est in celo et in terra notorium scripturarum suffragiis comprobare. Sed utinam imperiale judicium rationis nos, throni apostolici successorem et spiritualem tui patrem Imperii, sicut verbo in tuis litteris, sic et opere recognosceret ac nobis debita jura redderet reverentie filialis! Utinam illam caritatem, cujus te asseris sectatorem, circa nos et thronum ipsum efficaciter demonstrares, ad gregem redeundo Dominicum ac recipiendo te ipsum in tuto matris ecclesie gremio, ubi consolationis materne dulcedinem cum ceteris orthodoxis mundi principibus degustares et ubi etiam in tuis cunctis oportunitatibus indesinenter tibi adesse sentires prompta sui presidii favorabilis adjumenta! Nam si hoc tibi Spiritus, qui ubi vult spirat, celitus inspiraret, non solum ostenderemus et aperiremus tibi paterni affectus viscera, verum etiam te intra illa tamquam precordialem et carissimum filium locaremus, tibique in tui sustentatione et exaltatione solii monstraremus quantum thronis regalibus apostolice sedis gratiam et communionem habentibus sit necessaria, fructuosa et utilis potestatis apostolice plenitudo. Neque volumus diffiteri, quinimmo constanter asserimus quod maxima eidem ecclesie ac tibi etiam ex tui conversione Imperii utilitas multorumque incrementa profectuum spiritualiter et temporaliter provenirent, quia et ejusdem corpus ecclesie ex tam nobilis membri reintegratione appareret et existeret in omni parte sui elegantissime venustatum et membrum ipsum non languesceret neque tabesceret extra corpus, sed

validum ex illo suscipiens nutrimentum, favoris et honoris vigorem resumeret et humorem, illamque curam teneram vigilemque sollicitudinem de tuo Imperio eadem haberet ecclesia, quam habet de ceteris orbis terre regnis atque provinciis sub salubri ejus obedientia constitutis; quorum principatus et potestates adeo fovet, protegit et gubernat quod, si nonnumquam inter hujusmodi regna sive provincias dissensionum scandala seu tumultuantium bellorum discrimina forsitan oriuntur, statim eadem ecclesia in medias filiorum furentium partes prosiliens et strictos jam vel stringendos gladios de manibus altercantium confidenter eripiens, per auctoritatem fit inter ipsos imperiosa placide pacis auctrix. Reges quoque catholici, cum inter ipsos aliquid dissensionis emergit vel cum vassalli eorum presumunt contra eos calcaneum rebellionis erigere, mox habent ad portum ecclesie predicte recursum, ejusque salubre consilium et auxilium implorantes, tranquillitatis et pacis remedia infallibiliter ab ipsa recipiunt, per que et inter discordes et turbatos eorum animos serena concordia et concors serenitas reformatur, sedantur seditiones a subditis concitate et litigantium clamores queruli conticescunt. Preterea circa heredes parvulos regnorum hujusmodi, si quos, parentibus eorum regibus deficientibus, in pupillari etate remanere contingit, eadem Romana ecclesia pie matris assumit officium ac diligenter et utiliter ipsorum gerit regimen et tutelam; eorum hereditates et regna, cum necessitas imminet, etiam suis propriis sumptibus a quibuslibet invasoribus et occupatoribus defendendo. Hec autem et alia quamplura refugia invenerunt semper et inveniunt apud eandem ecclesiam fidelia et obedientia sibi regna et reges ac principes orthodoxi. Unde si tu, quod ferventer appetimus, inspiratus a Domino, ad ejus obedientiam recta mentis intentione redires, tanto promptiora favoris et presidii juvamina tuum in illa inveniret Imperium in tua tuorumque heredum defensione ac exaltatione perpetua, quanto ferventioribus desideriis eadem ecclesia festa paschalia tue jocunde conversionis expectat quantoque attentioribus studiis te ad ejus unitatem conversum in sue caritatis amore ac gratia retineret. Quesumus ergo, quinimmo tuam excellentiam obsecramus per aspersionem sanguinis Jesu Christi, ut illud laudabile ac salubre propositum, quod tue littere te super hoc jam concepisse testantur, in partum, sublata qualibet difficultate ac dilatione, producas, redeundo celeriter ad amplum et spatiosum ejusdem ecclesie gremium, ubi indubitanter invenies tibi et semini tuo perpetua solide firmitatis sedilia preparata et ubi etiam non solum tu, sed et tua posteritas futuris temporibus recumbere poterit confidenter; quia, si te in consilia meliora retuleris et ad eandem ecclesiam in spiritus humilitate redieris, non solum auxilium Januensium, quorum amicitiam nos tibi subtrahere velle conquereris, et aliorum fidelium Latinorum potentiam, verum etiam, si oportunum fuerit, vires omnium orthodoxorum regum et principum orbis terre in tuum tuique solii fulcimentum conflare ac procurare studebimus inter te et ipsos indissolubilis federa dilectionis et pacis, ad laudem et gloriam divini nominis et christiane religionis augmentum. Sed quamdiu ipsi Romane ecclesie inobediens et throno apostolico indevotus extiteris, salva conscientia sustinere non possumus quod dicti Januenses vel alii quicumque Latini tibi auxilium prebeant vel favorem, cum sit prorsus incongruum ut obedientie filii cum filiis inobedientie per alicujus confederationis commercium misceantur, presertim cum posset per tale commercium status inobedientium fortius ad inobedientiam roborari. Posset etiam de facili puritas filiorum obedientium ex socia conversatione et familiaritate, quam cum inobedientibus contrahunt, in sinceris eorum moribus maculari. Si ergo contra eosdem Januenses hac de causa processimus, imperialis circumspectio non miretur, cum officii nostri debitum impleverimus in hac parte; nec per hoc aliquis rationis judicium et non voluntatis sequens libitum juste contra nos potest arguere quod guerram paci et bellum amicitie preponamus, cum talis confederatio seu amicitia in guerram, bellum et scandalum predicte Romane ecclesie suorumque fidelium filiorum, quos ante oculos suos in ejus gremio cum eorumdem favore Januensium opprimis, cedere totaliter dinoscatur. Et cum simus illius vicarii veritatis, qui ait : « Ego sum via, veritas et vita », propter quod veritatem diligere, veritatem ostendere, veritatem sequi, veritatem omnibus dicere ac veritatem etiam supra tecta predicare tenemur, tacere in hoc nec debemus nec volumus veritatem, quod omnes illi qui throno apostolico non obediunt, quantumcumque christianos se nominent, Dominicis obviant institutis, et ideo peccant mortaliter et graviter oculos divine majestatis offendunt. Nam quanta sit inobedientie culpa, verbo Samuelis ostenditur asserentis quod quasi peccatum ariolandi est repugnare, et quasi scelus ydolatrie acquiescere nolle. Monstratur etiam et exemplo Dathan et Abyron qui propter inobedientie malum ab Altissimo pena gravissima sunt puniti, terra eos cum suis omnibus absorbente. Hec autem dicimus tibi more periti medici nolentis palpare vulnera, inobedientie telo transfixa; et ideo verba nostra patienter

audias et sapienter advertas ut tibi, auctore Deo, proficiant ad salutem. Meliora sunt enim, Salomone teste, diligentis vulnera quam fraudulenta oscula odientis. Ad nostrum nempe spectat officium, ubi necessaria est increpatio non tacere, sicut conticent canes muti non valentes latrare, sed secundum apostolum arguere, obsecrare et increpare in omni patientia et doctrina. Verum quanta mala populo christiano contigerint a tempore dissentionis et divisionis hujusmodi nullatenus ignoramus; quinimmo, dum hec ante oculos mentis nostre reducimus, producimus ab imis amara [1] suspiria nec possumus lacrimas continere, dolentes super illis qui primo a predicte Romane ecclesie obedientia recedentes, inter Latinos et Grecos tanti materiam scandali reliquerunt. Nam si Latini Grecos diversis temporibus impugnarunt, hoc procul dubio non fecerunt causa tantummodo acquirendi eorum terras et divitias temporales, sed ut per vexationem Grecis intellectus, qui noluerunt intelligere, ut bene agerent prestaretur; propter quod, si templa divina et edes sacre per aliquos latrunculos seu per aliquos predatores destructionis exterminium, sicut in terris, guerrarum fluctibus estuantibus, consuevit contingere, forsitan incurrerunt, nullus sane mentis potest vel debet id Latinis omnibus imputare, sed hujusmodi latrunculis et predatoribus, immo potius illis qui, prout dictum est, inter utramque gentem dissidii zizaniam seminarunt. Quia vero pacem videris appetere ac petere ut hinc inde solvantur inimicitie, abiciantur scandala et omne removeatur obstaculum ad quod christiani possint offendere pedes suos, nos tuum in hoc salubre ac laudabile desiderium dignis laudum preconiis attollentes, ad imperialem notitiam presentium tenore deferimus quod, cum illius regis pacifici vices geramus in terris qui, unicum sacrificium, per mortem patri se obtulit ut, secundum Johannem, filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum, et qui, secundum apostolum, est pax nostra, faciens utraque unum, et qui etiam ad passionem accedens, de pace condidit testamentum, veram pacem et concordiam querimus et ad talem pacem inter utrumque populum, auctore Domino, reformandam vigilanter et efficaciter intendere volumus, per quam utique pacem copula recte caritatis et fidei cordibus inseratur, et que unitatis vinculum operetur, procul depellat odia, rancores abigat, fuget invidiam excutiatque livorem, pacet mentes, corda conciliet et societ voluntates. Unde si talem pacem tua nobis offert serenitas, nos illam et libenter admittimus et desideranter amplectimur, firmo intendentes proposito et intentione stabili proponentes, secundum Psalmistam, inquirere ac sequi eam ac pro ipsa, si opus fuerit, superimpendere nosmetipsos. Sed quia non esset pax vera nec stabilis, que super firmo non consurgeret unitatis et fidei fundamento, non debuit dogmata fidei et ritus ecclesiasticos tua postponere magnitudo, cum non sit dubium omnem pacem omnemque concordiam tamquam adjectivum ex hujusmodi debere subsequi substantivo. Nam cum hec principaliter insidant menti nostre, cum etiam circa hec specialiter nostre diligentie studium et apostolice sedis versetur intentio, inconveniens satis fuit illa postponere, que preponi potius debuissent. Nos autem, quia utrumque volumus, utrumque querimus et utrumque votis ancxiis (*sic*) affectamus, predictos nostros apocrisarios pro utroque negotio, ut scilicet et de dogmatibus fidei ritibusque ecclesiasticis et de pace ac concordia cum tuo tractent Imperio, ad te duximus destinandos. Unde si pacem et concordiam desideras, ut scripsisti, in prosecutione ac consum[m]atione tractatus hujusmodi tractabilem te exhibeas et benignum. Nec reputari possumus ab aliquibus negligentes quod te non prevenimus, sed a te fuimus in pacis oblatione preventi. Noviter enim tunc fuerat cervicibus nostris impositum jugum apostolice servitutis et, in illo nostre novitatis initio, tot et tantis fuimus sollicitudinibus et curis obsessi, quod ad sustinendos inundantium undique super nos negotiorum impetus reputabamus nos quasi penitus impotentes. Sed quantumcumque essemus negotiorum varietatibus occupati, semper tamen cogitabamus, inter alia maxima que nostris humeris incumbebant, qualiter tuum attrahere possemus imperium ad ecclesiasticam unitatem, intendentes firmiter in hoc predecessorum nostrorum Romanorum pontificum inherere vestigiis, qui sub diversitate temporum indeficientibus studiis, licet (quod dolentes referimus) eorum labores inutiles sterilesque abierint, laborarunt, ac spem nostram ponentes in eo qui est in se sperantium fortitudo, quod ecclesie Dei tantum bonum tuis temporibus proveniret. Ideoque imperialem mansuetudinem de fratrum nostrorum consilio monemus, rogamus et hortamur attente ac per aspersionem predicti sanguinis obsecramus quatenus, habens cor sursum ad Dominum ac de tua tuique conversione populi cogitans et salute, predictos nostros apocrisarios ob reverentiam memorate sedis et nostram benigne recipias et honorificentia condigna pertractes, ac tractes efficaciter super premissis, per te vel per alios quos ad hoc deputaveris, cum eisdem, sicque attente prebeas ipsorum salutaribus monitis aures tuas, ut spes, quam de tua laudabili intentione concepimus, fructus nobis et toti generali

1. Ces quatre derniers mots sont récrits sur un grattage.

ecclesie afferat concupitos. Si autem ex tractatu hujusmodi visum tibi fuerit et eisdem apocrisariis, quod tam pium tamque salubre negotium progressum laudabilem et egressum debeat habere felicem, ordinari poterit per te ipsosque apocrisarios ut sollempnes nuntii pro ejusdem consum[m]atione negotii, cum auctoritate ac potestate plenaria et mandato sufficienti, ad nos ex parte tue celsitudinis dirigantur, vel alia via conveniens inveniri, per quam ad consum[m]ationem dicti negotii finaliter, auctore Domino, procedatur. Ad hoc autem ut tractatus hujusmodi tam salubris aliquo sinistri casus occursu seu quolibet alio insperate turbationis impediri nequeat interjectu, a tua magnitudine pro munere petimus speciali ut, saltem divine majestatis intuitu, cessent penitus interim commote jam per te contra memoratum Achaye principem simultates, terribiles armorum strepitus conquiescant, hostiles arceantur incursus et precipites bellorum impetus refrenentur. Ita quod nos, videntes et recognoscentes quod libenter in hoc apostolicis beneplacitis te coaptes, reddamur exinde tibi non solum ad benivolentiam, verum etiam ad procuranda tua spiritualia et temporalia commoda proniores. Ceterum quia novissime hiis diebus rescriptum imperiale recepimus, in quo, inter alia, continebatur expresse quod in causis seu questionibus, que tuum habet seu habere posset Imperium cum Latinis, nullum alium judicem nisi solum Romanum pontificem et Romanam ecclesiam habere proponis, nos attendentes quod ex recta confidentia et ex benivolentia multa procedit quod nostrum et ipsius ecclesie subire judicium non recusas, quinimmo te offers ad subeundum illud expositum et paratum, tui super hoc animi promptitudinem, quam disponere ac dirigere jam videtur Altissimus ad suorum semitam mandatorum, commendandam propter hoc multipliciter ac uberrimis gratiarum actionibus prosequendam fore decrevimus, imperialis circumspectionis industrie predicentes aperte quod, cum nos in valle hujus seculi vices superni Judicis exequamur simusque omnibus, secundum apostolum, in justitia debitores, super hujusmodi causis seu questionibus, si eas vel ipsarum aliquas ad examen apostolicum devenire contigerit, adeo favorabilis justitie plenitudinem tibi tuoque imperio exhibere curabimus, quod tu, qui patris et matris subire judicium elegisti, merito gaudere poteris te in nobis et predicta Romana ecclesia id, quod in patris et matris reperire foro speraveras, invenisse. Datum apud Urbemveterem, xv kalendas augusti, anno II° [1]. »

1. Potthast (n° 18605) date cette bulle du 5 des calendes d'août (28 juillet).

296 Orvieto, 30 juillet 1263.

Magistro Alberto, notario apostolico, mandat ut archiepiscopum Cusentinum, quem pro certo negotio in Franciam et in Angliam mittit, instruat et dirigat. — (Reg. 26, anni II, n° 159, fol. 102 [1].)

« *Magistro Alberto, notario nostro.* Ecce venerabilem fratrem nostrum .. archiepiscopum Cusentinum, virum utique experte prudentie ac examinate virtutis, in Franciam [2] et in Angliam mittimus pro negotio quod tu nosti, discretioni tue per apostolica scripta mandantes quatenus eundem archiepiscopum, communicatis sibi hiis que super commisso tibi ab apostolica sede negotio facere te continget, salubriter instruas et utiliter dirigas, sicut honori Romane ecclesie et promotioni dicti negotii tibi commissi videris expedire. Datum apud Urbemveterem, III kalendas augusti, anno II°. »

297 Orvieto, 28 juillet 1263.

Regi Angliae et Eadmundo, nato eius, mandat ut propter regnum Siciliae archiepiscopum Cusentinum ad ipsos destinet. Praeterea, si de ipso regno aliquod ius habere credunt, eos citat ut infra quatuor menses apostolico se aspectui praesentent, iustam sententiam recepturi. — (Reg. 26, anni II, n° 160, fol. 102 v°; Potthast 18603 [3].)

« *H. illustri regi Anglie et nobili viro Eadmundo, nato ejus.* Non solum ad vestram, sed etiam ad generalem et publicam totius mundi credimus pervenisse notitiam, qualiter quondam Fridericus, olim Romanorum imperator, ejusque nati et posteri Romanam matrem ecclesiam sub diversitate temporum vexaverunt. Hii etenim aliorum persecutorum excedentes tyrampnidem gravioribus eam affecerunt injuriis et oppressionibus durioribus afflixerunt et, velut in cedem et exterminium ejus, tendentes furoris arcum et feritatis gladium acuentes, diris illam tribulavere flagellis et usque ad interiora profundis illatis vulneribus sauciarunt, quoniam in hoc pravo genere patrum in filios cum sanguine derivata malitia, sicut carnis propagatione, sic imitatione operum nati genitoribus successerunt. Et licet ecclesia eadem ubique locorum, ad que persecutorum ipsorum

1. Le registre porte en marge : *De negotio regni Sicilie habetur supra, capitulo* VIII. *Item capitulo* CXXXII. *Item capitulo* CXXXIII. *Item capitulo* CXXXV. *Item infra, capitulo* CLX. *Item capitulo* CLXI.
2. Ces quatre derniers mots sont en partie récrits sur un grattage.
3. Le Registre porte en marge : *De negotio regni Sicilie habetur supra, capitulo* VIII. *Item capitulo* CXXXII. *Item capitulo* CXXXIII. *Item capitulo* CXXXV. *Item capitulo* CLVIIII. *Item infra, capitulo* CLXI.

se extendit potentia, crudelissimas eorum persenserit punctiones, in regno tamen Sicilie, quod ad ipsam ecclesiam pertinet pleno jure, tanto duriores et asperiores persecutiones pertulit ab eisdem, quanto liberius iidem persecutores sunt in eo longis temporibus deba[c]chati quantoque severius et atrocius inibi, ante ipsius ecclesie oculos, uteri sui filios oppresserunt, quia nec etiam ecclesias nec personas ecclesiasticas ipsius regni earumque jura, libertates et bona draconum illorum preteriere furores, sed in hec eo exscanduere (*sic*) ferocius, quo quicquid ecclesiastico discernitur nomine ab[h]orruerunt odio graviori. Et ideo predicta ecclesia, memorato Friderico et Conrado, ipsius nato, sublatis de medio, ad regnum ipsum habens materne compassionis affectum, quia erant adhuc lacrime in maxillis ejus et in vultu suo apparebat squalor diutine passionis, ardenti desiderio consurrexit, ut benignitatis sue lint(h)eo lacrimas ipsas dilueret et squalorem dextera propitiante detergeret, dictumque regnum ad optate salutatis, libertatis solite pacisque solide statum plene reduceret, et illud in eo firma stabilitate, favente Domino, preservaret.

Verum quia regnum ipsum cum omnibus districtibus et pertinentiis suis erat ad eandem ecclesiam ejusque dispositionem totaliter devolutum, felicis recordationis Alexander papa, predecessor noster, dictum regnum, pro cujus recuperatione ipsa ecclesia, importabilibus non parcendo sumtibus ac multorum laborum minime devitando tedia, diutius laboravit, rem utique ipsi ecclesie inter cetera temporalia sua bona carissimam, tibi, fili E., preferendo te in hoc universis catholicis orbis terre principibus, liberaliter contulit sub certis condicionibus atque pactis, prout in apostolico privilegio super hoc obtento plenius continetur. Et quia sincera et firma voluntas in dilectionis et operis prosecutione cognoscitur, cum hujusmodi negotium, propter ipsius regni statum nondum tunc in toto tranquillum, multo indigeret consilio et favore magnamque requireret sollertiam et sustentationis fulcimenta non modica, valida defensionis munimina et indeficientis subsidii firmamentum, idem predecessor e diversis partibus magnificos instauravit exercitus deputavitque legatos ad prosecutionem ipsius negotii, ut posset illud, Domino adjutore, perducere ad statum honorabilem et quietum. Cumque idem negotium laudabiliter convalesceret et successibus prosperis firmaretur, tandem, quia quorumdam proditorum, qui eidem eccclesie tunc fraudulenter adheserant, faciente nequitia, inopinato casu extitit impeditum; propter quod tanto festinantius erat eidem succurrendum negotio, quanto sibi propinquius imminebat confusio et discrimen, dictus predecessor te, fili rex, pluries requisivit, tibi cum instantia persuadens ut, quia predicta ecclesia erat ulterius ad ferendum tantum pondus penitus impotens ac multis et gravibus debitis obligata, succursum cum omni festinantia preparares, ita quod, omni difficultate ac tarditate remota, copiosa et strenua militia cum ydoneo capitaneo mitteretur pro conservatione quarumdam terrarum ipsius regni, que adhuc in devotione ipsius ecclesie persistebant et per quas ad alias ejusdem regni partes liber haberi poterat transitus et processus. Sed qualiter hec, que memoratus predecessor tibi pro ejusdem negotii sustentatione ac promotione persuasisse dinoscitur, feceris, non ignoras; qualiter etiam negotium ipsum adjuveris ac super illo provideris, cunctis luce clarius innotescit, cum nec tuas nec aliorum curas et vires ad hujusmodi rei prosecutionem curaveris adhibere; quinimmo, sic ipsum negotium per te ac tuos omissum extitit, quod, eo tuis speratis et oportunis subsidiis non suffulto, predicte terre, per quas residuum ipsius regni recuperari poterat, adverversarii ejusdem ecclesie, Manfredi videlicet, quondam principis Tarentini, aggressibus patuerunt; qui, postquam regnum ipsum totaliter occupavit, sic protinus in superbie altitudinem est elatus et in sevitie acerbitatem obriguit, quod de virtute divina non tremuit humanamque parvi pendit potentiam et honorem ecclesie ac libertatem hominum dicti regni tyrampnide furibunda depressit. De multiplicis etenim necessitatis angusto, in quo serpens iste latuerat, ad affluentis opulentie amplitudinem famelicus et sitibundus exiliens, rabido cepit ore regnum laniare prefatum sicque in bona et personas ipsius ancxia exarsit ingluvie, quod hec insatiabili rapacitate discerpens, illud (proh dolor!) ferus plus fera qualibet fere penitus absorbuit in utrisque, nec sexum nec etatem neque ordinem pretermittens; propter quod multotiens dolorose suspirat et lacrimatur amare apostolica sedes, quod regnum juris et proprietatis sue, carum quippe sibi, dira et dura pharaonice oppressionis mole prosternitur nec sinitur pia et leni consolationis apostolice dextera relevari. Expectans enim expectavit diutius quod sublime regni Anglie solium strenuaque domus et gentis Anglicane potentia, quam dictus predecessor in ipsius regni collatione specialiter honoraverat, apprehenderent arma et scutum et exurgerent in adjutorium matris sue dictumque negotium constanter assumerent et, prefatam ecclesiam liberando magnifice ab inimicis ejus qui in circuitu ejus sunt, ac extrahendo predictum regnum ejusque populum de faucibus persequentis, jugum one-

ris ejus et sceptrum exactoris ejus magnificentius superarent. Sed hujusmodi expectatio et spes, quam in vobis sedes eadem posuit, nullum sibi prorsus commodum attulit vel profectum; quinimmo, sedes ipsa, hujusmodi spe frustrata, multas et innumerabiles propter hoc injurias et ignominias pertulit pluraque et inextimabilia sustinuit detrimenta. Dictus namque Manfredus, occupatione ipsius regni Sicilie non contentus, ad Anconitanam Marchiam et quamplures alias terras de patrimonio ipsius ecclesie et demum ad quandam partem Tuscie, que Romano imperio subjacet, avidas et occupatrices manus extendens, memoratam ecclesiam diversis persecutionum generibus incessanter affligit; adeo quod eadem ecclesia, multis malis afflicta, diversis attrita molestiis ac variis flagellis oppressa, vix potest ab hujusmodi oppressionibus respirare, quoniam ex hoc libere pullulant hereses, cultus divini nominis dispendia minorationis incurrit, incendia urbium, depopulationes castrorum, strages christianorum et quamplura alia abhominabilia (*sic*) committuntur, que divine oculos majestatis offendunt, scandalum in ecclesia commovent et tremendum ecclesiastice censure vigorem debilitant et conculcant, nec potest ipsa ecclesia invalescentibus ejusdem Manfredi viribus oportunum super hiis remedium adhibere.

Nos igitur, postquam fuit nostris cervicibus apostolice jugum servitutis impositum, diligentius attendentes quod a predicto regno Sicilie omne malum ipsius ecclesie pandebatur et causa periculorum hujusmodi procedebat, considerantes etiam quod dicta Romana ecclesia per vos non potuit neque poterat, quod inviti referimus, a suis calamitatibus et erumpnis, quantumcumque vos diutius expectaverit, liberari, propter quod omnino expediebat, tam nobis quam ipsi ecclesie, de prefato regno Sicilie aliter cogitare, necessario disposuimus in animo nostro de regno ipso tractare ac ordinare utiliter, prout expedire honori et profectui predicte ecclesie videremus. Cumque hujusmodi nostre intentionis propositum produceremus in actum, tu, fili rex, hoc intelligens, id grave tulisti, sicut accepimus, et molestum; de quo eo vehementiorem admirationem in mente concepimus, quo pleniorem semper de te predicta ecclesia fiduciam habuit quod in cunctis ejus necessitatibus sibi potenter et patenter assisteres ipsiusque honorem et commodum non solum penes te, sed etiam penes alios affectuoso studio procurares, sicut retroactis temporibus dinosceris id laudabiliter peregisse. Quia ergo liberum est nobis et ipsi ecclesie de predicto regno Sicilie disponere ac juxta nostrum beneplacitum ordinare; cum condiciones, sub quibus regnum ipsum a prefato predecessore concessum extitit, adimplete non fuerint, sicut nostis, nos intendentes, omnino urgente ad id nos necessitatis articulo in quo est predicta ecclesia hoc tempore constituta, de regno ipso, prout pensato moderno ipsius ecclesie statu, expedire viderimus, providere, magnificentiam vestram, de fratrum nostrorum consilio, rogandam duximus attentius et hortandam, in remissionem vobis peccatorum nichilominus injungentes quatinus premissa omnia infra vestrorum claustra pectorum meditatione provida revolventes et gerentes ad predictam ecclesiam super tot ejus angustiis, habito ad radicem veritatis in hac parte respectu, filialis compassionis affectum, nullum deinceps nobis et ipsi ecclesie super hujusmodi dicti regni negotio ingeratis impedimentum nullumque contradictionis obstaculum opponatis; sed ab illis penitus desistentes, non solum permittatis nos et eandem ecclesiam libere de regno ipso tractare ac facere sicut viderimus faciendum, verum etiam et verbis ostendatis et litteris quod vobis non displicet, immo placet, si dicta ecclesia super ipsius regni negotio tractet cum aliquibus mundi principibus, suamque possit de ipso regno condicionem facere meliorem; preces super hoc apostolicas taliter impleturi, quod Regem regum constituatis exinde vobis propitium et benignum, et predictam Romanam ecclesiam reddatis propter hoc vobis perpetuis temporibus in vestris oportunitatibus favorabilem adjutricem.

Et ecce venerabilem fratrem nostrum.., archiepiscopum Cusentinum, virum utique experte prudentie ac examinate virtutis, cujus super hiis acquiescatis monitis et exhortationibus, propter hoc specialiter ad vos de ipsorum fratrum consilio destinamus. Quod si forsan in dicto regno Sicilie per hujusmodi prefati predecessoris seu per quamcumque aliam concessionem sive collationem, si quam aliam vobis vel vestrum alteri de ipso regno a memorata sede apostolica vel ejus nuntiis seu legatis factam fore asseritis, vel ex quacumque alia causa creditis vos aliquod jus habere, nos reservata nobis tractandi, disponendi et ordinandi de ipso regno cum quovis alio principe vel alia quacumque persona maluerimus, nostra et ejusdem ecclesie libertate, de predictorum fratrum consilio, apostolica vos auctoritate citamus ut infra quatuor menses a die receptionis presentium computandos, quos vobis pro peremptorio assignamus termino, per vos vel per personas ydoneas de toto negotio sufficienter instructas, cum omnibus juribus et munimentis vestris, apostolico vos conspectui presentetis, proposituri jus vestrum, si quod vos in predicto regno Sicilie habere confiditis, ac

facturi de illo fidem plenariam, et justam, dante Domino, sententiam recepturi. Expresse quoque predicimus et prenuntiamus aperte quod, sive comparueritis sive non, nos ex tunc ad jus predicte ecclesie declarandum et perpetuum silentium hiis, quos in eodem regno Sicilie jus non habere constiterit, imponendum et ad pronunciandum, decernendum et statuendum quicquid super hoc eidem ecclesie ipsiusque honori ac libertati, suadente justitia, expedire viderimus, constanter auctore Domino, vestra non obstante absentia, procedemus. Datum apud Urbemveterem, v kalendas augusti, anno II°. »

298 Orvieto, 25 juillet 1263.

Archiepiscopum Cusentinum suum et ecclesiae Romanae procuratorem et nuntium statuit ad recipiendum a rege Angliae et Eadmundo, nato eius, renuntiationem de qua supra (n° 297) agitur. — (Reg. 26, anni II, n° 161, fol. 103 v° [1].)

« .. *archiepiscopo Cusentino.* Cum te ad carissimum in Christo filium nostrum H., illustrem Anglorum regem, ac nobilem virum Eadmundum, natum ejus, pro negotio regni Sicilie, quod olim inter felicis recordationis Alexandrum papam, predecessorem nostrum, ex parte una, et eosdem regem et Eadmundum ex altera tractatum extitit et firmatum sub certis condicionibus atque pactis, que adimpleta juxta condiciones hinc inde habitas non fuerunt, de fratrum nostrorum consilio specialiter destinemus; fraternitati tue, de qua plenam in Domino fiduciam gerimus, liberandi et absolvendi, nostro et Romane ecclesie nomine, prefatos regem et Eadmundum ab omnibus promissionibus, obligationibus, juramentis et penis quibus, occasione predicti negotii, nobis et eidem ecclesie tenentur astricti, postquam iidem rex et Eadmundus similiter liberaverint nos et eandem ecclesiam ab omnibus hujusmodi conventionibus et expresse renuntiaverint illis, necnon et concessioni predicti predecessoris et quibusvis aliis concessionibus seu collationibus quas de premisso regno eis vel eorum alteri ab apostolica sede vel ejus nuntiis seu legatis factas fuisse proponunt, et omni juri quod in eodem regno ex quacumque causa se habere confidunt, liberam de predictorum fratrum nostrorum consilio et assensu concedimus tenore(m) presentium potestatem; et nichilominus te nostrum et predicte ecclesie procuratorem et nuntium specialem ad recipiendum, vice nostra et ipsius ecclesie, a rege et Eadmundo predictis absolutionem, liberationem et renuntiationem hujusmodi, de ipsorum fratrum consilio et assensu, apostolica auctoritate statuimus, ratum habituri et firmum quicquid secundum premissa super hiis duxeris faciendum. Datum apud Urbemveterem, VIII kalendas augusti, anno II°. »

1. En marge du Registre : *De negotio regni Sicilie habetur supra, capitulo* VIII. *Item capitulo* CXXXII. *Item capitulo* CXXXIII. *Item capitulo* CXXXV. *Item capitulo* CLVIIII. *Item capitulo* CLX.

299 Orvieto, 28 juillet 1263.

Universis praelatis per regnum Angliae constitutis mandat quatenus, cum archiepiscopum Cusentinum ad regem Angliae et Eadmundum, natum eius, pro quibusdam ecclesiae Romanae negotiis destinet, eumdem archiepiscopum in eisdem negotiis efficaciter assistant. — (Reg. 26, anni II, n° 162, fol. 103 v°.)

« *Universis archiepiscopis et episcopis, abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis ceterisque ecclesiarum prelatis, exemptis et non exemptis, per regnum Anglie constitutis, ad quos littere iste pervenerint.* Cum venerabilis frater —. Datum apud Urbemveterem, v kalendas augusti, anno II°. »

300 Orvieto, 28 juillet 1263.

Priori fratrum Praedicatorum in Francia mandat quatenus, cum archiepiscopum Cusentinum ad Ludovicum, Francorum regem, pro quibusdam negotiis destinet, eumdem archiepiscopum in eisdem negotiis constanter assistat. — (Reg. 26, anni II, n° 163, fol. 104.)

« . . *priori fratrum Predicatorum in Francia.* Cum venerabilis frater —. Datum ut supra. »

301 Orvieto, 25 juillet 1263.

Universis personis ecclesiasticis mandat quatenus, cum archiepiscopum Cusentinum ad Francorum et Anglorum reges pro quibusdam negotiis destinet, sibi in suis et suorum necessariis necnon in securo conductu providere curent. — (Reg. 26, anni II, n° 164, fol. 104.)

« *Universis archiepiscopis et episcopis et electis, abbatibus, prioribus, conventibus s. Benedicti, Cluniacensis, Cisterciensis et cujuslibet alterius ordinis, necnon decanis, prepositis, archidiaconis et aliis ecclesiarum prelatis et rectoribus eorumque capitulis seu collegiis, preceptoribus*

quoque vel administratoribus domorum militie Templi et Hospitalis s. Johannis Jerosolimitani, ceterisque personis ecclesiasticis, exemptis et non exemptis, ad quorum notitiam vel audientiam littere presentes advenerint. Cum venerabilis frater —. Datum apud Urbemveterem, VIII kalendas augusti, anno II°. »

302 Orvieto, 28 juillet 1263.

Regi Angliae nuntiat ut archiepiscopo Cusentino, quem ad eum pro quibusdam negotiis destinat, vivae vocis oraculo iniunxerit ut de praedicti regis et regiae domus statu prospero ipsum reddat certiorem. — (Reg. 26, anni II, n° 165, fol. 104; Potthast 18602.)

« .. *illustri regi Anglorum.* Dum annalium Romane ecclesie volumina legimus et predecessorum nostrorum Romanorum regesta pontificum vigili attentione revolvimus, eximia utique tue sincere devotionis opera et preclara tue pure fidei rectitudo, quibus placere Deo et eidem ecclesie, matri fidelium, ab annis teneris studuisti, sic in promptu nobis occurrunt, quod nequimus ab illis nostre mentis aciem declinare, cum quasi quedam fulgentia in ecclesia Dei sydera luceant et ab aliis sicut magna luminaria discernantur. Tu etenim, sicut tuorum laudabilium predicat fama gestorum et nos etiam nullatenus ignoramus, in augmentatione cultus fidei orthodoxe sollicitus, in conservatione libertatis ecclesiastice pervigil, in ecclesiarum aliorumque piorum locorum constructione benivolus et benignus, in gratiis et beneficiis erga personas ecclesiasticas, regulares et seculares, valde munificus, ac in obedientie promptitudine circa eandem ecclesiam stabilis et accensus, digne meruisti dies tuos, divina tibi favente clementia, in pace et tranquillitate deducere ac in statu prospero, sub tutrice Dei dextera et protectione sedis apostolice, conservari. Et ideo, fili carissime, terruit nos rumor ille terribilis, qui de te olim auribus nostris insonuit, videlicet quod quidam febrilis languor, humoribus superhabundantibus concitatus [1], vigorem regie sospitatis invadens, personam tuam, amantissimam quippe nobis, graviter affligebat. Terruit, inquam, nostreque mentis intima rumor hujusmodi doloris et meroris amaritudine circumfudit, quia tu corpore, nos animo languebamus, tecum hujus languoris angustias partientes. Et quidem multa nobis suberat dolendi et merendi materia, quod tantum principem, cujus obsequiosa devotio in firma petra fidei fundata consistit et cujus utilia et alta presidia sunt, hiis presertim temporibus, predicte ecclesie plurimum oportuna, vehemens egritudo gravabat, et quod una de sublimioribus orbis terre columpnis duris et asperis flatibus concuti videbatur. Porro, etsi hujus infirmitatis asperitas plurimorum turbabat corda fidelium, quorum ambulat multitudo in lumine vultus tui, eo tamen majoris turbationis causam nostris precordiis inferebat, quo te inter alios catholicos mundi reges et principes ferventiori dilectione prosequimur, et quo promptiori animo et propensiori studio dispositum et expositum semper fore te novimus in divinis et predicte sedis beneplacitis exequendis. Verum quia postmodum intelleximus quod manus Domini, que te tam graviter tetigit, benignius agens tecum, asperitate languoris ejusdem prius misericorditer mitigata, demum pristine te restituit sanitati, nos gaudentes in illo qui dat salutem regibus ac devotas ei propter hoc laudes et gratias referentes, humilibus institimus et insistimus supplicationibus apud eum, ut te salvum atque incolumem sua pietate custodiens, dies super dies regis adiciat et annos vite tue clementer adaugeat, ad sui nominis gloriam, tranquillitatem ecclesie ac statum pacificum populorum qui, regio subjecti dominio, felicia se gaudent secula tuis temporibus peregisse. Attamen, quia res est solliciti plena timoris amor, nos nullatenus reputantes nobis per fame relationem de tua convalescentia plenarie satisfactum, presentium tenore scire te volumus quod nos venerabili fratri nostro .., archiepiscopo Cusentino, viro utique experte prudentie et examinate virtutis, quem ad te pro quibusdam nostris et ecclesie Romane negotiis destinamus, oraculo vive vocis injunximus ut, prosperum tuum et regie domus statum oculata fide perlustrans, reddat nos in hac parte penitus certiores. Datum apud Urbemveterem, V kalendas augusti, anno II°. »

303 Orvieto, 28 juillet 1263.

Regem Franciae rogat ut archiepiscopum Cusentinum, quem pro quibusdam negotiis ad eum destinat, benigne recipiat et eidem in his, quae ex parte pontificis ipsi dixerit, adhibeat firmam fidem. — (Reg. 26, anni II, n° 166, fol. 104 v°.)

« .. *illustri regi Francie.* Cum venerabilis frater —. Datum ut in superiori. »

1. Ces trois derniers mots ont été récrits sur un grattage.

304 Orvieto, 29 novembre 1262.

Guelforum Civitatis Castelli, ecclesiae Romanae devotorum, personas et bona sub beati Petri et apostolica protectione suscipit. (Reg. 26, anni II, n° 167, fol. 104 v°.)

« *Nobili viro Guidoni, marchioni, et aliis qui Guelfi vulgariter appellantur, Civitatis Castelli, ecclesie Romane devotis.* Devotionis quam erga —. Datum apud Urbemveterem, III kalendas decembris, anno II°. »

305 Orvieto, 23 juillet 1263.

Episcopo Ulixbonensi, qui in consecratione sua praestitit juramentum quod Apostolorum limina singulis bienniis visitaret, concedit ut, cum ecclesia sua sita sit in remotis mundi partibus, limina eadem teneatur singulis tantum quadrienniis visitare. (Reg. 26, anni II, n° 168, fol. 104 v°.)

« *M., episcopo Ulixbonensi.* Sicut petitio tua —. Datum apud Urbemveterem, x kalendas augusti, anno secundo. »

306 Orvieto, 18 juillet 1263.

Archiepiscopo Ebredunensi, cum aliquae sunt in ecclesia Ebredunensi praebendae adeo reliquas in redditibus excedentes quod de ipsis possint aliae de novo creari praebendae ac in cotidianis distributionibus canonicis in ipsa residentibus provideri, cum majori et saniori parte capituli ejusdem ecclesiae, circa canonicorum et praebendarum numerum augmentandum et cotidianas distributiones de praefatis et aliis ecclesiae redditibus faciendas, facultatem ordinandi concedit. (Reg. 26, anni II, n° 169, fol. 104 v°.)

« . . *archiepiscopo Ebredunensi.* Exposuisti nobis quod —. Datum apud Urbemveterem, xv kalendas augusti, anno II°. »

307 Orvieto, 21 juillet 1263.

Hominibus Castri de Valentano, qui seipsos Urbevetanis submiserant, nuntiat castrum ipsum ad jus et proprietatem ecclesiae Romanae revocari et eos ab omnibus pactis super hoc interpositis absolvit. (Reg. 26, anni II, n° 170, fol. 104 v°.)

« *Universis hominibus castri de Valentano, ad Romanam ecclesiam pleno jure spectantis, Castrensis diocesis.* Temeraria quorumdam presumptio adeo in partibus istis precipue inolevit, ut non solum vicinorum suorum bona violenter invaserint, verum etiam jura ecclesie, matris eorum, quandocumque ipsis oportunitas affuit, occupaverint impudenter. Hinc est quod vos, sicut pro certo didicimus, Urbevetanis olim pluries promisistis solvere annis singulis decem libras Senensium minutorum et, ut verbis vestris utamur, dare castrum nostrum de Valentano munitum et immunitum, exbannitos Urbevetanos pro exbannitis tenere ac facere ipsis exercitum et parlamentum, guerram et pacem, aliasque vos sibi, non sine gravi detrimento jurium ipsius ecclesie, summittentes, prout in instrumentis publicis inde confectis, dicitur plenius contineri. Cum igitur nos non deceat jura nostra negligere, qui tenemur aliis, ex injuncto nobis apostolatus officio, sua jura servare, castrum ipsum cum omnibus juribus et pertinentiis suis ad jus et proprietatem ejusdem ecclesie tenore presentium revocamus, et vos ad servandas eisdem Urbevetanis promissiones hujusmodi, non obstantibus quibuslibet pactis vel conditionibus aut obligationibus seu etiam juramentis super hoc interpositis sive penis adjectis, a quibus omnibus vos duximus absolvendos, denuntiamus et volumus aliquatenus non teneri, sub pena excomunicationis et mille marcarum argenti districtius inhibentes ne dicti Urbevetani, pretextu summissionis, promissionis et condicionum hujusmodi vel alio quoquo modo, aliquam jurisdictionem in vos communiter vel divisim aut in castro predicto ejusque pertinentiis sibi vendicare vel exercere presumant, ac decernentes nichilominus irritum et inane, si ab eis vel a quibuslibet aliis contra inhibitionem hujusmodi contigerit attemptari. Nulli ergo nostre revocationis, absolutionis, denuntiationis, inhibitionis et constitutionis etc. Datum apud Urbemveterem, XII kalendas augusti, anno II°. »

308 Orvieto, 14 juillet 1263.

Universis fidelibus per patrimonium beati Petri in Tuscia constitutis mandat ut Guiscardo de Petrasancta tanquam capitaneo et rectori ejusdem provincie pareant. (Reg. 26, anni II, n° 171, fol. 105; Potthast 18589.)

« *Nobilibus viris universis comitibus, baronibus et militibus, necnon potestatibus, rectoribus, capitaneis, consiliis et communibus tam civitatum quam castrorum aliorumque locorum fidelibus nostris per Patrimonium beati Petri in Tuscia constitutis.* Ad diversas mundi provincias ex officii debito intente cogitationis aciem extendentes et

undique per orbem pro salubri statu fidelium apostolice diligentie studium diffundentes, circa terras precipue patrimonii beati Petri in Tuscia et ceteras Romane ecclesie speciales nostre considerationis retorquemus intuitum et pro ipsarum conservatione potioris nimirum vigilantie operam adhibemus. In hiis etenim terris suos eadem ecclesia proprios recognoscit alumpnos. Hic devotos suos repperit et fideles, hic est [h]ortus sedis apostolice proprius, in quo nullus alius particeps extat sibi, quem solus Romanus pontifex custodit et protegit, cujus ipse et non alius gerit regimen et culturam ; hoc est ejus peculiare pomerium, ubi grate subjectionis flores colligit et filialis dilectionis poma decerpit. Propter quod ecclesia ipsa circa ipsius munimen et cultum attentius cogitat et opem ad hoc propensiori studio amministrat, ut illud per devotionem sinceram puritatis respiret odorem et per fidelitatem integram expectatum constantie fructum reddat. Verum, quia tunc regio utiliter regitur cum providi rectoris ducatu dirigitur et vigilis presidentis industria gubernatur, nos volentes ut hujusmodi provincia duce gaudeat circumspecto, quatenus illius providentia successibus optatis proficiat et preservetur laudabiliter ab adversis, dilectum filium nobilem virum Guiscardum de Petrasancta, de cujus fide, sollicitudine, probitate ac prudentia pleniorem fiduciam obtinemus, ejusdem provincie regimini duximus deputandum, illud diligentie sue in temporalibus plenarie committentes, concessa sibi precipiendi, ordinandi, disponendi, providendi, statuendi et faciendi sicut expedire viderit in eadem provincia, necnon contradictores quoslibet et rebelles pena seu districtione temporali, appellatione postposita, compescendi generali et libera potestate. Ideoque universitatem vestram monemus, rogamus et hortamur attente mandantes quatinus eundem nobilem suscipientes letanter et condigna honorificentia prosequentes, sibi tamquam capitaneo et rectori ejusdem provincie in omnibus, que ad capitanei et rectoris officium pertinent, pareatis humiliter et efficaciter intendatis. Alioquin sententiam sive penam quam idem temporaliter tulerit in rebelles etc. usque observari. Datum apud Urbemveterem, II idus julii, anno II°. »

309 Orvieto, 14 juillet 1263.

Guiscardo de Petrasancta patrimonium beati Petri in Tuscia in temporalibus committit. (Reg. 26, anni II, n° 172, fol. 105.)

« *Nobili viro Guiscardo de Petrasancta.* Ad diversas mundi —. Datum ut supra. »

310 Orvieto, 23 juillet 1263.

Rogerio de Busso castri de Collestacte, quod ad Romanam ecclesiam pleno jure spectat, custodiam committit. (Reg. 26, anni II, n° 173, fol. 105.)

« *Nobili viro Rogerio de Busso.* Cum castrum de —. Datum apud Urbemveterem, x kalendas augusti, anno II°. »

311 Orvieto, 25 juillet 1263.

Guillelmo de Pennaforti, castellano de Collestacte, mandat quatenus castrum ipsum Rogerio de Busso, ecclesiae Romanae nomine, assignare procuret. (Reg. 26, anni II, n° 174, fol. 105 v°.)

« *Guillelmo de Pennaforti, castellano de Collestacte.* Cum curam et —. Datum apud Urbemveterem, VIII kalendas augusti, anno II°. »

312 Orvieto, 21 juillet 1263.

Hominibus de Collestacte mandat quatenus Rogerio de Busso, cui custodiam ipsius castri duxit committendam, in omnibus intendant. (Reg. 26, anni II, n° 175, fol. 105 v°.)

« *Hominibus de Collestacte, fidelibus nostris.* Cum castrum de —. Datum apud Urbemveterem, XII kalendas augusti, anno II°. »

313 Orvieto, 23 juillet 1263.

Hominibus abbatiae Ferentilli mandat quatenus Rogerio de Busso, cui custodiam terrae abbatiae de Ferentillo duxit committendam, in omnibus intendant. (Reg. 26, anni II, n° 176, fol. 105 v°.)

« *Universis hominibus de abbatia Ferentilli, ecclesie Romane fidelibus.* Cum de statu —. Datum apud Urbemveterem, x kalendas augusti, anno II°. »

314 Orvieto, 23 juillet 1263.

Vicario in ducatu Spoleti Manfredi, Veronensis electi, mandat quatenus castrum Litaldi, quod ad Romanam eccle-

siam non est dubium pertinere et Spoletani detinent occupatum, ad manus ipsius ecclesiae recipiat et Rogerio de Busso custodiendum committat, hominibus ejusdem castri injungendo ut eidem Rogerio de cunctis ecclesiae juribus respondere procurent. (Reg. 26, anni II, nº 177, fol. 105 vº.)

« .. *in ducatu Spoleti vicario dilecti filii Manfredi, Veronensis electi, Marchie Anconitane et ejusdem ducatus rectoris.* Cum castrum Litaldi —. Datum apud Urbemveterem, x kalendas augusti, anno IIº. »

315 Orvieto, 31 juillet 1263.

Dominis de Arrone et de Castello lacus nuntiat se castrum Peroculi, Spoletanae dioecesis, quod ipsius in manibus resignaverunt, Spoletanis non restituturum esse; si vero contigerit ipsum Spoletanos ad gratiam apostolicae sedis admittere, in pactis continebitur expresse liberatio certorum virorum de Arrone, de Castro lacus et de terra monasterii de Ferentillo; super castro autem Montisfranci ipsis justitiae complementum exhibebit. (Reg. 26, anni II, nº 178, fol. 105 vº.)

« *Nobilibus viris dominis de Arrone et de Castello lacus, fidelibus nostris.* Quia vos castrum Peroculi, Spoletane diocesis, quod per vos hactenus tenebatur, in nostris manibus liberaliter resignastis, nos, in eodem castro ydoneis et fidelibus custodibus juxta nostrum beneplacitum deputatis, personas vestras cum omnibus castris et aliis bonis vestris suscipimus sub protectione apostolice sedis et nostra, volentes quod vobis jura vestra in castro ipso integra et illibata serventur, jure Romane ecclesie semper salvo, nec castrum ipsum Spoletanis restituemus eisdem, si ejus restitutionem justitia prohibebit. Si vero contigerit nos Spoletanos ipsos velle ad gratiam nostram et dicte sedis admittere, vos cum eisdem Spoletanis in concordia et pace ponemus, et in pactis seu condicionibus, sub quibus dictos Spoletanos ad hujusmodi admittemus gratiam, continebitur specialiter et expresse liberatio nobilium virorum Anselmi et Malgerii aliorumque de Arrone et de Castro lacus et etiam de terra monasterii de Ferentillo, quos iidem Spoletani detinent captivatos, necnon et restitutio bonorum que vos habetis ac vobis in civitate et districtu Spoletanis de jure competere dinoscitur. Super castro autem Montis franci, predicte diocesis, in quo vos, domini de Arrone, jus habere asseritis, exhibebimus vobis justitie complementum. Nulli ergo nostre protectionis etc —. Datum apud Urbemveterem, II kalendas augusti, anno IIº. »

316 Orvieto, 30 juillet 1263.

Fratri Mansueto et Sigerio de Sassetta mandat quatenus commisso ipsis pacis tractatui inter Lucanos et Pisanos insistant. (Reg. 26, anni II, nº 179, fol. 105 vº; Potthast 18612.)

« *Fratri Mansueto, capellano et penitentiario, et nobili viro Sigerio de Sassetta, marescallo nostris.* Receptis vestris litteris et perlectis, ecce nostras tam ad Pisanos quam Lucanos litteras mittimus, sicut vos nobis in eisdem vestris litteris suasistis. Ideoque volumus et presentium vobis auctoritate mandamus quatenus commisso vobis pacis tractatui diligentius et ferventius insistatis, rescribentes nobis frequenter statum negotii et quicquid super hoc facere vos continget. Datum apud Urbemveterem, III kalendas augusti, anno IIº. »

317 Orvieto, 30 juillet 1263.

Potestati, capitaneo, antianis, consilio et communi Pisanis notum facit quatenus Lucanis injunxerit ut ab obsidione castri Aginulfi recedant, et ipsis mandat quatenus tractatui pacis diligentius insistant. (Reg. 26, anni II, nº 180, fol. 106; Potthast 18613 [1].)

« .. *potestati,.. capitaneo, anzianis, consilio et communi Pisanis spiritum consilii sanioris.* Cupientes inter vos et cives Lucanos pacis et concordie federa, ad laudem et gloriam divini nominis, reformari, nuper dilectum filium fratrem Mansuetum, ordinis Minorum, capellanum et penitentiarium, et nobilem virum Sigerium de Sassetta, marescallum nostros, ad vos, tamquam pacis angelos, propter hoc specialiter duximus destinandos. Verum, quia postmodum intelleximus quod dicti cives Lucani, tamquam exasperati ex hiis que a vobis hiis temporibus pertulisse noscuntur, ad impugnationem et obsidionem castri Aginulfi, Lunensis diocesis, quod possidere dicimini, hostiliter processerunt, quodque vos, hac de causa commoti, contra civitatem Lucanam iterato exercitum congregatis, nos toto mentis desiderantes affectu ut omne removeatur obstaculum, per quod bonum pacis valeat quomodolibet impediri, ecce dilectis filiis.. potestati,.. capitaneo, anzianis, consilio et communi Lucanis nostris sub certa forma damus litteris in mandatis ut, statim eisdem receptis litteris, sicut nostram et apostolice sedis caram habent gratiam,

1. On lit en marge du Registre : *De tractatu pacis inter Pisanos et Lucanos. Item de eodem supra, capitulo* CXLVII. *Item capitulo* CLXXVIIII. *Item infra, capitulo* CLXXXI. *Item capitulo* CLXXXII. *Item capitulo* CLXXXIII.

ab ipsius castri obsidione ac impugnatione recedant et ad propria revertantur. Ideoque universitatem vestram monemus, rogamus et hortamur attente, mandantes quatenus, et vos etiam attendentes quod, si dicti Lucani, provocati a vobis, ut nostis, fecerunt aliquid quod vobis forte displicuit, non multum debetis hoc ad animum revocare, ob reverentiam apostolice sedis et nostram, ab hujusmodi congregatione exercitus totaliter desistatis nullamque inferatis predicte civitati Lucane molestiam vel offensam; sed, omni rancore deposito, tractatui pacis, quem jam per predictos penitentiarium et marescallum inchoatum esse credimus, ferventius et diligentius insistere studeatis, prebentes eorum super hoc exhortationibus efficaciter aures[1] vestras, ita quod Regem pacificum constituatis vobis exinde propitium et benignum nosque reddatis exinde ad procuranda vestra spiritualia et temporalia commoda promptiores. Datum ut supra. »

318 Orvieto, 30 juillet 1263.

Potestati, capitaneo, antianis, consilio et communi Lucanis mandat quatenus ipsos ab impugnatione castri Aginulfi recedere oporteat et ipse Pisanis injunxerit ut ab exercitus congregatione contra Lucanos omnino desistant. (Reg. 26, anni II, n° 181, fol. 106.)

« .. *potestati,.. capitaneo, anzianis, consilio et communi Lucanis.* Intendentes, ad laudem et gloriam divini nominis, pacis vobis commoda procurare, libenter et diligenter omne removeri vellemus obstaculum, per quod tantum bonum posset quomodolibet impediri. Ecce itaque, dilecti in Domino filii, cum noster animus, de vestre civitatis honore ac exaltatione sollicitus, cogitationes pacis et concordie inter vos et Pisanos, auctore Domino, reformande attentione vigili cogitasset, et certas personas ad hoc ydoneas ad civitatem Pisanam et ad vos etiam specialiter misissemus, subito ad nostrum pervenit auditum quod, procurante humani generis inimico, qui est divisionum auctor, fraterne pacis emulus et tranquilli status fidelium anexius persecutor, et vos ipsi, collectis undique vestre potentie viribus, ad expugnationem et obsidionem castri Aginulfi, Lunensis diocesis, quod iidem Pisani detinent, hostiliter processistis, et dicti Pisani contra vos et civitatem vestram iterato exercitum congregant et instaurant. Super quo eo vehementius nostra conturbata sunt viscera, quo ferventius affectamus ut inter vos et eosdem Pisanos pacis federa reformentur; ita quod vos, qui estis tot guerrarum et bellorum insultibus macerati, possitis a vestris angustiis et vexationibus respirare. Cum igitur toto mentis desideremus affectu, ut vos, qui potastis hactenus discordiarum absinthium, dulcem et amabilem pacis fructum, nostris saltem felicibus[1] temporibus, auctore Domino, degustetis, universitatem vestram monendam, rogandam attente duximus et hortandam mandantes quatenus, attendentes provide quod, si dictum castrum vos obtinere ac tractatum pacis effectum habere contigerit, illud vos restituere penitus oporteret, sicut nostram et apostolice sedis caram habetis gratiam, statim receptis presentibus, ab impugnatione et obsidione predicti castri, sublato cujuslibet difficultatis obstaculo, recedentes, ad propria redeatis, ita quod inchoatus jam super negotio pacis tractatus, favente Domino, processum prosperum et exitum valeat habere felicem. Nos enim communi et populo Pisanis nostris sub certa forma damus litteris in mandatis, ut ab hujusmodi exercitus congregatione omnino desistant nullamque vobis et civitati vestre inferant molestiam vel offensam. Taliter igitur precamina et mandata super hoc nostra implere curetis, ut nos devotionis vestre promptitudinem dignis in Domino laudibus merito commendantes, vos amatores et sectatores pacis et concordie censeamus. Datum ut supra. »

319 Orvieto, 31 juillet 1263.

Priori fratrum Praedicatorum in Tuscia mandat quatenus apud Lucanos per ipsum et ipsius consanguineos insistat ut a castri Aginulfi obsidione recedant, ita quod inchoatus jam super negotio pacis tractatus exitum valeat habere felicem. (Reg. 26, anni II, n° 182, fol. 106; Potthast 18614.)

« . . *priori fratrum Predicatorum in Tuscia.* Dilecti filii frater Mansuetus, ordinis Minorum, capellanus et penitentiarius, ac nobilis vir Sigerius de Sassetta, marescallus nostri, quos nuper ad civitatem Pisanam transmisimus, sicut nosti, pro negotio pacis inter eandem Pisanam et Lucanam civitates, auctore Domino, reformande, nobis per suas litteras intimarunt quod, cum ipsi cepissent hujusmodi commissum eis tractare negotium et verba eorum benigne satis a communi Pisano recepta et accepta fuissent, tandem predictum negotium, quod jam prosperum ceperat habere progressum, ea occasione extitit impeditum quod commune Lucanum, sicut publica et veridica fama vulga-

1. Ces trois derniers mots sont récrits sur un grattage.

1. Ce mot est écrit dans la marge; on l'avait d'abord suppléé, par erreur, à la fin de la ligne suivante.

vit, castrum Aginulfi, Lunensis diocesis, quod Pisani possident, dura obsidione, suis undique collectis viribus, vallaverunt. Cum igitur nos impedimentum hujusmodi velimus penitus amoveri, ut, eo summoto, dictum negotium speratum, Deo favente, sortiatur effectum, mandamus quatinus apud commune ac cives Lucanos, quibus super hoc specialiter scribimus, per te ac tuos consanguineos et amicos diligenter et ferventer insistas, ut, sublato cujuslibet difficultatis et dilationis obstaculo, ab ipsius castri obsidione recedant et ad propria revertantur; ita quod inchoatus jam super negotio predicto tractatus processum laudabilem et exitum valeat habere felicem. Nos enim communi et populo Pisanis, qui jam contra civitatem Lucanam exercitum congregare dicuntur, nostris sub certa forma damus litteris in mandatis, ut ab hujusmodi exercitus congregatione omnino desistant, nullamque dicte civitati Lucane molestiam inferant vel offensam. Et quia tu condicionum illarum partium notitiam obtines pleniorem, volumus ut nostras, quas predicto communi Lucano super hoc mittimus, litteras eidem communi presentari facias, si videris expedire. Datum apud Urbemveterem, II kalendas augusti, anno II°. »

320 Orvieto, 30 juillet 1263.

Magistro Gualoni, apostolicae sedis legato, mandat quatenus apud Lucanos insistat ut mandatum apostolicum super negotiis praedictis studeant adimplere. (Reg. 26, anni II, n° 183, fol. 106 v°.)

« *Magistro Gualoni, notario nostro, apostolice sedis legato.* Cum dilectis filiis .. potestati, .. capitaneo, anzianis, consilio et communi Lucanis nostris sub certa forma demus litteris in mandatis ut, ne impediatur bonum pacis, quam tractari facimus inter eos et Pisanos, ab impugnatione et obsidione castri Aginulfi, Lunensis diocesis, quod iidem Pisani possident, omnino recedant et ad propria revertantur, injuncto nichilominus per alias litteras nostras eisdem Pisanis, qui contra civitatem Lucanam iterato exercitum congregare dicuntur, ut, ab ejusdem exercitus congregatione totaliter desistentes, nullam eidem civitati molestiam inferant vel offensam; volumus et presentium tibi auctoritate mandamus quatenus apud eosdem potestatem, capitaneum, anzianos, consilium et commune Lucanos ferventer et diligenter insistas, ut mandatum super hoc nostrum celeriter et efficaciter studeant adimplere; ita quod hujusmodi pacis tractatus, quem jam inchoatum esse credimus, ad laudem et gloriam divini nominis processum prosperum et exitum possit habere felicem, nosque devotionem tuam dignis exinde in Domino laudibus merito commendemus. Datum apud Urbemveterem, III kalendas augusti, anno II°. »

321 Orvieto, 14 juillet 1263.

Archiepiscopo Arborensi mandat quatenus, Guillelmo, judici Arboreae, qui ad eripiendum regnum Turritanum de manibus Manfredi, quondam principis Tarentini, se accinxit, favorem impendens, per totam Sardiniam verbum crucis praedicet et omnibus illam recipere volentibus largiatur concessa illis qui contra Manfredum in eodem regno procedent. (Reg. 26, n° 184, fol. 106 v°.)

« .. *archiepiscopo Arborensi.* Dilectus filius nobilis vir Guillelmus, judex Arboree, prout accepimus, pro fidelitate ac devotione quas gerit ad Romanam ecclesiam, cujus honoris precipuus zelator existit, ad eripiendum regnum Turritanum de manibus Manfredi, quondam principis Tarentini, qui occupavit illud et detinet occupatum, prout nobilitatem suam decuit, viriliter se accinxit, ad hoc exercitu congregato. Verum, quia eidem nobili tuum et aliorum fidelium auxilium ad hoc esse dinoscitur plurimum oportunum, fraternitati tue mandamus quatinus predicto nobili, ob reverentiam nostram et apostolice sedis, cujus in hoc negotium agitur, impendens super hoc, consilium, auxilium et favorem, et ad hoc, juxta datam tibi a Deo prudentiam, alios inducens, per totam Sardiniam, per te vel per alium aut alios, tam religiosos quam seculares, quos ad hoc ydoneos esse cognoveris, contra eundem Manfredum in subsidium dicti nobilis predices verbum crucis et illam volentibus recipere largiaris concessa illis, qui contra predictum Manfredum et fautores ipsius in eodem regno procedent in personis propriis et expensis, et eis qui in propriis personis dumtaxat, sed in alienis expensis, ac illis qui in expensis suis illuc mittent ydoneos bellatores, illam suorum veniam delictorum, de quibus veraciter corde contriti fuerint et ore confessi, de qua videris expedire. Contradictores etc., usque compescendo. Datum apud Urbemveterem, II idus julii, anno II°. »

322 Orvieto, 28 juillet 1263.

Quod accedant ad Paleologum et ad Grecos, et tractent ut redeant ad ecclesie unitatem. Item de eodem supra, capitulo CLVIII. Item infra CLXXXVI. Item capitulo CLXXXVII. Item

capitulo CLXXXVIII. Item capitulo CLXXXVIIII [1]. (Reg. 26, anni II, n° 185, fol. 106 v°; Potthast 18606.)

« *Fratribus Symoni de Alvernia, Petro de Moras, Petro de Crista et Bonifatio de Yporegia, de ordine fratrum Minorum, proficiscentibus in Greciam.* Cum hora undecima sit diei hominibus ut exeant ad opus usque ad mundi vesperam deputati, et illud Apocalipsis eulogium cito credatur cum matris ecclesie consolatione complendum, videlicet oportere viros spiritualis vite munditiam et intelligentie gratiam cum Johanne sortitos populis et gentibus, linguis regibusque multis denuo prophetare, quia non sequitur reliquiarum Israel per Ysaiam prophetata salvatio, nisi juxta Paulum apostolum prius introeat gentium plenitudo, nos, licet immeriti, super apostolice sedis speculam constituti, fideliter ac prudenter dispensandis Dei ministeriis et operibus coadjuvandis intendimus, si, urgente plenitudine temporis, post pia priorum studia in vineam Domini Sabaoth novos et pene novissimos, qui sapientiam longum didicere per otium, operarios mittere procuramus. Vos igitur, quos, juxta professe religionis officium, zelus comedit animarum, ad gentes, que Jesum Christum Dominum non cognoscunt, et ad subtractionis filios, qui sacrosancte Romane ecclesie non obediunt, destinamus, vobis in remissionem peccatorum omnium injungentes quatenus seminaturi super aquas multas, in illo tantum qui mundum dixit se vicisse confisi, ad illuminationem cece multitudinis et exterminium heretice falsitatis, ad confirmandos mutantium animos et fidelium confortandos in luce sermonis et rectitudinis operis propositum vobis iter sine offensione quorumlibet procuretis.

Ut autem ministerium vestrum honoretur plenius et honorabilius impleatur, presentium auctoritate vobis concedimus ut in terris, que adhuc sedis apostolice magisterio non intendunt, proponere verbum Dei et constitutis ibidem, non obstante si aliqui sunt excommunicatione ligati, in verbis et cibo ac in aliis secure communicare, et ipsos seu etiam alios converti ad unitatem christiane fidei cupientes, recipere, baptizare et aggregare filiis ecclesie sancte possitis. Liceat etiam vobis ibidem Latinis redeuntibus ad mandatum sedis apostolice, qui ex eo sunt excommunicatione ligati, quod ab ejusdem sedis unitate diverterant, absolutionis beneficium, juxta formam ecclesie, impertiri et super eo dispensare cum ipsis quod sacros receperunt ordines et divina celebrarunt officia sic ligati; hoc ipsum vobis sit licitum circa illos de terris eisdem qui infra etatem legitimam, aut qui omnes minores, vel qui superiores, pretermissis inferioribus, conferre seu recipere ordines presumpserunt, si tamen in hoc servata forma talis extiterit, per quam ordines recepissent. Vobis preterea dispensare liceat ut hii de partibus Grecie, qui ad ecclesie catholice redierint unitatem, inter suos habitent eisque communicent, necnon quod clerici earumdem partium publice ad obedientiam sedis apostolice redeuntes, gaudeant privilegio clericali. Sit etiam vobis licitum omnium fidelium in predictis partibus confessiones audire ac ipsis injungere penitentias salutares, et excommunicatos a canone vel alio modo juxta ecclesie formam absolvere, dummodo injuriam et dampna passis satisfaciant competenter. Cum irregularibus autem partium earundem in illis casibus, in quibus solent legati sedis apostolice dispensare, ac etiam cum clericis ipsarum partium patientibus defectum natalium, dummodo non sint de adulterio vel incestu aut regularibus procreati et alias bone conversationis existant, sit vobis dispensandi facultas, quam circa illos similiter habeatis, qui ab unitate ecclesie catholice seu religione vel clericali ordine discesserunt, si humiliter et publice redire voluerint et digne satisfacere de commissis, ita quod ipsi religiosi ad sua loca, salva disciplina ordinis, resumantur, et illos ex jam dictis, qui excommunicationis vinculo sunt astricti, juxta premissam formam et predicte satisfactionis modum absolvere valeatis, et cum irregularibus ex eisdem, sicut est expressum superius, dispensare. Ad hec, absolvendi occisores religiosarum personarum in predictis partibus constitutos, dummodo ecclesiis vel monasteriis et personis per hoc lesis condignam satisfactionem impendant, et fundandis de novo ibidem ecclesiis primarium lapidem concedendi, et reconciliandi illas que sunt casu aliquo prophanate ac discordantes inter se ad invicem, quod ad pacem et concordiam redeant, necnon quod inordinate viventes de suis excessibus, sicut justum fuerit, satisfactionem exhibeant, compellendi per censuram ecclesiasticam vobis libera sit potestas. Insuper in locis, in quibus vos hospitari contigerit, vel in locis partium earundem, in quibus residentiam facietis, missam et cetera divina celebrandi officia, interdictis et excommunicatis nominatim exclusis, ac dandi indulgentias et commutandi vota abstinentie facultatem plenariam habeatis. Ceterum vobis concedimus quod vestes sacerdotales, altaris pallas et corporalia vobis vestrisque fratribus necessaria possitis, cum necesse vobis fuerit, juxta formam ecclesie benedicere, ubi catholicorum episcoporum copia non habetur. Datum apud Urbemveterem, v kalendas augusti, anno II°. »

1. Ce résumé se lit en marge du Registre.

323 Orvieto, 28 juillet 1263.

Universis praelatis, conventibus et ordinibus mandat quatenus Simoni de Alvernia, Petro de Moras, Petro de Crista et Bonifacio de Yporegia, ordinis Minorum. ad partes Romaniae pro ecclesiae negotiis ab ipso destinatis, in cunctis necessariis curent providere. (Reg. 26, anni II, n° 186, fol. 107; Potthast 18608.)

« *Patriarchis, archiepiscopis et episcopis, abbatibus, prioribus et conventibus exemptis et non exemptis, S. Benedicti, Cluniacensis, Premonstratensis, S. Augustini et Cisterciensis ordinum, necnon decanis, prepositis, archipresbyteris, capitulis, preceptoribus ac prioribus militie Templi ac Hospitalis Jerosolimitani, ad quos littere iste pervenerint.* Ut ea que —. Datum ut supra. »

324 Orvieto, 28 juillet 1263.

Simoni de Alvernia, Petro de Moras, Petro de Crista et Bonifacio de Yporegia, ordinis Minorum, ut efficacius negotium in partibus Graeciae prosequi valeant, assumendi adjutores religiosos et saeculares, de quibuscumque conventibus seu locis voluerint, plenam concedit facultatem. (Reg. 26, anni II, n° 187, fol. 107 v°; Potthast 18607.)

« *Fratribus Symoni de Alvernia, Petro de Moras, Petro de Crista et Bonifatio de Yporegia, de ordine Minorum, nuntiis nostris in Greciam.* Cum vos de —. Datum ut supra. »

325 Orvieto, 1er août 1263.

Guillelmo de Villarduino mandat quatenus in his, quae super praedicto negotio ipsi duxerint injungenda, praedictis fratribus intendat. (Reg. 26, anni II, n° 188, fol. 107 v°; Potthast 18615.)

« *Nobili viro Willelmo de Villarduino, principi Achaye.* Cum nos dilectos filios Symonem de Alvernia, Petrum de Moras, Petrum de Crista et Bonifatium de Yporia (*sic*), fratres ordinis Minorum, ad Michaelem Paleologum, qui pro Grecorum imperatore se gerit, de fratrum nostrorum consilio ad hoc specialiter destinemus, ut ipsum, si umquam reduci potest, ad unitatem ecclesiasticam reducamus et inter alia, que eidem Paleologo scribimus, contineatur expresse ut interim, donec inter nos et ipsum super hoc tractatus habitus fuerit, commote jam per eum contra te cessent penitus simultates, terribiles armorum strepitus conquiescant, hostiles arceantur incursus et precipites bellorum impetus refrenentur, nobilitatem tuam rogandam duximus attentius et hortandam, mandantes quatenus, si dictus Paleologus hec, que sibi super hoc scribimus, duxerit adimplenda, et tu, fili, similiter ad requisitionem dictorum fratrum interim ab ipsius Paleologi impugnatione desistas, intendens eisdem fratribus in hiis, que tibi super hiis ex parte nostra duxerint injungenda, cum in hoc non nisi tuus agatur specialiter honor pariter et profectus; taliter igitur hujusmodi nostra precamina et mandatum adimpleas, ut possis a nobis de devotionis promptitudine merito commendari. Datum apud Urbemveterem, kalendis augusti, anno II°. »

326 Orvieto, 28 juillet 1263.

Principem et barones Achaiae rogat quatenus praedictis fratribus in praedicti negotii prosecutione assistant. (Reg. 26, anni II, n° 189, fol. 107 v°; Potthast 18609.)

« *Nobilibus viris . ., principi Achaye, ac universis baronibus illarum partium.* Inter alias sollicitudines —. Datum apud Urbemveterem, v kalendas augusti, anno II°. »

In e. m. nobili viro Michalitio, principi Thessalonicensi, spiritum consilii sanioris.

In e. m. duci et communi Venetorum.

327 Orvieto, 25 juillet 1263.

Fratri Johanni de Cantia, nuntio apostolico in Anglia, mandat quatenus regem Anglorum moneat ut censum annualem, pro eo tempore quo in illius solutione cessavit, certis mercatoribus Florentinis, infra certum terminum, faciat exhiberi. (Reg. 26, anni II, n° 190, fol. 107 v°; Potthast 18596.)

« *Fratri Johanni de Cantia, ordinis Minorum, nuntio nostro in Anglia.* Cum carissimus in Christo filius noster . ., rex Anglorum illustris, nobis et fratribus nostris sancte Romane ecclesie cardinalibus annuatim in certa summa pecunie, census nomine, teneatur, et in illius solutione diutius cessasse noscatur, discretioni [tue] per apostolica scripta mandamus quatenus regem ipsum ex parte nostra efficaciter moneas et inducas ut pecuniam hujusmodi pro eo tempore, quo in illius solutione cessavit, dilectis filiis Rucho Cambii et Raynerio Abbatis, civibus et mercatoribus Florentinis, sociis Jacobi de Scala, concivis ipsorum, vel eorum alteri, nostro et eorumdem cardinalium nomine, infra terminum competentem quem ad hoc ei peremptorie prefigendum duxeris, sine difficultate faciat exhiberi. Alioquin capellam ipsius regis supponas ecclesiastico

interdicto, non obstante si eidem regi a sede apostolica sit indultum quod ipsius capella per litteras apostolicas nequeat interdici, nisi de indulto hujusmodi plenam et expressam ac de verbo ad verbum fecerint mentionem. Datum apud Urbemveterem, VIII kalendas augusti, anno secundo. »

328 Orvieto, 4 août 1263.

Magistro Heliae, canonico Belvacensi, mandat quatenus ad castrum de Sancto Gemino, ecclesiae Romanae demanium, se personaliter conferat, et cum aliquibus sapientioribus ipsius castri hominibus tractet de invenienda area, in qua arx erigi possit. (Reg. 26, anni II, n° 191, fol. 108; Potthast 18616.)

« *Magistro Helye, canonico Belvacensi, capellano nostro.* Cum te ad diocesim Spoletanam pro quibusdam nostris et ecclesie Romane negotiis specialiter duxerimus destinandum, nos, volentes ut homines castri nostri de Sancto Gemino, quod est ipsius ecclesie speciale demanium, eo reddantur de apostolice sedis gratia et benivolentia certiores, quo evidentiora sibi adesse senserint apostolici signa favoris, disposuimus in animo nostro arcem in ipso castro, auctore Domino, ad honorem dicte sedis erigere, per quam, velut per certum dominii ejusdem sedis indicium, et ipsi homines de sue defensionis presidio confidant merito et aliis vendicandi sibi indebitum in ipso castro dominium spes et fiducia precludatur. Ideoque discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus ad predictum castrum te personaliter conferens, convocatis aliquibus de sapientioribus et fidelioribus ipsius castri hominibus, tractes et conferas cum eisdem de invenienda area in eminentiori et aptiori loco ejusdem castri, in qua fundare ac erigere seu edificare arcem hujusmodi valeamus; rescripturus vel relaturus nobis fideliter situm ac longitudinem et amplitudinem ipsius aree et quicquid super hoc cum eisdem hominibus duxeris ordinandum. Datum apud Urbemveterem, II nonas augusti, anno secundo. »

329 Orvieto, 4 août 1263.

Hominibus terrae de Ferentillo mandat quatenus fratri Raymundo, ordinis militiae Templi, quem ad castrum Peroculi, Spoletanae dioecesis, pro ipsorum partium bono statu destinat, in his, quae ad custodiam, munitionem ac defensionem ipsius castri pertinent, intendant et favorem impendant. (Reg. 26, anni II, n° 192, fol. 108.)

« *Universis hominibus terre monasterii de Ferentillo ac ceteris ecclesie Romane fidelibus per circumadjacentes eidem terre partes.* Cum nos dilectum —. Datum apud Urbemveterem, II nonas augusti, anno II°. »

330 Orvieto, 25 juillet 1263.

Prioribus et fratribus Servorum s. Mariae concedit ut celebrare generale capitulum et in eodem generalem priorem eligere possint. (Reg. 26, anni II, n° 193, fol. 108; Potthast 18597.)

« *Universis prioribus et fratribus Servorum s. Marie, ordinis s. Augustini.* Inducunt nos opera pietatis, quibus in vestro ordine cum omni diligentia deservitur, ut que ad profectum redundare ipsius ordinis prospicimus, affectu benivolo concedamus. Hinc est quod nos, vestris devotis supplicationibus inclinati, ut celebrare generale capitulum dicti ordinis ac eligere in eodem capitulo generalem priorem ejusdem ordinis possitis, qui, si in loco distante a curia Romana ultra quinque dietas, ab ipsius loci diocesano, si vero in loco infra dictas dietas consistente electus fuerit, a nobis et successoribus nostris electionis sue confirmationem accipiat, cui, pendente confirmatione hujusmodi, liceat unum vel plures vicarios discretos sui ordinis habere, vobis auctoritate presentium indulgemus. Nulli ergo nostre concessionis —. Datum apud Urbemveterem, VIII kalendas augusti, anno II°. »

331 Orvieto, 30 juillet 1263.

Capitulo Abulensi mandat quatinus Dominicum, de ordine fratrum Minorum, ad ecclesiam Abulensem procedentem admittant et ipsi tanquam pastori intendant. (Reg. 26, anni II, n° 194, fol. 108; Potthast 18611.)

« *Capitulo Abulensi.* Cunctarum ecclesiarum regimini —. Sane Abulensi ecclesia pastoris solatio destituta, vos pro celebranda electione futuri episcopi, convenistis in unum et, votis vestris in diversa divisis, venerabilem fratrem nostrum Dominicum, de ordine fratrum Minorum, episcopum Abulensem, ac magistrum Martinum, capellanum nostrum, decanum Burgensem, cantorem ecclesie supradicte, ad ipsius ecclesie regimen in discordia elegistis, et venerabili fratri nostro .., Compostellano archiepiscopo, loci metropolitano, electionibus hujusmodi presentastis; ac earundem electionum negotio per appellationem ipsius cantoris ad sedem apostolicam legitime devoluto, nos in ipso dilectum filium nostrum O., s. Adriani diaconum cardinalem, dedimus auditorem, coram quo, eodem pendente negotio, memoratus cantor renuntiavit libere juri, si quod sibi per electio-

nem premissam factam de ipso fuerat acquisitum, et demum in dictum episcopum, tam ipse quam illi qui eum elegerant, consenserunt. Memoratus quoque archiepiscopus, ad petitionem vestram, supradictam electionem, que de episcopo celebrata fuerat, confirmavit ac sibi munus consecrationis impendit. Nos autum confirmationem hujusmodi, quia ipsam, utpote factam pendente prelibato negotio coram eodem cardinale, invenimus esse nullam, cassavimus, illam cassam et irritam nuntiando. Et postmodum advertentes dignaque consideratione pensantes ejusdem episcopi laudabilium copiam meritorum et gregi dominico intendentes utiliter paterna diligentia providere, dictum episcopum religione conspicuum, vite munditia et morum honestate decorum, scientie litteralis eminentia preditum, in spiritualibus et temporalibus circumspectum, cujus caritatem vigere speramus erga plebem suo regimini commendatam, de fratrum nostrorum consilio et apostolice potestatis plenitudine ipsi ecclesie in episcopum prefecimus et pastorem, insurgente nobis fiducia et spe grandi concepta quod eadem ecclesia per sue circumspectionis industriam laudabilibus, auctore Domino, spiritualiter et temporaliter consurget augmentis. Quocirca universitati vestre per apostolica scripta mandamus quatenus eundem episcopum, ad supradictam ecclesiam cum benedictionis nostre gratia procedentem, devote ac ylariter admittentes et honeste tractantes, sibi tamquam patri et pastori animarum vestrarum humiliter intendere ipsique obedientiam et reverentiam debitam et devotam exhibere curetis, ejus salubria monita et mandata suscipiendo devote ac efficaciter adimplendo. Alioquin sententiam etc. usque observari. Datum apud Urbemveterem, III kalendas augusti, anno II°. »

332 Orvieto, 1er août 1263.

Benevenuto, archidiacono Anconitano, ecclesiae Auximanae procurationem committit. — (Reg. 26, anni II, n° 194 *bis*, fol. 108 v°).

« *Benevenuto, archidiacono Anconitano.* Recte agitur et —. Nos igitur diligentius advertentes quod, si negligeretur ulterius cura ecclesie Ausimane, facile in temporalibus et spiritualibus grave periculum pati posset, et volentes ob hoc talem ad ipsius custodiam deputare, cujus bonitate ac studio preservari a noxiis ad salubria dirigi et in prosperis possit, Deo propitio, ampliari, providentie tue humeris, confisi de tui fortitudine animi et diligentia circumspecta, ipsius ecclesie curam et regimen secure imponimus, concedentes te in procuratorem eidem ecclesie et tam in spiritualibus quam temporalibus procurationem illius tibi plenarie committentes; ita quod in utrisque disponendi, precipiendi et ordinandi libere, prout ejusdem ecclesie utilitatibus expedire videris, plenam habeas facultatem. Ideoque discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus, devote suscipiens cum fiducia impositum a Domino tibi onus et summittens fortitudinis tue collum ad hujusmodi sollicitudinis sarcinam, mente stabili deferendam, procurationem ipsam diligenter geras et salubriter ac utiliter exequaris. Ita quod predicta ecclesia sub tua vigilantia votivis amplificetur commodis et optatis consurgat, cooperante Domino, incrementis. Datum apud Urbemveterem, kalendis augusti, anno II°. »

Orvieto, 2 août 1263.

In e. m. Capitulo ecclesie Ausimane. Recte agitur etc. — Datum apud Urbemveterem, IIII nonas augusti, anno secundo. »

333 Orvieto, 3 août 1263.

Petro Garsiae, archidiacono Bracharensi, consideratione J., ss. Cosmae et Damiani diaconi cardinalis, defectu natalium non obstante, indulget ut ad episcopalem dignitatem eligi valeat. — (Reg. 26, anni II, n° 195, fol. 108 v°).

« *Petro Garsie, archidiacono Bracharensi.* Quamquam illegitime genitos a susceptione dignitatum ecclesiasticarum et ordinum sacrorum, canonum instituta repellant, cum eis tamen, qui morum honestate ac litterarum scientia defectum natalium redimere studuerunt, consuevit apostolice sedis benignitas dispensare, ipsos probitatis sue merito ad recipiendum hujusmodi ordines et dignitates habilitans, ad quod sue originis vitio esse inhabiles dinoscuntur. Sane in nostra proposuisti presentia constitutus, quod auctoritate litterarum felicis recordationis G. pape, predecessoris nostri, tecum super defectu natalium, quem pateris de presbytero et soluta genitus, extitit dispensatum ut, eodem non obstante defectu, posses ad sacros ordines promoveri et ecclesiasticum beneficium obtinere, ita tamen quod, si te ad episcopalem dignitatem vocari contingeret, illam nequaquam reciperes absque licentia sedis apostolice speciali. Nos igitur attendentes quod geni-

ture maculam decore virtutis nosceris abolere, favore meritorum redimens quod ortus odiosus ademit, ac volentes per hoc et consideratione dilecti filii nostri J., SS, Cosme et Damiani diaconi cardinalis, nobis super hoc supplicantis, tibi facere in hac parte gratiam ampliorem, ut, defectu non obstante predicto, ad hujusmodi episcopalem dignitatem licite eligi eamque recipere libere valeas auctoritate tibi presentium indulgemus. Nulli ergo nostre concessionis etc. Datum apud Urbemveterem, III nonas augusti, anno II °. »

334 Orvieto, 13 février 1263.

Electi Ebredunensis supplicationibus inclinatus, certas donationes et concessiones per Guillelmum, regem Romanorum, Henrico, episcopo Ostiensi, tunc archiepiscopo Ebredunensi, factas confirmat, tenorem inperialis privilegii praesentibus inseri faciens —. (Reg. 26, anni II, n° 196, fol. 109).

«.. *electo Ebredunensi.* Ecclesie tue profectibus. — Sane in nostra proposuisti presentia constitutus, quod clare memorie Willelmus, rex Romanorum, attendens grata obsequia que venerabilis frater noster Henricus, Ostiensis episcopus, tunc archiepiscopus Ebredunensis, antecessor tuus, in suis et Imperii negotiis prudenter et fideliter impendebat, civitatem Ebredunensem, castra, villas, oppida, possessiones, feuda, servitia, census, pensiones, justitias, laudismia, pedagia, tholonea, jura, dominia et quasi dominia ceteraque bona, corporalia et incorporalia, cum omnibus pertinentiis suis, que idem archiepiscopus vel sui predecessores in Ebredunensi, Vapincenci et Taurinensi diocesibus quocumque modo vel titulo adepti fuerant, vel que dictus archiepiscopus et successores ejus possent in posterum adipisci, necnon privilegia, donationes et libertates Ebredunensis ecclesie ac predecessoribus ipsius archiepiscopi ab antecessoribus dicti regis imperatoribus seu regibus vel aliis quibuscumque concessa, insuper etiam merum et mixtum imperium, jurisdictionem omnimodam, adempra, quistas, tallias vel exactiones consuetas, que de jure fieri possent in eisdem locis per eundem regem vel de mandato suo, eidem archiepiscopo suisque successoribus habenda, possidenda, tenenda, regenda, percipienda, petenda, defendenda, exequenda et exercenda per se vel per alium seu alios pleno jure, libere et quiete, nulla prescriptione currente vel obstante aut etiam usu contrario vel non usu, necnon potestatem faciendi seu creandi tabelliones publicos, quorum instrumentis plena fides debeat per totum Imperium adhiberi, ac nonnullas alias libertates et immunitates, sub diversis nominibus et articulis comprehensas, liberaliter motu proprio donavit atque concessit, et que prefati archiepiscopus seu predecessores ejus antea in predictis locis habuerant, eis auctoritate regia ex certa scientia confirmavit, prout in privilegio inde confecto, typo munito regio, plenius continetur. Nos itaque, tuis supplicationibus inclinati, donationem, concessionem et quicquid provide per eundem regem in hac parte factum est, ratum et firmum habentes, illud auctoritate apostolica ex certa scientia confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus, tenorem dicti privilegii de verbo ad verbum presentibus inseri facientes, qui talis est:

« Willelmus, Dei gratia Romanorum rex semper augustus, universis Imperii fidelibus has litteras inspecturis, gratiam suam et omne bonum. Consuevit liberalitas culminis nostri principes et magnates Imperii gratis beneficiis ac dignis honoribus exaltare, promotionibus ipsorum favorabiliter insistendo, ut ad obsequendum nobis facilius inducantur. Sed et celsitudinis nostre requirit honestas ut ecclesiarum Dei exaltationibus desiderabiliter et efficaciter intendere debeamus earumque libertates extendere et, cum in hiis optima mensura sit immensitas, de regie benignitatis munificentia affluenter et liberaliter elargiri.

Significandum itaque duximus universis et singulis, tam presentibus quam futuris, ut, quia dilectus princeps noster Henricus, sancte Ebredunensis ecclesie venerabilis archiepiscopus, de mandato domini pape Innocentii quarti, sanctissimi patris nostri, ecclesiam Ebredunensem ac omnia sua relinquens agenda, in sancte matris ecclesie, nostrum et Imperii obsequium nuper ad tempus se transtulit, in eodem, nobis videntibus et audientibus, prudenter et fideliter elaborans, civitatem Ebredunensem, castra, villas, oppida, possessiones, feuda, servitia, census, pensiones, justitias, laudismia, pedagia, tholonea, jura, dominia et quasi dominia et omnia alia bona, corporalia et incorporalia, cum pertinentiis suis omnibus, que idem archiepiscopus vel predecessores sui in Ebredunensi, Vapincensi et Taurinensi diocesibus, jure institutionis, mortuariorum, legatorum, relictorum, judicationis pro anima, donationis, emptionis, permutationis aut alio quocumque nomine, titulo seu modo, inter vivos seu mortuos hactenus adepti sunt vel, dante Domino, idem archiepiscopus vel successores sui poterunt in posterum adipisci, de quibus per tres vel duos testes vel litteras sigillo autentico sigillatas poterit fides fieri, sed et illa, que dicti archiepiscopus vel predecessores sui vel alii ipsorum nomine tenuerunt a tempore cujus non

extat memoria, necnon et privilegia omnia, donationes et libertates predicte ecclesie Ebredunensis ac predecessoribus ipsius archiepiscopi a nostris antecessoribus, imperatoribus seu regibus aliis quibuscumque concessa, vel quibus hucusque usi sunt; insuper merum et mixtum imperium et jurisdictionem omnimodam, adempra, quistas, tallias vel exactiones consuetas vel que de jure fieri possent in eisdem locis vel per nos vel de speciali mandato nostro, vel quas dictus archiepiscopus vel successores sui, necessitate vel utilitate sua vel ecclesie sue pensata, ibidem facere voluerint; demum omnia alia ad predictos quoquomodo nunc vel in posterum spectantia eidem archiepiscopo ac suis successoribus habenda, possidenda, tenenda, regenda, percipienda, petenda, defendenda, exequenda et exercenda per se vel per alium seu alios pleno jure, libere et quiete, nulla prescriptione currente vel obstante aut etiam usu contrario vel non usu, id est quod hoc privilegio usum non fuerit sicut melius, utilius et plenius ad utilitatem dictorum archiepiscopi et ecclesie et successorum suorum declarari, exponi seu intelligi potest, de providentia consilii nostri supradicta ponderantes et considerantes, liberaliter et motu proprio donamus atque concedimus, et que antea habuerant, ex certa scientia auctoritate regia confirmamus. Non obstantibus in premissis vel infrascriptis vel ipsorum aliquo, quod consensus dominorum, a quibus in feudum vel emphyteosim vel alio quocumque modo, titulo seu nomine, res vel bona predicta tenebantur vel tenentur vel tenebuntur, non fuerit habitus vel etiam requisitus, vel quod provide non fuerit datum laudismium seu trezenum, vel pars pretii data seu reddita quocumque homine censeatur, vel quod, lite pendente seu discordia mota, dicatur hoc privilegium impetratum, vel jure dicente quod sine consensu dominorum vel illorum, a quibus res tenentur, predicta alienari vel onerari vel in potentiorem transferri non possint et specialiter illis legibus, rescripto et sacri affatus et constitutione que dicit quod privilegia renovari debeant, et generaliter omni vel aliquo jure generali vel speciali, usu, consuetudine seu statuto, indulgentia, libertate, rescripto etiam imperiali seu regali vel privilegio cuicumque vel quibuscumque concessis, impetratis vel impetrandis, quamvis de ipsis specialem et expressam, etiam de verbo ad verbum, in presentibus oporteat fieri mentionem, contrariis, vel aliquo alio, per quod supradicta vel infrascripta vel ipsorum aliquod in totum vel in partem infringi vel revocari, differri, perturbari vel impediri possent aliquatenus vel deberent, adeo quod in supradictis vel infrascriptis vel ipsorum aliquo, nec nostra nec successorum nostrorum imperatorum seu regum secunda jussio expectetur; sed incontinenti fides adhibeatur et executioni mandentur cuncta cum effectu, sine quolibet obstaculo, et irrevocabiliter plenissimam habeant roboris firmitatem. Ad hec ex uberiori gratia adicientes nichilominus supradicto archiepiscopo et ecclesie sue necnon clero, civibus et habitatoribus dictorum locorum vel in eis vel eorum territoriis aliqua bona se moventia, mobilia vel immobilia, corporalia vel incorporalia, qualitercumque possidentibus seu quasi, universis et singulis et successoribus eorum et posteris omnibus universalibus et singularibus, realibus, personalibus vel mixtis, hanc facimus gratiam specialem et concedimus libertatem ac perpetuam immunitatem damus, ut ab omnibus muneribus et oneribus publicis, communibus seu privatis, realibus, personalibus aut mixtis, et aliis talliis, quistis, adempris, exactionibus et collectis patriarum, civitatum seu provinciarum, sive consistant in angariis, perangariis sive patrimonialibus vel aliis quibuscumque et ex quacumque causa, que fieri seu exigi consueverunt vel fieri seu exigi contingerent per quamcumque personam seu personas publicas seu privatas, maximas, medias vel minimas vel quascumque alias, contra inhibitionem predicti archiepiscopi vel successorum suorum faciendis vel requirendis vel attemptandis, sint quoad personas et res et bona omnia ad supradictum archiepiscopum et ecclesiam suam vel successores suos qualitercumque nunc et in posterum pertinentia, in perpetuum liberi et immunes penitus et exempti; ipse tamen archiepiscopus et successores sui possint, sicut nos possemus, supradicta et infrascripta omnia et singula facere et exercere et exigere plene et libere, sine obstaculo quolibet, quandocumque et quotiescumque eis videbitur expedire. Concedimus etiam eidem archiepiscopo et successoribus suis quod possint facere et constituere tabelliones publicos et sollempnes, quorum instrumentis per totum Imperium fides plenissima adhibeatur. Instrumenta etiam seu litteras, bulla seu sigillo ejusdem archiepiscopi vel successorum suorum vel curie sue vel capituli sui, sede vacante, vel etiam instituta in contractibus vel negotiis dictos archiepiscopum et ecclesiam vel successores suos tangentibus munita, fidem plenissiman et probationen faciant ac si confecta essent per manum publicam; et idem intelligimus de instrumentis seu litteris temporibus predecessorum suorum confectis et sigillis eorumdem munitis; districtius inhibentes ne quis de civitate Ebredunensi vel castris vel locis dictorum archiepis-

copi et ecclesie habitis vel habendis utatur aliis instrumentis; quod si fecerit, nullam habeant firmitatem. Insuper sepedicto archiepiscopo et successoribus suis concedimus quod per totum regnum Arelatense et Viennense, per se vel per alium seu alios possint jurisdictionem voluntariam, etiam in modum arrogationis vel legitimationis, plenissime ac libere exercere. Errorem etiam seu defectum, si quis est vel fuerit in predictorum acquisitione vel retentione vel in presenti nostro privilegio vel aliqua parte sui, seu etiam de facto vel de jure notari vel inveniri posset ab aliquo, sicut ad utilitatem dictorum archiepiscopi et ecclesie et successorum suorum ab aliquo melius, plenius et utilius interpretari, specificari [1], exprimi aut declarari posset vel intelligi, proprio motu et ex certa scientia, de plenitudine potestatis supplemus et interpretari et intelligi volumus et mandamus, non obstantibus supradictis vel eorum aliquo aut quolibet in contrarium allegari seu dici posset vel etiam cogitari. Mandamus igitur, sub interminatione gratie nostre, districte precipientes ut omnes et singuli universa et singula supradicta curent, sine diminutione aliqua, integraliter observare et efficaciter adimplere, et nullus sit qui predicta vel aliquod predictorum a nostra serenitate eis tam liberaliter concessa audeat infringere, vel ea vel ipsorum aliquod in eorum lesionem vel jacturam seu prejudicium retorquere, si vellet eodem jure uti etiam contra ipsos vel eis in parte vel in toto alterius ingenii vel cavillationis scrupulo vel juris seu facti dubio contraire, vel in bonis, possessionibus aut rebus eorundem dampnum aliquod vel injuriam irrogare. Quod qui facere presumpserit gravem offensam nostre celsitudinis et majestatis indignationem se noverit incursurum. Insuper etiam pro solo conatu, in reatus sui penam, centum libras auri solvat, medietatem camere nostre, reliquas injuriam passis, prout est hactenus Imperio consuetum. Ad harum autem gratiarum, donationum, concessionum, confirmationum et libertatum nostrarum evidentem memoriam ac robur in posterum, hoc presens privilegium conscribi et sigillo nostre celsitudinis jussimus communiri. Datum Colonie in domo.., prepositi ecclesie s. Georgii, per manum Henrici, venerabilis electi Spirensis, sacri Imperii cancellarii, anno ab incarnatione Domini M°. CC°. LI°, indictione VIIII, XVIII kalendas januarii, anno regni nostri quarto.

« Testes qui interfuerunt sunt hii : Jacobus, ecclesie Laudunensis archidiaconus; Eberhardus, prepositus Fuldensis, notarius noster; Emetho de Liningen; Otto de Nassowe; Emicho Silvester, Henricus de Willenowe, comites; Godefridus de Eppenstein, Wernerus de Bolandia et quamplures alii, clerici et laici. Et ego Henricus, electus Spirensis, sacri Imperii cancellarius, vice domini Gerardi, electi Moguntini, sacri Imperii per Germaniam archicancellarii, recognovi, et per manum Werneri scriptoris, canonici Wetflariensis ecclesie, Treverensis diocesis, qui hoc privilegium scripsit, hanc subscriptionem vice mea apponi feci. »

Nulli ergo nostre confirmationis etc. Datum apud Urbemveterem, idus februarii, anno II°. »

1. Ce mot a été ajouté en marge.

335 Orvieto, 27 juillet 1263.

Civitatem Recanatensem, cujus cives ecclesiae Romanae persecutoribus adhaeserunt et in nocumentum fidelium ipsius ecclesiae de Marchia Anconitana conspiraverunt, episcopali dignitate perpetuo privat. (Reg. 26, Curiales N° 197, fol. 110; Potthast 18599).

« *Ad certitudinem presentium et memoriam futurorum.* Cives Racanatenses, antique devotionis et fidei, quam ad Romanam gerere consueverunt ecclesiam, prorsus obliti et favorabilium gratiarum, quibus sedes apostolica eos eorumque terram, erigendo inibi ecclesiam cathedralem ac decorando terram ipsam episcopalis titulo dignitatis, multipliciter honoravit, immemores et ingrati, contra nos et eandem ecclesiam calcaneo rebellionis erecto, sic ejusdem ecclesie persecutoribus pertinaciter in ipsius ecclesie dispendium adheserunt sicque patenter et ferventer cum eisdem persecutoribus in nocumentum fidelium ipsius ecclesie de Anconitana Marchia conspirarunt, quod, ad offendendum in illis nos et predictam ecclesiam sua principaliter et totaliter studia convertentes, quantumcumque ad eos clamaverimus ut conversi ab erroris invio quo dampnabiliter cum persecutoribus ipsis incedunt, ad dulces et suaves ipsius ecclesie reverterentur amplexus, noluerunt hactenus vocem nostre pie revocationis audire, sed ad gravioris exaggerationem offense, adversariis ipsius ecclesie majora semper continuaverunt et continuant incrementa favoris, qui, eorum telis armati, fortius et crudelius ad totius depressionem insiliunt regionis. Et licet, eorum culpis exigentibus, digne ac dure potuissemus ab olim procedere contra ipsos, volentes tamen misericorditer experiri utrum in eisdem civibus scintilla devotionis aliqua remansisset, que, salubribus excitata monitis, in debite resurgeret caritatis ardorem illorumque corda ex rebellionis jam tepefacta rigore in vigorem pristinum et amorem ecclesie predicte reduce-

ret, cives ipsos per dilectum filium Manfredum, Veronensem electum, capitaneum et rectorem predicte Marchie ac ducatus Spoletani, sub certa forma moneri ut, infra quindecim dies post monitionem hujusmodi relictis eisdem persecutoribus, precise ad nostra et ipsius ecclesie mandata redirent eisque predici fecimus et etiam comminari quod, sic infra hujusmodi terminum talibus monitis non parerent, nos extunc civitatem Racanatensem episcopali dignitate, qua iidem, propter ipsorum infidelitatem et alias etiam venerabilem fratrem nostrum.., Racanatansem episcopum, habendo contemptui, reddebant penitus se indignos, apostolica auctoritate privare et alias contra ipsos et eandem civitatem dure ac aspere, spiritualiter et temporaliter, prout videremus expediens, procedere curaremus. Sed dicti cives Racanatenses, quia eorum mentes adeo sunt ad rebellionis pertinaciam indurate, quod nullius possunt superinfusione olei quomodolibet emolliri, hujusmodi monitis et comminationibus vilipensis, infra predictum terminum et etiam post terminum ipsum per quatuor mensium spatium expectati, redire ad mandatum nostrum et ipsius ecclesie non curarunt, immo ecclesiam ipsam in suis fidelibus durius vexare postmodum presumpserunt, propter quod nos non valentes ulterius, absque gravi Christi offensa, eorum iniquitates et infidelitates amplius tolerare, ac considerantes quod ferro scindenda sunt vulnera, que fomentorum non recipiunt medicinam ; predictam civitatem Racanatensem, de fratrum nostrorum consilio, episcopali dignitate perpetuo, sine aliqua spe restitutionis, apostolica auctoritate privamus, statuentes ut nullis umquam futuris temporibus civitas eadem ad hujusmodi episcopalem dignitatem valeat reassumi. Nulli ergo nostre privationis et constitutionis, etc. Actum apud Urbemveterem, VI kalendas augusti, anno II°. »

336 Orvieto, 13 août 1263.

Episcopo Parisiensi mandat quatenus contra praeceptores, priores et fratres Parisiensis et aliarum domorum ordinis militiae Templi provinciae Senonensis, qui fratrem Stephanum de Syssiaco capere et captum detinere non potuerunt, non procedat aut processum suum studeat revocare. — (REG. 26, anni II, fol. 110 v° 198).

«.. *episcopo Parisiensi.* Ex parte dilectorum filiorum., magistri, et fratrum ordinis militie Templi in Francia fuit propositum coram nobis, quod nos dilectis filiis preceptoribus, prioribus et fratribus Parisiensis et aliarum domorum ipsius ordinis provincie Senonensis nostris dedimus litteris in mandatis ut ipsi, infra unius mensis spatium post receptionem litterarum ipsarum, fratrem Stephanum de Syssiaco ejusdem ordinis caperent et captum sub fida custodia detinerent usque ad nostre beneplacitum voluntatis ; si vero iidem id nollent vel omitterent seu negligerent facere, se scirent ex tunc excommunicationis sententie subjacere ac nichilominus privilegiis et libertatibus eis ab apostolica sede indultis fore privatos necnon jurisdictioni ordinariorum suorum subjectos, sicut sunt ceteri non exempti. Injunximus quoque tibi per alias nostras litteras ut eosdem preceptores, priores et fratres ex parte nostra diligenter monere curares ut infra unum mensem post monitionem tuam eundem fratrem Stephanum capere procurarent, alioquin eos ex tunc excommunicatos nuntiares et faceres ab aliis nuntiari, ac privilegiis et libertatibus hujusmodi fore privatos et jurisdictioni ordinariorum suorum subjectos, sicut sunt ceteri non exempti. Tu autem, mandati nostri diligens executor, eos diligenter super hoc monuisti, juxta traditam tibi formam. Ex parte vero predictorum magistri et fratrum coram te propositum extitit quod ipsi aut predicti preceptores, priores vel fratres ipsius provincie in hoc negligentes vel remissi non erant, immo parati existebant nostris in hac parte obedire beneplacitis reverenter, et optulerunt sub fide quam facere poterant et sub ordine ipsorum quod circa captionem dicti fratris Stephani, si eum invenire possent vel scirent locum in quo esset, bona fide facerent posse suum, et ne hujusmodi occasione contra predictos preceptores, priores et fratres in aliquo procederes, ad nostram audientiam appellarunt. Sane tu, audita excusatione hujusmodi, que prima facie legitima videbatur, hujusmodi supersedisti negotio, et eisdem magistro et fratribus certum terminum assignasti, infra quem te certificari super hoc per nostras litteras procurarent, prout in litteris tuis tuo sigillo munitis plenius continetur. Quare predicti magister et fratres nobis humiliter supplicarunt, ut eis providere super hoc paterna sollicitudine curaremus. Nos itaque attendentes quod cum dictus frater S. se ad alias partes, ita quod dicti preceptores, priores et fratres ipsum habere seu capere non possunt, transtulisse dicatur, per consequens ipsis non videtur aliquid imputandum, cum rem que culpa caret in dampnum vocari non conveniat, fraternitati tue mandamus quatinus contra predictos preceptores, priores et fratres, occasione premissa in aliquo non procedas, et si processisti contra eos in aliquo, processum tuum studeas revocare. Et nos nichilominus predictas litteras et processum, si quis contra eos vel ipsorum aliquem per te aut subdelegatos tuos occasione

hujusmodi, auctoritate litterarum ipsarum, est habitus et si quem haberi contigerit et hujusmodi excommunicationis et privationis sententias ad cautelam nichilominus revocamus. Datum apud Urbemveterem, idus augusti, anno II°. »

337 Orvieto, 9 août 1263.

Magistro Alberto, notario apostolico, et Carolo, Andegaviae ac Provinciae comiti, mandat quatenus detineant omnes Florentinorum infidelium pannos et merces, quae nuper in nundinis Franciae emerunt et signo civium Romanorum et aliorum Romanae ecclesiae devotorum signari fecerunt ad hoc ut ea sine impedimento ad terras sub Manfredi, quondam principis Tarentini, dominio constitutas asportari facerent. — (Reg. 26, anni II, fol. 111, n° 199 [1]).

Magistro Alberto, notario nostro, et nobili viro Karolo, Andegavie ac Provincie comiti. Olim in die Cene Domini proximo preterito, cives Florentini (*sic*) qui civitatem Florentinam hoc tempore detinent, presente tunc fideli populo, manifeste monuimus, ut usque ad sequens tunc festun Ascensionis Dominice, quod pro peremptorio eis prefiximus termino, ab omni favore quem impendunt Manfredo, quondam principi Tarentino, persecutori ecclesie manifesto, desistere, et ad mandatum ecclesie redire curarent, aperte predicentes eisdem quod, si nostris super hoc non acquiescerent monitis et preceptis, nos ad faciendum arrestari bona ipsorum ubicumque invenirentur, et alias etiam contra ipsos et civitatem predictam spiritualiter et temporaliter, prout videremus expediens, procedere curaremus. Et quia iidem cives infra predictum terminum redire ad mandatum ecclesie non curarunt, nos licet de jure potuissemus procedere contra eos, volentes tamen adhuc benignius et clementius agere cum eisdem, memoratos cives Florentinos in predicto festo Ascensionis Dominice, presente tunc fidelium multitudine copiosa, iterato, monuimus ut usque ad festum apostolorum Petri et Pauli proxime preteritum, quod similiter pro peremptorio eis assignavimus termino, ab omni ejusdem Manfredi favore desisterent et humiliter ad mandatum et devotionem ecclesie predicte redirent, firmiter insuper eis duximus inhibendum ne contra civitatem Lucanam, sedis apostolice devotissimam, exercitum congregare et adversus illam ejusve territorium seu districtum procedere quomodolibet attemptarent. Prediximus quoque ipsis quod nisi ab ejusdem Manfredi favore desisterent et redirent ad mandatum ecclesie infra terminum supradictum, vel si contra hujusmodi inhibitionem nostram facere vel venire presumerent, nos ad faciendum capi bona et personas eorum ubicumque invenirentur et alias etiam contra ipsos et civitatem ipsorum durius et asperius spiritualiter et temporaliter procederemus, prout expediens videremus. Sed quia iidem cives Florentini, monitis nostris omnino contemptis, infra hujusmodi terminum ab ipsius Manfredi favore desistere ac redire ad mandatum et devotionem ecclesie non curarunt, quinimmo contra inhibitionem nostram temere veniendo, adversus predictam civitatem Lucanam exercitu congregato, una cum maledictionis filiis Pisanis civibus perfidis Senensibus ac protervis Pistoriensibus et quampluribus aliis eorum complicibus hostiliter procedere presumpserunt, ejus territorium et districtum ignis incendio et aliis diversis depopulationum generibus devastando, nos nolentes eorum iniquitatibus indulgere prefatos cives Florentinos, propter hujusmodi eorum presomptuosam contumaciam et contumacem presumptionem, excommunicationis et anathematis vinculo duximus innodandos, universis et singulis eorum debitoribus et omnibus de bonis ipsorum habentibus undecumque et cujuscumque status, condicionis et dignitatis existerent, astante tunc fideli populo, de fratrum nostrorum consilio, auctoritate apostolica, sub pena excommunicationis districtius inhibentes ne ipsis civibus Florentinis aliqua de debitis et bonis hujusmodi in parte vel in toto restituant sine mandato nostro vel licentia speciali faciente plenam et expressam de inhibitione hujusmodi mentionem, sed illa tanquam arrestata tamdiu detinere procurent, donec aliud eis de debitis et bonis hujusmodi duxerimus injungendum. Manifeste insuper prediximus quod, nisi dicti cives Florentini usque ad festum Assumptionis beate Marie virginis proximo venturum, quod pro peremptorio eis prefiximus termino, ab omni prorsus ejusdem Manfredi favore desisterent et ad mandatum ecclesie humiliter ac devote redirent, nos mandaremus ex tunc venerabilibus fratribus nostris universis patriarchis, archiepiscopis et episcopis ceterisque ecclesiarum prelatis, necnon principibus, ducibus, marchionibus, comitibus et baronibus, ac potestatibus, capitaneis, consulibus, consiliis et communitatibus civitatum, castrorum aliorumque locorum ubilibet constitutis, ut personas eorumdem Florentinorum civium, quarum arrestationem apostolica tunc benignitate suspendimus, necnon et bona illorum in terris eorum dominio et jurisdictioni subjectis existentia caperent et detinerent, donec intimaremus eis nostre super hoc beneplacitum voluntatis, et nichilo-

1. En marge : *De arrestatione bonorum civium Florentinorum. Item similiter supra de eodem, capitulo XLII.*

minus tam personas quam bona hujusmodi exponeremus libere tam ipsis quam ceteris fidelibus occupanda et alias etiam ad duriora, graviora et asperiora contra ipsos et civitatem eorum spiritualiter et temporaliter, prout eorum protervia exigeret et videremus expediens, procedere curaremus. Verum quia, sicut intelleximus, dicti cives Florentini, de hujusmodi nostra comminatione perterriti, ad hoc ut pannos et alias res eorum, quos nuper in nundinis Francie emisse noscuntur, possint sine impedimento ad terras sub predicti Manfredi dominio constitutas facere asportari et ut hujusmodi res et panni nullatenus arrestentur, pannos et res eosdem signari fecerunt signo civium Romanorum et aliorum Romane ecclesie devotorum, ut sub illo panni et res hujusmodi transeant incogniti penitus et intacti, nos eorum fraudibus apostolica sollicitudine obviare volentes, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatinus vos vel alter vestrum omnes, pannos cunctasque res et merces predictorum infidelium[1] tamdiu detineatis et faciatis etiam detineri, donec nostrum super hoc beneplacitum vobis duxerimus intimandum. Tu autem, fili magister Alberte, contradictores, si qui super hoc fuerint vel rebelles, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compescas. Non obstante si —. Datum apud Urbemveterem, v idus augusti, anno II°. »

In e. m. nobili viro Raynerio Zeno, duci Venetorum.

338 Orvieto, 1er août 1263.

Patriarchae Antiocheno mandat quatenus fratri Guillelmo de Fraxineto anglico, de ordine Praedicatorum, per episcopum Portuensem, nullo ipsi episcopali assignato titulo, in episcopum consecrato, de episcopali vel episcopali titulo alicujus metropolitanae ecclesiae, Romanae ecclesiae immediate subjectae, providere procuret, eidem pallium conferat, recepto fidelitatis solitae juramento — (Reg. 26, anni II, fol. 111 v°, n° 200).

« . . *patriarche Antiocheno*. Meritis venerabilis filii nostri fratri Willelmi de Fraxineto anglico de ordine Predicatorum, latoris presentium, provida meditatione pensatis, ipsum per venerabilem fratrem nostrum.., episcopum Portuensem, fecimus in episcopum, nullo sibi episcopali assignato titulo, consecrari. Cum igitur dictus episcopus ad partes ultramarinas cum apostolice gratia benedictionis accedat, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus si in Arabia vel Media sive Armenia de aliquo episcopali titulo alicujus cathedralis ecclesie vel, si expedire videris, de archiepiscopali, auctoritate nostra providere procures; et si de archiepiscopali titulo alicujus metropolitane ecclesie patriarchatui Antiocheno[1] non subdite, sed ecclesie Romane immediate subjecte, forsitan ei duxeris providendum, palleum, in quo plenitudo pontificalis officii designatur, eidem auctoritate predicta conferas et assignes, recepto ab ipso nostro et ipsius ecclesie Romane nomine fidelitatis solite juramento, secundum formam quam tibi sub bulla nostra mittimus interclusam. Contradictores, etc. Datum apud Urbemveterem, kalendis augusti, anno II°. »

339 Orvieto, 20 août 1263.

Dominis de Arrone sub certa pena inhibet ne castrum de Arrone communi Spoletano vendere praesumant. — (Reg. 26, anni II, fol. 111 v°, n° 201).

« *Nobilibus viris dominis de Arrone, fidelibus nostris*. Cum, sicut intelleximus, vos castrum vestrum de Arrone communi Spoletano vendere disponatis, nos attendentes quod dictum castrum, quod a Romana ecclesia tenetis in feudum, per vos alienari non potest nec debet sine nostra et apostolice sedis licentia speciali, nobilitati vestre apostolica auctoritate, sub pena quinque milium marcharum argenti, tenore presentium districtius inhibemus ne castrum ipsum vel aliquam ejus partem, sine nostra et ipsius sedis licentia vendere, distrahere, permutare, de novo infeudare aut in emphyteosim seu ad censum dare aut alias alienare quomodolibet presumatis. Nos enim ex tunc auctoritate predicta irritum et inane decernimus quicquid de castro ipso contra hujusmodi nostre inhibitionis tenorem per vos vel vestrum aliquo seu aliquem contigerit attemptari. Datum apud Urbemveterem, XIII kalendas septembris anno II°. »

340 Orvieto, 20 août 1263.

Magistro Guillelmo, canonico ecclesiae s. Antonini Placentini, mandat quatenus dominis de Arrone inhibeat ne castrum de Arrone vendant communi Spoletano ac decernat « quicquid per ipsos contra tenorem inhibitionis hujusmodi attemptari contigerit, irritum et inane, faciens exinde confici publicum

1. Ces deux derniers mots sont récrits sur un grattage.

1. Ces derniers mots sont récrits sur un grattage.

instrumentum », illud ipsi papae transmissurus. — (Reg. 26, anni II, fol. 111 v°, n° 202).

« *Magistro Guillelmo, canonico ecclesie s. Antonini Placentini, capellano nostro.* Intellecto nuper quod —. Datum ut supra. »

341 Orvieto, 21 août 1263.

Potestatibus, consiliis et communitatibus Reatinis, Interamnensibus ac de Nursia et Cassia, necnon universis hominibus terrae monasterii de Ferentillo ceterisque ecclesiae Romanae fidelibus per vallem Spoletanam constitutis mandat quatenus, quandocumque a magistro Guillelmo, praeposito ecclesiae s. Antonini Placentini, quem ad castrum de Arrone, commissa ei ejusdem castri custodia, destinat, fuerint requisiti, exercitum congregare curent. — (Reg. 26, fol. 111 v°, n° 203; Potthast 18626).

« *Potestatibus, consiliis et communitatibus Reatinis, Interrammensibus ac de Nursia et Cassia necnon universis hominibus terre monasterii de Ferentillo ceterisque ecclesie Romane fidelibus per vallem Spoletanam et alias partes civitati et diocesi Spoletane conterminas constitutis.* Intellecto quod cives Spoletani pravum, quem habent circa nobiles viros dominos de Arrone, fideles nostros, intendunt sue malignitatis propositum publicare, nos memores existentes quod nos eosdem dominos sub nostra et apostolice sedis protectione suscepimus, ac volentes promptis propter hoc ipsis nobilibus assistere presidiis et favoribus oportunis adesse, ecce dilectum filium magistrum Guillelmum, prepositum ecclesie s. Antonini Placentini, capellanum nostrum, virum utique experte prudentie ac examinate virtutis et nobis ac fratribus nostris sue meritis probitatis acceptum, ad castrum de Arrone, commissa ei ejusdem castri custodia, in favorem et defensionem eorumdem nobilium specialiter duximus destinandum. Ideoque universitatem vestram monendam, rogandam attente duximus et hortandam, per apostolice vobis scripta sub debito fidelitatis qua nobis et ecclesie predicte tenemini, districte precipiendo mandantes quatenus, sicut nostram et apostolice sedis caram habetis gratiam, quandocumque et quotienscumque ab eodem capellano fueritis requisiti, generalem congregare exercitum et alias etiam tam in bellatoribus quam balistariis et aliis, eidem capellano, prout idem vobis injunxerit, subvenire curetis ; ita quod ea que sue industrie commisimus, vestro interveniente auxilio, valeat efficaciter adimplere, nosque promptitudinem vestram condignis exinde gratiarum actionibus prosequamur. Alioquin sententiam sive penam quam idem capellanus spiritualiter et temporaliter tulerit in rebelles etc. usque observari. Datum apud Urbemveterem, xii kalendas septembris, anno ii°. »

342 Orvieto, 5 août 1263.

Abbati et conventui monasterii de Nonantula inhibet ne castrum s. Moriani [1], situm in valle Arni, quod ad ipsum monasterium in temporalibus plene pertinet, vendere, distrahere, concedere, permutare, infeudare seu in emphyteosim aut ad censum dare seu alias alienare praesumant. — (Reg. 26, anni II, fol. 112, n° 204; Potthast 18618).

« *. . abbati et conventui monasterii de Nonantula, ordinis s. Benedicti, ad nos et Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis.* Volumus et universitati —. Datum apud Urbemveterem, nonis augusti, anno ii°. »

343 Orvieto, 5 août 1263.

Abbati de Spugna mandat quatenus et ipse praedictam inhibitionem abbati et conventui monasterii de Nonantula facere procuret ac irritum et inane decernat, si secus duxerint praesumendum, et de inhibitione ac decreto hujusmodi confici faciat publicum instrumentum — (Reg. 26, anni II, fol. 112, n° 205).

« *. . abbati de Spugna, Vulterane diocesis.* Cum nos dilectis —. Datum ut supra. »

344 Orvieto, 20 août 1263.

Regi Francorum narrat quomodo soldanus Babyloniae, treugarum fide violata, christianos sit aggressus, et ipsum rogat quatenus auxiliatricem dexteram extendat ad praestandum Terrae Sanctae subventionis celeris ac opportunae remedium. — (Reg. 26, anni II, n° 206, fol. 112; Potthast 18624).

«*.. regi Francorum illustri.* Vocem terroris audivimus : formido, et non est pax. Hec vox, multi doloris nuntia, super vulnerum nostrorum dolores adiciens, in excelsis audita est de partibus Orientis, vox quidem lamentationis et fletus et luctus. Residua namque Christicolarum paucitas transmarina lamentatur nec immerito flet et luget. Formido enim et fovea et laqueus super eam et que fugisse credebat a facie formidinis Tartarorum, a Babylonis furore confunditur, in ejus

1. *Sic in Reg.* Potthast donne *Mariani,* qui est peut-être plus exact.

foveam incidit et ipsius laqueis irretitur. Propter quod multiplicatis afflictionibus, lamenta multiplicans, de superingeminatis doloribus fletus ingeminat, et de continua et intolerabili persecutione, que jam exterminium comminatur extremum, clamores luctum continuando frequentat. Clamat ad Christi vicarium, christianos principes et te principaliter, christianissime principum, interpellat. Obprobriis satiata, tue post Deum potentie brachium vindicem expetit. Graviter sauciata, tibi vulnera detegit, a te singulariter operam medicantis expectans.

Verum, dum ea, que de statu miserabili Terre Sancte venerabilium fratrum nostrorum .. archiepiscopi Nazareni, .. Bethleemitani et .. Ebronensis episcoporum, ac dilectorum filiorum fratrum Hugonis, domus hospitalis s. Johannis Jerosolimitani, Thome, domus militie Templi magistrorum, Hermanni, preceptoris domus hospitalis s. Marie Theutonicorum, nobilis viri Gaufridi de Sarzinis, regni Jerosolimitani bajuli, et quorundam aliorum magnatum partium earundem lacrimabilis insinuatio per litteras patefecit et nuntios, anxii referre satagimus, in seipsam mens nostra reflectitur et loca dudum corporali presentia cognita, quorum destructio tam calamitosa describitur, representativa quadam commemoratione quasi presentialiter intuetur. Tunc paternum subit affectum ut ex intimis suspiria prodeant, oculi solvantur in lacrimas, singultus erumpant; ad que tam antiquarum oppressionum terre illius consideratione inducimur quam illatarum noviter recentia provocamur. Cujus enim animus, omnis compassionis expers, sine suspiriorum succedentium sibi frequentia, sine lacrimarum profluvio, sine succussu singultuum, aut antiquas ipsius recensebit angustias aut considerabit instantes, cum in antiquis unde graviter dolere possit, inveniat, et in instantibus materia multi timoris et meroris occurrat? Nam si antiquas et antiquatas jam illius terre pressuras pii judicii censura discutiat, o quanta Christicolis causa doloris et horroris ingeritur, si debita inter cetera pietate considerent, post strages fidelium varias, post alternatos frequentissime successus prosperos et casus adversos, sacratissima loca illa, quorum alterum oriens ex alto Virginis puerpere partui et suo dignissimo deputavit ortui, alterum vero ipse idem Auctor vite sue passioni et morti delegit, per immundissimos Sarracenos occupata violenter ab olim, detenta viliter et ipsorum vilissima contrectatione polluta! O quanta compassione moveri debent Christiani cujusque precordia, si prudenter intelligat, diligenter attendat quis status erat, hiis quasi diebus, pusilli gregis Dominici, residui videlicet in regione illa populi Christiani, cum Tartarica feritas, multitudine numerosa prevalida et sevitia innata terribilis, sic in convicina regna et partes invaluit quod, eorum aliquibus depopulatis omnino et ipsis ac aliis subjugatis et sue subditis ditioni, modicum illud christianitatis residuum et comminationum inculcatione terrebat et ei jugum sue importabilis servitutis vel ipsius excidium variis terroribus minabatur! Si autem ad eam, que nunc imminet et dissimulari non potest, ejusdem terre desolationem dirigimus nostre considerationis intuitum, hinc timor, hinc meror, hinc ploratus et ululatus incolarum regionis illius, hinc nobis et cunctis christicolis pudoris novi suffusio et pudor confusionis immense, si Redemptoris nostri et piissime sue Genitricis tam atroces injurias de cetero vel patientia dampnabili toleremus vel dampnosa tolerantia patiamur.

Ecce etenim, dum divina providentia in Sarracenorum perfidiam Tartarici gladii ultionem, quasi sui virgam furoris exercens, totam terram ab Alapia usque ad Jerusalem eorum spurcitia pugnavisset, et tandem, Tartaris exterminatis, exinde fidelibus in partibus illis solum hostis Babylonicus superesset eisque adeo videretur arridere prosperitas ut, abbreviatis viribus hostium, immo ipsis etiam hostibus pro magna parte deletis, ad recuperanda deperdita spes pateret et prosperi status reintegratio sponderetur, Christianis negligentibus causam Christi, perfidus soldanus Babylonie, treugarum et pactorum fide, quam cum Christianis ipsis inierat, infideliter violata, cum exercitu copioso, quem in gravi multitudine congregarat, castrametatus inter montem Thabor et Naym, et tota Christianorum terra usque ad portas Acconis occupata hostiliter et inter admiratos suos pro libito distributa, per varios nuntios a christiane fidei cultoribus aditus, sollicitatus multipliciter et sollicite requisitus, in aliquo inclinari non potuit nec moveri quin idem prophanus hostis, radicati prosecutor odii, quod contra christianum nomen et cultum, de iniqua editus radice, conceperat, dolos preparans, iniquitatem pariens, sic in venerandam ecclesiam Nazarenam, infra cujus ambitum Virgo virginum salutata per angelum, de Spiritu sancto concepit et ipsius partus angelico extitit prenuntiatus afatu, manus non solum occupatrices sed etiam destructrices injecerit, quod ipsam per sacrilegos et nefandos iniquitatis sue ministros totaliter destruens, redegit ad solum, ejus structura nobili omnino destructa. Ecclesiam insuper Montis Thabor in Dominice Transfigurationis honore constructam, ac ecclesiam de Tabula, ubi Deus et Homo, unigenitus Dei Filius, Jhesus Christus

post resurrectionem suam cum discipulis suis, vera et infallibilia resurrectionis ejusdem et sue humanitatis eis exhibens argumenta, comedit, sacrilegio simili demolitus, et post paucos dies planitiem Acconensem aggressus, ipsam, quam jam incursuum multiplicatione concusserat, multis vexavit incendiis; ac turri Doc, circa quam castra fixerat, igne supposita, capta et diruta custodumque ipsius aliis morti traditis, reliquis, ut diutius morerentur, captivitati servatis, demum civitatem Acconensem aggressus, eam quam multe caristie coartabat inedia, circumadjacentium viridariorum maneriis ignis voracitate consumptis, primum sagittis impetiit et postmodum, alis equitum ordinatis, cum equitatus et armorum fragore per cimiterium beati Nicolai transitum faciens, contra paucos milites christiane religionis athletas, qui extra fossatum civitatis ejusdem ad ipsius tutamen et propriam defensionem exierant, dimicaturus cum eis, immo verius, ut in spiritu superbie sue credebat, eos absorbiturus accessit. Sed, ut firmiter credimus, adstitit de celo predictis athletis auxilium; astitit illius potentia, in cujus conspectu non est differentia in multis liberare vel paucis. Ipse illos de manibus inimicorum eripuit, ipse civitatem predictam a rugientibus preparatis ad escam sue virtutis potentia liberavit. Nam paucis ex dictis militibus qui mortem hujus seculi, signo Crucis vivifice insigniti, tam felici martyrio finierunt, transeuntibus, ut speramus, ad vitam, reliquos sagittarum et spiculorum pluviam, que, grandinis more, undique insultabant, ferre amplius non volentes, memorato tamen Gaufrido et aliquibus aliis, licet paucis, vulneratis ex eis, civitas ipsa sola Dei virtute recepit.

Hiis, fili carissime, hiis et hiis similibus, immo etiam gravioribus, agitatur Terra Sancta procellis; hiis trahicitur (*sic*) fluctibus, hiis tempestatibus fluctuat, talibus inibi christianitas lacessitur injuriis, talibus lassatur angustiis, talium pressurarum mole comprimitur! Et profecto, si tu precipue ac ceteri catholici mundi principes vestros subduxeritis humeros, immo nisi ei celeriter subventionis porrexeritis dexteram, irremediabiliter, ut creditur, opprimetur. Licet enim impiissimus ille Soldanus, hostis christianitatis infestus, constantiam Christifidelium in defensione predicte civitatis expertus, ad tempus ut occuparet Crace et Montis-Regalis castra, quorum dominum proditorie captivarat, abscesserit, suo in diversis locis exercitu derelicto, ut fideles per frequentes ipsorum insultus atterat et eos in suo reditu facilius debellet attritos, comminatus est tamen se, post modicum temporis, eo instructiorem hominibus, armis et instrumentis bellicis rediturum, quo ad delendum de terra illa omnem catholice fidei et christianorum memoriam ipsum vacaturum instantius preteritorum conjectura pretendit. Si enim que gesta sunt dissimulationis conniventia non transimus, satis advertere possumus quod ad exterminandum omnino in supradictis partibus christianitatis reliquias, civitatem predictam, ejusdem christianitatis in partibus ipsis robur, tam potenter, tam ardenter invasit, ad abolendum pro posse nomen Domini omnino de terra, annuntiationis et conversationis loca destruxit; et quasi matrem piissimam tam carissimi non afficerent injurie filii vel eam in offensam ipsius preterirent offense, predictam Nazarenam ecclesiam, ut premittitur, destruendo, specialiter sevivit in ipsam.

Ha Deus! erectus est inimicus! manum suam misit hostis ad queque desiderabilia Terre Sancte! vineam Domini aper de silva sine obice contradictionis exterminat! singularis ferus, nullo impediente, depascitur. Ha Deus! Non inveniet advocata nostra patronum? gentis christiane patrona non inveniet defensorem? peccatorum refugium ad quem confugiat non habebit? Deus judex, justus Deus, ultionum Dominus suorum prosecutorem jurium et injuriarum non habebit ultorem? Absit, absit ut desit Virgini tua maxime aliorumque Christifidelium in tanta necessitate devotio! Absit quod premissum christianitatis residuum derelinquatur excidio, bestiarum dentibus exponatur! Absit, ut Redemptoris nostri negotium, quod tu et tui progenitores incliti tot estis hucusque prosecuti laboribus, tam immensis sustinuistis expensis, imo et eorundem principum destitutum auxilio et per hoc finali precipitio derelictum, in illius desperationis baratrum corruat, quod ut resurgat in posterum, spei reliquie non supersint! Accendant igitur zelum tuum tot et tante tui contumelie Salvatoris! Exurgat, quesumus, magnificentia regia, exurgat in adjutorium Christo suo! Consurge, fili, Domino adversus malignantes et adversus operantes iniquitatem, ei perseverantia consueta consiste!

Ceterum, licet nonnullos alios orbis terre magnates ad subveniendum terre predicte litteris nostris hortemur, quia tamen tuum specialiter, serenissime regum, orat et implorat auxilium causa Regis eterni, excellentiam regiam affectuose rogamus et obsecramus attente, in remissionem tibi peccaminum suadentes quatenus illius sueque genitricis vindicandis obprobriis, super quem pro nobis obprobria exprobrantium ceciderunt, auxiliatricem dexteram regie majestatis extendens, ad prestandum terre memoràte subventionis celeris ac oportune remedium, prout, ipsius pensatis conditionibus, quas tua sublimitas non ignorat, expedire putave-

ris, ita promptum exhibeas regalis pietatis affectum quod ceteri fideles ad festinum ejusdem terre succursum, quem ipsius extrema necessitas instanter exigit, tuo inducantur exemplo, sicque divine potentie virtute preambula reprimantur nationis prave atque perverse conatus et, inimicorum fidei confractis cornibus, fidelium cornua exaltentur, Domini liberetur hereditas, christianus populus de ore leonis et bestie manibus eruatur, tibique non solum de beneficiis, que tu ipse illi terre impenderis, sed et de hiis, que ab aliis te in hoc laudabiliter imitantibus impendentur, merces accrescant retributionis eterne. Datum apud Urbemveterem, XIII kalendas septembris, anno II°. »

345 Orvieto, 23 août 1263.

Conjurationes, quas nonnulli magnates et alii regni Angliae fecerunt ad invicem, cassat et irritat. (Reg. 26, fol. 113 v°, n° 207).

« *Universis Christifidelibus presentes litteras inspecturis*[1]. Egressus Sathan a facie Domini et mittens ventum validum a regione deserti, regnum Anglie[2] concussit acriter ollamque indignationis in ipso succendit. Nam, sicut accepimus, nonnulli magnates et alii regni ejusdem diversas conjurationes, colligationes et conspirationes fecerunt ad invicem, vallantes eas juramentis propriis et diversarum adjectione penarum. Nos itaque attendentes quod per conjurationes, colligationes et conspirationes hujusmodi predicto regno ac ejus incolis, preter animarum pericula, multa possunt provenire dispendia et etiam nocumenta, considerantes quoque perturbationem ipsius regni, quod inter alia regna fidelia Deo et apostolice sedi a longinquis temporibus specialiter devotum extitit, potest eidem sedi in multis generari prejudicium et libertati apostolice non modicum detrimentum, tranquillum statum et prosperum predicti regni et incolarum ipsius ac specialiter carissimi in Christo filii nostri .. regis Anglie illustris, quem sincere caritatis brachiis in Domino amplexamur, multipliciter affectantes, circa ea diligenter intendimus, per que pax et tranquillitas regi et regno ac incolis predictis, Deo propitio, valeat provenire. Ut igitur, dissensionis et scandali ab eodem regno summota materia, regnum ipsum in opulentia pacis et tranquillitatis, juxta nostra vota, persistat, conjurationes, colligationes et conspirationes predictas, quocumque nomine censeantur, cassamus et irritamus, cassa et irrita et nullius firmitatis existere nuntiamus, penas quascumque super hoc adjectas et juramenta prestita relaxantes ac decernentes quoscumque ad observationem juramentorum hujusmodi et ad penas easdem aliquatenus non teneri. Nulli ergo nostre cassationis, irritationis, nuntiationis, relaxationis et constitutionis etc. Datum apud Urbemveterem, X kalendas septembris, anno II°. »

1. Le f° 113 étant en partie endommagé par l'humidité, la lecture en est parfois difficile.

2. Le Registre porte *Angue*

346 Orvieto, 25 août 1263.

Ut virum idoneum ecclesiae Marsicensi praeficiat in episcopum et pastorem. (Reg. 26, fol. 113 v°, n° 208).

« *Anibaldo, basilice duodecim Apostolorum presbytero cardinali.* Cum ecclesia Marsicensis pastore vacare dicatur ad presens, nos nolentes ut eadem ecclesia ex vacatione diutina aliquam incurrat in spiritualibus et temporalibus lesionem, discretioni tue de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, presentium auctoritate committimus quatinus, habens pre oculis solum Deum, aliquem virum ydoneum qui tanto congruat oneri et honori et de quo expedire videris, per te vel per alium eidem ecclesie in episcopum preficias et pastorem, faciens ei de quo ipsi ecclesie providendum duxeris, a capitulo et aliis ipsius ecclesie subditis, tanquam patri et pastori animarum suarum obedientiam et venerationis debitum exhiberi, ac nichilominus a tribus episcopis quos malueris, munus consecrationis impendi. Contradictores —. Datum apud Urbemveterem, VIII kalendas septembris, anno II°. »

347 Orvieto, 7 juin 1263.

Dispensatio super pluralitate beneficiorum. (Reg. 26, fol. 113 v°, n° 209).

« *Magistro Thome, archipresbytero ecclesie de Senna, Laudensis diocesis.* Obtentu dilecti filii nostri G., s. Georgii ad Velum Aureum diaconi cardinalis, pro te nobis cum instantia supplicantis, personam tuam speciali gratia prosequentes ut, archipresbyteratum ecclesie de Senna, Laudensis diocesis, curam animarum habentem, et canonicatus ac prebendas quos in majori ecclesia s. Laurentii Laudensis ac s. Antonini Placentini ecclesiis canonice te proponis adeptum et quibus animarum cura nullatenus est annexa, libere valeas retinere, non obstante constitutione quam felicis recordationis Celestinus papa, predecessor noster, tunc s. Marci presbyter

cardinalis et in partibus Lombardie apostolice sedis legatus, edidisse dicitur, ne quis in eadem civitate vel plebe, absque dispensatione sedis apostolice, plura beneficia valeat obtinere, tibi auctoritate presentium indulgemus, proviso quod beneficia hujusmodi debitis obsequiis non fraudentur et in dicto archipresbyteratu animarum cura nullatenus negligatur. Nulli ergo nostre concessionis etc. Datum apud Urbemveterem, VII idus junii, anno II°. »

348 Orvieto, 21 août 1263.

Electionem sepulturae in ecclesia S. Crucis Gadicensis, a rege Castellae factam, approbat et confirmat. (Reg. 26, fol. 113 v°, n° 210, Potthast 18625).

« .. *regi Castelle ac Legionis illustri.* Excelsum fecit in terris qui habitat in altissimis Deus pro eo potissime regnum tuum, ipsius terminos magnifice dilatando, quod regia celsitudo suam ab ipso, qui tam sibi tribuit, potentiam gratitudine debita recognoscens, non ad oppressionem fidelium sed propagationem fidei et divini cultum nominis per populorum multiplicationem fidelium augmentandum adversus nationes exteras jugiter experitur. Ex hoc namque ipse Deus tam progenitores tuos quam et tuam magnificentiam exultationis et letitie oleo pre participibus tuis ungens, tibi nomen fecit grande supra nomen magnorum qui sunt in terra, tibi et dicto regno in rore celi et terre pinguedine uberrime benedictione impensa, propter quod Romana ecclesia mater tua super te, filio benedicto et christianissimo principe, jucundatur et gaudet ac preces ad Deum fundit assiduas ut, ab omni te adversitate custodiens, concedat quod per regnum temporale quod obtines, felici commercio tibi pateat expeditius transitus ad eternum.

Et quidem plura sunt et maxima que de regalis excellentie virtuosis et strenuis actibus recenseri possunt, sed admirandum nostris nuper venit insinuatione regia sensibus et stupendum propositum, quod de regalis corporis sepultura non a suggestione humana, sed a spiritu Domini concepisti, per quod liquido datur intelligi quod pro fide dilatanda catholica et fidelium robore decertare cupias, etiam rebus humanis exemptus, ut quod vivens regium corpus nondum efficere potuit, efficaciter exanime in tue salutis compendium prosequatur. Nam cum insula Gadicensis, in qua, ut asseritur, est maris portus accomodus et tranquillus, propter maditerranei (*sic*) structuram maris, Africe sit infesta plurimum et ad ejus conquisitionem janua possit esse fidelibus, si superexcrescentibus christianis incolis repleatur, tu id, tamquam fidelissimus princeps, prudenter attendens, ut tua clara memoria, postquam in Domino requieveris, reges qui tibi successerint, ad ipsius loci custodiam et augmentum animet et inducat, ac propter hoc fideles populi libentius inibi eligant incolatum, apud ecclesiam s. Crucis quam in ipsa insula, loco dicto *Caliz*, ut taceamus de fulciendis nunc per te herculeis edificiis et menibus restaurandis antiquis, miro facis opere fabricari, quamque nos ad tuam instantiam per nostras litteras pontificalis cathedre titulo decorari mandamus, elegisti deliberatione pia et provida sepulturam, a nobis suppliciter postulans ut quod a te de sepultura hujusmodi pro fidei fideliumque favore factum est, apostolice acceptationis robore munientes, id adimpleri districtius mandaremus. Nos itaque, cum nullus ibi de tuis majoribus cujus ad id affectione traharis, fuerit tumulatus, verisimili conjectura tenentes quod hec laudabilis et accepta Deo, ut credimus, dispositio regie sepulture de fidei et caritatis fervore tantum processit, tuis postulationibus annuendo, eam gratam et acceptam habemus, auctoritate presentium universis clericis et laicis quorum intererit, sub pena excommunicationis, districtius injungentes ut te circa sepulturam ipsam in dispositione hujusmodi finaliter perdurante, cum de hac luce, Deo vocante, migraveris, corpus tuum honorifice in dicta ecclesia s. Crucis, quantum in ipsis fuerit, faciant sepeliri, nec aliquatenus super hoc venire presumant contra regiam voluntatem. Nulli ergo nostre acceptationis et mandati etc. Datum apud Urbemveterem, XII kalendas septembris, anno II°. »

349 Orvieto, 28 août 1263.

Nonnullas dispensationes de pluralitate beneficiorum electo Lugdunensi concedit. (Reg. 26, fol. 114, n° 211).

« *Philippo, Lugdunensi electo.* Consuevit interdum apostolica sedes personas generositate sublimes, factis et fama pollentes, specialium privilegiorum insigniis, in signum precipue benivolentie ac gratie specialis, favorabiliter presignire, ut ex hoc Deo gratos et eidem sedi devotiores se reddere studeant de devotis. Sperantes itaque quod, quanto magis a dicta sede te perspexeris honorari, tanto ei devotius obsequeris, primiceriatum ac prebendam Metenses et decanatum Viennensem ac omnia ecclesiastica beneficia, prioratus, personatus ac dignitates que cum animarum cura et sine cura, promotionis tue tempore, obtinebas et ad presens obtines, prepositura Brugensi et cancellaria Flan-

drensi dumtaxat exceptis, tibi ex habundanti de novo et ex speciali gratia conferentes, auctoritate apostolica ipsa tibi plenarie reservamus, tibi nichilominus concedentes ut ea una etiam cum archiepiscopatu Lugdunensi — possis licite retinere, quousque gratia hujusmodi per sedem apostolicam extiterit revocata. Eadem quoque auctoritate decernimus ipsa vel eorum aliquod non vacasse medio tempore nec vacare, ac irritum et inane si quid de ipsis vel eorum aliquo apostolica vel quavis auctoritate contigerit quomodolibet attemptari. Concedimus insuper tibi ut in personatibus, dignitatibus ac aliis beneficiis hujusmodi per ydoneum possis vicarium deservire, quodque fructus et proventus ipsorum cum ea possis integritate percipere qua eos perciperes, si in eis personaliter resideres, statuto vel consuetudine contrariis nequaquam obstantibus, juramento, confirmatione sedis apostolice vel alia firmitate qualibet roboratis, aut qualibet alia indulgentia sedis ejusdem, speciali vel generali, sub quacumque forma verborum obtenta, de qua specialem et expressam ac de verbo ad verbum, sive de prelatorum aut ecclesiarum ipsorum nominibus mentionem fieri oporteat, et per quam effectus presentium posset aliquatenus impediri. Porro, ad amplioris gratie incrementum, tuam pacare conscientiam ac paci et tranquillitati tue providere volentes, nos circa personatus et dignitates ac alia beneficia supradicta, electionis, collationis, presentationis, restitutionis et retentionis ac alium quemlibet supplemus defectum, siquis in premissis vel quolibet premissorum extiterit, de plenitudine potestatis. Hujusmodi autem gratiam nostram ita demum robur firmitatis volumus obtinere, si in primis mensibus, qui post presentium receptionem occurrerint, te feceris ad subdiaconatus ordinem promoveri. Nulli ergo nostre collationis, reservationis, concessionis, constitutionis et suppletionis etc. Datum apud Urbemveterem, v kalendas septembris, anno II°. »

350 Orvieto, 27 août 1263.

Riccardum, in Romanorum regem electum, per Guillelmum, archidiaconum in ecclesia Parisiensi, ad apostolicam præsentiam citari jubet, ut de imperii Romani negotio procedatur. (Reg. 26, fol. 114 v°, n° 212) [1].

« *Carissimo in Christo filio Riccardo, in Romanorum regem electo.* Qui celum terramque regit, is nimirum celi novit ordinem et in terra potest celestis ponere ordinis rationem, is exempla de superioribus ad inferiora derivans, sicut in firmamento celi duo luminaria magna constituit, ut mundum vicibus suis illustrent, sic et in terris maxima dona sua, sacerdotium videlicet et imperium, ad plenum spiritualium mundanorumque regimen, ad firmamentum ecclesie universalis instituens, utriusque potestatis ita discrevit officia, ut eorum officiosa diversitas nulla sibi adversitate dissentiat, sed in commissi executione regiminis, ex officii debito, in voti unitate concordet, et ipsorum proculdubio profutura concordia, alterius fulta presidiis et utriusque mutuis fota favoribus, opus justitie liberius operetur, pacem mundo pariens, tranquillitatem inducens et nutriens unitatem. Imperium siquidem ad salutem sacerdotali auctoritate dirigitur, et ipsius adjutum suffragiis, sedatis procellosis interdum imminentium tempestatum turbinibus, tranquillum redditur et quietum. Sacerdotium vero pium et tutum habere debet refugium, imperialem mansuetudinem cum sua veneratione conjunctam, ut Imperii Romani fastigio presidens, specialis advocati et defensoris precipui circa ecclesiam gerat officium, et in ipsius fortitudine brachii defensentur ecclesie libertates et jura manuteneantur ipsarum, extirpentur hereses, cultus christiane fidei amplietur, et inimicis consternatis ejusdem, in pacis pulchritudine sedeat populus christianus, ac in requie opulenta quiescat.

Verum, humani generis inimicus, pacis impatiens, amator litium, discordie seminator, utriusque profectibus invidens, clare memorie Willelmo, Romanorum rege, rebus humanis exempto, inter te et carissimum in Christo filium nostrum A., regem Castelle ac Legionis illustrem, in Romanorum regem electum, circa obtinendam ejusdem imperii dignitatem contentionis materiam suscitavit, ut, vobis circa hoc contendentibus, careret imperialis regiminis commodis orbis terre, et tanti brachii, tam utilis, tam necessarii, tam cari carentiam, ex ipsius imperii vacatione diutina, molestam admodum et nocivam, dampnosa experientia, ecclesia prefata sentiret. Sensit utique, sensit mater ecclesia tam populi sibi commissi quam suam gravem de hujusmodi contentione jacturam. Crevit namque perversorum audacia et ipsorum habundanter malitia, dum, eodem vacante imperio, ipsi ecclesie defensionis debite suffragia subtrahuntur, liberius peccatis insistitur, hereses pullulant, scandala suscitantur, multiplicantur cedes et strages, injurie invalescunt, in persecutionum turbinibus Petri navicula fluctuat, et interdum qui fidelium ipsius censeri no-

1. Potthast donne par erreur à cette lettre et à la suivante la date du 31 août 1263. (Cf. Potthast n° 18635).

mine gloriantur, in arcum perversum, fidei debitum non servando, conversi, eam in suis juribus injuriose impetunt et molestant, illa nunc denegando pro libito, nunc illicite occupando. Propter quod eadem ecclesia non immerito hujusmodi vacationem deplorat imperii, et de animarum periculis, que peccandi libertas ingerit, ex intimis longa trahens suspiria, ingemiscit. Ex eo insuper quam dure, quam graviter materna ejus viscera quatiuntur quod alias eadem ecclesia ipsa tam caros filios, tam inclitos principes in suo sentiens utero collidentes, prudenter advertit tuam et predicti alias electi regis potentiam in Christi blasphemos, et inimicos nominis christiani potenter et magnifice more solito exercendam, in proprium et grande domesticorum fidei detrimentum talibus contentionibus implicari. Hec igitur et alia incommoda dissensionis hujusmodi eadem ecclesia materno pensans affectu, in hiis auxilii sui dexteram non subtraxit, sed vigilavit attentius, attentione sollicita vigilanter intendit multaque sollicitudine pervigil laboravit, ut discriminibus tantis occurreret, teque ac ipsum alias electum regem a discordiarum dispendiis preservaret. Et licet inter vos judicis partes assumere hucusque distulerit pro eo quod tam tui, quam ipsius alias electi regis nuntii, in felicis recordationis, Alexandri pape, predecessoris nostri, nostra et fratrum nostrorum presentia constituti, super predictis judiciarium apostolice sedis examen, usque ad hec tempora, declinarint, dilationem tamen hujusmodi illa etiam utilitatis utriusque partis consideratio et paterne pietatis cautela, pro vobis consilium capiens, persuasit ut, vestris animis habilitatis interim ad reformanda inter vos amicitie federa, congruentia tempora captarentur et remedia promptiora paterent, per que, discordie occasione sublata, vos glutinum solide caritatis uniret, ac in vestre soliditate concordie, quam tractatus, qui super hoc inter vos dicebantur haberi, promittere videbantur, sub sui principis ducatu pacifico daretur eidem sabatismus imperio, et sedatis scandalis, ipsius subditis quietis optate jocunditas proveniret, pestis exterminaretur heretica, animarum pericula vitarentur, ecclesia, imperiali munita presidio et ab hostibus erepta persecutorum incursibus, respiraret, ac eorum qui sub simulate fidelitatis audacia, nocent fidentius, temeraria nocendi confidentia refrenata, suorum jurium integritate gauderet. Hec quidem hactenus expectavimus anxii, hec desideravimus anxia expectatione diutius. In hiis predecessoris, nostra et fratrum ipsorum sollicitudo non defuit, secundum apostolice circumspectionis judicium, de contingentibus nil omittens. Et quamquam ut votis nostris satisfieret in hac parte, hucusque non fuerit ex alto concessum, tamen ad id semper nostra suspiravit intentio, ad id plenis desideriis anxiamur, non proponentes a ceptis desistere, quin circa negotium hujusmodi, sub spe illius qui facit magna et inscrutabilia, qui facit concordiam in sublimibus, prosequi pacis semitas, intendamus quicquid per nuntios et procuratores partium coram nobis novissime hiis diebus propositum, petitum fuerit et responsum.

Et quidem venerabilis frater noster Laurentius episcopus, et dilecti filii Willelmus archidiaconus Roffenses ac Robertus de Baro, procuratores et nuntii tui, a te plenariam potestatem habentes, ut in nostro consistorio tua alias ejus proponerent negotia, et peterent cum sollempnitate qua conveniret, vocationem tuam, alias suam, sollempniter ad coronam, ac universa et singula circa hec gererent, agerent fideliter, et procurarent que per veros nuntios ac procuratores ad hoc specialiter deputatos, legitime possent agi, peti et etiam procurari, quibusdam consuetudinibus prelibatis, quas servandas in electione Romani principis asserebant, proposuerunt inter cetera tam per electionem de te, alias de ipso, ubi et quando, et a quibus debuit legitime celebratam, quam per consensum tuum, alias suum, in ipsa, et per inunctionem, coronationem, inthronizationem in sede magnifici Karoli et alia subsecuta, alias ex eadem electione secuta, tibi alias eidem electo, ut dicitur, predictis consuetudinibus observatis, et nulli alii plenum jus quoad proprietatem et possessionem in prefatis regno et imperio acquisitum, ac regnum, nomen, et imperii diadema indubitate deberi, et supplicaverunt instanter ac inter alia humiliter petierunt tibi, alias ipso electo, et hujusmodi nomen ascribi, et te, alias eum, per nos inungendum, consecrandum et coronandum in Romanum imperatorem, advocatum ac defensorem ecclesie, ad ipsum diadema de nostris suscipiendum manibus, sine dispendio ulterioris more vocari, et apostolicum tibi, alias sibi, favorem impendi, petitionem hujusmodi, variis tam facti quam juris allegationibus, et quampluribus nichilominus premissis protestationibus fulcientes, ac dicentes ipsam per contradictionem memorati regis, alias tuam, vel electionem si qua de ipso vel te facta fuerat, utpote contra pretactas imperii consuetudines, post tuam vel suam, non cassatam nec cassandam etiam, et ab hiis qui saltem tunc nullum jus habebant id faciendi, presumptam, non debere aliquatenus impediri.

Ex parte vero supradicti regis, per venerabilem fratrem nostrum Garsiam Silvensem, et fratrem Dominicum Abulensem episcopos, et dilectos filios magistros Johannem, capellanum nostrum, archidiaconum Compostellanum, et Radulphum de Podiobonizi, ipsius regis procuratores, actores et negotiorum gestores generales et speciales, ita quod occupantis non sit melior conditio, mandatum habentes ab eodem, vel a te, rege, ad petendum pro ipso, vel te, et suo, vel tuo, nomine a nobis et predictis fratribus nostris coronam imperii, et assignari sibi, vel tibi, diem ad recipiendum ipsam, et ad agendum, respondendum, defendendum et ad tractandum jura sua, vel tua, et imperii, et quicquid honori suo, vel tuo, expedire viderent, sive in ordinario, sive in extraordinario judicio ageretur, fuit e contra propositum eundem regem ad predicta regnum et imperium a majori parte principum, vocem in hujusmodi electione habentium, electum fuisse legitime, ac esse in ipso regno et imperio potiorem, et electionem de te factam, vel de memorato electo, inunctionem, coronationem ac cetera subsecuta, ex eadem electione tua, vel ipsius, ex diversis vel pluribus causis tam contra te, vel ipsum electum, quam contra electores tuos, vel suos, et electionem ipsam oppositis, penitus nulla esse, nec dicti regis, vel tuam impedire potuisse electionem quamquam posterius celebratam, multipliciter allegantes, cum instantia postularunt, ipsi, vel tibi, regi consuetum favorem et debitam in hujusmodi negotio justitiam exhiberi, apertius exprimentes hanc fore justitiam, hunc esse favorem in talibus consuetum, videlicet quod, quando aliqui ad imperium in concordia principum eliguntur, sedes apostolica illum qui electus est a parte majori, persone impedimentis cessantibus, denuntiat electum canonice, ac regem nominat, parte aliqua non citata, et ei favorem prestat illique terminum ad recipiendum coronam assignat, etiam si alter in alia pluralitate electorum regni possessionem presumpserit occupare, sicut in electionibus Lotharii et Conradi, Ottonis et Philippi, ac aliorum plurium observatum fuisse dicebant. Ejusdem autem regis Castelle nuntiis petitioni predicte super debita justitia exhibenda porrecte insistentibus, nos memoratum Roffensem episcopum et alios tuos procuratores, de predictorum fratrum consilio, duximus requirendos si vellent super premissis subire, tuo vel ipsius nomine, nostrum et apostolice sedis examen. Qui, habito consilio, responderunt, quod cum sis princeps catholicus, nobis et ecclesie Romane devotus, ipsam caput christianitatis et fidei, tuamque, vel suam, matrem et dominam recognoscens, nec *intendas* illius declinare judicium, in quibus illud subire debes et de jure *teneris*, et in imperio jus *habeas* ac regno Alamannie, et ejus jurium possessionem *obtineas* [1], parati erant, in quantum predicti mandati quod a te, vel ab eo, habebant, se vires extendunt, alias extendebant, pro te, vel ipso, ac tuo, vel suo, nomine tamquam pro rege vero ac legitimo possessore, judicium nostrum et ecclesie Romane subire, si quid appareret quod te, vel eum, super premissis vellet impetere, aut aliquid quocumque modo proponere per quod tibi, vel sibi, posset aliquod prejudicium generari, salvis semper in omnibus et per omnia jurisdictione, potestate, officio, auctoritate, dignitate, honore ac libertate sacri Romani imperii ejusque principum ad quos specialiter spectat Romani regis electio, et quibus prejudicare non intendebant vel alias quomodolibet derogare, petitionem tuo premissam nomine nichilominus repetentes.

Ecce, fili karissime, dum ad petitionem justitie ab una parte proceditur, nec ab altera judicio ceditur sed ipsius prosecutioni constanter instatur, nos, qui sperabamus quod per tuam et ipsius regis, vel memorati electi, concordiam, et concordie supradicti ordinatione, imperii desiderate quietis nobis serenitas arrideret, in judiciorum anfractus ingerimur, et expetite justitie instantia in ipsorum nos fluctus impellit. Ecce pacem expectavimus et non venit, quesivimus bona, sed illorum cupitus successus nostris desideriis non accessit. Profecto, non id desiderabat ecclesie imperiali auxilio relevanda necessitas, non id exigebant lacere partes imperii occupatricibus exposite manibus direptorum, non id requirebat christianitatis, hiis maxime temporibus, miseranda condicio, quam et intrinseca plus quam civilia bella concutiunt, et inhumaniter efferarum immanitates gentium, ac precipue Tartarice feritatis affligunt. Quibus potius debebatur ut per tractatus pacificos Cesarei culminis acceleranda provisio in unitate capitis, juribus Romani reintegratis imperii, contra tot discrimina provideret.

Nos itaque pacis cogitationes sollicite cogitantes, ac de illius sperantes omnipotentia et immensa virtute, sub quo curvantur qui portant orbem, qui ventis imperat, et ad ejus nutum stat spiritus procellarum, pacis tractatibus providimus insistendum. Et ideo, hinc inde propositis a nobis et predictis fratribus nostris in deliberationem exacte discussionis inductis, de ipsorum consilio tam ad magnificentie tue presen-

1. Pour ces verbes en italiques, le Registre donne en même temps, dans l'interligne, la forme de la troisième personne.

tiam, quam ad ipsum regem Castelle, nuntios deliberavimus vel providimus destinandos qui vos ad pacem invitent. Ad quod dilectum filium, magistrum Guillelmum, capellanum nostrum, archidiaconum in ecclesia Parisiensi, virum utique providum, consilii maturitate conspicuum, et a nobis ac eisdem fratribus plurimum merito sue probitatis acceptum, de cujus industria et fidelitate nos et ipsi fratres plene confidimus, ad tuam magnificentiam specialiter destinamus. Et nichilominus, cum simus omnibus in justitia debitores, nec debeamus eam personis denegare sublimibus, qui super ipsa etiam ab humilibus requisiti, nostri partes officii non negamus, te ac eundem regem Castelle citandos decrevimus, et te de sepedictorum fratrum consilio peremptorie presentium tenore citamus, ut secundo die mensis maii, proximo venturi, apostolico conspectui per procuratores ydoneos te presentes, qui tue consciencie conscii, legitimum et plenum a te mandatum habeant ad pacis tractatum, si Dominus dederit, ineundum, et ad procedendum in dicto negotio, prout honori ecclesie ac, pensata talis et tanti conditione negotii, sine offensa justitie videbimus expedire. Datum apud Urbemveterem, VI kalendas septembris anno II°. »

351 Orvieto, 27 août 1263.

Alphonsum, regem Castellae, in Romanorum regem electum, per Garinum, capellanum apostolicum, decanum Cathalaunensem, ad praesentiam apostolicam citari jubet ut de imperii Romani negotio procedatur. (Reg. 26, fol. 116, n° 213.)

« *A., regi Castelle ac Legionis illustri, in Romanorum regem electo.* Qui celum terramque —. Datum ut in alia. »

352 Orvieto, 28 août 1263.

Capitulo Terracinensi nunciat se ad ecclesiam Terracinensem transtulisse gubernandam episcopum Bitectensem. (Reg. 26, fol. 116, n° 214.)

« .. *archipresbitero et capitulo Terracinensi.* Ecclesia vestra pridem pastore vacante, vos, licentia eligendi a nobis obtenta, convenientes in unum et de substitutione futuri pontificis habito diligenti tractatu, tandem Ingibaldum et Salvinianum, canonicos Terracinenses, apud sedem apostolicam destinantes, eis mandatum sufficiens tradidistis ad compromittendum, vice vestra, in dilectum filium nostrum J., sanctorum Cosme et Damiani diaconum cardinalem, et concedendum sibi plenariam potestatem providendi eidem ecclesie de pastore, promittentes nichilominus illum in episcopum et pastorem recipere, de quo idem cardinalis ecclesie predicte duceret providendum. Nominati vero canonici, hujusmodi auctoritate mandati, tam pro seipsis quam pro vobis, in prefatum cardinalem compromittere, sibique potestatem providendi eidem ecclesie de prelato concedere, juxta formam a vobis eis traditam, curaverunt. Unde, predictus cardinalis, diligenti deliberatione prehabita, venerabilem fratrem nostrum F., Terracinensem, tunc Bitectensem episcopum, in Terracinensem episcopum postulavit, ac nobis postulationem hujusmodi representans, pro parte vestra a nobis humiliter petiit, ut postulationem ipsam admittere de benignitate apostolica curaremus. Nos igitur, considerantes attente quod predicte ecclesie de persona ejusdem episcopi congrue poterat provideri, de fratrum nostrorum consilio, predictam postulationem de speciali gratia duximus admittendam, ipsumque a vinculo quo tenebatur Bitettensi ecclesie, absolutum, ad predictam Terracinensem ecclesiam transferrentes, ipsum eidem Terracinensi ecclesie prefecimus in episcopum et pastorem, liberam eidem episcopo dantes licentiam ad ejusdem Terracinensis ecclesie regimen transeundi, firma de prefato episcopo concepta fiducia, quod cum sit in spiritualibus providus, et in temporalibus circumspectus, necnon de morum venustate, vita laudabili et scientia commendatus, dicta ecclesia vestra per ejus industriam, divina favente clementia, in statum salutis dirigi et in prosperis debeat ampliari. Rogamus itaque universitatem vestram et hortamur, per apostolica vobis scripta firmiter precipiendo mandantes, quatinus prefatum episcopum, cui plenam administrationem ipsius ecclesie vestre in utrisque commisimus, cum ad vos pervenerit, pro apostolice sedis et nostra reverentia, devote ac humiliter admittentes, sibique tamquam patri et pastori animarum vestrarum debitam obedientiam et reverentiam impendentes, ejus salutaribus mandatis et monitis ita efficaciter intendatis, quod ipse letetur in vobis devotionis habere filios, et vos per consequens fructum paterne benivolentie gaudeatis jugiter invenire. Alioquin, sententiam quam ipse tulerit in rebelles, etc. Datum apud Urbemveterem, V kalendas septembris, anno II°. »

353 Sans date.

Obligatio magistri Petri Yspani super recessu suo de curia [1]. (Reg. 26. fol. 116 v°, n° 215.)

« In nomine Domini nostri Jhesu Christi, anno incarnationis ejus M° CC° LXIII°, pontificatus domini Urbani IIII pape anno secundo, indictione VI[a], mense augusti, die XXVIII[a], in presentia mei scriniarii, et testium subscriptorum, magister Petrus Yspanus, domini pape capellanus, promisit et ad sancta Dei evangelia juravit venerabili patri domino magistro Michaeli de Tholosa, sacrosancte Romane Ecclesie vicecancellario, recipienti hujusmodi juramentum de speciali mandato domini pape, quod statim postquam assecutus fuerit pacificam provisionem in ecclesia Mindoniensi, juxta ordinationem factam per venerabilem patrem.. Ulixbonensem episcopum, recedet a curia, nisi aliud esset de ipso per sedem apostolicam ordinatum. Actum apud Urbemveterem, in hospitio predicti domini vicecancellarii, hiis presentibus et rogatis testibus : decano Soliacensi, magistro Johanne de Uxoria, canonico Insulensi, Tornacensis diocesis, magistro Bernardo, capellano supradicti domini vicecancellarii, et Oddeto, ejusdem domini familiari. Et ego, Jacobus de Sancto-Germano, Sacrosancte Romane ecclesie scriniarius, hiis omnibus vocatus interfui et de mandato predicti domini vicecancellarii scripsi et signum feci. »

354 Orvieto, 6 août 1263.

De collatione praebendarum in ecclesia Ariensi, Morinensis diocesis. (Reg., 26, fol. 116 v°, n° 216.)

« .. *decano Atrebatensi.* Importuna et improba —. Hoc siquidem causam dedisse conspicimus quod, sicut ex insinuatione dilecti filii Johannis, prepositi ecclesie Ariensis, diocesis Morinensis, accepimus, in eadem ecclesia, in qua triginta trium ad ipsum et sex prebendarum ejusdem ecclesie ad nobilem virum.. comitem Atrebatensem, dicitur collatio pertinere, duo ad mandatum nostrum prebendas ad collationem ipsius prepositi pertinentes, ipsis debitas sunt adepti, quatuor quoque alii sub expectatione prebendarum ibidem vacaturarum, litterarum nostrarum pretextu, in prefata ecclesia sunt recepti, et preter hos, alii duo ut in dicta ecclesia simili pretextu recipiantur insistunt, ac alius insuper nominato preposito et capitulo ipsius ecclesie per nostras fecit litteras inhiberi, ne de prebenda proximo in eadem ecclesia vacatura, quicquam disponere seu attemptare presumant, donec sibi fuerit, juxta mandatum apostolicum, de prebenda provisum. Cum igitur memoratus prepositus super hoc per nostram provideri sollicitudinem suppliciter postularit, nos, quorum interest gravatis ecclesiis, ne ipse importabili aut nimio pondere deprimantur, oportune relevationis remedio subvenire, prefate Ariensi ecclesie intendentes in hac parte salubriter providere, ipsius prepositi supplicationibus inclinati, discretioni tue, de qua fiducium gerimus pleniorem, per apostolica scripta mandamus quatinus, si premissis veritas suffragatur, super hiis auctoritate nostra statuas, quod de predictis omnibus, qui super receptione ac provisione sua in dicta ecclesia nostras litteras impetrarunt, et nondum prebendas inibi sunt adepti, quatuor tantum, sive sint ipsi recepti, sive non, de quibus tua circumspectio, pensata ydoneitate ipsorum ac utilitate ipsius ecclesie, melius expedire putaverit, inter quos illum pro quo ad preces carissime in Christo filie nostre .. regine Navarre illustris, in ecclesia prefata scripsimus, si non est adhuc ibidem assecutus prebendam, necnon Jacobum, nepotem quondam .. decani Morinensis, ac alios etiam si quos de predictis nondum in ipsa ecclesia prebendatis, medio tempore prebendas per predictas litteras inibi assequi contigerit, numerari volumus, provideatur in ecclesia memorata et litteris directis a nobis pro aliis in eadem ecclesia, necnon et sententiis excomunicationis, suspensionis et interdicti, si que in predictos prepositum et capitulum aut ipsorum aliquos sive in dictam ecclesiam per eas forsitan sunt prolate, et aliis quibuscunque processibus auctoritate ipsarum habitis, penitus revocatis, prelibatos prepositum et capitulum ad receptionem seu provisionem eorum aliquatenus non teneri, ac sententias predictis similes, si quas, contra hujusmodi constitutionis tenorem, in dictos prepositum et capitulum, communiter vel divisim, aut in ecclesiam ipsam de cetero ferri contigerit, irritas et inanes decernere non postponas, dispensando nichilominus cum eisdem preposito et capitulo super irregularitate, si quam ob premissa forsitan incurrerunt, injuncto ipsis quod de jure videris injungendum. Datum apud Urbemveterem, VIII idus augusti anno II°.

355 Orvieto, 23 août 1263.

De collatione praebendarum in ecclesia Patracensi. (Reg., 28, fol. 117 n° 217.)

1. Ce résumé est donné par le Registre.

« . . *archiepiscopo Patracensi.* Ceca cordis cupiditas et ambitiosus mentis affectus sic nonnullos super canonicatuum et prebendarum assecutione insatiabiles effecerunt, quod, sicut exhibita nobis tua petitio continebat, per improbam immo reprobam ipsorum instantiam, ultra duodecim, tam auctoritate sedis apostolice quam motu proprio predecessorum tuorum et capituli Patracensis in Patracensi ecclesia, in qua prebendarum collatio ad te pertinet, et in qua tantum quartus decimus habetur numerus prebendarum, nullis in ea prebendis vacantibus, in fratres et canonicos sunt recepti, prebendas adhuc expectantes ibidem quorum aliqui litteras confirmationis in forma communi super receptione sua dicuntur a sede apostolica impetrasse. Hec siquidem expectatio tot receptorum in eadem ecclesia quampluribus parit scandalum et horrorem inducit, morbumque letiferum latenter continet in salutis dispendium eorundem, dum in prestolando proximorum interitum, jugiter illis succedere in prebendis et anxie desiderant et pernitiose suspirant. Quare humiliter petebas a nobis ut providere super hoc paterna sollicitudine curaremus. Nos itaque, digne volentes ut illis qui pro assecutione prebendarum ipsarum sub tali expectatione tabescunt, salubriter consulatur, tibique ac eidem ecclesie pacis et tranquillitatis commodum procuretur, apostolica providentia duximus ordinandum, quod de sic receptis auctoritate nostra omnes, et duo de mandato predecessorum nostrorum recepti, quos eidem ecclesie magis utiles esse noveris, remaneant in eadem. Receptiones autem factas de reliquis in ipsa ecclesia, non obstantibus predictis litteris, penitus revocamus, decernentes te ad provisionem hujusmodi reliquorum aliquatenus non teneri. Nulli ergo nostre ordinationis, revocationis et constitutionis, etc. Datum apud Urbemveterem, x kalendas septembris, anno II°. »

356 Orvieto, 27 juillet 1263.

Abbatissae et conventui sororum Minorum monasterii Humilitatis b. Mariae, Parisiensis diocesis, regulam a se correctam concedit, tenore ejusdem inserto. (Reg., 26, fol. 117, n° 218, Potthast 18600.)

« . . *abbatisse et conventui sororum Minorum inclusarum monasterii Humilitatis b. Marie, Parisiensis diocesis.* Religionis augmentum eo —. Datum apud Urbemveterem, vi kalendas augusti, anno II°. »

357 Orvieto, 18 août 1263.

Abbati Aquicinctensi mandat ut monasterio S. Bertae de Blangiaco, Morinensis diocesis, onere debitorum oppresso, providere curet. (Reg. 26, anni. II n° 219, fol. 120 v°.)

« .. *abbati Aquicinctensi, Atrebatensis diocesis.* Dilectus filius.., abbas monasterii s. Berte de Blangiaco, ordinis s. Benedicti, Morinensis diocesis, sua nobis petitione monstravit quod predictum monasterium tanto premitur onere debitorum, quod, nisi per sedem apostolicam celeriter succurratur eidem, vix adicere poterit ut resurgat, et usurarum vorago ipsius substantiam absorbebit; propter quod predictus abbas nobis humiliter supplicavit ut eidem monasterio providere super hoc paterna sollicitudine curaremus. Nos igitur de tua circumspectione plenam in Domino fiduciam obtinentes, discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus, si est ita, universos redditus et proventus ipsius monasterii fideliter colligi facias, assignataque ex eis abbati predicto et decenti numero monachorum, ibidem per te ad serviendum eidem monasterio deputando, pro substentatione ipsorum et promovendis ipsius monasterii negotiis, congrua portione, per te vel per alium convertas residuum, usuris omnino cessantibus, in solutionem hujusmodi debitorum, eis, prout justum fuerit, satisfaciendo primitus, cum quibus predictum monasterium primo duxit hujusmodi debita contrahenda, nec permittas interim dictum abbatem et conventum ejusdem monasterii super hiis ab aliquibus molestari, molestatores etc. usque compescendo. Reliquos autem predicti monasterii monachos in aliis monasteriis ejusdem ordinis, ubi melius expedire videris, auctoritate nostra studeas collocare. Non obstante si —. Invocato etc. — Datum apud Urbemveterem, xv kalendas septembris, anno secundo. »

358 Orvieto, 7 août 1263.

Riccardum, comitem Cornubiae, necnon et Alphonsum, regem Castellae, in reges Romanorum electos nominandos esse diffinit. (Reg. 26, n° 220, fol. 120 v°. Potthast 18619.)

« *Diffinitio inter fratres super nominatione electorum in imperatorem.* Ordinato nuper imperii negotio, prout, consideratis diligenter petitionibus partium vestrisque consiliis, credidimus expedire, dubitatio incidit quo titulo uterque ad idem imperium electorum in nostris litteris sit censendus. Pro parte siquidem di-

lecti filii magnifici viri Riccardi, comitis Cornubie, dicebatur ipsum in eisdem litteris in Romanorum regem electum et coronatum nominari debere, cum per felicis recordationis Alexandrum papam, predecessorem nostrum, et a nobis etiam in quibusdam nostris litteris ad ipsum, licet super alio directis negotio, sic extiterit nominatus; sicque, cum jam sit in possessione vel quasi husjusmodi tituli, non potest de cetero ei talis titulus sine injuria detrahi, nec est aliquatenus detrahendus; presertim cum nonnulli ex vobis, tempore predecessoris ejusdem, super hoc deliberatione prehabita, ipsum taliter nominarint. Carissimo autem in Christo filio nostro.., regi Castelle illustri, pro eo non deberi talis titulus videbatur, quia idem rex nec quoad hunc titulum, cum numquam per papales litteras taliter intitulatus extiterit, nec quoad alia fuit in aliquo possessionem vel quasi regni Alammanie assecutus; nec debet status pendentis negotii cum alterutrius partis prejudicio immutari.

Pro memorato vero rege Castelle suggerebatur e contra nullo modo comiti memorato, sed ipsi regi, regni Alamannie titulum ascribendum, cum plures de principibus electoribus vota sua direxerint in regem eundem et ipsum ad predicta regnum et imperium legitime duxerint eligendum. Prefato vero comiti nec per electionem, que de ipso facta dicitur, cum nulla fuerit, in regno et imperio supradictis, nec per superius allegata pro ipso in regno titulo sit jus aliquod acquisitum. Littere namque dicti predecessoris nullum sibi quoad regium titulum jus dederunt, cum sint littere placentia quedam, ne dicamus adulatoria, non diffinitionem aliquam continentes. Quod etiam ex eo apparet, quia licet super hoc per ipsum predecessorem et fratres suos fuerit interdum deliberatio habita, numquam tamen fuit aliquid diffinitum. Et ideo non est verisimile quod per dictas litteras voluerit super eodem aliquid diffinire. Unde, per easdem litteras nulla necessitas nobis indicitur observandi quod continetur in eis vel ipsius predecessoris in hoc vestigiis inherendi. Nec littere nostre, si etiam, ut dicitur, processerunt, ad id aliquid operantur, tum quia non super imperii negotio, sed super quodam pecunie quantitate, que ab ipso comite venerabili fratri nostro.., Portuensi episcopo, debita dicebatur, confecte dicuntur, propter quod super alio fidem non faciunt nec jus tribuunt, sicut per instrumentum super alio confectum, in quo vir et mulier se conjuges nominant, matrimonium non probatur; tum quia, si data earumdem litterarum, si forsan appareant, attendatur, aperte liquebit quod eo tempore transierunt, quando nos, qui non fueramus de collegio cardinalium, super hujusmodi negotio non eramus nec esse poteramus instructi. Cardinalium etiam quorumdam littere, per quas ipsi comiti sub regio nomine scriptum fuisse dicitur, nequaquam in hoc suffragari videntur eidem, cum non fuerint habita communi deliberatione nec de omnium consensu concesse. Quod etiam ex eo apparet, quod non omnium cardinalium sed aliquorum tantummodo sigilla eisdem litteris fuisse dicuntur appensa. Cum igitur ex predictis predecessoris, nostris vel cardinalium litteris nullum sit dicto comiti, circa titulum de quo agitur, jus vel possessio acquisita, nulla dici posset injuria vel detractio fieri, si de cetero in litteris dirigendis ad eum idem titulus minime poneretur, nec status instantis negotii censeri posset in ipsius comitis prejudicium immutari, si predicto regi qui, sicut predicitur, propter electorum pluralitatem potior allegatur in jure, adderetur electi titulus, cum rei veritate concurrens. Sed allegatio immutationis hujusmodi eidem comiti potius efficaciter videtur obstare, pro eo quod ascriptio tituli, quam per litteras dicti predecessoris, nostram et cardinalium sibi factam allegat, pendente negotio, non cognitionaliter nec partibus constitutis cominus facta fuit. Nos itaque, hiis et aliis, que circa hec movere poterant, plene discussis, auditis quoque vestris consiliis, ut lignum in medio paradisi positum veraciter presentemus, medium decrevimus eligendum, nec subinclinari ad dexteram vel sinistram. Et ideo, cum tam memoratus comes quam prefatus rex electi fuerint, nos, veritatem sequentes, sine alterutrius partis prejudicio, utrumque ipsorum decrevimus in nostris litteris nominandum in Romanorum regem electum. Actum apud Urbemveterem, VII idus augusti, anno II°. »

359 Orvieto, 31 août 1263.

Riccardum, comitem Cornubiae, in regem Romanorum electum, monet de diffinitione nuper de imperio Romano facta (Reg. 26, anno. II, n° 221, f° 121. Potthast 18633).

« *Carissimo in Christo filio R., in Romanorum regem electo.* Utinam, fili carissime, ad plenum tibi pateret nostre ad tuam magnificentiam sinceritatis affectus! utinam plene intelligeres nostri erga te animi puritatem! Etenim profecto cognosceres nos, tamquam patrem benivolum, more paterno, de tam cari filii gaudere profectibus et processus nostros, interpretis calum

pniosi non admisso sussurrio, filiali benivolentia extimares. Obstruerentur circa te ora iniqua loquentium, locus detractioni non esset detractori, nec panderetur aditus, nec prestaretur auditus. Sed ecce, princeps inclite, non desunt, ut audivimus, qui apud tuam excellentiam contra nos, sine causa, non tamen sine malitia, multa submurmurent. Non desunt qui, tuam devotionem turbare studentes, actus nostros calumpnientur injuste, illud ad quod facti qualitas, immo necessitas, rationis judicio nostro presidente proposito, nos coegit, trahentes ad notam et malitiose fingentes quod detractavimus hactenus nostras tibi mittere litteras, ne te nominaremus in Romanorum regem electum, licet felicis recordationis Alexander papa, predecessor noster, te non solum electum, sed etiam coronatum in suis litteris nominarit. Verum hiis pro nobis veritas ipsa respondet; ipsius evidentia tales falsitatum figulos et ipsorum figmenta confutat.

Novit siquidem tue circumspectionis prudentia, quod carissimus in Christo filius noster.., rex Castelle ac Legionis illustris, se a majori parte principum, vocem in electione Romanorum regis habentium, electum affirmans, tibi super obtinenda imperialis culminis dignitate, in qua sibi jus plenum quesitum asserit, se opponit; nec te latere credimus quanta instantia quantaque diligentia, multiplicatis successive nuntiis, tam nostris quam dicti predecessoris temporibus, idem rex apud sedem apostolicam jus hujusmodi extiterit prosecutus. Tuis igitur et ejusdem regis procuratoribus varia hinc inde, immo diversa et adversa proponentibus, non in figura judicii, sed petitiones alternis vicibus alternando, nos, presertim cum ad apostolatus officium, preter cardinalatus gradum, fuerimus miseratione divina vocati, de hujusmodi negotii meritis notitiam non habentes, sub tante varietatis incertitudine in tanto et tali negotio et maxime inter tantos nec accelerare potuimus nec debuimus precipitare judicium, aut alterutri partium, in alterius prejudicium, titulorum adjectione vel nominum seu cujuscumque alterius favoris indiciis tam precipitanter exhibere gratificationis affectum. Et quamquam idem predecessor per varias suas litteras tibi favorem circa prerogativam intitulationis impenderit, non tamen nos decuit facilitate precipiti sequi hujusmodi processum predecessoris ejusdem, quem fratrum nostrorum, sicut ex eorum fida relatione didicimus, communis et decisiva collatio non precessit. Intendimus enim in conspectu suo, dirigente Domino vias nostras, sic pro viribus nostros processus dirigere, quod nec in ambiguitatis lubricum incidant nec de revocatoria correctione formident; propter quod demum, cum eisdem fratribus plena deliberatione prehabita, quod habere debes acceptius, tibi non ex coronatione, sed electione, per quam, si sit legitima, jus solet acquiri, electi titulum duximus ascribendum, de coronationis actu propterea mentione non habita, quia nec electis in imperatorem concorditer in salutationis alloquio de coronatione aliquid adici consuevit, ea inter cetera, ut dicitur, ratione, quia, cum tres corone tali debeantur electo, aut pro singulis earum ad veritatem exprimendam esset singularis, quod absurditatem saperet, expressio facienda, vel quod videtur congruentius et consuetudo approbasse dicitur hactenus, pro nulla ipsarum est coronationis titulus exprimendus. Ceterum, cum memoratus rex, ut premittitur, legitime se contendat electum et nobis adhuc jus partium sit incertum, quia, sicut per alias litteras tue magnitudini directas exprimitur, coram nobis vel predecessore prefato tamquam coram judice nondum, nisi novissime, aliquid propositum extitit vel petitum, equitas justitie non permisit, in Romanorum regem electi denominatione tam sollempniter tibi concessa, ipsam sepedicto regi, suis procuratoribus instanter ut saltem equaliter vel concederetur vel denegaretur instantibus et super hoc justitiam sibi petentibus exhiberi, non sine gravi materia scandali denegare, maxime cum per intitulationem hujusmodi non intelligatur alterutrius accrescere juri vel detrahi, donec de ipsius juris meritis finaliter pateat, et doceatur aperte in cujus persona electi descriptio cum electionis veritate concurrat. Quesumus itaque, fili, non accomodes aures malivolis qui suam forte querunt in tua turbatione quietem et in alienis dispendiis propria lucra venantur, sed nostrorum processuum causas et ordinem ac rectam et puram procedentis intentionem, tuo prudenti consilio ac spiritu quieto discutias, et proculdubio animus, in quietis serenitate dijudicans, in illis inveniet unde, rectum sequendo judicium, omni super premissis turbationis materia summota, quiescet, et nec causa querele supererit nec via reprehensioni patebit. Datum apud Urbemveterem, II kalendas septembris, anno II° ».

360 Orvieto, 29 août 1263.

Clementem de S. Germano, canonicum Parisiensem, Gerardo de Abbatisvilla, archidiacono Pontiviensi, in ecclesia Ambianensi, adjungit in conservatione privilegiorum a sede apostolica magistris et scolaribus Parisiensibus concessorum. (Reg. 26 anno II, n° 222, f° 121 v°).

« *Magistris Gerardo de Abbatisvilla, archidiacono Pontiviensi in ecclesia Ambianensi et Clementi de S. Germano, canonico Parisiensi.* Venerabili fratre nostro.., Parisiensi episcopo, insinuante, accepimus quod, licet conservatores super indultis privilegiorum apostolicorum a sede apostolica deputati a manifestis injuriis et violentiis dumtaxat defendere possint illos, quos eis defendendos sedes committit predicta, tu, fili archidiacone, conservator privilegiorum dicte sedis dilectis filiis magistris et scolaribus Parisiensibus concessorum, a sede deputatus eadem et illi, quibus tuas in hac parte vices, prout ex forma commissionis apostolice super hoc tibi facte potes, committis, vestram ad ea de facto potestatem, que judicialem requirunt indaginem, extendentes, de causis pecuniariis et aliis, sive reales sive personales actiones intentari contingat, ad dictorum magistrorum et scolarium instantiam pro vestra cognoscitis voluntate, ac clericos et laicos, quos aliqui ex magistris et scolaribus ipsis sibi super aliquo injuriari proponunt, undecumque sint, ad vestram facitis presentiam evocari. Ex quo in pluribus locis scandalum exortum est et aliquibus etiam in personis et rebus non modicum derogatum. Propter quod, ut predictorum privilegiorum magistris et scolaribus concessorum eisdem conservatio sine calumpnia fiat, commissiones omnes super hoc a te, archidiacone, factas, salvis dumtaxat legitimis processibus earum pretextu habitis, auctoritate presentium penitus revocantes, te, fili Clemens, in conservatione hujusmodi tibi, fili archidiacone, duximus adjungendum. Quocirca mandamus quatinus simul in conservatione ipsa, juxta formam tibi, archidiacone, per apostolicas litteras traditam, procedatis. Datum apud Urbemveterem, IIII kalendas septembris, anno II° »

361 Orvieto, 5 août 1263.

Dispensatio super residentia. (Reg. 26, anni II, n° 223, fol. 121.)

« *Magistro Theobaldo de Ponceio, cantori ecclesie Dolensis.* Viros litterarum gratia preditos, morum honestate decoros et virtutibus redimitos, precipue quos augmentum gratie nostre devotionis studio mereri prospicimus, libenter favoris apostolici gratia prevenimus. In te igitur attendentes virtutum dona, que tibi virtus donavit Altissimi, et thesaurum scientie quo te ditavit sapientie spiritus habundanter, in habundantia benivolentie paterne pensantes, petitiones tuas libenter audimus, eas ad exauditionis gratiam, prout decet et expedit, admittentes. Por[r]ecta siquidem ex parte tua nobis petitio continebat quod, cum in ecclesia Dolensi de consuetudine esset obtentum ut persone ipsius ecclesie proventus personatuum et dignitatum, quos in ea obtinebant, exceptis cotidianis distributionibus, in absentia sua perciperent, capitulum dicte ecclesie, pro sue voluntatis libito, statuerunt ut persone ejusdem ecclesie in absentia proventus hujusmodi non percipiant, ita tamen quod non ad illos qui tunc erant in predicta ecclesia, sed ad successores ipsorum dumtaxat statutum hujusmodi se extendat. Cum autem tu cantoriam in eadem ecclesia fueris, ut asseris, postmodum assecutus, nobis humiliter supplicasti ut tibi super hoc providere paterna sollicitudine curaremus. Nos itaque, tuis supplicationibus inclinati, ut proventus cantorie ac prebende, quas in dicta ecclesia obtines, cotidianis distributionibus dumtaxat exceptis, juxta hujusmodi consuetudinem, predicto statuto, juramento, confirmatione sedis apostolice vel quacumque alia firmitate vallato, nequaquam obstante, percipere valeas, auctoritate tibi presentium indulgemus. Nulli ergo nostre concessionis, etc. Datum apud Urbemveterem, nonis augusti, anno secundo. »

362 Orvieto, 5 août 1263.

De absolutione civium Florentinorum redeuntium ad mandatum ecclesie. Item de eodem infra, capitulo CCXXV. Item capitulo CCXXVI [1]. (Reg. 26, anni II, n° 224, fol. 122.)

« .. *abbati s. Genovefe Parisiensis, et Percevallo de Lavania, canonico ecclesie Bajocensis.* Olim in die Cene Domini proximo preterito, cives Florentinos, qui civitatem Florentinam hoc tempore detinent, presente tunc fideli populo, manifeste monuimus eisque apostolica auctoritate [2] districte precipimus ut usque ad sequens tunc festum Ascensionis dominice, quod pro peremptorio eis prefiximus termino, ab omni favore, quem impendunt Manfredo, quondam principi Tarentino, persecutori ecclesie manifesto, desistere, ac ad mandatum et devotionem ecclesie humiliter redire curarent, aperte predicentes eisdem quod, si nostris super hoc non acquiescerent monitis et preceptis, nos

1. Ce résumé se lit en marge du Registre.
2. Ces trois derniers mots sont récrits sur un grattage.

ad faciendum arrestari bona ipsorum, ubicumque invenirentur, et alias etiam contra ipsos et civitatem predictam spiritualiter et temporaliter, prout videremus expediens, procedere curaremus. Sed quia iidem cives Florentini, hujusmodi nostris monitis et preceptis omnino contemptis, nedum infra predictum terminum redire ad mandatum ecclesie non curarunt, sed nullos etiam propter hoc nuntios ad nostram presentiam transmiserunt, nos, licet de jure potuissemus tunc procedere contra ipsos, volentes tamen adhuc benignius et clementius agere cum eisdem, memoratos cives Florentinos in predicto festo Ascensionis dominice, presente tunc fidelium multitudine copiosa, iterato monuimus, eisque districte precepimus ut usque ad festum beatorum apostolorum Petri et Pauli proximo preteritum, quod pro peremptorio eis assignavimus termino, ab omni ejusdem Manfredi favore desisterent et humiliter ad mandatum et devotionem ecclesie predicte redirent; firmiter insuper eis duximus inhibendum ne contra civitatem Lucanam, sedis apostolice devotissimam, exercitum congregare et adversus illam ejusve territorium seu districtum hostiliter procedere quomodolibet attemptarent. Prediximus quoque ipsis quod, nisi ab ejusdem Manfredi favore desisterent et redirent ad mandatum ecclesie infra terminum supradictum, vel si contra hujusmodi nostram inhibitionem facere vel venire presumerent, nos ad faciendum capi personas et bona ipsorum, ubicumque invenirentur, et alias etiam contra ipsos et civitatem ipsorum durius et asperius, spiritualiter et temporaliter, prout videremus expediens, procedere curaremus.

Iidem vero cives Florentini patientia, quam apostolica sedes habuerat circa ipsos, nequiter abutentes, spretis nostris monitis et preceptis, infra hujusmodi terminum ab ipsius Manfredi favore desistere ac redire ad mandatum et devotionem ecclesie non curarunt; quinimmo, contra inhibitionem nostram temere veniendo, adversus predictam civitatem Lucanam exercitu congregato, una cum maledictionis filiis Pisanis civibus perfidisque Senensibus ac protervis Pistoriensibus et quampluribus aliis, eorum complicibus, hostiliter procedere presumpserunt, ejusque territorium et districtum ignis incendio et aliis diversis depopulationum generibus devastando, in divine majestatis offensam ac nostram et dicte sedis injuriam manifestam. Propter quod nos, ad quos specialiter pertinet tam pravis tamque perversis eorumdem Florentinorum civium ausibus, quibus possumus remediis, obviare, nolentes ulterius eorum iniquitatibus indulgere, predictos cives Florentinos, propter hujusmodi eorum presumptuosam contumaciam et contumacem presumptionem, excommunicationis et anathematis vinculo duximus innodandos; universis et singulis eorum Florentinorum civium debitoribus et omnibus de bonis ipsorum habentibus, undecumque et cujuscumque status, condicionis et dignitatis forent, astante fideli populo, de fratrum nostrorum consilio, auctoritate apostolica sub pena excommunicationis districtius inhibentes ne ipsis civibus Florentinis aliqua de debitis et bonis hujusmodi, in parte vel in toto, restituerent sine mandato nostro vel licentia speciali faciente plenam et expressam de inhibitione hujusmodi mentionem, sed illa tamquam arrestata tamdiu detinere curarent, donec eis super hujusmodi debitis et bonis duceremus aliud injungendum, non obstantibus aliquibus litteris apostolicis super eisdem bonis et debitis ad quoscumque judices impetratis vel in posterum impetrandis, nisi in eisdem impetrandis de hac inhibitione plena et expressa mentio haberetur. Manifeste insuper prediximus et aperte pronuntiavimus quod, nisi dicti cives Florentini usque ad festum Assumptionis beate Virginis proximo venturum, quod pro peremptorio eis prefiximus termino, ab omni prorsus ejusdem Manfredi favore desisterent et ad mandatum ecclesie humiliter et devote redirent, nos mandaremus ex tunc venerabilibus fratribus nostris universis patriarchis, archiepiscopis et episcopis ceterisque ecclesiarum prelatis, necnon principibus, ducibus, marchionibus, comitibus et baronibus, ac potestatibus, capitaneis, consulibus, consiliis et communibus civitatum, castrorum aliorumque locorum ubilibet constitutis, ut personas eorumdem Florentinorum civium, quarum arrestationem tunc apostolica benignitate suspendimus, necnon et bona ipsorum in terris eorum dominio et jurisdictioni subjectis existentia, caperent ac detinerent, donec eis duceremus super hoc nostrum beneplacitum intimandum, et nichilominus tam personas quam bona hujusmodi exponeremus libere, tam ipsis quam ceteris fidelibus occupanda; et alias etiam ad duriora, graviora et asperiora contra ipsos et civitatem eorum spiritualiter et temporaliter, prout ipsorum protervia exigeret et videremus expediens, constanter, auctore Domino, procedere curaremus.

Sane Dulcis et Boldrus de Burgo et Hugo Monaldi, cives et mercatores Florentini, reprobi sensus dampnata studia predictorum Florentinorum prudentie meditationibus advertentes, ea sano decreverunt consilio declinare ac eidem ecclesie in illo constanter adherere proposito, quo ipsa pro defensione libertatis

ecclesiastice ac pacifico statu fidelium illius pervasoribus et hujusmodi perversoribus se opponit, et infra predictum festum Assumptionis beate Virginis prestiterunt de parendo super predictis mandatis nostris et ipsius ecclesie juramentum, seque de observandis mandatis hujusmodi et certis articulis, sub certis pena et forma, specialiter obligarunt, promittentes, sub pena duorum milium marcarum sterlingorum, se facturos et curaturos quod Moczius, Gualterus et Gerus de Burgo, Castra Gualfredi, Hugettus et Spinellus Symonetti, Donatellus et Dulcis Octaviani, Johannes Bonaviti, Rubeus Bacharelli, Lapus Stibaldi, Johannutius Bajamontis et Ranutius Ardingi, eorum socii, cives et mercatores Florentini, ad ecclesie mandata redibunt et prestabunt similia juramenta, se ad observationem mandatorum nostrorum et articulorum hujusmodi, sub pena duorum milium marcarum sterlingorum nobis et eidem ecclesie similiter obligando, prout in instrumento publico, inde confecto, plenius continetur, cujus tenorem vobis sub bulla nostra mittimus interclusum. Nos autem, qui more paterno in reditu filiorum, quos error a devotione subtraxerat, delectamur, aperuimus eis tam paterne gratie quam materne mansuetudinis amplum sinum, ac predictis Dulci et Boldro de Burgo ac Hugoni Monaldi, qui tunc presentes aderant, ab hujusmodi et universis excommunicationum et interdicti sententiis, quas apostolica sedes in cives Florentinos et eorum terram propter premissa generaliter promulgavit, fecimus, juxta formam ecclesie, beneficium absolutionis impendi. Ideoque discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatenus vos vel alter vestrum recipiatis a predictis Johanne Bonaviti et Rubeo Bacharelli, in partibus Gallie commorantibus, de stando super premissis mandatis nostris et ecclesie juramentum, et nichilominus nostro nomine similem obligationem de mandatis nostris et articulis hujusmodi inviolabiliter observandis; eosque deinde, juxta formam ecclesie, eadem auctoritate ab hujusmodi sententiis absolvatis, facientes de hiis confici publicum instrumentum vel patentes litteras autenticis sigillis munitas, illud vel illas nobis fideliter transmissuri. Quibus rite peractis, tam eosdem Johannem Bonaviti et Rubeum Bacharelli quam dictos Dulcem, Boldrum et Hugonem, per omnia loca, in quibus ipsi voluerint, per vos et per alios denuntietis a predictis sententiis absolutos et ad devotionem ipsius ecclesie rediisse, universis et singulis ipsorum debitoribus et omnibus de bonis eorum habentibus, undecumque et cujuscumque status, conditionis et dignitatis existant, predicta auctoritate mandando districtius ut, hujusmodi inhibitione ac processu nostris quantum ad eos nequaquam obstantibus, debita et bona ipsorum totaliter eis restituant, nec illa deinceps tamquam arrestata, occasione predicta, detinere presumant. Si qui autem hujusmodi denuntiationi et mandato nostris contradixerint, vos eos ut a tali prorsus contradictione desistant, monitione premissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compellatis. Datum apud Urbemveterem, nonis augusti, anno secundo. »

363 Orvieto, 27 août 1263.

De absolutione civium Florentinorum redeuntium ad mandata ecclesiae. (Reg., 26, anni II, n° 225, fol. 123.)

« .. *abbati s. Genovefe et Johanni de Sarmineto, capellano nostro, canonico Parisiensi.* Olim in die Cene Domini proximo preterito etc., ut in proxima superiori, usque : Sane Cavalcante de Scala, dictus Cante, Aymericus Cose, Petrus Benincase, Jacobus Secca et Hugo Spine, cives et mercatores Florentini, reprobi sensus dampnata studia etc., usque se facturos et curaturos quod Jacobus Spina et Tegliarius de Scala, Mainettus Spine, Thomasius Spiliati, Campana Francisci, Lotterius Benincase, Tegliarius Amatoris, Ruccus et Dricta Cambii, Raynerius Abbatis et Lapus Aymerici, eorum socii et concives. Florentini mercatores, ad ecclesie mandata redibunt etc., usque amplum sinum, ac predictis Cavalcanti, Aymerico, Petro, Jacobo et Hugoni, qui tunc presentes aderant etc., usque recipiatis a predictis Thomasio, Campana, Lotterio et Tegliario, Rucco Cambii et Raynerio Abbatis, in partibus Gallie commorantibus, de stanto super premissis etc., usque quibus rite peractis, tam eosdem Thomasium, Campanam, Lotterium, Tegliarium, Ruccum Cambii et Raynerium Abbatis quam dictos Cavalcantem, Aymericum, Petrum, Jacobum et Hugonem per omnia loca in quibus ipsi voluerint etc., usque compellatis. Datum apud Urbemveterem, vi kalendas septembris, anno II° ».

364 Orvieto, 27 août 1263.

De absolutione Florentinorum redeuntium ad mandata ecclesiae. (Reg., 26, anni II, n° 226, fol. 123.)

« .. *abbati s. Genovefe et Johanni de Sarmineto, capellano nostro, canonico Parisiensi.* Olim in die Cene Domini

proximo preterito etc., ut in prima usque : Sane Philippus Radulphi et Frankettus Rembertini, cives et mercatores Florentini, reprobi sensus dampnata studia etc., usque se facturos et curaturos, quos Maynettus, Jacobus et Franciscus Rembertini fratres, Frankettus Bencivenni, Raynaldus et Dosius Uberti, Ubertus, Pucius et Guelfus Raynaldi, Scolarius Radulphi, Rota, Michael et Bucca Amannati fratres, Matheus Bonfilioli, Cantius Symonetti, Bonvicinus Nicolai, eorum socii et concives, necnon Blancus Raynaldi, Pulex dictus *Porzardus*, Gerus et Guiducius Uberti fratres, Ubertus Jacobi, Pulex Florenzini, Gerus Clarissimi et Perusinus Stephani, ipsorum Philippi et Franketti Rembertini concives, Florentini mercatores, ad ecclesie mandata redibunt etc., usque amplum sinum ac predictis Philippo et Franketto qui tunc presentes aderant etc., usque recipiatis a predictis Cantio Symonetti, Guelfo Raynaldi, Bonvicino Nicolai, Bucca Amannati, Matheo Bonfilioli, Blanco Raynaldi, Pulice, Gero et Guiducio Uberti fratribus, Uberto Jacobi, Pulice Florenzini, Gero Clarissimi et Perusino Stephani, in partibus Gallie commorantibus, de stando super premissis etc., usque quibus rite peractis, tam eosdem Cantium, Guelfum, Bonvicinum, Buccam, Matheum, Blancum, Pulicem, Gerum et Guiducium Uberti fratres, Ubertum, Pulicem Florenzini, Gerum Clarissimi et Perusinum, quam dictos Philippum et Frankettum ac etiam Raynaldum et Franciscum qui post dictum festum Assumptionis personaliter se similiter obligarunt et prestiterunt similia juramenta, per omnia loca in quibus ipsi voluerint etc., usque compellatis. Datum apud Urbemveterem, vi kalendas septembris, anno II°. »

365 Orvieto, 28 juillet 1263.

Procurationem excedentem valorem quatuor marcarum, ratione visitationis non deberi decernit. (Reg. 26, anni II, n° 227, fol. 123.)

« .. *priori et conventui prioratus Majoris Malvernie, ordinis s. Benedicti, Wigorniensis diocesis.* Coram nobis fuit ex parte vestra propositum quod dilectus filius.., abbas Westmonasterii, ordinis s. Benedicti, Londoniensis diocesis, ad prioratum vestrum sibi subjectum, causa visitationis, accedens, personarum et evectionum effrenatam multitudinem secum ducit, pro quarum procuratione longi temporis victus consumitur hora brevi. Quare fuit pro parte vestra petitum a nobis ut, cum ratione unius procurationis interdum sumptus decem marcarum oporteat vos subire, providere super hoc vobis paterna diligentia dignaremur. Cum igitur felicis recordationis Innocentius papa, predecessor noster, duxerit statuendum ut nullus ecclesiarum prelatus procurationem excedentem valorem quatuor marcarum, ratione visitationis, exigere a subditis suis possit, nos constitutionem hujusmodi circa procurationes ipsi abbati prestandas in prioratu vestro servari volentes, ne dictus abbas, ratione visitationis, exigat vel vos prestare eidem abbati teneamini procurationem quatuor marcarum valorem excedentem, auctoritate presentium inhibemus, sententias quas contra presentis inhibitionis nostre tenorem in vos aut in vestrum aliquem per eundem abbatem promulgari contigerit, decernentes nullius existere firmitatis. Nulli ergo nostre inhibitionis et constitutionis, etc. Datum apud Urbemveterem, v kalendas augusti, anno II°. »

366 Orvieto, 11 juillet 1263.

Episcopo Nannetensi mandat inquirat de petitione conventus Majoris Monasterii Turonensis circa facultates ecclesiae S. Mariae Magdalenae de Castro Celsi, Nannetensis diocesis. (Reg. 26, anni II, n° 228, fol. 123.)

« .. *episcopo Nannetensi.* Ex parte dilectorum filiorum.. abbatis et conventus Majoris Monasterii Turonensis, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis s. Benedicti, fuit propositum coram nobis quod facultates ecclesie S. Marie Magdalene de Castro Celsi, tue diocesis, in qua dicti abbas et conventus jus obtinent patronatus, sunt adeo tenues et exiles quod duobus rectoribus, per quos ad presens eadem ecclesia gubernatur, nequit ex eis congrua sustentatio provenire. Quare nominati abbas et conventus nobis humiliter supplicarunt ut, cum dicta ecclesia per unum solum rectorem possit salubrius gubernari ipsique parati sint alteri predictorum rectorum providere de alio ecclesiastico beneficio competenti ac interim sufficienter vite necessaria ministrare, providere in hac parte indempnitati ejusdem ecclesie curaremus. Nos itaque, de circumspectione tua plenam in Domino fiduciam obtinentes, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatenus, inquisita super premissis sollicite veritate, si rem inveneris ita esse et videris expedire, dictis abbate et conventu quod offerunt facientibus, auctoritate nostra statuas quod nominata

ecclesia per alterum dumtaxat predictorum rectorum, quem ad hoc magis ydoneum esse cognoveris, ac eo, cedente vel decedente, per unum solum rectorem perpetuis futuris temporibus gubernetur. Contradictores etc. Non obstante si —. Proviso quod per hoc nichil de ipsius ecclesie redditibus minuatur. Datum apud Urbemveterem, v idus julii, anno secundo. »

367 Orvieto, 12 juin 1263.

Archiepiscopo Narbonensi mandat judicio vel concordia terminet lites inter archiepiscopum Terraconensem et regem Aragonum exortas. (Reg. 26, anni II, n° 229, fol. 123 v°)[1].

« .. *archiepiscopo Narbonensi.* Circa dirimendas lites —. Intelleximus siquidem quod venerabilis frater noster .. archiepiscopus et ecclesia Terraconenses adversus carissimum in Christo filium nostrum .. illustrem regem Aragonum, ac idem rex, ut dicitur, adversus[2] ipsos archiepiscopum et ecclesiam diversas movere intendunt super diversis articulis questiones. Ne igitur questiones hujusmodi coram diversis judicibus, in dispendium partium et subversionem justitie, ventilari contingat et inter ipsos regem et archiepiscopum, occasione hujusmodi, caritatis glutinum violari, te ipsis ex officio nostro communem judicem duximus deputandum, fraternitati tue per apostolica scripta mandantes quatenus, eisdem partibus convocatis, questiones ipsas judicio, vel, si de partium voluntate processerit, concordia terminare procures, faciens quod decreveris, auctoritate nostra firmiter observari. Testes autem etc. Non obstante si —. Datum apud Urbemveterem, ii idus junii, anno secundo. »

368 Orvieto, 24 avril 1263.

Mandat solemniter inquiratur de juribus ecclesiae et Petri de Vico in castris Bledae et Civitatis-Veteris. (Reg. 26, anni II, 230, fol. 123 v°.)

« *Ad futuram rei memoriam.* Nuper nobili viro Petro de Vico per nostras dedimus litteras in mandatis ut castra Blede et Civitatis-Veteris ac cetera bona quondam Petri, prefecti Urbis, que ad jus et proprietatem ecclesie Romane pertinere noscuntur et que idem nobilis, post mortem ipsius prefecti, indebite occupavit, nobis et nuntio nostro, infra octo dies post receptionem litterarum ipsarum, tradere et assignare curaret; alioquin, infra quindecim dies eosdem octo proximo subsequentes compareret per se vel per procuratorem ydoneum peremptorie coram nobis, ostensurus jura que in castris et bonis obtinebat eisdem et recepturus super hiis quod justitia suaderet. Eodem igitur Petro castra et bona ipsa nobis vel dicto nuntio tradere non curante, Bonusjohannes, familiaris et procurator suus, in termino statuto in presentia nostra comparens, inter alia proposuit coram nobis quod, cum nobilis ipse civis esset Romanus, non tenebatur super hiis apud sedem apostolicam litigare. Verum, cum alium super hiis terminum assignavissemus Bonojohanni predicto, ipse tunc et postmodum etiam expectatus diutius et in audientia publica citatus pluries, non comparuit coram nobis. Porro, ne per aliqua subterfugia super premissis posset veritas aliquatenus occultari, interloquendo decrevimus, quod idem nobilis, hoc non obstante, super hiis in nostra debebat presentia stare juri, quodque super castris et bonis eisdem admitterentur probationes ecclesie supradicte. Nichilominus autem, ad ipsius nobilis malitiam superandam, eundem per litteras nostras iterato citari mandavimus ut certo die personaliter, si vellet, alioquin per ydoneum procuratorem, sufficienter instructum, cum omnibus instrumentis, rationibus et juribus suis compareret peremptorie coram nobis, docturus de jure quod se habere asserit in premissis, et visurus jura ipsius ecclesie ac legitimas inspecturus probationes ejusdem et tandem sententiam auditurus. Sane, dicto procuratore prefati Petri in nostra presentia comparente ac procuratore a nobis specialiter constituto petente nomine ecclesie Romane in negotio ipso procedi, pro parte ejusdem nobilis petitum extitit quod super hiis prefato procuratori suo porrigeretur libellus et in causa ipsa[1] judiciorum ordo sollempnis et solitus servaretur. Nos igitur, attendentes quod castra et bona prefata in patrimonio ecclesie prefate consistunt, et considerantes quod qui sumus omnibus in justitia debitores, sic jus suum cuique debemus reddere, quod eadem ecclesia in suis juribus non ledatur, quodque sic illa manutenere et servare tenemur, quod injuriam nemini faciamus, pensantes etiam laudabilem ecclesie Romane consuetudinem, que a predecessoribus nostris Romanis pontificibus est in talibus, preteritis temporibus, observata, decernimus, habito fratrum nostrorum consilio, fore per modum

1. On lit dans la marge du Registre : *De consilio domini.. episcopi Sabinensis, transivit hec littera sine audientia.*
2. Ces deux derniers mots sont récrits sur un grattage.

1. Ces quatre derniers mots sont récrits sur un grattage.

inquisitionis ex officio nostro, oblatione libelli et sollempnitate judiciorum hujusmodi pretermissis, in ipso negotio procedendum et tam de ipsius ecclesie quam prefati nobilis juribus esse sollicite indagandum. Postquam vero eadem jura inquisita, visa et intellecta fuerint ac plene discussa, nos ad pronuntiandum vel sententiandum super his, prout tam ipsius ecclesie quam prefati nobilis juribus et rationibus plenius intellectis, suadente justitia, expedire viderimus, auctore Domino, procedemus. Datum apud Urbemveterem, VIII kalendas maii, anno secundo. »

369 Orvieto, 23 août 1263.

Infrascripto mandat Johannem de Wratislavia, intuitu Kasimiri, ducis Lancitiae et Cujaviae, in canonicum Pragensis ecclesiae recipi faciat. (Reg. 26, anni II, n° 231, fol. 124; Potthast 18627).

«.. *abbati s. Marie Wratislaviensis, ordinis s. Augustini.* Sincere devotionis affectum, quem dilectus filius nobilis vir Kasimirus, dux Lancitie et Cujavie, olim circa nos, tunc fungentes legationis officio in Pruscie partibus, ac etiam postquam, divina clementia disponente, pervenimus ad culmen apostolice dignitatis, gerere studuit, mente benivola meditantes, dignum esse providimus ut ipsum gratiosi favoris munere foveamus. Hinc est quod nos personam dicti ducis in dilecto filio Johanne de Wratislavia, capellano ipsius, canonico Poznaniensi, de honestis moribus et conversatione laudabili ac etiam litterarum scientia commendato, specialiter honorare volentes, discretioni tue mandamus quatenus eundem Johannem, dummodo sit ydoneus, vel procuratorem suum ejus nomine, in cathedrali ecclesia Pragensi facias per te vel per alium auctoritate nostra in canonicum recipi et in fratrem, sibi de prebenda, siqua ibidem vacat ad presens vel quam primum ad id se facultas obtulerit, provisurus. Non obstante —. Contradictores, auctoritate nostra etc. Datum apud Urbemveterem, x kalendas septembris, anno secundo. »

370 Orvieto, 23 juillet 1263.

Terram Arnulforum et castra Collisstatti et Litaldi declarat demania ecclesiae Romanae monetque Spoletanos ut ab occupatione eorum desistant neque Interamnenses et alios molestent. (Reg. 26, anni II, n° 232, fol. 124; Potthast 18494).

« *Ad eternam rei memoriam.* Inter Romanam ecclesiam et Spoletanos, occasione terre Arnulphorum, que est ipsius ecclesie demanium speciale et quam ipsi eidem ecclesie indebite restituere denegabant, licet super hoc esset per nos lata diffinitiva sententia contra eos, discordia suscitata, tandem Berardus Zeronis, civis Spoletanus, communis Spoletani ad hoc syndicus specialiter constitutus in nostra presentia, ipsius communis nomine, juravit precise stare mandatis nostris, sub pena mille marcharum sterlingorum super omnibus offensis, injuriis et excessibus, occupationibus et universis que dicti Spoletani contra nos et dictam ecclesiam, tempore hujusmodi discordie, commiserunt. Super quo etiam Odo de Aquasparta, civis Tudertinus, syndicus communis Tudertini, ejusdem communis nomine, apud nos, sub pena trium milium marcarum, presentialiter fidejussit. Dilectus etiam filius magister Gregorius, subdiaconus et capellanus noster, quem apud Spoletum direximus pro predictis firmiter observandis, nomine nostro et ecclesie Romane, fidejussores viginti, singulares personas, et sex communia civitatum et castrorum ducatus Spoletani recepit. Idem quoque capellanus ipsis Spoletanis certum terminum peremptorium assignavit, quo coram nobis per sufficientem syndicum comparerent, audituri et recepturi que pro premissis excessihus mandare vellemus eisdem. Et quamquam comparuissent.. potestas et aliqui ambassiatores Spoletani in prefato termino coram nobis, quia tamen nullus syndicus comparuit qui haberet mandatum sufficiens ad premissa, dictos potestatem et ambassiatores viva voce, ac prefatum commune Spoletanum per litteras nostras citavimus, ut XVII kalendas augusti proximo preterito, pro premissis comparerent peremptorie coram nobis. Comparentibus igitur die illa coram nobis.. potestate et quibusdam ambassiatoribus Spoletanis ac Egidio Arnaldi, syndico communis ejusdem, nos nolentes quod nobis imputari possit ad culpam circa Spoletanos ipsos super premissis prosequi totam culpam vel vindictam totaliter relaxare, predictum syndicum dicti communis Spoletani, nomine communis ejusdem, et in eo commune ipsum, pro excessibus contra nos et predictam ecclesiam commissis ab eis, in mille marcis sterlingorum infra quindecim dies proximo sequentes, nobis solvendis vel satisfactione alia juxta nostrum beneplacitum compensandis sententialiter condempnamus, injungentes nichilominus dicto syndico communis Spoletani et in eo ipsi communi quod dictam terram Arnulphorum integre nobis et predicte ecclesie Romane restituant et quod de cetero non inquietent seu molestent terram ipsam et homines ejusdem

vel Romanam ecclesiam super illa, ac quod nobiles viros Anselmum de Arrone et Malgerium Castri Lacus dominos, quos ceperunt a Romana curia recedentes, infra octo dies proximo sequentes restituant libertati vel ipsos captivos in manibus nostris ponant, et quod ipsis vel etiam aliis dominis de Arrone et Castri Lacus nullam guerram faciant nec injuriam vel molestiam inferant, vel vassallis aut terris eorum, absque mandato sedis apostolice speciali, cum ipsi sint coram nobis stare juri parati, et nos eis facere de ipsis justitie complementum, ac quod homines et terram monasterii de Ferentillo, occasione ponendi rectorem aut potestatem in ea seu alio quocumque pretextu, nullatenus inquietent nec aliqua ab eis exigant, nisi illa que eis competunt de antiqua consuetudine vel de jure; ita quod si super hiis dubitationem oriri contigerit, partes super hoc nostro judicio stent et cadant. Ipsis quoque syndico et communi Spoletanis precipimus quod nichil omnino exigant in castro Collisstatti et castro Litaldi, nec homines eorumdem castrorum inquietent quomodolibet vel molestent occasione ponendi rectorem vel potestatem in castris eisdem vel alia qualibet ratione, cum castra ipsa sint speciale demanium ecclesie supradicte, quodque ipsi Spoletani nec injuriam vel molestiam inferant Interamnensibus aut terris eorum vel aliis qui astiterunt nobis et ecclesie contra eos. Datum apud Urbemveterem, x kalendas augusti, anno secundo. »

371 Orvieto, 31 mai 1263.

De executione testamenti quondam Milonis, ecclesiae b. Martini Turonensis canonici. (Reg. 26, anni II, n° 233, fol. 124 v°).

« .. *magistro scolarum ecclesie s. Hylarii Pictavensis.* Ex parte dilecti filii Egidii de Bonavalle, granatarii et canonici ecclesie beati Martini Turonensis, executoris testamenti quondam Milonis, canonici ipsius ecclesie, fuit propositum coram nobis quod nonnulli ecclesiarum prelati, nobiles et clerici diversarum civitatum et diocesium regni Francie quasdam pecuniarum summas, terras, possessiones et res alias, quas idem Milo, ad se ratione persone sue spectantes, per manus ipsius executoris in pios usus erogari precepit, contra justitiam detinent et dicto executori exhibere indebite contradicunt, propter quod ipsius testamenti executio impeditur. Ideoque mandamus quatenus, partibus convocatis etc. Testes etc. Non obstante constitutione de duabus dietis edita in concilio generali, dummodo ultra tertiam vel quartam aliquis extra suam diocesim auctoritate presentium ad judicium non trahatur. Datum apud Urbemveterem, ii kalendas junii, anno secundo. »

372 Orvieto, 13 février 1263.

Magistro Bartholomaeo de Regio ecclesiam S. Mariani, Perusinae diocesis, commendat. (Reg. 26, anni II, n° 234, fol. 124 v°).

« *Magistro Bartholomeo de Regio, canonico ecclesie s. Prosperi Regini.* Cum, sicut accepimus, in ecclesia s. Mariani, Perusine diocesis, ad monasterium de Pomposa, ordinis s. Benedicti, Comaclensis diocesis, pertinente, unus dumtaxat monachus ejusdem monasterii commoretur, nos te, quem sincera in Domino caritate diligimus et intendimus honorare, volentes prosequi gratiose, tibi dictam ecclesiam, cum omnibus suis juribus et pertinentiis auctoritate presentium commendamus, statuentes ut tu de cetero de ipsa ecclesia et ejus proventibus ordines et disponas, prout secundum Deum videris expedire, dictusque monachus ad claustrum sui monasterii revertatur; ita tamen quod eidem ecclesie, a qua removeri non possis sine mandato sedis apostolice speciali, deservias, dum vixeris, aut facias per ydoneam personam in officiis divinis et aliis congrue deserviri. Post obitum autem tuum vel si eam quoquomodo vacare contigerit, cum omni melioramento quod, te vel alio procurante, eidem accesserit, ad predictum monasterium libere revertatur. Decernimus quoque irritum et inane si secus a quoquam de dicta ecclesia contigerit attemptari. Nulli ergo nostre commendationis et constitutionis etc. Datum apud Urbemveterem, idus februarii, anno secundo. »

373 Orvieto, 25 avril 1263.

Egidio, archiepiscopo Tyrensi, mandat ut in regno Franciae ac Metensi, Tullensi, Virdunensi, Leodiensi et Cameracensi provinciis, religiosam militiam pro Terrae Sanctae subsidio professuris symbolum crucis conferat. (Reg. 26, anni II, n° 235, fol. 125; Potthast 18525.)

« *Egidio, archiepiscopo Tyrensi. Pro negotio Terre Sancte* [1]. De summis celorum Dominus terram sue

1. On lit en marge du Registre, la note suivante : *Ab isto loco usque in fine libri, habetur de negotio Terre Sancte, et de eodem habetur regesto tertii anni a capitulo LXVIIII° usque ad capitulum LXXVIII.*

nativitatis et passionis aspiciens, dum per singulos dies in illa variis provocatur injuriis nec exurgit populus quem ipse redemit, ad vindicandum Crucis obprobrium, ex eo precipue non immerito addi ad dolorem suorum vulnerum reputat, quod locus ille sanctissimus, in quo ipsum celi regem Virgo puerpera genuit, continue vexationis lassatur angustiis et successivis dissidiis laceratur, nunc in illum Sarracenica furente sevitia, nunc in eundem furoris immanitate Tartarici, sexui vel etati parcere nescia, seviente. Ad hoc enim precipue filiorum lucis intentio tendere, circa id debent eorum assidue revolvi precordia et sollicitudo versari, ut illius terre, quam in hereditatem sibi Dei filius preelegit, abhominationes expiare conentur et potenti manu resistere polluentibus ipsam filiis tenebrarum. Hec profecto dissimulari non debent vel obtusis auribus preteriri, ne Redemptor noster cuncta previdens, falli nescius, ingratitudinis vitio redemptos laborare comperiens, ab eis faciem iratus avertat eosque velut indignos paterna gratia derelinquat. Non sint igitur filii devotionis immemores quod ipse Christus in terra illa, in forma servi carnem nostre mortalitatis indutus, crucis non metuit subire tormentum, ut mortem nostram moriendo destrueret et vitam resurgendo fidelibus repararet. Quesumus diligenter attendant qualiter illa miserabilis regio depressa jacet, diris angustiata flagellis, quodque in eam pestis Tartarica supervenit, cujus tanto potius nimirum futuri vicinique formidantur incursus, quanto gravius ille sevus et dampnabilis Tartarorum populus terram, quam sue subicit servituti, intolerabilibus exactionibus opprimens, sic illius incolas torquet immaniter et affligit, quod degentes sub eorum tyrampnide, libentius metas mortis eligerent quam sic vivendo tanta subire genera tormentorum. Exurgant itaque fidei zelatores ad defensionem dicte regionis, ejusdem Redemptoris martyrio consecrate, nec ad id tepescant eorum animi, sed ferventibus desideriis accendantur! Hoc enim ipse Dei filius, inter cetera sollicitudinis humane servitia, gratissimum reputat et ob id illa rependit premia, que principaliter affectare debemus et petere, dum in valle positi presentis miserie, indulta nobis excurrimus tempora servitutis.

Cum igitur de te, quem habere credimus timorem Domini et amorem, quique, multiplicibus donis virtutum preditus, laudabiliter scis et vales proficere ubi labores impendis, magnam in Domino fiduciam habeamus, sperantes ut, in prosecutione presentis negotii constanter militans, illud efficacibus studiis et plenis debeas affectibus promovere, fraternitatem tuam rogamus et hortamur attente, in remissionem tibi peccaminum injungentes quatenus hujusmodi predicte terre statum Christi fidelibus in regno Francie, necnon in Cameracensi, Tullensi, Leodiensi, Metensi et Virdunensi civitatibus et diocesibus, per te vel per alium seu alios ecclesiarum prelatos et clericos, religiosos et seculares, cujuscumque dignitatis vel ordinis fuerint, quos ad hoc ydoneos esse cognoveris, diligenter exponens eisque proponens sollicite verbum Crucis, ipsos, juxta datam tibi a Domino gratiam, intentis inducas monitis et sedulis predicationibus exhorteris, ut cogitantes prudenter quantum nunc indigeat ipsorum prefata terra succursu, ad subventionem ejus promptis intendant animis et viribus totis exurgant, Crucisque suscepto signaculo, illuc spiritualibus armis et materialibus premuniti, de divina quoque sperantes potentia, cum festinatione procedant.

Et ut circa id eo libentius et animosius intendant, quo exinde dona spiritualia, temporalibus procul dubio preferenda, perceperint potiora, nos de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, auctoritate confisi et illa quam nobis Deus, licet indignis, ligandi atque solvendi contulit potestate, omnibus vere penitentibus et confessis qui hujusmodi laborem in propriis personis subierint et expensis, plenam suorum peccaminum veniam indulgemus. Eis autem qui non in propriis personis illuc accesserint, sed in suis dumtaxat expensis, juxta facultates et qualitates suas viros ydoneos destinaverint, et illis similiter qui, licet in alienis expensis, in propriis tamen personis accesserint, plenam suorum concedimus veniam peccatorum. Hujusmodi quoque remissionis volumus et concedimus esse participes, juxta quantitatem subsidii et devotionis affectum, omnes qui ad subventionem ipsius terre de bonis suis aliquam portionem vel alias consilium vel auxilium impenderint oportunum. Volumus etiam crucesignatos illo privilegio illaque immunitate gaudere que in generali crucesignatorum indulgentia continetur.

Ut autem commissum tibi hujusmodi ministerium facilius et utilius exequi valeas, tibi et predictis, quos in hoc cooperatores elegeris, convocandi ob id, quotiescumque et ubicumque videris expedire, cleros et populos locorum, in quibus te vel ipsos proponere contigerit verbum Crucis, ut processionaliter cum devotione conveniant et predicationibus vestris intersint; cleros eosdem ad id, si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, com-

pellendi, ac pro eisdem predicationibus ferias, prout expedire videris, indicendi, concedendi quoque omnibus vere penitentibus et confessis, qui ad easdem convocationes et predicationes vestras accesserint, centum dierum indulgentiam, plenam concedimus auctoritate presentium potestatem. Non obstantibus si —. Taliter igitur tu et alii, quibus hujusmodi predicationis officium duxeris committendum, mandatum apostolicum super hoc exequi procuretis, quod palmam glorie, que bellum Dei gerentibus in retributionem ab ipso impenditur, vestra devotio consequi mereatur. Datum apud Urbemveterem, VII kalendas maii, anno II°. »

374 Orvieto, 9 janvier 1263.

Eidem mandat ut centesimam omnium ecclesiasticorum proventuum, in regno Franciae ac diocesi Cameracensi, ad quinquennium, pro succursu Terrae Sanctae concessam, colligat. (Reg. 26, ann. II, n° 236, fol. 125 v°. 18461).

« *Eidem.* Clamante instanter ad nos pro festino succursu Terra Sancta, Christi respersa sanguine, ipsaque, cum sit in angustiis vehementibus posita, tribulationibus afflicta continuis, et diris attrita flagellis, secundum dolorum suorum multitudinem suas lamentationes amarius replicante, nos miserabiles ipsius terre voces patulis suscipientes auribus ac dolendum illius statum amara consideratione pensantes, et volentes eidem de oportuno subsidio providere, centesimam omnium ecclesiasticorum proventuum regni Francie ac civitatis et totius diocesis Cameracensis, usque ad quinquennium, eidem terre pro ejus succursu, de fratrum nostrorum consilio, duximus concedendam, venerabili fratri nostro.., archiepiscopo Rothomagensi, et dilecto filio magistro Oddoni de Loriaco, canonico Bajocensi, per nostras sub certa forma litteras injungentes ut hujusmodi centesimam annuatim, usque ad predictum quinquennium, per se vel per alium seu alios integre colligentes, quicquid colligeretur, tibi et dilecto filio nobili viro Johanni de Valencenis, domino Cayphe, assignare, sine qualibet diminutione, curarent, in ipsius terre subsidium, cum consilio carissimi in Christo filii nostri.., illustris regis Francorum, per vos fideliter convertendum; rescripturi nobis quid et quantum et a quibus de predicta centesima colligi, et quantum etiam tibi et ipsi nobili contingeret assignari.

Sed idem archiepiscopus aures suas ad hujusmodi ipsius terre clamores obturans claudensque penitus, — mandatum super hoc apostolicum exequi pro sua voluntate contempsit; propter quod et quia etiam quidam prelati dicti regni, hujusmodi intellecto negotio, ad sedem propter hoc apostolicam appellarunt, aliquod eidem terre commodum ex hujusmodi gratia non provenit. Nos igitur, qui ejusdem terre angustias et pressuras oculata fide cognovimus et propriis quasi palpavimus manibus, cupientes christianitatis reliquiis que remanserunt ibidem, et ipsi etiam terre de oportuno subsidio, hoc presertim tempore quo ex persecutione Tartarica magnum eis periculum imminet, apostolica sollicitudine subvenire, quia nolumus quod eidem terre omissa in hoc ab ipso archiepiscopo diligentia sit dampnosa, te, cujus sollicitudinem et vigilantiam pro ipsius terre negotio experimento cognovimus, ad colligendum hujusmodi centesimam duximus deputandum.

Cum itaque, predictorum nuntiis prelatorum in nostra presentia constitutis, per nos fuerit, prehabita fratrum nostrorum deliberatione, responsum quod, non obstante appellatione hujusmodi, quam frivola (*sic*) reputavimus, in eodem procedi negocio, juxta formam predictis archiepiscopo et canonico super hoc traditam, faceremus, fraternitati tue per apostolica scripta districte precipiendo mandamus quatinus ad predictum regnum te personaliter conferens, predictam centesimam in regno, civitate ac diocesi supradictis per te vel per alium seu alios efficaciter colligere studeas, juxta predictarum directarum super hoc eisdem archiepiscopo et canonico continentiam litterarum. Verumtamen volumus ut quicquid per te vel per alium seu alios de centesima premissa collegeris, sub fidedignarum personarum testimonio deponas fideliter in aliquibus tutis locis, convertendum postmodum de mandato nostro, cum consilio predicti regis et dilecti filii Willelmi, electi Jerosolimitani, in utilitatem et subsidium dicte terre. Quid autem et quantum de centesima ipsa collectum fuerit, et ubi et coram quibus illud deposueris, et hujusmodi etiam depositi quantitatem nobis tuis litteris studeas fideliter intimare. Datum apud Urbemveterem, v idus januarii, anno II°. »

375 Orvieto, 12 mars 1263.

Eidem mandat ut in regno Franciae necnon in Cameracensi, Tullensi, Leodiensi, Metensi et Virdunensi diocesibus, executoribus ab apostolica sede concessis inhibeat ne ad redemptio-

nes, legata, relicta, data et obventiones colligenda procedant, cum modum in colligendis predictis excedant. (Reg. 26, ann. II, n° 237, fol. 126; Potthast 18501).

« *Eidem.* Inter occupationes multiplices et immensas, quibus assidue angimur et distrahimur supra vires, de subsidio terre sancte vehementius cogitantes, ad hoc intenta sollicitudine et attentione sollicita instantius vigilamus ut ejusdem terre succursui oportuno provideatur remedio et Crucis ac Crucifixi negotium, auctore Domino, feliciter dirigatur. Et licet nonnulli predecessores nostri grandis ad hoc diligentie studio ferventer instíterint, nos tamen, qui statum terre illius presentialiter novimus quique ipsius discrimina experientia palpavimus manuali, totis desiderantes affectibus eidem terre celeri et efficaci subsidio subvenire, libenter obstacula, per que ipsius terre subsidium impediri vel defraudari valeat, summovemus. Cum igitur negotium Crucis pro predicte terre subsidio tibi in regno Francie necnon et in Cameracensi, Tullensi, Leodiensi, Metensi et Virdunensi civitatibus et diocesibus per nostras diversas sub certa forma litteras duxerimus committendum, et, sicut accepimus, nonnulli executores ab apostolica sede concessi, plerisque personis et locis ecclesiasticis et secularibus, exemptis et non exemptis, super quibusdam concessionibus de redemptionibus votorum crucesignatorum necnon de legatis, datis, obventionibus, relictis subventioni terre predicte ac aliis deputatis ad subventionem eandem, in regno Francie ac in civitatibus et diocesibus memoratis, per nos et predecessores nostros seu alios, de mandato dicte sedis, factis, modum in colligendis predictis excedant aliasque in talibus pernitiose versentur, nos nolentes ista sub dissimulatione transire, ne in grave (quod absit) vergant ejusdem terre, per subtractionem vel diminutionem prefati subsidii, detrimentum, fraternitati tue mandamus quatinus in locis, in quibus tibi ipsius negotium est commissum, per te vel per alium seu alios omnibus executoribus eisdem, personis et locis deputatis a predicta sede super hujusmodi concessionibus, ex parte nostra firmiter inhibere procures, ne quoquomodo ad colligendum premissa procedant, eos, si contra hujusmodi tuam inhibitionem procedere forte presumpserint, a presumptione hujusmodi per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, et nichilominus qua auctoritate quibusque personis et locis, sub qua forma et in qua quantitate fuerint predicta concessa, et que et quot et in quibus locis ab eisdem executoribus fuerint collecta pro eis diligentius inquirens, ea nobis per tuas litteras fideliter intimare procures. Nos enim concessiones predictas aliquem vigorem habere ac illarum pretextu quicquam percipi nolumus, donec per tuam insinuationem sciamus super premissis plenius veritatem ac de hiis, prout expediens fore viderimus, disponamus. Tu autem interim redemptiones, legata, relicta, data et obventiones hujusmodi per te vel per alium sive alios, quos ad hoc ydoneos esse cognoveris, integre colligens, quicquid de hiis collectum fuerit in aliquo tuto loco, sub fidedignorum testimonio, sine aliqua diminutione, deponas, rescripturus nobis fideliter quid et quantum et a quibus collectum fuerit, et ubi illud duxeris deponendum; non obstante si personis vel locis aut ordinibus aliquibus a memorata sit sede indultum quod interdici, suspendi vel excomunicari non possint per litteras apostolicas, plenam et expressam non facientes de indulto hujusmodi et eorum nominibus mentionem, et constitutione de duabus dietis edita in concilio generali, contradictores censura simili, appellatione postposita, compescendo. Datum apud Urbemveterem, III idus martii, anno secundo. »

376 Orvieto, 25 avril 1263.

Eidem absolvendi, durante commisso ipsi praedicto Crucis negotio, omnes illos quos pro violenta injectione manuum in viros religiosos et clericos seculares, vel etiam pro incendio inciderint in canonem sententiae promulgatae, dum tamen injurias et dampna passis satisfaciant competenter et signum Crucis receperint, in subsidium Terrae Sanctae ituri personaliter aut missuri illuc ydoneos bellatores, aut partem de bonis suis pro hujusmodi subsidio ministrantes; dispensandi quoque cum clericis hujusmodi ligatis sententiis, qui se immiscuere divinis, super irregularitate quam propter hoc incurrerunt, ac injungendi eis penitentiam salutarem, concedit facultatem. Denique mandat ei quatenus quicquid inde receperit, deponat in tuto loco, et singula ipsi rescribat. (Reg., 26, fol. 126, n° 238.)

« *Eidem.* Cum pro Terre —. Datum apud Urbemveterem, VII kalendas maii, anno secundo. »

377 Orvieto, 19 février 1263.

Eidem sub praedictis conditionibus absolvendi eos qui, contra prohibitionem apostolicae sedis, sepulchrum Dominicum visitarunt, ac illos qui portaverunt ferrum, arma, lignamina et merces prohibitas Sarracenis vel alias contra Christianos dede-

runt eis auxilium vel favorem, quoslibet etiam clericos in praelaturis, dignitatibus vel personatibus constitutos, necnon presbyteros qui contra constitutionem Ecclesiae leges vel physicam audiverunt, ab excommunicationum sententiis, quibus propter hoc sunt astricti, et dispensandi cum illis qui excommunicati vel suspensi alias immiscentes se divinis, irregularitatem aliquam incurrerunt, concedit facultatem. (Reg. 26, fol. 126 v°, n° 239.)

« *Eidem.* Cum predicationem Crucis —. Datum apud Urbemveterem, XI kalendas martii, anno secundo. »

378 Orvieto, 22 avril 1263.

Eidem mandat quatenus omnes crucesignatos et crucesignandos, quos sub apostolicae sedis protectione suscipit, non permittat, contra immunitates et privilegia crucesignatis ab ipsa sede concessa, ab aliquibus molestari. (Reg. 26, fol. 126 v°, n° 240.)

« *Eidem.* Cum predicationem Crucis —. Datum apud Urbemveterem, x kalendas maii, anno secundo. »

379 Orvieto, 24 avril 1263.

Eidem mandat quatenus omnes illarum partium, in quibus ipsi Terrae Sanctae negotium est commissum, clericos et laicos, cujuscumque conditionis, ordinis et dignitatis existant, qui olim, pro dictae Terrae subsidio, crucis signaculum assumpserunt vel assument deinceps, illos etiam qui assumptum deposuerunt, ut illud cum devotione resumant seque sic studeant praeparare quod se personaliter conferant et transferant in succursum Terrae praedictae moneat et inducat, eos ad redimendum vota sua vel trausfretandum per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compellendo. (Reg. 26, fol. v°, n° 241.)

« *Eidem.* Cum Terra Sancta —. Datum apud Urbemveterem, VIII kalendas maii, anno II. »

380 Orvieto, 24 avril 1263.

Eidem concedit facultatem dispensandi cum viginti clericis praedictarum partium defectum natalium patientibus, dummodo non sint de adulterio vel incestu aut de regularibus procreati nec paternae incontinentiae imitatores, qui, signo crucis assumpto, transfretaverint personaliter in subsidium Terrae Sanctae, vel illuc bellatores idoneos destinaverint aut partem de bonis suis praedicto subsidio congrue ministrabunt, quod quilibet eorum possit ad omnes ordines promoveri et ecclesiasticum beneficium obtinere, etiam si curam habeat animarum. (Reg. 26, fol. 127, n° 242.)

« *Eidem.* Cum predicationem Crucis —. Datum apud Urbemveterem, VIII kalendas maii, anno secundo. »

381 Orvieto, 27 avril 1263.

Eidem concedit ut praedicatores Crucis, quos ad id duxerit deputandos, questariis universis et aliis quibuslibet praedicare volentibus, proponendi aliquid populo, dum ab ipsis praedicatoribus Crucis negotium proponetur, licentiam interdicere possint. (Reg. 26, fol. 127, n° 243.)

« *Eidem.* Ut commissum tibi —. Datum apud Urbemveterem, v kalendas maii, anno secundo. »

382 Orvieto, 27 avril 1263.

Eidem concedit facultatem injungendi omnibus praedicatoribus et executoribus Crucis pro Terrae Sanctae subsidio a sede apostolica deputatis et deputandis, ut in omnibus quae promotioni ipsius negotii cognoverit expedire, ipsi assistant et intendant eosque ad id per censuram ecclesiasticam compellendi. (Reg. 26, fol. 127, n° 244.)

« *Eidem.* Cum predicationem Crucis —. Datum apud Urbemveterem, v kalendas maii, anno secundo. »

383 Orvieto, 27 mars 1263.

Eidem concedit ut clerici et laici partium praedictarum, crucesignati et crucesignandi, decimas non ecclesiarum ratione detinentes, fructus earum perceptos hactenus in Terrae Sanctae subsidium convertere valeant per se ipsos vel Crucis praedicatoribus secura conscientia exhibere, earumdem decimarum quinta parte eisdem detentoribus dimissa. (Reg. 26, fol. 127, n° 245.)

« *Eidem.* Cum predicationem Crucis —. Datum apud Urbemveterem, VI kalendas aprilis, anno secundo. »

384 Orvieto, 13 février 1263.

Eidem concedit facultatem absolvendi a voto Crucis omnes crucesignatos et crucesignandos qui, propter corporum infirmitatem vel debilitatem, inhabiles fuerint ad pugnandum vel transfretandum in Terrae Sanctae succursum, dummodo

secundum proprias facultates velint redimere vota sua. Vult autem ut de hujusmodi redemptionibus collecta deponat in aliquo tuto loco et ipsi singula rescribat. (Reg. 26, fol. 127 v°, n° 246.)

« *Eidem.* Cum predicationem Crucis —. Datum apud Urbemveterem, idus februarii, anno secundo. »

385 Orvieto, 27 avril 1263.

Eidem concedit ut, cum ad aliquam villam vel ecclesiam partium praedictarum, ecclesiastico suppositam interdicto, ipsum declinare contigerit, interdictum hujusmodi suspendere ac divina officia, dum ibidem moram traxerit, in eadem ecclesia, propter Crucis praedicationem, excommunicatis et his qui causam interdicto dederunt, exclusis, celebrare valeat et facere per alios celebrari. (Reg. 26, fol. 127 v°, n° 247.)

« *Eidem.* Cum predicationem Crucis —. Datum apud Urbemveterem, v kalendas maii, anno secundo. »

386 Orvieto, 27 avril 1263.

Eidem concedit facultatem assumendi aliquos ecclesiarum praelatos aliosque religiosos et seculares praedictarum partium de quibus viderit expedire, ut in his quae spectant ad negotii Terrae Sanctae promotionem, ipsi assistant, eosque ad id, si necesse fuerit, auctoritate apostolica compellendi. (Reg. 26, fol. 127 v°, n° 248.)

« *Eidem.* Cum predicationem Crucis —. Datum apud Urbemveterem, v kalendas maii, anno secundo. »

387 Orvieto, 27 avril 1263.

Eidem concedit facultatem faciendi quinque clericis, qui cum ipso in negotio Terrae Sanctae laborabunt, beneficiorum, praebendarum et ecclesiarum ipsorum proventus, quotidianis distributionibus exceptis, integre ministrari, ac si in ecclesiis, quas seu in quibus ea obtinent, personaliter residerent, et contradictores per censuram ecclesiasticam compescendi. (Reg. 26, fol. 127 v°, n° 249.)

« *Eidem.* Cum predicationem Crucis —. Datum apud Urbemveterem, v kalendas maii, anno secundo. »

388 Orvieto, 27 avril 1263.

Eidem concedit facultatem largiendi omnibus vere poenitentibus et confessis, qui de bonis ipsorum pro subsidio Terrae Sanctae congrue ministrabunt, indulgentiam quae transfretantibus personaliter ad dictae Terrae subsidium in generali concilio est concessa. (Reg. 26, fol. 128, n° 250.)

« *Eidem.* Fraternitati tue de —. Datum apud Urbemveterem, v kalendas maii, anno secundo. »

389 Orvieto, 27 avril 1263.

Eidem concedit facultatem commutandi vota illorum, qui pro Terrae Sanctae subsidio signum crucis assumpserint, in hujusmodi votum Crucis, proviso quod ad religionis vel castitatis vota concessa in hac parte ipsi facultas nullatenus extendatur. (Reg. 26, fol. 128, n° 251.)

« *Eidem.* Cum predicationem Crucis —. Datum apud Urbemveterem, v kalendas maii, anno secundo. »

390 Orvieto, 28 avril 1263.

Eidem concedit facultatem cum religiosis Praedicatoribus et Minoribus fratribus super defectu natalium dispensandi quod in susceptis ordinibus ministrare licite valeant et ad superiores etiam promoveri, dummodo de adulterio vel de religiosis personis nati non fuerint vel incestu. (Reg. 26, fol. 128, n° 252; Potthast 18526.)

« *Eidem.* Personam tuam honorare —. Datum apud Urbemveterem, iiii kalendas maii, anno secundo. »

391 Orvieto, 28 avril 1263.

Eidem concedit ut cum quibuslibet religiosis personis praedictarum partium, cujuscumque sint ordinis, quae in monasteria habuerunt vel dederunt ingressum per simoniacam pravitatem, valeat dispensare, ipsas de novo in monasteriis ipsis recipi faciendo, mutatis prioribus locis et eis inferioribus assignatis. (Reg. 26, fol. 128, n° 253.)

« *Eidem.* Cum predicationem Crucis —. Datum apud Urbemveterem, iiii kalendas maii, anno secundo. »

392 Orvieto, 24 avril 1263.

Decernit crucesignatos per litteras apostolicae sedis in causam trahi vel ad judicium evocari extra ipsorum dioceses non posse. (Reg. 26, fol. 128, n° 254.)

« *Eidem.* Volentes omnes crucesignatos et crucesignandos in regno Francie necnon in Cameracensi, Tullensi, Leodiensi, Metensi et Virdunensi civitatibus et diocesibus —. Datum apud Urbemveterem, VIII kalendas maii, anno secundo. »

Orvieto, 7 juillet 1263.

In e. m. Waltero, Wigorniensi episcopo. Volentes omnes crucesignatos et crucesignandos in regno Anglie etc., ut in proxima superiori, etc. usque Datum apud Urbemveterem, nonis julii, anno secundo.

In e. m..., archiepiscopo Compostellano. Volentes omnes crucesignatos et crucesignandos in regnis.., illustris regis Castelle etc., ut in prima usque Datum apud Urbemveterem, nonis julii, anno secundo.

In e. m..., archiepiscopo Bracharensi. Volentes omnes cru[ce]signatos et crucesignandos regni Portugalie etc., ut in prima usque Datum apud Urbemveterem, nonis julii, anno secundo.

In e. m..., episcopo Mantuano. Volentes omnes crucesignatos et crucesignandos in Lombardia, Marchia Tervisina et Romaniola [1] etc. usque Datum apud Urbemveterem, nonis julii, anno secundo.

393 Orvieto, 13 juin 1263.

Ludovico, regi Francorum concedit facultatem mutandi et substituendi alium vel alios loco Egidii, archiepiscopi Tyrensis, et Johanni de Valencenis, domini Cayphae, ad recipiendum colligenda pecuniaria subsidia in Gallia pro Terrae Sanctae subventione. (REG. 26, anni II, n° 255, fol. 128 v°; POTTHAST 18564.)

« *Carissimo in Christo filio Ludovico, illustri regi Francorum.* Cum nos universis archiepiscopis, episcopis, abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis necnon prioribus Predicatorum et ministris, custodibus seu guardianis Minorum ordinum ceterisque personis ecclesiasticis, secularibus et religiosis, per regnum Francie et per Cameracensem, Tullensem, Leodiensem, Metensem et Virdunensem civitates et dioceses ad Crucis negotium et ad colligenda pecuniaria subsidia pro Terre Sancte subventione a sede apostolica deputatis et in posterum deputandis, per nostras sub certa forma litteras injungamus ut omnem pecuniam cunctaque alia collecta jam per eos de hujusmodi subsidiis, et colligenda deinceps, venerabili fratri nostro E., archiepiscopo Tyrensi, et dilecto filio nobili viro Johanni de Valencenis, domino Cayphe, ejusdem terre nuntiis, et illi vel illis, quem vel quos ad hoc tu eisdem archiepiscopo et nobili vel eorum alteri subrogabis, aut eorum certis nuntiis seu procuratoribus integre ac fideliter assignare procurent, per eos in utilitatem dicte Terre, cum tuo consilio et assensu, totaliter convertenda; nos de zelo devotionis laudabilis, quam gerit ad terram ipsam tua sublimitas, ac etiam de sollicitudine, quam ipsius Terre profectibus cupis incessanter impendere, pleniorem certitudinem obtinentes, serenitati tue mutandi, substituendi, subrogandi vel adjungendi, quotiens expedire videris, alium vel alios loco archiepiscopi et nobilis predictorum vel alterius eorumdem, ad recipiendum ab ipsis executoribus hujusmodi pecuniaria subsidia, plenam et liberam concedimus auctoritate presentium facultatem. Datum apud Urbemveterem, idus junii, anno II°. »

394 Orvieto, 13 juin 1263.

Egidio, archiepiscopo Tyrensi, et Johanni de Valencenis, domino Cayphae, mandat quatenus ea quae receperint, in utilitatem Terrae Sanctae cum consilio et assensu regis Franciae convertere curent. (REG. 26, ann. II, n° 256, fol. 128 v°.)

« *E., archiepiscopo Tyrensi, et dilecto filio nobili viro Johanni de Valencenis, domino Cayphe.* Cum nos diversa pecuniaria subsidia subventioni Terre Sancte duxerimus deputanda, mandantes hujusmodi subsidia per regnum Francie necnon per Cameracensem, Leodiensem, Tullensem, Metensem et Virdunensem civitates et dioceses colligi per certos executores seu collectores ad hoc deputatos a nobis, et ad opus ipsius Terre vobis ab eisdem collectoribus assignari, nos de fidelitate ac circumspectione vestra plenam in Domino fiduciam obtinentes, attendentes etiam zelum devotionis et intimi affectum desiderii ac vehementem sollicitudinem, quibus circa liberationem dicte terre corda vestra ducuntur, partem onerum negotiorum ejusdem terre non minimam vestris humeris eo fiducialius duximus imponendam, quo certius speramus et firmius vos hujusmodi onera promptioribus debere animis supportare. Cum igitur nos predictis collectoribus per nostras sub certa forma litteras injungamus, ut ea, que de predictis subsidiis collecta sunt hactenus vel posterum colligentur, vobis et illi, vel

1. Les quatre derniers mots sont récrits sur un grattage, les deux suivants sont ajoutés dans l'interligne.

illis, quem vel quos carissimus in Christo filius noster Ludoicus, rex Francorum illustris, vobis vel vestrum alteri subrogabit, sine diminutione qualibet assignare procurent, presentium vobis auctoritate mandamus quatinus omnia predicta pecuniaria subsidia, collecta jam et que deinceps colligi contigerit, ab eisdem executoribus seu collectoribus, per vos vel per alium seu alios exigentes ac recipientes integre, illa que receperitis, in utilitatem predicte Terre, cum consilio et assensu ejusdem regis, convertere fideliter et sine qualibet diminutione curetis. Tu vero, frater archiepiscope, dictos executores seu collectores, quod hujusmodi pecuniaria subsidia in manibus vestris vel illorum, quos ad hoc vos vel dictus rex duxeritis deputandos, assignent, per censuram ecclesiasticam, per te vel per alium seu alios, appellatione remota, compellas, non obstante si aliquibus a sede apostolica sit indultum vel contigerit indulgeri, quod interdici vel excommunicari nequeant aut suspendi, et qualibet alia indulgentia dicte sedis generali vel speciali, cujuscumque tenoris existat, quibuscumque dignitatibus, ordini vel personis concessa, per quam mandati nostri executio impediri valeat vel differri, et de qua in nostris litteris de verbo ad verbum, et eorum dignitate, ordine vel nominibus fieri debeat mentio specialis, et constitutione de duabus dietis edita in concilio generali. Datum apud Urbemveterem, idus junii, anno secundo. »

395 Orvieto, 13 juin 1263.

Infrascriptos mandat ut, pro subsidio Terrae Sanctae, Egidio, archiepiscopo Tyrensi, et Johanni de Valencenis auxilium et favorem impendant. (Reg. 26, ann. II, n° 257, fol. 128 v°.)

« *Universis archiepiscopis et episcopis, ac dilectis filiis abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis, necnon prioribus Predicatorum, ministris, custodibus seu guardianis Minorum ordinum, ceterisque personis ecclesiasticis, secularibus vel religiosis, per regnum Francie et per Cameracensem, Tullensem, Leodiensem, Metensem et Virdunensem civitates et dioceses ad crucis negotium et ad colligenda subsidia pecuniaria pro Terre Sancte subsidio a sede apostolica deputatis et in posterum deputandis.* Et si ad universas mundi provincias, que christiana professione censentur, nostrum diligentie studium diffundamus, eo tamen sollicitius et frequentius ad statum Terre Sancte, que, undique peccatis exigentibus, et Sarracenorum et Tartarorum furenti feritate concutitur, nostre dirigimus considerationis intuitum nostreque mentis reflectimus oculos, quo artius ad ejusdem Terre profectus, ob Illius reverentiam, qui salutem humani generis extitit operatus in ipsa et qui eam sui aspersione sanguinis rubricavit, nos recognoscimus obligatos. Cum igitur executionem negotii Crucis ac collectionem diversorum subsidiorum pro eadem Terra vobis jam deputatis, per diversas nostras sub certis formis litteras in regno Francie necnon in Cameracensi, Leodiensi, Tullensi, Metensi et Virdunensi civitatibus et diocesibus duxerimus committendas, nos, cupientes per vos in hiis, que pro dicta Terra vobis commissa sunt vel committi contigerit in futurum, cum omni diligentia et attentione procedi, universitatem vestram monendam, rogandam attente duximus et hortandam, per apostolica vobis scripta districte precipiendo mandantes quatenus singuli vestrum, sicut divinam et nostram ac apostolice sedis caram habetis gratiam, ad executionem negotiorum hujusmodi, juxta formas vobis jam deputatis traditas, sic ferventer sicque diligenter et efficaciter procedatis, ut unigenitus Dei filius Jhesus Christus, cujus causa specialiter agitur in hac parte, labores vestros et hic et in celesti patria condignis premiis recompenset, nosque devotionis vestre promptitudinem debitis laudum preconiis attollentes, multiplices vobis propter hoc non immerito gratias referamus. Ceterum, volumus et vobis universis et singulis in obedientie virtute districte precipimus, ut omnem pecuniam cunctaque alia collecta jam per vos de hujusmodi subsidiis et colligenda deinceps, venerabili fratri nostro E., archiepiscopo Tyrensi, et dilecto filio, nobili viro Johanni de Valencenis, domino Cayphe, ejusdem terre nuntiis, et illi vel illis, quem vel quos carissimus in Christo filius noster Ludovicus, rex Francorum illustris, eis vel eorum alteri adjunget vel subrogabit, vel eorum certis nuntiis seu procuratoribus, integre ac fideliter et sine diminutione qualibet assignare curetis, per eos, juxta prefati regis consilium et assensum, in ejusdem Terre subsidium totaliter convertenda. Datum apud Urbemveterem, idus junii, anno secundo. »

396 Orvieto, 27 avril 1263.

Infrascriptis mandat ut Egidio, Tyrensi archiepiscopo, ejusque comitivae in necessariis providere curent (Reg. 26, ann. II, n° 258, f° 129).

« *Universis patriarchis, archiepiscopis et episcopis, ac dilectis filiis electis, abbatibus, prioribus, capitulis, con-*

ventibus et collegiis s. Benedicti vel cujuslibet alterius ordinis, necnon decanis, archidiaconis, prepositis, archipresbyteris et aliis ecclesiarum prelatis et rectoribus, ac preceptoribus seu administratoribus domorum Hospitalis et Templi ac s. Marie Theutonicorum, exemptis et non exemptis, ad quos littere iste pervenerint. Cum venerabilem fratrem nostrum Egidium, archiepiscopum Tyrensem, virum utique probate fidei et examinate virtutis, in regnum Francie necnon ad Cameracensem, Tullensem, Leodiensem, Metensem et Virdunensem civitates et dioceses, pro Terre Sancte subsidio, de fratrum nostrorum consilio, specialiter destinemus, universitatem vestram monemus, rogamus et hortamur attente, per apostolica vobis scripta districte precipiendo mandantes quatinus ipsum, immo potius nos in eo, ob reverentiam apostolice sedis et nostram, in eundo, movendo et redeundo suscipientes honore condigno, sibi pro se, sexdecim equitaturis et viginti quinque personis in necessariis necnon in securo conductu providere curetis liberaliter et decenter, ita quod idem, quem nos et dicti fratres, sue probitatis exigentibus meritis, carum habemus multipliciter et acceptum, cum ad presentiam nostram, Deo dante, redierit, laudabile possit vestre promptitudini testimonium perhibere, ac nos exinde reddere in vestris utilitatibus promptiores. Alioquin, sententias, quas ipse per se vel per alios rite tulerit in rebelles, ratas habebimus, easque faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam, appellatione remota, inviolabiliter observari, non obstantibus —. Datum apud Urbemveterem, v kalendas maii, anno secundo. »

397 Orvieto, 12 juillet 1263.

Infrascriptos certos facit se nonnullis singulorum regnorum praelatis praedicationem Crucis commisisse. (Reg. 26, ann. II, n° 2.9, f° 129 v°).

« *Archiepiscopis et episcopis ac dilectis filiis ceteris ecclesiarum prelatis per regnum Anglie constitutis.* Terram Sanctam, quam unigenitus Dei filius, Dominus Jesus Christus, in proprium sibi patrimonium et hereditatem elegit, conspicientes feritate diversorum infidelium immaniter lacerari, vias et modos desideranter exquirimus, quibus eidem terre possint oportuna presidia nostro ministerio provenire. Quare de venerabili fratre nostro Waltero, Wigorniensi episcopo, quem Dei timorem habere credimus et amorem, quique multiplicibus donis virtutum preditus, utiliter scit et valet ubi labores impendit, plenam in Domino fiduciam obtinentes, predicationem Crucis pro dicte terre subsidio in regno Anglie sibi per nostras litteras sub certa forma duximus committendam, cupientes ut negotium ipsum in manibus ejus eo plenius, divina clementia faciente, proficiat, quo magis insidet cordi nostro et quo majorem necessitatem ad presens eidem terre novimus imminere. Ideoque universitatem vestram rogamus et hortamur attente, vobis nichilominus in remissionem peccaminum injungentes, quatinus prefato episcopo et aliis, quos in hoc ipse cooperatores elegerit, circa ipsius negotii prosecutionem ferventer assistere studeatis, habentes ipsum episcopum, immo potius nos in ipso, tanquam nobis intimum, in ejusdem prosecutione negotii favorabiliter in Domino commendatum, ita quod devotionem vestram commendare cum gratiarum actionibus merito valeamus, ac nichilominus exinde divine retributionis vobis proveniat incrementum. Datum apud Urbemveterem, IIII idus julii, anno secundo. »

In e. m. archiepiscopis et episcopis ac ceteris ecclesiarum prelatis per regna . . illustris regis Castelle constitutis. Terram Sanctam etc. Quare de venerabili fratre nostro . . archiepiscopo Compostellano etc . . usque subsidio in regnis . . illustris regis Castelle etc usque incrementum. Datum ut in superiori.

In e. m. archiepiscopis etc., ut in prima usque per regnum Portugalie constitutis. Terram Sanctam etc. usque Quare de venerabili fratre nostro . . archiepiscopo Bracharensi etc. usque subsidio in regno Portugalie etc. usque incrementum. Datum ut supra.

In e. m. archiepiscopis etc. usque per Daciam constitutis. Terram Sanctam etc. usque Quare de venerabili fratre nostro . . Arusiensi episcopo etc., usque subsidio in Dacia etc., usque incrementum. Datum ut in prima.

INCIPIT REGESTUM ANNI TERTII

DOMINI URBANI PAPE QUARTI

398 Orvieto, 13 septembre 1263.

Episcopo Warmiensi inhibet ne a Gneznensi archiepiscopo, suffraganeis et clero quicquam, procurationum nomine, ultra quinquaginta marcas argenti recipere annuatim, ac de cognitione causarum quarumlibet ejusdem provinciæ, nisi per appellationem ad ipsius audientiam devolvantur, se intromittere præsumat. (Reg. 28, anni III, fol. 1, n° 1).

« . . *episcopo Warmiensi, apostolice sedis legato.* Cum Gneznensis provincia irruentium Tartarorum impetum et furorem iterato jam sustinuisse dicatur, et a continuis Lituariorum hostium molestetur aggessibus ac depopulationibus devastetur, nos ad venerabiles fratres nostros . . Gneznensem archiepiscopum, ejusque suffraganeos, necnon ad clerum ejusdem provincie pie gerentes compassionis affectum ac volentes eos propter hoc ab aliis gravaminibus relevare, fraternitati tue auctoritate presentium districtius inhibemus ne ab eisdem archiepiscopo, suffraganeis et clero quicquam, procurationum tuarum nomine, ultra quinquaginta marcas argenti, quas tibi apostolica auctoritate taxamus, exigere ac recipere annuatim, ac de cognitione causarum quarumlibet ejusdem provincie te intromittere quoquomodo presumas, nisi per appellationem ad tuam audientiam devolvantur; in quo etiam casu, nullum clericum vel laicum ejusdem provincie ultra duas dietas, extra suam diocesim, volumus evocari. Taliter igitur hujusmodi nostre inhibitionis limites studeas observare ut illos egredi quomodolibet non attemptes, dictique archiepiscopus, suffraganei ac clerus justam de te non habeant materiam conquerendi. Datum apud Urbemveterem, idus septembris, anno tertio. »

399 Orvieto, 5 septembre 1263.

Simoni, decano ecclesiæ s. Petri Leodiensis, factam a P., s. Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, tunc in illis partibus apostolicæ sedis legato, concessionem, videlicet ut, præter decanatum ecclesiæ s. Petri Leodiensis et alia beneficia curam animarum habentia, unicum aliud beneficium ecclesiasticum, etiam si curam haberet similem, posset recipere et una cum eis licite retinere, confirmat. (Reg. 28, ann. III, n° 2, f° 1.)

« *Magistro Symoni, decano ecclesie s. Petri Leodiensis.* Cum a nobis — . Datum apud Urbemveterem, nonis septembris, anno tertio. »

400 Orvieto, 13 septembre 1263.

Thrugoto, electo Revaliensi, quem regina Daciae ad regimen Revaliensis ecclesiae elegerat et cujus electionem ipse pontifex cassam et irritam prius nuntiaverat, ipsi ecclesiae praeficit in episcopum. (Reg. 28, fol. 1, ann. III, n° 3; Potthast 18649.)

« *Thrugoto, electo Revaliensi.* Ecclesia Revaliensi dudum pastore vacante, carissima in Christo filia nostra M., regina Dacie illustris, que carissimum in Christo filium nostrum . . illustrem regem Dacie, natum suum, tunc impuberem, et regnum Dacie gubernabat, ad regimen ipsius ecclesie te, tunc canonicum Roskildensem, de facto elegit, credens sibi hoc illa de causa licere, quia clare memorie W., rex Dacie, qui terram Revaliensem de manu paganorum eripiens et acquirens cultui christiano, dictam eccle-

siam erexit de bonis propriis et dotavit, ac successores ejus extunc in prefata ecclesia pontifices elegerunt. Sed tu sub ea condicione prefate regine super electione hujusmodi consensisti, si placita esset ecclesie vel accepta. De hiis enim verbis talis intellectus in mente tua, prout asseris, resultabat quod in predictam prebebas electione consensum, si de metropolitani tui aut summi pontificis procederet voluntate. Et, licet prefata regina electionem tuam, si electio dici possit, venerabili fratri nostro . . , Lundensi archiepiscopo, loci metropolitano, confirmandam ab eo, duxerit presentandam, idem tamen archiepiscopus extra regnum constitutus predictum, eam noluit, sicut nec debuit, confirmare, propter quod regina prefata recursum ad felicis recordationis Alexandrum papam, predecessorem nostrum, habuit, et extunc hujusmodi negotium usque ad hec tempora in suspenso remansit. Porro nos, ipsius negotii meritis intellectis, electionem predictam cassavimus seu potius cassam et irritam duximus nuntiandam, maxime cum jus electionum hujusmodi, secundum instituta canonica, non cadat in laicum, nec aliqua consuetudine, que corruptela esset dicenda, potius a laicis valeat obtineri. Quia vero de vita, moribus ac litterarum scientia fuisti nobis laudabiliter commendatus, nos eidem ecclesie super eo quod diu viduata extitit, paterno compatientes affectu, ac in hac parte sibi providere salubriter intendentes, te ipsi ecclesie de fratrum nostrorum consilio et apostolice protestatis plenitudine necnon de speciali gratia, prefecimus in episcopum et pastorem, firma de te concepta fiducia quod, cum dicaris in spiritualibus esse providus et in temporalibus circumspectus necnon adjutus diversarum meritis probitatum, dicta Revaliensis ecclesia per tuam industriam, divina favente clementia, in statum salutis dirigi et in prosperis debeat ampliari. Quocirca —. Datum apum Urbemveterem, idus septembris, anno tertio. »

In e. m. clero civitatis et diocesis Revaliensis. Ecclesia Revaliensi, etc., usque ampliari, verbis competenter mutatis. Rogamus itaque universitatem vestram et hortamur attente per apostolica vobis scripta precipiendo mandantes quatenus prefatum electum, cui plenam administrationem ipsius ecclesie in utrisque commisimus, cum ad vos pervenerit, pro divina et apostolice sedis ac nostra reverentia, devote et hylariter admittentes, ac sibi tamquam patri et pastori animarum vestrarum, debitam obedientiam et reverentiam impendentes, ejus salubribus mandatis et monitis efficaciter intendatis, ita quod ipse letetur in vobis devotionis habere filios, et vos in eo per consequens invenire fructum paterne benivolentie gaudeatis. Alioquin, sententiam quam idem propter hoc, etc., usque observari. Datum apud Urbemveterem, III idus septembris, anno tertio. »

In e. m. populo civitatis et diocesis Revaliensis. Laudis humane preconium —. Ecclesia siquidem Revaliensis, etc., ut in secunda, usque gaudeatis. Datum ut supra.

401 Orvieto, 17 septembre 1263.

Episcopo Ripensi mandat quatenus, ascitis ipsi ad hoc Wibergensi et Aurusiensi episcopis, T., Revaliensi electo, munus consecrationis impendat et injungat eidem ut ad suum metropolitanum se postmodum conferat ut illi fidelitatis juramenta praestet. (Reg. 28, fol. 1 v°, ann. III, n° 4; Potthast 18652.)

« . . , *episcopo Ripensi.* Inclinati precibus T. —. Datum apud Urbemveterem, XV kalendas octobris, anno tertio. »

402 Orvieto. 12 septembre 1263.

Abbati monasterii s. Mariae Montis Virginis, Avellinensis diocesis, et ipsius successoribus usum mitrae, annuli et aliorum pontificalium concedit, dummodo ipsi et eisdem successoribus sit modo debito munus benedictionis impensum et ipsum ac eos constet existere sacerdotes. (Reg. 28, fol. 1 v°, ann. III, n° 5; Potthast 18647.)

« . . , *abbati monasterii s. Marie Montis Virginis, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis s. Benedicti, Avellinensis diocesis.* Ecclesia Romana velut —. Datum apud Urbemveterem, II idus septembris, anno tertio. »

403 Orvieto, 9 septembre 1263.

Cassantur auctoritate apostolica XVI canonici supernumerarii [1]. (Reg. 28, fol. 1 v° ann. III, n° 6.)

« . . , *episcopo et capitulo Reatinis.* Intelleximus quod, licet in ecclesia Reatina certus sit canonicorum numerus institutus, juramenti munimine roboratus, vos

1. Ce résumé, d'une belle écriture du commencement du XV siècle, se lit en marge du Registre.

tamen, nulla inibi prebenda vacante, sedecim et plures nepotes et consanguineos vestros, quorum nonnulli illitterati et alias minus ydonei, quidam vero pueri et patientes in etate defectum esse dicuntur, in canonicos et in fratres in ipsa ecclesia, revelante hoc vobis carne ac sanguine, temeritate propria recepistis. Nos igitur, presumptionem hujusmodi tam notabilem tamque dampnabilem et exemplo pernitiosam quomodolibet sustinere nolentes, receptionem vel receptiones hujusmodi, et quicquid ex eis secutum est vel ob ipsas, apostolica auctoritate cassamus et irritamus, immo potius cassa et irrita nuntiamus, vobis universis et singulis sub excommunicationis pena firmiter inhibentes ne attemptare de cetero talia presumatis, et si secus presumptum fuerit, ex nunc vacuum, irritum penitus decernimus et inane. Datum apud Urbemveterem, v idus septembris, anno tertio. »

404 Orvieto, 9 septembre 1263.

Electionem Rogerii de Nortone, quem prior et conventus s. Albani in abbatem ejusdem monasterii elegerunt, confirmat. (Reg. 26, fol. 2, ann. III, n° 7; cf. Potthast 18641.)

« *Rogerio de Nortone, abbati monasterii s. Albani, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis s. Benedicti, Lincolniensis diocesis.* Rationis oculis intuentes —. Datum apud Urbemveterem, v idus septembris, anno tertio. »

In e. m. priori et conventui monasterii s. Albani ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis s. Benedicti, Lincolniensis diocesis.

In e. m. universis vassallis monasterii s. Albani ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis s. Benedicti, Lincolniensis diocesis.

405 Orvieto, 22 septembre 1263.

Statuit ut in ecclesia beati Martini Turonensis nulli de cetero liceat nisi unicum beneficium cum praebenda obtinere; eos autem qui tunc temporis plura officia inibi obtinebant, ea retinere tolerat. (Reg. 28, fol. 2, ann. III, n° 8.)

« *.. decano et capitulo ecclesie beati Martini Turonensis, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis.* Provisionis nostre provenire —. Sane ad audientiam nostram pervenit quod, cum venerabilis frater noster . . , Cenomanensis episcopus, et dilectus filius . . , abbas monasterii Fucardimontis, Cisterciensis ordinis, Rothomagensis diocesis, in ecclesia ipsa (b. Martini Turonensis) auctoritate apostolica officium visitationis impenderent, invenerunt plures canonicos in eadem ecclesia, quorum quilibet duas prepposituras, sive unam prepposituram et unum officium vel unam administrationem, aut plura officia, seu duas administrationes ac prebendam sine dispensatione apostolica detinebant. Et cum vellent super hoc ordinare, tu, fili decane, et aliqui ex vobis, filii capitulum, asseruistis inter alia quod id in predicta ecclesia de consuetudine fuit observatum a tempore cujus memoria non existit. Nos itaque volentes non tam id quod consuevit quam quod debet fieri observari, et considerantes quod unus vix sufficit unum officium adimplere, cupientes quoque hujusmodi modum avaritie ac ambitionis vitium de predicta ecclesia totaliter extirpare, ordinamus, statuimus et providemus ut nulli de cetero liceat nisi unicum beneficium, sive sit prepositura seu administratio vel officium aut quocumque alio nomine censeatur, cum prebenda in sepedicta ecclesia obtinere, irritum et inane, si secus a quoquam presumptum fuerit, decernentes, ac vos ad observationem hujusmodi consuetudinis, etiam si fuerit juramento firmata, que dicenda est potius corruptela quamque cassamus et irritamus, aliquatenus non teneri. Eos autem qui ad presens hujusmodi prepposituras, officia vel administrationes, juxta predictam consuetudinem, obtinent, ea retinere taliter toleramus, nichilominus suadentes eisdem quod de sepefata consuetudine cum animarum suarum periculo non confidant. Nulli ergo nostre ordinationis, constitutionis, provisionis, cassationis et irritationis, etc. Datum apud Urbemveterem, x kalendas octobris, anno tertio. »

406 Orvieto, 21 septembre 1263.

Ordinat quod ecclesia s. Hilarii Pictavensis ab omni dominio, jurisdictione ac potestate Pictavensis episcopi libera et exempta prorsus existat et sedi apostolicae immediate ac perpetuo subjecta remaneat. (Reg. 28, fol. 2 v°, ann. III, n° 9.)

« *Ad futuram rei memoriam.* Quia ex ore sedentis —. Sane inter bone memorie Johannem, episcopum, et ecclesiam Pictavensem, ex parte una, et . . thesaurarium, . . decanum et capitulum ecclesie s. Hylarii Pictavensis, super subjectione, obedientia et reverentia et aliis episcopalibus juribus que idem episcopus

ad se in eadem ecclesia s. Hylarii spectare dicebat ex altera, questione suborta, felicis recordationis Innocentius papa IIII[1], predecessor noster, dilectum filium nostrum J., s. Nicolai in Carcere Tulliano diaconum cardinalem, concessit partibus auditorem, coram quo procurator dicti episcopi libellum obtulit in hunc modum :

« Coram vobis, domine J., s. Nicolai in Carcere Tulliano diacone cardinalis, partibus a domino papa auditore concesso, proponit Johannes de Ferrariis, canonicus ecclesie s. Radegundis Pictavensis, procurator . . episcopi Pictavensis, nomine ejusdem episcopi Pictavensis, contra . . thesaurarium, . . decanum et capitulum ecclesie s. Hylarii Pictavensis et . . procuratorem eorumdem, ipsorum nomine, quod ecclesia s. Hylarii Pictavensis sita est in episcopatu Pictavensi, scilicet infra muros ville Pictavensis, et eidem episcopo de jure communi est subjecta. Quare petit procurator dicti episcopi, nomine episcopi et ecclesie Pictavensis, per vos sibi sententialiter adjudicari subjectionem, reverentiam et obedientiam et cetera jura episcopalia in ecclesia beati Hylarii supradicta, et eisdem thesaurario, decano et capitulo et procuratori, eorum nomine, sententialiter injungi quod eidem episcopo, nomine ecclesie sue, in omnibus episcopalibus juribus obediant et intendant, et eidem omnia episcopalia jura exhibeant et plene sibi respondeant de eisdem, et ad hoc petit ipsos per vestram sententiam condempnari et declarari per sententiam quod idem episcopus predicta omnia habeat in ecclesia supradicta. Petit expensas factas propter hoc, quas extimat centum libras et protestatur faciendas. Salvo jure, etc. »

Lite igitur coram eodem cardinali a procuratore predictorum thesaurarii, decani et capituli legitime contestata et juramento hinc inde prestito de veritate dicenda, factisque positionibus et responsionibus ad easdem, ac testibus aliisque probationibus ab utraque parte productis et attestationibus publicatis, tandem, postquam fuit a partibus in hujusmodi causa conclusum, nos dilectum filium nostrum M., s. Marie in Porticu diaconum cardinalem, predicto J. cardinali, tunc aliis negotiis occupato, in causa ipsa duximus subrogandum. Verum, procurator thesaurarii, decani et capituli predictorum, habens ab eis ad componendum, transigendum seu paciscendum et ad compromittendum speciale mandatum, et procurator venerabilis fratris nostri Hugonis, episcopi Pictavensis, successoris predicti Johannis episcopi, quanquam ad hoc mandatum sufficiens ab eodem Hugone episcopo non haberet, in nos super toto hujusmodi questionis negotio compromittere seque ordinationi ac provisioni nostre summittere curaverunt.

Nos itaque, hujusmodi compromissione ac summissione recepta, supplentes de apostolice plenitudine potestatis omnem defectum qui esset vel esse posset in utriusque partis mandatis procuratoriis et specialiter in mandato quod dicti Hugonis episcopi procurator exhibuit, in quo utique mandato nulla est ipsi procuratori componendi seu compromittendi aut summittendi se ordinationi vel provisioni seu arbitrio alicujus attributa potestas, necnon et omnem defectum, si quis erat vel esse poterat ex eo quod capitulum Pictavense per se vel per alium non fuerat in judicio nec assensum prebuerat in hujusmodi prosecutione negotii episcopo Pictavensi, causam seu questionem hujusmodi nolentes fieri ulterius immortalem, per infrascriptam ordinationem et provisionem nostras, quas inviolabiliter a partibus perpetuis temporibus observari precipimus, de fratrum nostrorum consilio duximus terminandam.

Ordinamus ergo et auctoritate apostolica providemus, statuimus atque decernimus quod predicta ecclesia s. Hylarii Pictavensis ab omni dominio, jurisdictione ac potestate Pictavensis episcopi et ab omnibus que ad eundem episcopum, ratione legis diocesane seu cujuscumque jurisdictionis ordinarie, pertinent, libera et exempta prorsus existat, dicteque sedi apostolice immediate ac perpetuo subjecta remaneat, predictis Hugoni episcopo ejusque procuratori et ecclesie Pictavensi super premissis omnibus in libello predicto contentis, perpetuum silentium imponentes. Et ad omne dubium in posterum excludendum, super libertate et exemptione ipsius, privilegium apostolicum, salvis semper hiis que in ordinatione ac provisione hujusmodi continentur, eidem ecclesie concedemus.

Memoratus autem Hugo episcopus, semel tantummodo in vita sua et quilibet successor ejus episcopus Pictavensis semel etiam in diebus suis, cum primo ad predictam ecclesiam s. Hylarii, causa devotionis, accesserit, processionaliter recipiatur ibidem. Liceatque sibi in majori altari ejusdem ecclesie s. Hylarii, assistentibus et ministrantibus ei canonicis ipsius ecclesie, sicut aliis episcopis ibidem celebrantibus assistere ac ministrare consueverunt, missam celebrare sollempniter, et cum quadraginta tantum personis a predictis thesaurario, decano et capitulo in prandio decenter inibi procuretur. Sed nolumus ut episcopus

1. Ces deux derniers mots sont récrits sur un grattage.

et sui quomodolibet in ecclesia ipsa pernoctent. Quod si dies illa, in qua episcopus illuc iverit, fuerit de illis diebus in quibus ordines personis ecclesiasticis conferuntur, episcopus celebrandi et conferendi in ipsa ecclesia s. Hylarii hujusmodi ordines liberam habeat facultatem. Ad hec liceat predicto Hugoni episcopo et singulis successoribus suis episcopis Pictavensibus, annuatim in festo s. Hylarii, in altari videlicet ejusdem sancti, missam celebrare majorem, fiatque processio episcopo ad eandem ecclesiam venienti; nullam tamen procurationem ibidem recipiat, sed, celebrata missa, protinus ad propria revertatur.

Singulis etiam quinquenniis semel tantum libera sit Pictavensi episcopo accedendi ad eandem ecclesiam s. Hylarii et predicandi inibi populo et clero, etiam in capitulo, si voluerit, de nostra permissione facultas; et, si qua crediderit fore in ipsa ecclesia s. Hylarii reformanda, benigne et salubriter, verbo tantum, thesaurarium, decanum et capitulum ipsius ecclesie poterit exhortari; et, si ejus exhortationes non profecerint apud eos, id Romano pontifici valeat nuntiare. Alias autem nullas prorsus correctionis vel visitationis seu reformationis sive inquisitionis aut cujuscumque alterius jurisdictionis vel officii partes sibi episcopus in eadem ecclesia s. Hylarii vendicare presumat.

Eidem quoque Hugoni episcopo et singulis successoribus suis, pontificibus Pictavensibus, liceat, semel tantum in vita sua, quatuor clericos ydoneos capitulo ipsius ecclesie s. Hylarii nominare, et capitulum unum ex eis quem maluerit, teneatur recipere in canonicum et in fratrem eique prebendales perceptiones et cotidianas distributiones, quamdiu in eadem ecclesia s. Hylarii non fuerit certus canonicorum numerus, sicut uni ex aliis ipsius ecclesie canonicis ministrare. Si vero ad certum canonicorum numerum redigi ecclesiam ipsam s. Hylarii contigerit et, tempore receptionis hujusmodi, nulla inibi prebenda vaccaverit (*sic*), fiat nichilominus ejus receptio, ipso numero non obstante, etiam si numerus idem fuerit juramento vel quacumque alia firmitate vallatus, et receptus taliter expectet prebendam primo in eadem ecclesia s. Hylarii vacaturam, in cujus utique assecutione prebende ipsum omnibus aliis, qui inibi fuerint apostolica vel quacumque alia auctoritate recepti, volumus anteferri. Interim autem, donec hujusmodi receptus prebendam fuerit assecutus, capitulum, nomine pensionis, solvat eidem summam viginti quinque librarum Turonensium annuatim.

Ordinationes insuper clericorum, dedicationes ecclesiarum suarum et altarium consecrationes, crisma et oleum sanctum recipiat predicta ecclesia s. Hylarii ab episcopo Pictavensi, si ea gratis et absque ulla pravitate voluerit exhibere. Alioquin, liceat ei illa recipere a quocumque alio catholico episcopo, apostolice sedis communionem et gratiam obtinente. Pictavensis autem episcopus canonicos et alios clericos ipsius ecclesie s. Hylarii, sibi ex parte capituli ejusdem ecclesie presentatos, promovere ad ordines sine examinatione aliqua teneatur. Et si hoc facere noluerit, liceat similiter eisdem canonicis et clericis a quocumque alio catholico episcopo, ejusdem sedis habente communionem et gratiam, se facere ad hujusmodi ordines promoveri.

Preterea, in causis pecuniariis clericorum, non tamen canonicorum, ipsius ecclesie s. Hylarii, in quibus videlicet nec actor nec reus erit canonicus, que ascendat usque ad summam centum solidorum Turonensium, a diffinitiva sententia vel a gravamine ad Pictavensem episcopum appelletur. In eo tamen casu cum in ipsa ecclesia s. Hylarii nullus gradus supererit, ad quem de jure vel de antiqua ipsius ecclesie consuetudine debeat appellari, liberum tamen sit cuilibet appellare ad sedem apostolicam, omnibus hujusmodi gradibus pretermissis. Ut autem predictus Hugo episcopus et successores ipsius reddantur favorabiliores ecclesie predicte s. Hylarii, ordinamus et providemus auctoritate predicta ut capitulum ipsius ecclesie s. Hylarii in feudis ipsius episcopi emat annuum redditum decem librarum Turonensium illumque liberaliter episcopo assignet eidem, ab eo suisque successoribus perpetuis temporibus retinendum.

Premissa vero omnia pro bono pacis in predicta ecclesia s. Hylarii episcopo Pictavensi non tamquam ordinario concedimus, sed de gratia speciali et apostolice plenitudine potestatis, volentes ut ea ex illis que ad jurisdictionem seu officium ordinandum pertinere videntur, perpetuis temporibus idem episcopus, absque coertione et jurisdictione qualibet, habeat tamquam sedis apostolice delegatus, eo quod supra dictum est de causis pecuniariis clericorum et non canonicorum, in suo robore permanente, ut scilicet in causis hujusmodi, cum juxta formam predictam, ad episcopum contigerit et licuerit appellari, habeat Pictavensis episcopus in clericum appellantem vel appellatum vel ejus adversarium, non canonicum, jurisdictionem, ut delegatus a sede apostolica, non sicut ordinarius, sic tamen ut, occasione jurisdictionis hujusmodi, contra canonicum vel canonicos vel ecclesiam s. Hylarii vel etiam contra clericum seu clericos

alios ejusdem ecclesie, qui nec appellati nec appellantes fuerint, nichil penitus statuat, ordinet seu attemptet. Quod si secus fecerit, id juribus decernimus omnino carere. Nulli ergo nostre ordinationis, provisionis, statuti et decreti, etc. Actum apud Urbemveterem, XIII kalendas octobris, anno tertio. »

407 Orvieto, 24 septembre 1263.

Timotheum, electum Zagabriensem, quem tunc subdiaconum et papæ capellanum, archidiaconum de Zala in ecclesia Vespriniensi et canonicum Zagabriensem, episcopus Penestrinus, rejecta electione prius facta de Stephano, capellano apostolico et ejusdem Penestrini episcopi nepote, ne ad carnem et sanguinem respectum habere videretur, commissione sedis apostolicae, ecclesie Zagabriensi prefecerat, eidem ecclesiae praeficit in episcopum et pastorem. (REG. 28, f° 3 v°, ann. III, n° 10; POTTHAST 18657.)

« *Timotheo, electo Zagabriensi.* Rationis oculis intuentes —. Datum apud Urbemveterem, VIII kalendas octobris, anno tertio. »

Orvieto, 22 septembre 1263.

In e. m... preposito et capitulo Zagabriensibus. Rationis oculis etc. Datum apud Urbemveterem, X kalendas octobris, anno III° (POTTHAST 18653).

In e. m. clero Zagabriensis civitatis et diocesis. Datum ut supra.

In e. m. populo Zagabriensis civitatis et diocesis. Datum ut supra.

Orvieto, 24 septembre 1263.

In e. m. vassallis ecclesie Zagabriensis. Datum apud Urbemveterem, VIII kalendas octobris, anno III°, (POTTHAST 18658).

408 Orvieto, 24 septembre 1263.

Electionem de Philippo, thesaurario Metensi, in Metensem episcopum in discordia factam, irritam decernit. (REG. 28, f° 4, ann. III, n° 11.)

« *Ad perpetuam rei memoriam.* Metensi ecclesie pastoris solatio destituta, et duabus electionibus, una videlicet de Phylippo, tunc thesaurario, et alia de quondam Theobaldo, cantore ipsius ecclesie, in discordia inibi celebratis, idem Phylippus ac Werricus, archidiaconus, et Albericus, canonicus ejusdem ecclesie, ipsius Phylippi electores, occasione hujusmodi electionum, ad sedem apostolicam appellarunt, ac felicis recordationis Alexander papa, predecessor noster, hujusmodi sibi appellationibus presentatis, dilectum filium nostrum O., s. Marie in Via lata diaconum cardinalem, deputavit in hujusmodi negotio auditorem. Qui eundem cantorem et omnes alios qui dicti Phylippi electioni se vellent opponere, et sua crederent interesse, in audientia publica pluries citari fecit, ut coram se ac prefixis sibi terminis comparerent. Porro, predicto negotio taliter ad sedem ipsam devoluto, et coram dicto cardinali pendente, Henricus, electus Treverensis, loci metropolitanus, auctoritate propria, immo temeritate potius, Phylippum et cantorem predictos super eodem negotio ad suam presentiam evocavit. Et tandem, licet sibi de dictis appellationibus constitisset, sicut per acta coram ipso habita, probatum extitit coram nobis, ipse tamen eidem sedi non deferens, dicto cantore juri suo cedente, dictam electionem celebratam de prefato Phylippo, de facto, cum de jure nequiverit, confirmavit et ei fecit munus consecrationis impendi. Verum, dilectus filius Herbertus de Vireio, canonicus Metensis, qui pro dicto cantore ac suis electoribus contra dictum Phylippum predictum negotium apud sedem prosequebatur eandem, audito quod prefatus cantor juri suo cesserat, causam, quam contra dictum Phylippum pro eodem cantore ac suis electoribus assumpserat, nomine suo, tamquam canonicus Metensis, incepit coram cardinali prosequi supradicto, petens per varios libellos confirmationem hujusmodi, et quicquid per dictum electum super hoc taliter attemptatum fuerat, utpote post appellationes predictas, et coram dicto cardinali negotio ipso pendente, de facto presumpta, cassari et irritari, immo potius cassa et irrita nuntiari. Eodem itaque coram memorato cardinali legitime ordinato et examinato negotio, ac omnibus rite peractis, nos, audita ipsius cardinalis relatione fideli et cum fratribus nostris negotio ipso plene discusso, quia tam per ea que coram cardinali eodem, quam per illa que acta sunt postmodum coram nobis de predictis appellationibus, constitit evidenter quod post ipsas appellationes memorato predecessori presentatas, et super ipsis auditorem deputatum ab eo, necnon et diversas citationes ab eodem auditore factas, sicque postquam sepefatum negotium erat ab examine dicti Treverensis electi prorsus exemptum, et apud sedem ipsam coram eodem auditore pendebat, idem electus electionem de dicto Phylippo celebratam, confirmare presumpsit, et

ipsum fecit temerarie consecrari, confirmationem hujusmodi et omnem memorati Treverensis electi processum, in hac parte taliter attemptatum, de predictorum fratrum nostrorum consilio, sententiando cassamus, annullamus, irritamus, immo cassos, nullos et irritos nuntiamus, declarantes memorato Phylippo uti pontificalibus vel exercere pontificale officium aut administrationem predicte Metensis ecclesie in spiritualibus vel temporalibus gerere non licere, et ne predicta exequatur eidem sententialiter inhibemus. Nulli ergo nostre cassationis, annullationis, irritationis, nuntiationis, declarationis et inhibitionis etc. Datum apud Urbemveterem, VIII kalendas octobris, anno tertio. »

Orvieto, 27 septembre 1263.

In e. m. universis vassallis Metensis ecclesie. Metensi ecclesia etc. — Datum apud Urbemveterem, V kalendas octobris, anno tertio.

409 Orvieto, 26 septembre 1263.

Decano et cantori Metensibus curam in spiritualibus et temporalibus ecclesiae Metensis committit. (Reg. 28, fol. 4, ann. III, n° 12.)

« *S., decano, et P., cantori Metensibus.* Debitum officii nostri —. Cum igitur nos processum Henrici, qui pro Treverensi electo se gerit, circa electionis negotium olim de Phylippo, qui pro episcopo Metensi se gerebat, in Metensi ecclesia celebrate, habitum post appellationem propter hoc ad sedem apostolicam interjectam et presentatam felicis recordationis Alexandro pape, predecessori nostri, ac post citationes diversas factas super hoc in audientia publica de mandato dilecti filii nostri O., s. Marie in Via lata diaconi cardinalis, quem dictus predecessor deputavit super illa specialiter auditorem, justitia exigente, cassandum, annullandum et irritandum duxerimus, immo potius cassum, nullum et irritum nuntiandum, et declaraverimus eidem Philippo uti pontificalibus vel exercere pontificale officium aut administrationem predicte Metensis ecclesie in spiritualibus vel temporalibus gerere non licere, et ne predicta exequatur, eidem sententialiter duxerimus inhibendum, prout in litteris apostolicis, super hoc confectis plenius continetur, nos volentes tales ad ipsius Metensis ecclesie custodiam deputare, quorum bonitate ac studio preservari a noxiis, ad salubria dirigi et in prosperis possit, Deo propitio, ampliari, curam et procurationem ipsius ecclesie tam in spiritualibus quam temporalibus presentium vobis auctoritate committimus gerendam a vobis, donec de pastore ipsi ecclesie canonice sit provisum. Ideoque discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatinus devote suscipientes cum fiducia impositum vobis onus, ac summittentes fortitudinis vestre collum ad hujusmodi sollicitudinis sarcinam mente stabili deferendam, curam et procurationem ipsam diligenter gerere ac salubriter et utiliter per vos vel per alium seu alios ydoneos exequi studeatis. Contradictores etc. Non obstantibus —. Datum apud Urbemveterem, VI kalendas octobris, anno tertio. »

In e. m. clero civitatis et diocesis Metensium. Debitum nostri requirit —. Datum ut supra.

In e. m. magistro scabinorum, tredecim juratis et universo populo civitatis Metensis. Datum ut supra.

In e. m. universis vassallis et ministerialibus Metensis ecclesie. Datum ut supra.

In e. m. nobili viro .. comiti Barrensi. Debitum nostri requirit officii etc. usque provisum. Cum igitur nos illam geramus de tua devotione fiduciam ut in adimplendis hiis super quibus te requirimus confidenter, promptus existere debeas et paratus, nobilitatem tuam rogandam duximus attentius et hortandam mandantes quatinus eisdem decano et cantori, ob reverentiam apostolice sedis et nostram, sanis in hac parte adsis consiliis et auxiliis et favoribus oportunis assistas, ita quod ipsi onus eis a nobis injunctum commodius et levius, tuo eis assistente presidio, supportare valeant, nosque tue devotionis promptitudinem dignis exinde in Domino laudibus commendantes, condignas tibi propter hoc gratias referamus. Datum ut supra. »

410 Orvieto, 27 septembre 1263.

Infrascriptis mandat absolutos nuntient certos Florentinos ad ecclesiæ mandata redeuntes. (Reg. 28, fol. 4 v°, ann. III, n° 13.)

« *. abbati sancte Genovefe Parisiensis et Percivallo de Lavania, cappellano nostro, canonico Bajocensi.* Olim in die Cene Domini proximo preterito, cives Florentini, qui civitatem Florentinam hoc tempore detinent, presente tunc fideli populo, manifeste monuimus eisque apostolica auctoritate districte precepimus, ut usque ad sequens tunc festum Ascensionis Dominice, quod pro peremptorio eis prefiximus termino, ab omni

favore, quem impendunt Manfredo, quondam principi Tarentino, persecutori ecclesie manifesto, desistere ac ad mandatum et devotionem ecclesie humiliter redire curarent, aperte predicentes eisdem quod, si nostris super hoc non acquiescerent monitis et preceptis, nos ad faciendum arrestari bona ipsorum, ubicumque invenirentur, et alias etiam contra ipsos et civitatem predictam spiritualiter et temporaliter, prout videremus expediens, procedere curaremus. Sed quia eidem cives Florentini, hujusmodi nostris monitis et preceptis omnino contemptis, nedum infra predictum terminum redire ad mandatum ecclesie non curarunt, sed nullos etiam propter hoc nuntios ad nostram presentiam trasmiserunt, nos, licet de jure potuissemus tunc procedere contra ipsos, volentes tamen adhuc benignius et clementius agere cum eisdem, memoratos cives Florentinos, in predicto festo Ascensionis Dominice, presente tunc fidelium multitudine copiosa, iterato monuimus eisque districte precepimus ut usque ad festum beatorum apostolorum Petri et Pauli proximo preteritum, quod pro peremptorio eis assignavimus termino, ab omni ejusdem Manfredi favore desisterent, et humiliter ad mandatum et devotionem ecclesie predicte redirent, firmiter insuper eis duximus inhibendum ne contra civitatem Lucanam, sedis apostolice devotissimam, exercitum congregare et adversus illam ejusve territorium sive districtum hostiliter procedere quomodolibet attemptarent. Prediximus quoque ipsis quod, nisi ab ejusdem Manfredi favore desisterent et redirent ad mandatum ecclesie, infra terminum supradictum, vel si contra hujusmodi inhibitionem nostram facere vel venire presumerent, nos ad faciendum capi personas, et bona ipsorum, ubicumque invenirentur, et alias etiam contra ipsos et civitatem ipsorum durius et asperius spiritualiter et temporaliter, prout videremus expediens, procedere curaremus. Eidem vero cives Florentini, patientia quam apostolica sedes hactenus habuit circa ipsos, nequiter abutentes, spretis nostris monitis et preceptis, infra hujusmodi terminum, ab ipsius Manfredi favore desistere ac redire ad mandatum et devotionem ecclesie non curarunt, quinimmo contra inhibitionem nostram temere veniendo, adversus predictam civitatem Lucanam exercitu congregato, una cum maledictionis filiis Pisanis civibus perfidisque Senensibus ac protervis Pistoriensibus, aliis eorum complicibus, hostiliter procedere presumpserunt, ejus territorium et districtum ignis incendio et aliis diversis depopulationum generibus devastando, in divine majestatis offensam ac nostram et dicte sedis injuriam manifestam. Propter quod, nos, ad quos specialiter pertinet tam pravis tamque perversis eorundem Florentinorum civium ausibus, quibus possumus remediis, obviare, nolentes ulterius eorum iniquitatibus indulgere, predictos cives Florentinos, propter eorum hujusmodi presumptuosam contumaciam et contumacem presumptionem, excomunicationis, et anathematis vinculo duximus innodandos, universis et singulis eorundem Florentinorum civium debitoribus et omnibus de bonis ipsorum habentibus, undecumque et cujuscumque status, conditionis, et dignitatis forent, astante fideli populo, de fratrum nostrorum consilio, auctoritate apostolica, sub pena excomunicationis districtius inhibentes ne ipsis civibus Florentinis aliqua de debitis et bonis hujusmodi in parte vel in toto restituerent, sine mandato nostro vel licentia speciali faciente plenam et expressam de inhibitione hujusmodi mentionem, sed illa tamquam arrestata tamdiu detinere curarent, donec eis super hujusmodi debitis et bonis duceremus aliud injungendum, non obstantibus aliquibus litteris apostolicis super eisdem bonis et debitis ad quoscumque judices impetratis vel in posterum impetrandis, nisi in eisdem impetrandis de hac inhibitione plena et expressa mentio habeatur. Manifeste insuper prediximus et aperte pronuntiavimus quod, nisi dicti cives Florentini usque ad festum Assumptionis beate Virginis proximo preteritum, quod pro peremptorio eis prefiximus termino, ab omni prorsus ejusdem Manfredi favore desisterent et ad mandatum ecclesie humiliter et devote redirent, nos mandaremus extunc venerabilibus fratribus universis patriarchis, archiepiscopis et episcopis, ceterisque ecclesiarum prelatis, necnon principibus, marchionibus, comitibus et baronibus ac potestatibus, capitaneis, consulibus, consiliis et communitatibus civitatum, castrorum aliorumque locorum, ubilibet constitutis, ut personas eorumdem Florentinorem civium, quarum arrestationem apostolica tunc benignitate suspendimus, necnon et bona ipsorum, in terris eorum dominio et jurisdictioni subjectis, existentia, caperent ac detinerent, donec eis duceremus super hoc nostrum beneplacitum intimandum, et nichilominus tam personas quam bona hujusmodi exponeremus libere tam ipsis quam ceteris fidelibus occupanda, et alias etiam ad duriora, graviora et asperiora contra ipsos et civitatem eorum spiritualiter et temporaliter, prout ipsorum protervia exigeret et expediens videremus, constanter, auctore Domino, procedere curaremus.

Sane Gianni Bonaguide Bardi, civis et mercator Florentinus, reprobi sensus dampnata studia predicto-

rum Florentinorum prudentie meditationibus advertens, ea sano decrevit consilio declinare ac eidem ecclesie in illo constanter adherere proposito, quo ipse pro defensione libertatis ecclesiastice ac pacifico statu fidelium illius, pervasoribus et hujusmodi perversoribus se opponit, et post dictum festum Assumptionis beate Virginis, prestitit de parendo super predictis mandatis nostris et ipsius ecclesie juramentum, seque de observandis mandatis hujusmodi et certis articulis, sub certis pena et forma specialiter obligavit, promittens, sub pena quingentarum marcharum argenti, se facturum et curaturum quod Matheus, Lapus et Coltus, fratres sui, filii Bonaguide, ac Riccus Beltrami, Guarnerius Mathei et Antoninus, filius Gerii, nepotes sui ejusque socii et concives, Florentini mercatores, ad ecclesie mandata redibunt et prestabunt similia juramenta, se ad observationem mandatorum nostrorum et articulorum hujusmodi, sub pena quingentarum marcharum argenti, nobis et eidem ecclesie similiter obligando, prout in instrumento publico inde confecto, plenius continetur, cujus tenorem vobis sub bulla nostra mittimus interclusum. Nos autem, qui more paterno in reditu filiorum, quos error a devotione subtraxerat, delectamur, aperuimus eis tam paterne gratie quam materne mansuetudinis amplum sinum, ac predicto Gianni, qui tunc presens aderat, ab hujusmodi et universis excomunicationum et interdicti sententiis, quas apostolica sedes in cives Florentinos et eorum terram propter premissa generaliter promulgavit, fecimus, juxta formam ecclesie, beneficium absolutionis impendi. Ideoque discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatinus vos vel alter vestrum recipiatis a predictis Matheo, Lapo, Colto, Ricco, Guarnerio et Antonino, in partibus Gallie commorantibus, de stando super premissis mandatis nostris et ecclesie juramentum, et nichilominus, nostro nomine, similem obligationem de mandatis nostris et articulis hujusmodi inviolabiliter observandis, eosque deinde, juxta formam ecclesie, auctoritate nostra ab hujusmodi sententiis absolvatis, facientes de hiis confici publicum instrumentum vel patentes litteras autenticis sigillis munitas, illud vel illas nobis fideliter transmissuri. Quibus rite peractis, tam eosdem Matheum, Lapum, Coltum, Riccum, Guarnerium et Antoninum, quam dictum Gianni, per omnia loca, in quibus ipsi voluerint, per vos et per alios denuntietis a predictis sententiis absolutos et ad devotionem ipsius ecclesie rediisse. Universis et singulis ipsorum debitoribus et omnibus de bonis eorum habentibus, undecumque et cujuscumque status, condicionis et dignitatis existant, predicta auctoritate mandando districtius ut, hujusmodi inhibitione ac processu nostro, quantum ad eos, nequaquam obstantibus, debita et bona ipsorum totaliter eis restituant nec illa deinceps tamquam arrestata, occasione predicta, detinere presumant. Si qui autem hujusmodi denuntiationi et mandato nostris contradixerint, vos eos ut a tali prorsus contradictione desistant, monitione premissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compellatis. Datum apud Urbemveterem, v kalendas octobris, anno tertio. »

411 Orvieto, 26 septembre 1263.

Infrascriptis mandat absolutos nuntiet certos Florentinos ad ecclesiae mandata redeuntes. (Reg., 28 fol. 5 v°, anno III, n° 14.)

« . . *abbati S. Genovefe Parisiensis et Percivallo de Lavania, cappellano nostro, canonico Bajocensi, Parisius commoranti*. Olim in die Cene Domini proximo preterito etc., ut in proxima superiori, usque constanter, auctore Domino, procedere curaremus. Sane Cambius, filius Manerii Bellicozi, civis et mercator florentinus, reprobi sensus dampnata studia etc., usque promittens sub pena duorum milium marcharum sterlingorum, se facturum et curaturum quod Persus ac Perus, fratres sui, filii Manerii, Giannianus et Zione, filii Tebaldi, ejus socii, Loth Caczii et Bene Cambii et Cingus, filius Gerardi, discipuli sui et societatis ejusdem et concives, Florentini mercatores, ad ecclesie mandata redibunt etc., usque sub pena duorum milium marcharum sterlingorum etc., usque amplum sinum, ac predicto Cambio, qui tunc presens aderat, etc., usque recipiatis a predictis Perso, Zione, Loctho, Bene et Cingo, in partibus Gallie commorantibus, de stando super premissis etc., usque Quibus rite peractis, tam eosdem Persum, Zionem, Locthum, Bene et Cingum quam dictum Cambium per omnia loca, in quibus ipsi voluerint etc., usque compellatis. Datum apud Urbemveterem, vi kalendas octobris, anno III°. »

412 Orvieto, 8 octobre 1263.

Johanni, praeposito ecclesiae Ariensis, Morinensis diocesis, indulget ut in eadem ecclesia unum e clericis suis in canonicum recipi faciat. (Reg. 28, fol. 5 v°, anno III, n° 15.)

« *Johanni, preposito ecclesie Ariensis, Morinensis diocesis.* Ex tue procedit —. Datum apud Urbemveterem, v nonas octobris, anno tertio. »

413 Orvieto, 29 septembre 1263.

De solutione debitorum Cameracensis ecclesiae provisio. (Reg. 28, fol. 6, ann. III, n° 16.)

« ..*abbati Aquicinctensi, Atrebatensis diocesis.* Circa ecclesiarum relevanda —. Sane petitio venerabilis fratris nostri.., Cameracensis episcopi, nobis exhibita continebat quod idem et Cameracensis ecclesia in quibusdam pecuniarum summis sunt diversis creditoribus obligati, ad quarum solutionem dictus episcopus, cum propter guerras imminentes eidem episcopo, pro defensione jurium ipsius ecclesie, subierit et cotidie subeat gravia onera expensarum, redditur minus potens. Quare nobis dictus episcopus humiliter supplicavit ut, cum creditores ipsi super hujusmodi pecuniis ipsum multipliciter inquietent et possit non immerito formidari ne sui et ipsius ecclesie redditus et proventus absorbeantur hujusmodi voragine usurarum, providere sibi et eidem ecclesie super hoc paterna sollicitudine curaremus. Nos itaque volentes super hoc salubre remedium adhibere, prefati episcopi supplicationibus inclinati, auctoritate litterarum nostrarum sibi duximus indulgendum ut, satisfaciendo eisdem creditoribus annis singulis, donec hujusmodi debita fuerint totaliter persoluta, in duobus milibus librarum Turonensium, ad solvendum eis aliquid ultra compelli non possit aut conveniri seu molestari super hoc per litteras apostolicas impetratas vel etiam impetrandas, nisi eedem littere impetrande de predictis nostris litteris fecerint mentionem, non obstantibus — proviso quod interim per ipsum nullum mutuum contrahatur. Quocirca mandamus quatinus eundem episcopum non permittas super hoc, contra concessionis nostre tenorem, ab aliquibus indebite molestari, molestatores hujusmodi per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita compescendo. Datum apud Urbemveterem, iii kalendas octobris, anno tertio. »

414 Orvieto, 1er octobre 1263.

Magistro Symoni de Remis indulget ut nulli, sine ipsius assensu, de parrochiali ecclesia de Ceris, Leodiensis diocesis, valeat provideri (Reg. 28, fol. 6, ann. III, n° 17.)

« *Magistro Symoni de Remis, decano ecclesie S. Petri Leodiensis.* Affectum specialis benivolentie —. Cum itaque nullum beneficium ecclesiasticum, preter parrochialem ecclesiam de Ceris, Leodiensis diocesis, dumtaxat, quod ad tuam collationem vel presentationem pertineat, habere dicaris, nos, tuis justis supplicationibus inclinati, auctoritate tibi presentium indulgemus ut per litteras apostolice sedis seu legatorum ejus, per quas nondum in aliquo sit processum, vel etiam impetrandas, de prefata parrochiali ecclesia, sine assensu tuo, nulli valeat provideri, nisi eedem littere dicte sedis de indulgentia hujusmodi fecerint mentionem. Nulli ergo nostre concessionis etc —. Datum apud Urbemveterem, kalendis octobris, anno tertio. »

415 Orvieto, 26 septembre 1263.

Magistro Guillelmo de Portis indulget ut praeter thesaurariam Briocensis ecclesiae, unicum aliud beneficium recipere valeat. (Reg. 28, fol. 6, n° 18.)

« *Magistro Guillelmo de Portis, thesaurario ecclesie Briocensis.* Laudabilis conversationis et —. Sane petitio tua nobis exhibita continebat quod olim per felicis recordationis Alexandrum papam, predecessorem nostrum, tecum extitit dispensatum ut duo ecclesiastica beneficia, curam animarum habentia, si tibi canonice offerrentur, posses licite recipere ac libere retinere, constitutione generalis concilii super hoc edita non obstante; tuque, post dispensationem hujusmodi, thesaurariam Briocensis ecclesie fuisti canonice assecutus; sed attendens quod dispensatio hujusmodi se ad dictam thesaurariam, cum sit personatus, aliquatenus non extendit, ne dispensationis ipsius commodo fraudareris, supplicasti tibi nostre provisionis remedio subveniri. Nos itaque, obtentu dilecti filii magistri Berardi de Neapoli, subdiaconi et notarii nostri, nobis super hoc supplicantis, speciali te in hac parte gratia prosequentes, ut, veris existentibus que de dicta dispensatione narrantur, preter thesaurariam ipsam cui, sicut asseris, cura non imminet animarum, unicum aliud beneficium ecclesiasticum, curam animarum habens, canonice tibi oblatum recipere et habere cum eadem thesauraria valeas, constitutione non obstante predicta, tecum auctoritate apostolica dispensamus, proviso quod thesauraria et beneficium hujusmodi debitis non fraudentur obsequiis et animarum cura in eodem beneficio

nullatenus negligatur. Volumus autem quod prefata dispensatione dicti predecessoris quoad alia beneficia non utaris. Nulli ergo nostre dispensationis etc. — Datum apud Urbemveterem, vi kalendas octobris, anno tertio. »

416 Orvieto, 15 octobre 1263.

Bonajunctam, quondam Recanatensem episcopum, ecclesiae Aesinae in episcopum praeficit. (Reg. 28, fol. 6, ann. III, n° 19; Potthast 18678.)

« *Bonajuncte, quondam Racanatensi, nunc Esino episcopo.* Debitum nostri requirit —. Datum apud Urbemveterem, idus octobris, anno tertio. »

In e. m. capitulo Esino.
In e. m. clero civitatis et diocesis Esinarum.
In e. m. populo civitatis et diocesis Esinarum.

417 Orvieto, 21 octobre 1263.

Archiepiscopo Narbonensi mandat quatenus archiepiscopo Corinthiensi in centum marchis sterlingorum ab aliquibus ecclesiis seu monasteriis suae provinciae provideri usque ad triennium faciat. (Reg. 28, fol. 6 v°, ann. III, n° 20.)

« . . *archiepiscopo Narbonensi.* Pro venerabilis fratris nostri.., archiepiscopi Corinthiensis, egentia relevanda, eo nos sollicitius cogitare decet et convenit quo ipse absque nostra et apostolice sedis non posset erubescentia mendicare. Cum itaque, sicut dilecti filii nostri A., basilice duodecim apostolorum presbiter, et R., S. Angeli diaconus cardinales, ac idem archiepiscopus nobis exposuerunt et aliorum quamplurium fidedignorum relatione didicimus, redditus et proventus Corinthiensis ecclesie, propter generalem guerram illius patrie, sint adeo diminuti, quod non potest ex eis prefatus archiepiscopus congrue sustentari, nos, circa eum habentes debite compassionis affectum, cum secundum Apostolum alter alterius onera debeat supportare, obtentu eorumdem cardinalium, fraternitati tue mandamus quatinus eidem archiepiscopo ab aliquibus ecclesiis vel monasteriis aut aliis locis ecclesiasticis, secularibus vel regularibus, provincie Narbonensis, annis singulis, usque ad triennium, in centum marchis sterlingorum facias per te vel alium aut alios provideri. Contradictores etc. Non obstante si ordini Cluniacensi[1] aut personis ecclesiarum, monasteriorum seu locorum, in quibus ei provideri mandaveris, a sede apostolica indultum existat quod ad provisionem seu subventionem alicujus compelli, aut quod excommunicari, suspendi vel interdici per litteras ipsius sedis nequeant, non facientes plenam et expressam aut de verbo ad verbum de indulto hujusmodi et Cluniacensis ordinis[2] mentionem, et qualibet ejusdem sedis indulgentia quibuscumque concessa vel etiam concedenda, per quam hujusmodi provisionis affectus impediri valeat vel differri, et constitutione de duabus dietis edita in concilio generali —. Datum apud Urbemveterem, xii kalendas novembris, anno tertio. »

418 Orvieto, 19 octobre 1263.

Ecclesiam S. Hilarii Pictavensis in jus et proprietatem b. Petri et apostolicae sedis suscipit. (Reg. 28, fol. 6 v°, ann. III, n° 21.)

« . . *thesaurario, .. decano et canonicis ecclesie S. Hylarii Pictavensis, tam presentibus quam futuris, in perpetuum.* Etsi universe orbis ecclesie apostolice sedi que, disponente Domino, super illas ordinarie potestatis obtinet principatum, subesse noscantur, aliquas tamen dicta sedes interdum de sue auctoritatis plenitudine specialius sibi subdit, sic eas a cujuslibet jurisdictione prorsus eripiens, ut nullum nisi solum Romanum pontificem superiorem et dominum recognoscant, constituendo ipsas quodam speciali privilegio liberas penitus et exemptas. Eapropter, dilecti in Domino filii, ecclesiam vestram S. Ylarii Pictavensis, in qua devotum inpenditis Domino famulatum, ob reverentiam ejusdem sancti, cujus corpus requiescit in illa, de fratrum nostrorum consilio, in jus et proprietatem beati Petri et predicte apostolice sedis assumimus, eam ab omni dominio, jurisdictione ac potestate primatum, archiepiscoporum, episcoporum et quorumlibet aliorum prelatorum ecclesiasticarumve personarum, et ab omnibus que ad eos vel ipsorum aliquos, ratione cujuscumque jurisdictionis ordinarie, pertinent, totaliter eximentes, ita quod eadem ecclesia S. Ylarii dicte sedi apostolice immediate perpetuoque subjecta remaneat, nec iidem primates, archiepiscopi et episcopi nec quevis alie persone ecclesiastice ecclesiam ipsam, utpote prorsus exemptam, vel vos aut

1. Ces deux mots ont été ajoutés dans l'interligne.
2. *Idem.*

personas in ea temporibus servituras, interdicere, suspendere vel excommunicare valeant aut quocumque modo alias in prefatam ecclesiam et personas ipsius potestatem vel jurisdictionem aliquam exercere, et si contra presumptum fuerit, sit omnino vacuum, irritum et inane, salvis semper hiis que in ordinatione seu provisione, quam nuper inter venerabilem fratrem nostrum Hugonem, Pictavensem episcopum, et vos, de dictorum fratrum consilio, edidimus, continentur. Ad indicium autem hujus percepte a predicta sede libertatis, memorata ecclesia vestra [1] S. Ylarii unam unciam auri persolvet nobis nostrisque successoribus annuatim. Decernimus ergo ut nulli omnino [2] hominum liceat predictam ecclesiam temere perturbare aut suas possessiones auferre vel abla[tas] retinere, minuere seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integre conserventur, eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, prefate sedis auctoritate in omnibus semper salva. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostre exemptionis paginam sciens, contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et Domini redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat atque in extremo examine districte subjaceat ultioni. Cunctis autem eidem ecclesie sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi quatinus et hic fructum bone actionis percipiant, et apud districtum judicem premia eterne pacis inveniant. Amen. Datum apud Urbemveterem, per manum magistri Michaelis de Tholosa, S. Romane ecclesie vicecancellarii, XIIII kalendas novembris, indictione septima, incarnationis Dominice anno M° CC° LXIII°, pontificatus vero donni Urbani pape III anno tertio [3]. »

419 Orvieto, 27 septembre 1253.

Praeposito et capitulo ecclesie S. Audomari indulget ut, sicut ecclesiae cathedrales, ipsorum ecclesia a provisionibus praebendarum a sede apostolica impetrandis excipiatur. (Reg. 28, fol. 7, ann. III, n° 22.)

« . . *preposito et capitulo ecclesie S. Audomari, Morinensis diocesis.* Provisionis nostre provenire —. Sane, sicut petitio vestra nobis exhibita continebat, contingit interdum quod aliquibus in ecclesiis regni Francie, cathedralibus dumtaxat exceptis, mandamus per nostras litteras de beneficiis provideri ac eos in ipsis recipi in canonicos et in fratres. Verum ipsi, ad eandem vestram ecclesiam oculos dirigentes, in ea sibi postulant provideri. Quare nobis humiliter supplicastis ut providere vobis super hoc paterna sollicitudine curaremus. Nos itaque, attendentes quod predicta ecclesia vestra, quamquam non sit cathedrali titulo insignita, tamen propter sui status eminentiam valde honorabilis redditur quodque ipsius prebende pinguiores habent redditus quam habeant quamplures ecclesie cathedrales regni ejusdem, vestris supplicationibus inclinati, auctoritate vobis presentium indulgemus ut tales generales littere super provisione quorumlibet in eodem regno a sede apostolica impetrande, in quibus excipiuntur ecclesie cathedrales, ad predictam vestram ecclesiam minime extendantur, et per illas ad provisionem seu receptionem alicujus non possitis compelli nisi forte de indulgentia hujusmodi fecerint mentionem. Nulli ergo nostre concessionis, etc. — Datum apud Urbemveterem, v kalendas octobris, anno tertio. »

420 Orvieto, 23 octobre 1263.

Episcopo Cenomanensi mandat ut statutum de ecclesia b. Martini Turonensis editam, observari faciat. (Reg. 28, fol. 7, ann. III, n° 23.)

« . . *episcopo Cenomanensi* Ad audientiam nostram pervenit quod, cum tu et dilectus filius . ., abbas monasterii Fucardi Montis, Cisterciensis ordinis, Rothomagensis diocesis, in ecclesia beati Martini Turonensis ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinente, auctoritate apostolica visitationis impenderetis officium, invenistis plures canonicos in eadem ecclesia quorum quilibet duas prepósituras, sive unam preposituram et unum officium vel unam administrationem, aut plura officia seu duas [1] administrationes, ac prebendam sine dispensatione apostolica detinebant. Et cum velletis super hoc ordinare, dilectus filius . ., decanus, et aliqui ex capitulo ejusdem ecclesie asseruerunt inter alia, quod id in predicta ecclesia de

1. Ces trois derniers ont été récrits sur un grattage.
2. Même observation.
3. En marge, d'une main du XVI° siècle : *Solvunt annuatim unam unciam auri ecclesie Romane.*

1. Ce dernier mot est écrit dans la marge.

consuetudine fuit observatum a tempore cujus memoria non existit. Nos itaque volentes non tam id quod consuevit, quam quod debet fieri, observari, et considerantes quod unus vix sufficit unum officium adimplere, cupientes quoque hujusmodi modum avaritie ac ambitionis vitium de predicta ecclesia totaliter extirpare, ordinavimus, statuimus et providimus ut nulli decetero liceat nisi unicum beneficium, sive sit prepositura seu administratio vel officium aut quocumque alio nomine censeatur, cum prebenda in sepedicta ecclesia obtinere, irritum et inane si secus a quoquam presumptum foret, decernentes, ac eosdem decanum et capitulum ad observationem hujusmodi consuetudinis, etiam si fuerit juramento firmata, que dicenda est potius corruptela, quamque cassavimus et irritavimus, aliquatenus non teneri. Eos autem qui tunc hujusmodi preposituras, officia vel administrationes, juxta predictam consuetudinem, obtinebant, eas retinere taliter toleravimus, nichilominus suadentes eisdem quod de sepedicta consuetudine cum animarum suarum periculo non confidant. Volentes itaque ut hujusmodi ordinatio, statutum et provisio inviolabiliter observentur, fraternitati tue mandamus quatinus de ipsis observandis ab eodem decano et singulis de capitulo, cum presentes fuerint in capitulo predicte ecclesie, prestari facias per te vel per alium corporaliter juramentum, et aperte ea scribi in missali cotidiano ecclesie supradicte, que volumus et precipimus cum aliis constitutionibus a pie recordationis Gala, S. Marie in Porticu diacono cardinali, tunc in illis partibus apostolice sedis legato, ac te et abbate predicto, necnon bo. me. H., Cenomanensi episcopo ejusque collega, editis, auctoritate apostolica in ecclesia memorata legi in generalibus capitulis dicte ecclesie bis in anno, et quod canonici prefate ecclesie, in sua receptione, ad illorum observationem de cetero se astringant, prestito super hoc juramento, ita quod super hoc nullus per ignorantiam se valeat excusare. Contradictores autem —, non obstante si —. Datum apud Urbemveterem, x kalendas novembris, anno tertio. »

421 Orvieto, 14 octobre 1263.

Infrascriptos a subventione praestanda imperio Constantinopolitano, pro qua Angelum, clericum apostolicum, ad partes regni Hungariae transmiserat, absolvit. (Reg. 28, fol. 7 v°, ann. III, n° 24; Potthast 18677.)

« .. *archiepiscopo Colocensi ejusque suffraganeis et electis, abbatibus, prioribus, prepositis, decanis, archidiaconis, archipresbiteris, plebanis et aliis ecclesiarum prelatis, necnon ecclesiasticis et religiosis personis eorumque capitulis, exemptis et non exemptis, provincie Colocensis.* Sine tristitia vix recolitur vel auditur illius horride feritatis excessus, in qua gens impia Tartarorum olim regnum Ungarie dinoscitur afflixisse. Sane vos, prout ex flebili tenore vestre petitionis accepimus, a dictorum formidine Tartarorum nondum estis pro eo liberi, quod ipsi aliquas partes vobis conterminas, sicut et vestras a diebus non longe preteritis crudelissime destruxerunt. Cum itaque res fore piissima et decentissima videatur, quod vos adhuc inundantes suspiriis pro personarum et rerum jactura gravissima, quam de Tartarorum ipsorum manibus pertulistis, nulla perturbet exactio vel extorsio subsidii, quibuscumque aliis exhibenda, nos vestris supplicationibus annuentes, vos universos et singulos a subventione prestanda imperio Constantinopolitano, pro qua dilectum filium Angelum, clericum capelle nostre, ad partes regni prefati transmisimus, auctoritate presentium duximus absolvendos, donec sedes apostolica super hiis aliud duxerit ordinandum. Nulli ergo nostre absolutionis etc. — Datum apud Urbemveterem, ii idus octobris, anno tertio. »

422 Orvieto, 31 octobre 1263.

Guillelmum Arnaldi, prius monachum monasterii S. Marcialis Lemovicensis, monasterio Aureliacensi praeficit. (Reg. 28, fol. 7 v°, ann. III, n° 25.)

« *Guillelmo Arnaldi, abbati monasterii Aureliacensis ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis s. Benedicti, Claromontensis diocesis.* Rationis oculis intuentes —. Sane monasterio Aureliacensi abbatis regimine destituto, dilectus filius Guillelmus Umberti, hostellarius ipsius monasterii, per viam compromissi electus fuit in abbatem monasterii supradicti. Sed .. decano Soliacensi et quibusdam aliis monachis ejusdem monasterii, occasione hujus electionis, ad sedem apostolicam appellantibus et negotio electionis predicte per appellationem hujusmodi ad sedem ipsam legitime devoluto, tandem idem Guillelmus personaliter ad presentiam nostram accedens, jus, quod ex dicta electione competebat eidem, libere in nostris manibus resignavit. Nos itaque, hujusmodi resignatione recepta, nolentes ut predictum monasterium sine abbate diutius remaneret, sed ei de tali persona, cujus stu

dio et providentia laudabilibus circa spiritualia et temporalia possit, auctore Deo, proficere incrementis, providere volentes, te, tunc monachum monasterii s. Marcialis Lemovicensis, de cujus circumspectione ac providentia plene confidimus, eidem monasterio Aureliacensi, de fratrum nostrorum consilio et apostolice plenitudine potestatis, prefecimus in abbatem, firma concepta fiducia —. Datum apud Urbemveterem, II kalendas novembris, anno tertio. »

In e m... priori et conventui monasterii Aureliacensis, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis s. Benedicti, Claromontensis diocesis.

In e m. clero ville Aureliacensis, Claromontensis diocesis.

In e m. populo ville Aureliacensis, Claromontensis diocesis.

423 Orvieto, 28 octobre 1263.

Infrascriptis mandat quatenus Nicolao de Montigniaco, presbytero Senonensis diocesis, capellano Albanensis episcopi, de quadam praebenda in ecclesia S. Martini Turonensis providere curent (Reg. 28, fol. 8, ann. III, n° 26.)

« .. *abbati s. Pauli de Vanna Senonensis et .. cantori ecclesie s. Petri puellarum Aurelianensis.* Dilectus filius Nicolaus de Montigniaco, presbiter Senonensis diocesis, capellanus venerabilis fratris nostri .. Albanensis episcopi, nobis exposuit quod nos, obtentu ipsius episcopi, canonicatum ecclesie beati Martini Turonensis ac prebendam, si qua tunc vacabat ibidem, ei contulimus et providimus de illis ac ipsum investivimus per nostrum anulum de eisdem. Si vero tunc aliqua prebenda in eadem ecclesia non vacabat, nos prebendam proximo vacaturam, ibidem conferendam dicto Nicolao, donationi apostolice reservantes, decrevimus irritum et inane si secus de prebenda hujusmodi a quoquam contingeret attemptari, predicto Nicolao super hoc nostras litteras concedendo et vobis super hoc executoribus deputatis. Postmodum autem, magistrum Stephanum de Boscocommuni, capellanum nostrum, in eadem ecclesia per nostras litteras recipi mandavimus in canonicum et in fratrem, ac sibi provideri de prebenda, si qua tunc vacabat ibidem vel quamprimum ad id offerret se facultas, cetero sibi super hoc executore concesso. Idem vero magister Stephanus, eo pretextu quod primo capitulo predicte ecclesie suas litteras presentavit ab eodemque capitulo ante dictum Nicolaum in canonicum est receptus, predictum Nicolaum contendit in assecutione prebende indebite prevenire. Quare idem Nicolaus nobis humiliter supplicavit ut, cum non litterarum presentatio et receptio, sed potius canonicatus collatio et provisio in hujusmodi casu attendi debeant, cum ille statim sit canonicus illius ecclesie, cui de canonicatu providemus ejusdem, providere sibi super hoc paterna sollicitudine curaremus. Quocirca mandamus quatinus, si est ita, vos vel alter vestrum per vos vel per alium aut alios predicto Nicolao de prebenda, si qua ei de jure debita vacavit [1] in prefata ecclesia, postquam de canonicatu ipsius ecclesie sibi duximus providendum, amoto ab ea quolibet illicito detentore, alioquin, si qua inibi vacat ad presens vel quamprimum ad id obtulerit se facultas, providere curetis, juxta priorum directarum vobis pro eo nostrarum continentiam litterarum, facientes eum predicto magistro Stephano in prebende assecutione preferri. Contradictores etc. — Datum apud Urbemveterem, v kalendas novembris, anno tertio. »

424 Orvieto, 18 octobre 1263.

Fratrem Philippum, quondam abbatem Clarevallensem, Macloviensi praeficit ecclesiae. (Reg. 28, fol. 8, ann. III, n° 27.)

« *Fratri Philippo, quondam abbati Clarevallensi, Macloviensi electo.* In humeris apostolice —. Sane Macloviensi ecclesia solacio destituta pastoris, contigit in ea duas electiones, unam videlicet de dilecto filio magistro Petro Bonjurno, capellano nostro, reliquam vero de Gaufrido, archidiacono ipsius ecclesie, in discordia celebrari. Cum autem negotium hujusmodi fuisset ad sedem apostolicam devolutum et idem magister Petrus electioni de se facte minime consentiret, ac illi, qui eum elegerant, se opponerent electioni de predicto archidiacono in prefata ecclesia celebrate, tandem idem archidiaconus, attendens ipsam ecclesiam periculose implicari litigiis et dispendiosis sumptibus aggravari, jus, siquod eidem ex electione hujusmodi competebat, libere in nostris manibus resignavit. Nos igitur, ad ecclesiam ipsam paterne pietatis oculos dirigentes, ac volentes oportuna sollicitudine precavere ne prolixioris dispendia vacationis incurrat, consideravimus ad regimen ipsius ecclesie te fore multipliciter utilem, cum habearis bonitate conspicuus, honestate preclarus, sollicitudine circumspectus et alias diversis vir-

1. On avait d'abord écrit *vacat*.

tutibus insignitus. Hiis itaque digna consideratione pensatis, de te prefate Macloviensi ecclesie, de fratrum nostrorum consilio, duximus providendum, te ipsi de plenitudine potestatis apostolice in episcopum prefecimus et pastorem, ac sperantes —. Datum apud Urbemveterem, xv kalendas novembris, anno tertio. »

In e. m... priori et capitulo Macloviensibus.

In e. m. archidiaconis et clero civitatis et diocesis Macloviensis.

In e. m. populo Macloviensi.

In e. m. vassallis ecclesie Macloviensis.

Orvieto, 26 octobre 1263.

In e m. nobili viro.., comiti Britannie. In humeris etc. usque incrementa. Quocirca, nobilitatem tuam rogamus et hortamur attente quatinus eundem electum et ecclesiam sibi commissam, pro divini reverentia nominis, habens affectu propitio et favorabili benivolentia commendatos, dicto electo, juxta solite tue liberalitatis debitum, regalia largiaris, sic ei favorem tuum in hiis et aliis impensurus, quod exinde merearis condigne retributionis premium apud Deum et nichilominus humane laudis preconio commenderis. Datum apud Urbemveterem, vii kalendas novembris, anno iii°.

In e. m... archiepiscopo Turonensi. In humeris etc., usque incrementa. Quocirca, fraternitati tue mandamus quatinus eidem electo, cum ab eo requisitus fueris, ascitis tibi duobus vel tribus vicinis episcopis, auctoritate nostra munus consecrationis impendas. Datum ut in proxima.

In e. m... abbati Cisterciensi. In humeris etc. usque incrementa. Ideoque sinceritatem tuam rogamus et hortamur attente quatinus eundem electum quod regimen ecclesie predicte suscipiat, exhortationibus oportunis inducas et ad id tam nostra quam tua, si necesse fuerit, auctoritate compellas. Datum ut supra.

425 Orvieto, 15 octobre 1263.

Archiepiscopo Terraconensi, una cum episcopo Oscensi et abbate monasterii de Populeto, ecclesiae Terraconensis visitationem committit. (Reg. 28, fol. 8 v°, ann. III, n° 28.)

« .. *archiepiscopo Terraconensi.* Circa curam quorumlibet —. Cum itaque in ecclesia Terraconensi et ejus membris, ordinis s. Augustini, propter incuriam et malitiam personarum degentium in eisdem, multa excreverint que limam correctionis exposcunt, fraternitati tue mandamus quatinus, ascitis tibi venerabili fratre nostro.., episcopo Oscensi, et dilecto filio.., abbate monasterii de Populeto, ordinis Cisterciensis, tue diocesis, inquiras ibidem, visites, corrigas et reformes in spiritualibus et temporalibus, tam auctoritate nostra quam tua, que inquisitionis, visitationis, cor[r]ectionis et reformationis officio videris indigere, faciens loco eorum, qui in ipsa ecclesia administrant, si eos ab administrationibus suis, propriis culpis exigentibus, amoveri contigerit, alios ydoneos per illos ad quos pertinet, subrogari. Contradictores etc., eo quod de auctoritate nostra dicitur, post triennium minime valituro. Datum apud Urbemveterem, idus octobris, anno tertio. »

426 Orvieto, 25 octobre 1263.

Infrascriptis mandat ut quasdam pecuniarum summas nonnullis mercatoribus Senensibus a certis praelatis persolvi faciant. (Reg. 28, fol. 8 v°, ann. III, n° 29).

« .. *archidiacono et .. officiali Trecensibus.* Dilecti filii Bonaventura Bernardini, Franciscus Guidi, Fatius Juncte, Hugolinus Belimontis, Bonsignore Raynerii et Tholomeus Manentis et alii eorum socii, cives et mercatores Senenses, nostri et ecclesie Romane devoti, nobis significare curarunt quod, licet ipsi et quidam ex eis, suo et sociorum suorum nomine, venerabili fratri nostro.., archiepiscopo Senonensi, et nonnullis suffraganeis ipsius, ac abbatibus, prioribus, conventibus et capitulis, comitibus, baronibus, communitatibus ac quibusdam aliis clericis et laicis civitatis et diocesis ac provincie Senonensis, quasdam pecuniarum summas mutuarint, certis eis locis et terminis persolvendas, renuntiantibus predictis archiepiscopo, suffraganeis, abbatibus, prioribus, conventibus, capitulis et clericis beneficio restitutionis in integrum et exceptioni quod hujusmodi pecunie in utilitatem ecclesiarum seu monasteriorum suorum non sint converse, ac eisdem comitibus, baronibus, communitatibus et laicis exceptioni fori, ac se summittentibus super hoc jurisdictioni ecclesiastici judicis, necnon eis et aliis omnibus supradictis, constitutioni de duabus dietis edite in concilio generali, et omnibus apostolicis indulgentiis et litteris impetratis seu etiam impetrandis, prout in instrumentis vel litteris inde confectis, plenius et expresse dicitur contineri, nondum tamen est eis de hujusmodi pecuniarum summis satisfactum, quanquam solutionum termini

sint elapsi, propter quod dampna gravia et expensas se asserunt incurrisse. Quocirca, mandamus quatinus vos [vel] alter vestrum per vos vel alium seu alios hujusmodi debitores, eorum veritate cognita, quod de dictis pecuniarum summis, in quibus tenentur eisdem, cum justis et moderatis expensis ac debita restauratione dampnorum, usuris omnino cessantibus, debitam eis satisfactionem, infra tres menses post monitionem vestram, prout exigunt litterarum et instrumentorum ipsorum tenores, impendant, ex parte nostra monere et inducere studeatis. Quod si infra tempus hujusmodi, vestris non acquieverint monitis et inductionibus in hac parte, nos extunc in ipsorum debitorum et majorum de conventibus, capitulis et communitatibus prefatis personas excommunicationis, in conventus vero, capitula et communitates, que contumaciter monitis vestris duxerint resistendum, vos vel alter vestrum per vos vel per alium seu alios studeatis interdicti sententias promulgare, quas usque ad satisfactionem condignam, ubi et quando expedire videritis, pulsatis campanis et candelis accensis, faciatis solempniter innovari et illos ab aliis artius evitari. Non obstantibus si dictis archiepiscopo, suffraganeis et aliis quibuscumque a sede apostolica sit indultum, vel forte ipsis vel eorum alicui contigerit indulgeri quod excommunicari, suspendi vel interdici seu extra suam provinciam vel diocesim aut alia certa loca ad judicium evocari non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem ac predicta [1] constitutione de duabus dietis edita in concilio generali, et illa quam felicis recordationis Innocentius papa, predecessor noster, edidisse dinoscitur de aliquibus per generalem clausulam, quibusdam aliis ultra quatuor ad judicium non trahendis, sive qualibet alia indulgentia predicte sedis, per quam effectus presentium impediri valeat vel differri, seu excommunicationis sententia in cives Senenses ex certa causa generaliter promulgata, vel aliqua inhibitione per nos facta ne quis ipsis civibus de suis debitis debeat responderi, maxime cum supradictos mercatores a sententia et inhibitione hujusmodi duxerimus excludendos —. Datum apud Urbemveterem, VIII kalendas novembris, anno tertio. »

Orvieto, 27 octobre 1263.

In e. m... archidiacono et.. officiali Trecensibus. Dilecti filii Bonaventura Bernardini etc., usque suorum nomine, dilecto filio.., electo Lugdunensi, et nonnullis suffraganeis ipsius etc., ut in superiori, mutatis mutandis, usque excludendos. Datum apud Urbemveterem, VI kalendas novembris, anna tertio. »

1. Ces deux derniers mots sont ajoutés en marge.

Orvieto, 25 octobre 1263.

In e. m... officiali Parisiensi. Dilecti filii Bonaventura etc., usque suorum nomine, venerabili fratri nostro.., archiepiscopo Rothomagensi et nonnullis suffraganeis ipsius etc., ut supra, mutatis mutandis. Datum ut in prima. »

Même date.

In e. m... archidiacono et.. officiali Trecensibus. Dilecti filii Bonaventura etc., usque suorum nomine, venerabili fratri nostro.., archiepiscopo Bituricensi, et nonnullis suffraganeis ipsius etc., ut in prima per totum. »

Orvieto, 28 octobre 1263.

In e. m... episcopo Magalonensi. Dilecti filii Bonaventura etc., usque suorum nomine, venerabili fratri nostro.., archiepiscopo Terraconensi, et nonnullis suffraganeis ipsius etc., ut in prima, mutatis mutandis, usque excludendos. Datum apud Urbemveterem, V kalendas novembris, anno tertio. »

Orvieto, 26 octobre 1263.

In e. m... episcopo Magalonensi, Dilecti filii Bonaventura etc., usque suorum nomine, venerabili fratri nostro.., archiepiscopo Arelatensi, et nonnullis suffraganeis ipsius etc., usque excludendos. Datum apud Urbemveterem, VII kalendas novembris, anno tertio. »

Orvieto, 13 octobre 1263.

In e. m... preposito et.. decano ecclesie s. Audomari, Morinensis diocesis. Dilecti filii Bonaventura Bernardini etc., usque suorum nomine, venerabili fratri nostro.., archiepiscopo Cantuariensi, et nonnullis suffraganeis ipsius etc., ut in prima mutatis mutandis, usque excludendos, aut indulgentia qua illis de regno Anglie dicitur esse concessum, quod citra mare Anglicanum ad judicium evocari non possint per ipsius sedis litteras, in quibus de concessione hujusmodi expressa et specialis mentio non habetur. Datum apud Urbemveterum, III idus octobris, anno tertio. »

Orvieto, 25 octobre 1263.

In e. m... episcopo Castellano. Dilecti filii Bonaventura Bernardini etc., usque suorum nomine, venerabili fratri nostro.., patriarche Aquilegensi, et nonnullis suffraganeis ipsius etc., ut in prima, mutatis mutandis, usque excludendos. Datum apud Urbemveterem, VIII kalendas novembris, anno tertio. »

427 Orvieto, 3 novembre 1263.

Johanni de Virduno indulget ut super praebenda, quam in ecclesia s. Germani Montensis, Cameracensis dioecesis, obtinet, nullatenus molestetur. (REG. 28, fol. 9 v°, ann. III, n° 30.)

« *Johanni de Virduno, canonico ecclesie s. Germani Montensis, Cameracensis diocesis.* Petitio tua nobis exhibita continebat quod, cum tu nuper ad monasterium s. Severi Urbevetani accedens, secus quandam vineam transitum faceres, quidam laicus, qui erat in vinea ipsa, sepi ejusdem vinee, juxta quam eras, appropinquans, te, quamquam ipsum non offenderes aliquo nec etiam offendisses, cum quodam falzone primo percussit in brachio et postmodum vineam eandem exiens, in tibiis vulneravit. Sicque tu, ut mortis periculum evitares, eidem laico abstulisti predictum falzonem et cultellum etiam quem habebat, et nichilominus eum ad terram prostrasti. Dictus autem laicus in casu impegit in cultellum et ex hoc lesus dicitur expirasse. Quare nobis humiliter supplicasti ut, cum non haberes in voluntate vel proposito laicum interficere supradictum, providere tibi super hoc paterna sollicitudine curaremus. Nos itaque volentes in hac parte tibi gratiam facere specialem, tecum auctoritate apostolica dispensamus ut possis, hoc non obstante, in minoribus ordinibus ministrare et retinere prebendam non habentem animarum curam, quam in ecclesia s. Germani Montensis nosceris obtinere. Nulli ergo nostre dispensationis etc. — Datum apud Urbemveterem, III nonas novembris, anno tertio. »

Orvieto, 4 novembre 1263.

In e. m... decano et capitulo ecclesie s. Germani Montensis, Cameracensis diocesis. Petitio dilecti filii Johannis de Virduno, canonici ecclesie vestre, nobis exhibita continebat quod cum etc., ut in proxima superiori, usque obtinere, verbis competenter mutatis. Quocirca universitati vestre mandamus quatinus eundem Johannem super eadem prebenda occasione hujusmodi nullatenus molestetis. Datum apud Urbemveterem, II nonas novembris, anno III°. »

428 Orvieto, 23 octobre 1263.

De absolutione certorum Florentinorum in Gallia commorantium, ad ecclesiae mandata redeuntium. (REG. 28, fol. 9 v°, ann. III, n° 31.)

« . . *abbati s. Genovefe Parisiensis et Percivallo de Lavania, capellano nostro, canonico Bajocensi*, Olim in die Cene Domini proximo preterito etc., ut continetur in littera Giani Bonaguide, mercatoris Florentini, folio quarto primi quaterni, capitulo XIII°, usque constanter, auctore Domino, procedere curaremus. Sane Ildebrandinus quondam Bellincionis, civis et mercator Florentinus, reprobi sensus dampnata studia etc., usque promittens, sub pena quingentarum marcharum sterlingorum, se facturum et curaturum, quod Bellincione, qui *Cione* vocatur, et Cambiutius, filii ejusdem Ildebrandini, et Caccia, notarius, et Genni fratres, filii quondam Bonciani, socii et concives ejusdem Ildebrandini, ad ecclesie mandata redibunt etc., usque sub pena quingentarum marcharum sterlingorum etc., usque amplum sinum, ac predicto Ildebrandino, qui tunc presens aderat etc., usque recipiatis a predictis Bellincione et Cambiucio et Caccia et Genni, in partibus Gallie commorantibus, de stando super premissis etc., usque : Quibus rite peractis tam eosdem Bellincionem et Cambiucium et Cacciam et Genni, quam dictum Ildebrandinum, per omnia loca, in quibus ipsi voluerint etc., usque compellatis —. Datum apud Urbemveterem, x kalendas novembris, anno tertio. »

429 Orvieto, 27 octobre 1263.

De absolutione certorum Florentinorum in Gallia commorantium, ad ecclesiae mandata redeuntium. (REG. 28, fol. 9 v°, ann. III, n° 32.)

« *Abbati sancte Genovefe Parisiensis et Percivallo de Lavania, capellano nostro, canonico Bajocensi.* Olim in die Cene Domini proximo preterito etc., ut continetur in littera Gian[n]i Bonaguide, mercatoris Florentini, folio quarto primi quaterni, capitulo XIII°, usque constanter, auctore Domino, procedere curare-

mus. Sane Ildebrandinus Benvenuti del Bene, civis et mercator Florentinus, reprobi sensus dampnata studia etc., usque promittens, sub pena mille marcarum sterlingorum, se facturum et curaturum, quod Franciscus, Phylippus et Ugolinus, socii et fratres sui ac filii ejusdem Benvenuti, et Ra[y]naldus, filius quondam Ildebrandini, discipulus suus et societatis ejusdem et concives Florentini mercatores, ad ecclesie mandata redibunt etc., usque sub pena mille marcarum sterlingorum etc., usque amplum sinum, ac predicto Ildebrandino, qui tunc presens aderat, etc., usque recipiatis a predictis Francisco, Philippo, Ugolino et Ildebrandino, in partibus Gallie commorantibus, de stando super premissis etc., usque : Quibus rite peractis, tam eosdem Franciscum, Philippum, Ugolinum et Raynaldum quam dictum Ildebrandinum Benvenuti, per omnia loca, in quibus ipsi voluerint etc., usque compellatis. — Datum apud Urbemveterem, VI kalendas novembris, anno tertio. »

430 Orvieto, 2 novembre 1263.

De absolutione certorum Florentinorum civium in partibus Galliae commorantium et ad ecclesiae mandata redeuntium. (Reg. 28, fol. 9 v°, n° 33).

« *Eisdem*. Olim in die Cene Domini proxime preterito etc., ut continetur in littera Gianni Bonaguide, mercatoris Florentini, folio quarto primi quaterni, capitulo XIII°, usque constanter, auctore Domino, procedere curaremus. Sane Ildebrandinus judex quondam Gerardi de Acquerellis, civis Florentinus, reprobi sensus dampnata studia etc., usque promittens, sub pena quingentarum marcharum sterlingorum, se facturum et curaturum, quod Giacottus et Peroctus, fratres sui, filii quondam ejusdem Gerardi, et Roggerus patruus suus, quondam domini Ildebrandini de Acquerellis, et Dinus Joseppi, avunculus suus, et Cervellinus, qui dicitur *Cinus*, filius dicti Dini, concives ejusdem, ad ecclesie mandata redibunt etc., usque sub pena quingentarum marcharum sterlingorum etc., usque amplum sinum, ac predicto Ildebrandino judici, qui tunc presens aderat etc., usque recipientes a predictis Giacotto et Perotto et Roggero et Dino et Cervellino, in partibus Gallie commorantibus, de stando super premissis etc., usque : Quibus vite peractis, tam eosdem Giacottum et Perottum et Roggerum et Dinum et Cervellinum, quam dictum Ildebrandinum judicem, per omnia loca in quibus ipsi voluerint etc., usque compellatis etc —. Datum apud Urbemveterem, III nonas novembris, anno tertio. »

431 Orvieto, 31 octobre 1263.

Angelam monasterio s. Andreae in Biberatica de Urbe praeficit. (Reg. 28, fol. 10, ann. III, n° 34).

« *Angele, electe monasterii s. Andree in Biberatica de Urbe, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis s. Benedicti*. Imminente nobis ecclesiarum —. Sane presentatam nobis electionem de te, tunc priorissa monasterii s. Andree in Biberatica de Urbe, ad eandem ecclesiam immediate spectantis, celebratam in eodem monasterio, tunc abbatisse regimine destituto, per dilectos filios nostros A., basilice duodecim Apostolorum presbiterum, et M., s. Marie in Porticu diaconum cardinales, examinari fecimus diligenter. Et quia electionem ipsam invenimus de te per dilectas in Christo filias, conventum dicti monasterii, canonice et concorditer celebratam, nos eam, de dictorum cardinalium et aliorum fratrum nostrorum consilio, duximus confirmandam, administrationem plenam ipsius monasterii tibi in spiritualibus et temporalibus committentes, firma de te concepta fiducia —. Datum apud Urbemveterem, II kalendas novembris, anno tertio. »

In e. m. conventui monasterii s. Andree in Biberatica de Urbe, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis s. Benedicti. »

432 Orvieto, 1er novembre 1263.

Episcopo Cephaludensi mandat munus consecrationis impendat Angelae, in abbatissam electae monasterii s. Andreae in Biberatica de Urbe. (Reg. 28, fol. 10, ann. III, n° 35).

« . . *episcopo Cephaludensi, in Urbe commoranti*. Dilectarum in Christo filiarum Angele, electe, et conventus monasterii s. Andree in Biberatica de Urbe, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis s. Benedicti, supplicationibus inclinati, fraternitati tue presentium auctoritate mandamus quatinus eidem electe, cum super hoc ab ipsa requisitus extiteris, vice nostra, munus benedictionis impendas ac facias ei a suis subditis obedientiam et reverentiam debitam exhiberi, recepturus ab ea, post benedictionem hujusmodi, pro nobis et Romana ecclesia, fidelitatis solit juramentum, juxta formam quam tibi sub

bulla nostra mittimus interclusam. Contradictores etc. Formam autem juramenti, quod ipsa prestabit, de verbo ad verbum, per ejus patentes litteras suo sigillo signatas, nobis per proprium nuntium quantocius destinare procures. — Datum apud Urbemveterem, kalendis novembris, anno tertio. »

433 Orvieto, 6 novembre 1263.

Infrascriptis indulget ut de bonis illicite acquisitis et de consilio Arimineusis episcopi in pios usus integre conversis, nullam restitutionem facere teneantur. (Reg. 28, fol. 10, ann. III, n° 36; Potthast 18702).

« *Nobili viro Malateste et Concordie, uxori ejus, civibus Ariminensibus.* De fervore sincerissime vestre devotionis et fidei, divina gratia inspirante, provenisse dinoscitur quod vos, sicut vestra nobis petitione monstrastis, plura bona que ad vos et etiam ad quondam.., patrem tuum, fili M., per rapinam et alios modos illicitos devenerunt, in sustentatione pauperum et alios pios usus vultis cum integritate convertere, maxime cum eorum notitiam, ad quos bona hujusmodi pertinent, non possitis aliquatenus obtinere. Quare humiliter petebatis a nobis ut providere super hoc salubriter curaremus. Nos itaque, hujusmodi vestram devotionem in Domino commendantes, presentium vobis auctoritate concedimus ut, postquam bona ipsa de consilio venerabilis fratris nostri.., episcopi Ariminensis, in hujusmodi sustentatione pauperum et alios pios usus integre duxeritis convertenda, ad restitutionem aliam faciendam minime teneamini, sed exinde sitis penitus absoluti. Volumus tamen ut, si eos vel aliquos eorum, quibus bona hujusmodi debeantur, scire et invenire potestis, eis de bonis sibi debitis satisfactionem plenariam tribuatis. Nulli ergo nostre concessionis etc. — Datum apud Urbemveterem, viii idus novembris, anno tertio. »

434 Orvieto, 31 octobre 1263.

Fratrem Antonium de Ordine Minorum, quem patriarcha Constantinopolitanus, in suo discessu de Romania, ibidem suum in spiritualibus et temporalibus vicarium instituit generalem, confirmat. (Reg. 28, fol. 10 v°, ann. III, n° 37; Potthast 18697.)

« *Fratri Antonio, de ordine Minorum.* Venerabili fratre nostro.., patriarcha Constantinopolitano accepimus exponente, quod ipse ad ordinem tuum specialem habens caritatis affectum ac gerens de tue circumspectionis industria et fidei puritate fiduciam pleniorem, in suo discessu de partibus Romanie, te ibidem suum in spiritualibus et temporalibus vicarium instituit generalem. Nos itaque, ipsius patriarche precibus inclinati, auctoritate tibi presentium indulgemus, ut vicarie hujusmodi officium, tibi ab eodem patriarcha commissum, exercere licite ac libere valeas, donec ipse commissionem duxerit hujusmodi revocandam, contraria ipsius ordinis consuetudine vel statuto seu indulgentia sedis apostolice non obstante, districtius inhibentes ne tibi hoc superiorum tuorum aliquis de ordine ipso interdicere seu in ipsius executione officii, ejusdem tibi ordinis injungendo negotia, vel alias quomodolibet impedire presumat, absque mandato sedis apostolice speciali, faciente de presentibus mentionem. Nos enim irritum et inane decernimus, si secus super hoc contingeret attemptari. Nulli ergo nostre concessionis, inhibitionis et constitutionis etc. Datum apud Urbemveterem, ii kalendas novembris, anno tertio. »

435 Orvieto, 7 novembre 1263.

Gottifredo, s. Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, correctionem et reformationem monasterii Sublacensis, ordinis s. Benedicti, committit. (Reg. 28, fol. 10 v°, ann. III, n° 38; Potthast 18704).

« *G., s. Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali.* Olim, intellecto quod dilectus filius Henricus, abbas monasterii Sublacensis, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis s. Benedicti, intolerabilem patiebatur litterature defectum et pluribus erat criminibus irretitus, quodque alios graves excessus duxerat committendos, et persone ipsius monasterii alia enormia, propter ipsius abbatis incuriam et insufficientiam, committebant, nos dilecto filio, fratri Florasio de Vicentia, ordinis Minorum, capellano nostro, visitationis et inquisitionis officium in eodem monasterio, tam in capite quam in membris, per nostras sub certa forma litteras commisimus, ipsum propter hoc ad prefatum monasterium personaliter destinando. Idem autem capellanus hujusmodi inquisitionis et visitationis officium, juxta formam sibi traditam, ibidem exercuit diligenter. Licet autem per eandem inquisitionem ad amotionem ipsorum ad presens non duxerimus procedendum, cupientes tamen ut dictum monasterium in salubri statu, auctore Domino, jugiter conservetur,

ac de circumspectione tua indubitatam fidem tenentes, tibique correctionem et reformationem ipsius tam circa personam prefati abbatis quam alias personas ejusdem monasterii plenarie committentes, mandamus quatinus personaliter ad monasterium supradictum, ducendo tecum dilectum filium.., abbatem monasterii Casinensis, accedens, et habens pre oculis solum Deum, hujusmodi correctionis et reformationis officium ibidem, tam in capite quam in membris, vice nostra, sic laudabiliter exercere procures, contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, quod exinde a retributore bonorum tibi premium compensetur nosque sinceritatem tuam commendare non immerito valeamus. Datum apud Urbemveterem, VII idus novembris, anno tertio. »

436 Orvieto, 23 octobre 1263.

Archiepiscopo Nidrosiensi ejusque suffraganeis negotium Crucis in regno Norwagiae committit. (REG. 28, fol. 10 v°, ann. III, n° 39; POTTHAST 18692.)

« . . *archiepiscopo Nidrosiensi et suffraganeis ejus.* In universali fidelium —. Proinde nos ad hujusmodi officium, Domino disponente, assumpti, licet immeriti, de illo ejusdem corporis fidelium membro nobili, scilicet populo Terre Sancte, quam Dominus proprio dedicavit sanguine, tanto sollicitius cogitantes quanto magis irreparabile dicto potest universali provenire populo periculum, si usque ad consumptionem adversus eos christiane fidei prevaleant inimici, per diversas orbis partes predicari mandavimus, pro ipsius Terre Sancte subsidio, verbum Crucis. Porro, cum dilectus filius.., prior provincialis Predicatorum in Dacia per litteras nostras, ut dicitur, predicationis hujusmodi mandato recepto, illud in regno Norwagie per fratres suos, in regno ipso morantes, exequi mandavisset, carissimus in Christo filius noster.., ipsius regni rex illustris, in admirationem ex hujusmodi mandato deductus, eo quod non dirigebatur aliquibus personis ydoneis regni sui, ad nos, licet fratres ipsos directum eis mandatum exequi sustinuerit reverenter, specialem nuntium cum regalibus litteris destinavit, inter alia per eosdem nuntium et litteras postulans ut, cum ipse ac devotus populus dicti regni parati sint illis quibus aliqua in eodem regno commiserimus exequenda, oportunum impendere circa executionem hujusmodi consilium, auxilium et favorem, predicationem hujusmodi aliquibus ipsius regni personis committere curaremus. Cum igitur sepedictum regnum christianissimum et ipsius regis personam, fide ad Deum puram et ad Romanam ecclesiam devotione ferventem, caritate intima diligamus, illis studiose intendimus, per que, juxta ipsius regis commendabile desiderium, utriusque honoris et commodi provenire debeat incrementum. Hinc est quod nos, hujusmodi negotium predicationis Crucis dicto priori ab apostolica sede commissum, et factam ab eo commissionem dictis fratribus penitus revocantes, processu laudabili, siquis ab eis ibidem est habitus, in suo robore duraturo, fraternitati vestre negotium ipsum, prout eidem priori a dicta sede commissum in eodem regno Norwagie fuerat, committimus exequendum, per apostolica vobis scripta mandantes quatinus in eodem negotio ita sollicite per vos et alios viros idoneos, in opere ac sermone potentes, procedere studeatis, juxta datam vobis a Deo prudentiam, et directarum eidem priori nostrarum continentiam litterarum, quod exinde ipsi Terre Sancte optatus proveniat fructus et vestre sollicitudinis studium merito valeat commendari. Datum apud Urbemveterem, x kalendas novembris, anno III°. »

437 Orvieto, 5 novembre 1263.

Episcopo Belvacensi mandat compellat Ingerramum, dominum de Coziaco, ut de dampnis et injuriis archiepiscopo Cameracensi debitam satisfactionem impendat. (REG. 28, fol. 11, ann. III, n° 40).

« . . *episcopo Belvacensi.* Sua nobis venerabilis frater noster.., Cameracensis episcopus, conquestione monstravit, quod nobilis vir Ingerramus, dominus de Coziaco, Laudunensis diocesis, terram ipsius episcopi et Cameracensis ecclesie contra justitiam intrans hostiliter, eidem episcopo ac hominibus suis, in ejus prejudicium, per incendia et rapinas et alias etiam dampna gravia et injurias irrogare presumpsit. Quare predictus episcopus nobis humiliter supplicavit ut providere sibi super hoc paterna sollicitudine curaremus. Ideoque fraternitati tue mandamus quatinus, si tibi de plano, absque judicii strepitu, constiterit ita esse, predictum nobilem, quod episcopo et hominibus predictis de dampnis et injuriis hujusmodi debitam satisfactionem impendat et ab inferendis omnino desistat, monitione premissa, per excommunicationis in personam et in terram ipsius nobilis interdicti sententias, appellatione remota, compellas. Non obstante si —. Datum apud Urbemveterem, nonis novembris, anno III°. »

438 Orvieto, 5 novembre 1263.

G., tituli s. Marci presbytero cardinali, curtem, grangiam sive domum de Haisonvilla, Laudunensis diocesis, confert. (Reg. 28, fol. 11, ann. III, n° 41.)

« *G., tituli s. Marci presbitero cardinali.* Tuam volentes honorare personam et per honorem hujusmodi tibi et monasterii Lissiensis, ordinis s. Benedicti, Cameracensis diocesis, utilitatibus, que ipsi monasterio per tuum provenire favorem in posterum poterunt, providere, curtem, grangiam sive domum de Haisonvilla, Laudunensis diocesis, ad dictum monasterium pertinentem, cum omnibus juribus et pertinentiis suis, tibi de speciali gratia et nostre plenitudine potestatis conferimus atque concedimus, quoad vixeris, tenendam et possidendam, investientes te nichilominus per nostrum anulum de eadem. Non obstante —. Nos enim volentes quod predicta curtis, grangia sive domus de Haisonvilla, post tuum decessum, ad dictum monasterium, sine contradictione cujusquam, cum omnibus juribus et pertinentiis hujusmodi, libere revertatur, decernimus irritum et inane siquid super dicta curte, grangia sive domo a quoquam, apostolica vel quavis auctoritate, contra collationis et concessionis, investiture et constitutionis etc. Datum apud Urbemveterem, nonis novembris, anno tertio. »

439 Orvieto, 5 novembre 1263.

Episcopo Laudunensi mandat quatenus procuratorem G., tituli s. Marci presbyteri cardinalis, Remensis ecclesie archidiaconi, in possessionem curtis, grangiae sive domus de Haisonvilla inducere ac defensare inductum procuret. (Reg. 28, fol. 11, n° 42).

« .. *episcopo Laudunensi.* Personam dilecti filii —. Datum ut supra. »

440 Orvieto, 5 novembre 1263.

Abbati et conventui monasterii Lissiensis mandat quatenus collationi et concessioni praedictis curent benignum impertiri assensum; alioquin, episcopo Laudunensi apostolicis dat litteris in mandatis ut ipse eos ad id per censuram ecclesiasticam compellat. (Reg. 28, fol. 11 v°, n° 43).

« .. *abbati et conventui monasterii Lissiensis, ordinis s. Benedicti, Cameracensis diocesis.* Personam dilecti filii —. Datum ut supra. »

441 [Orvieto, 5 novembre 1263.]

Episcopo Laudunensi mandat quatenus, si abbas et conventus monasterii Lissiensis mandatum apostolicum super negotio praedicto neglexerint adimplere, eos ad id, monitione praemissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compellat. (Reg. 28, fol. 11 v°, n° 44.)

« .. *episcopo Laudunensi.* Personam dilecti filii —[1]. »

442 Orvieto, 3 novembre 1263.

G., tituli s. Marci presbytero cardinali, curtem sive grangiam, domum sive prioratum de Tremont, ad monasterium Aquicinctense, ordinis s. Benedicti, Atrebatensis diocesis, pertinentem, cum omnibus juribus et pertinentiis suis, confert atque concedit, quoad vixerit, tenendum et possidendum. (Reg. 28, fol. 11 v°, n° 45.)

« *G., tituli s. Marci presbitero cardinali, Remensis ecclesie archidiacono.* Tuam volentes honorare —. Datum apud Urbemveterem, III nonas novembris, anno tertio. »

443 Orvieto, 3 novembre 1263.

Episcopo Laudunensi mandat quatenus G., tituli s. Marci presbyterum cardinalem, in possessionem curtis sive grangiae, domus sive prioratus de Tremont inducere ac defensare inductum procuret. (Reg. 28, fol. 11 v°, n° 46.)

« .. *episcopo Laudunensi.* Personam dilecti filii —. Datum apud Urbemveterem, III nonas novembris, anno tertio. »

444 Orvieto, 3 novembre 1263.

Abbati et conventui monasterii Aquicinctensis mandat quatenus collationi et concessioni praedictis curent benignum impertiri assensum; alioquin, episcopo Laudunensi apostolicis dat litteris in mandatis ut eos ad id per censuram ecclesiasticam compellat. (Reg. 28, fol. 11 v°, n° 47.)

« .. *abbati et conventui monasterii Aquicinctensis, ordinis s. Benedicti, Atrebatensis diocesis.* Personam dilecti filii —. Datum ut supra, proxima. »

445 Orvieto, 5 novembre 1263.

Episcopo Laudunensi mandat quatenus, si abbas et conven-

1. La mention de la date a été omise.

tus monasterii Aquicinctensis mandatum apostolicum super negotio praedicto neglexerint adimplere, ipse eos ad id, monitione praemissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compellat. (Reg. 28. fol. 11 v°, n° 48).

« .. *episcopo Laudunensi.* Personam dilecti filii —. Datum apud Urbemveterem, nonis novembris, anno tertio. »

446 Orvieto, 9 novembre 1263.

Privilegium de participatione cum excommunicatis. (Reg. 28, fol. 11, ann. III, n° 49.)

« *Nobili viro Giloni de Brione, militi, Senonensis diocesis, germano dilecti filii nostri S., tituli s. Cecilie presbiteri cardinalis.* Pro sincere devotionis —. Hinc est quod nos tuis supplicationibus inclinati, devotioni tue auctoritate apostolica indulgemus ut nullus judicum in te, pro eo quod cum excommunicatis in locutione et aliis quibus ligatur participans excommunicatione minori, participaveris, ante commonitionem canonicam, excommunicationis valeat sententiam promulgare. Et si secus fiat, sententiam hujusmodi decernimus non tenere. Nulli ergo nostre concessionis et constitutionis etc. usque incursurum, presentibus post quinquennium etc. Datum apud Urbemveterem, v idus novembris, anno III°. »

447 Orvieto, 10 novembre 1263.

De absolutione certorum civium Florentinorum in Burgundiae partibus commorantium, ad ecclesiae mandata redeuntium. (Reg. 28, fol. 12, ann. III, n° 50.)

« .. *decano et.. officiali Lugdunensibus.* Olim in die Cene Domini proximo preterito etc., ut continetur in littera Giani Bonaguide, mercatoris Florentini, folio quarto, capitulo XIII° usque constanter, auctore Domino, procedere curaremus. Sane Comparinus, filius quondam Tedaldi de Bella, civis Florentinus, reprobi sensus dampnata studia etc. usque promittens, sub pena mille marcarum sterlingorum, se facturum et curaturum quod Janus, frater suus, Hugo, filius quondam Melioris de Bella, consobrinus ejus, Gabriel et Dessus, filii Donati Bucetunde, consanguinei et socii sui, cives Florentini, ad ecclesie mandata redibunt etc., usque sub pena mille marcarum sterlingorum etc., usque amplum sinum ac predicto Comparino, qui tunc presens aderat etc., usque recipiatis a predictis Jano et Hugone, in partibus Burgundie commorantibus, de stando super premissis etc., usque quibus rite peractis, tam eosdem Janum et Hugonem quam dictum Comparinum per omnia loca in quibus ipsi voluerint etc., usque compellatis. Datum apud Urbemveterem, IIII idus novembris, anno III° ».

448 Orvieto, 5 novembre 1263.

Ludovicum, regem Francorum, hortatur ut inter ecclesiam Cameracensem et dominum de Cuchiaco partes suas interponat ut inter eos pax reformetur. (Reg 28, fol. 12, ann. III, n° 51).

« *Carissimo in Christo filio.., regi Francorum illustri.* Cum habearis, fili —. Sane, sperantes quod Cameracensem ecclesiam inter alias illarum partium speciali prosequaris affectu, scribere tibi pro ipsa decrevimus ut a molestiis, quibus opprimitur, regio consilio, auctore Domino, relevetur. Ecce, sicut ad nostrum pervenit auditum, inter venerabilem fratrem nostrum .. Cameracensem episcopum, et dilectum filium nobilem virum .. dominum de Cuchiaco, graves discordie, dissensiones et scandala sunt exorta, ex quibus, cum jam multa ex eis discrimina guerrarum emerserint, eadem ecclesia specialiter gravissimis dampnis afficitur et multipliciter conculcatur. Ad te igitur, quem velle credimus et posse scimus eidem ecclesie in tantis subvenire pressuris, preces pro ipsa dirigimus, ut per te sibi auxilium veniat, quod ejus necessitas exigit, et ipsa regie defensionis auxiliatricem sentiat dexteram, prout ipsius status exposcit. Quocirca, serenitatem tuam rogamus et hortamur attente quatenus ecclesie memorate benivolentia innata compatiens, interponas efficaci studio partes tuas, quod inter eosdem episcopum et nobilem concordia reformetur, nec patiaris quod hinc vel inde gravius injurie dilatentur, sed per bonum pacis, tua mediante diligentia, discordia sopiatur, ita quod apud Deum, cui gratum in hac parte prestabis obsequium, retributionis eterne premium merearis. Datum apud Urbemveterem, nonis novembris, anno III°. »

449 Orvieto, 18 octobre 1263.

Universis abbatissis et sororibus inclusis ordinis s. Clarae nunciat se decrevisse ordinem earum « qui in b. Clara felicia

suae institutionis sumpsit auspicia », de cetero ordinem s. Clarae uniformiter nominandum esse, et regulam sive formam vivendi eis a Gregorio IX, praedecessore, tunc Ostiensi episcopo, datam, confirmat. (Reg. 28, fol. 12, ann. III, n° 52; Potthast 18680.)

« *Universis abbatissis et sororibus inclusis ordinis s. Clare.* Beata Clara, virtute clarens et nomine, gratiae divinae inspiratione praeventa, et almi Christi confessoris beati Francisci exemplis laudabilibus informata ac salutaribus instituta doctrinis, ut se mundam Domino conservaret, mundi hujus contemptis opibus operibusque vitatis, religiose vivere sapienter elegit, et, habitu sacre religionis assumpto, artam viam mandatorum Domini, que gradientes in ipsa ducit ad vitam, dilatato corde cucurrit. Hanc petra Christus lapidem esse voluit in vestri ordinis structura primarium. In ipsa evidenter ostendit quod in hujusmodi sibi structura complacuit. Eam siquidem sanctitatis erexit in titulum, ut quae vite munditia claruit, celebritate clareret, ac eumdem vestrum ordinem, qui sanctum et laudabile sumpsit in ejus persona principium, et venerande religionis institutio et ipsius quasi instituentis sic patenter approbate patrone merita, venerabilem venerandumque probarent. In hoc autem ordine, vos et alias ipsum profitentes ab olim, sub nominationum varietate, interdum sorores, quandoque dominas, plerumque moniales, nonnumquam pauperes inclusas ordinis s. Damiani contigit hactenus nominari, vobisque, sub horum et aliorum diversitate nominum, diversa privilegia, indulgentie ac littere a sede apostolica sunt concessa, et tam a felicis recordationis Gregorio papa, predecessore nostro, tunc Ostiensi episcopo et vestri ordinis curam gerente, quam aliis varie date sunt regule formeque vivendi, quarum observantiis se vestrum alique sollempniter obligarunt. Propter quod, dilecte in Domino filie, fuit nobis humiliter supplicatum, ut eundem vestrum ordinem curaremus certi nominis titulo insignire, vosque ab hujusmodi observantiarum diversitatibus et votis super eis emissis misericorditer absolventes, certam vobis vivendi formam, ad tollendum omnem de vestris conscientiis scrupulum, largiremur.

Nos itaque decens arbitrantes et congruum, ut idem ordo vester qui, ut premittitur, in predicta beata Clara felicia sue institutionis sumpsit auspicia, cujusque, ut firmiter credimus, apud Deum meritis et intercessione protegitur et apud homines laudibus attollitur et favoribus ampliatur, ejus insigniatur et nomine, ipsum de fratrum nostrorum consilio de cetero decrevimus ordinem s. Clare ac ipsum professas sorores ordinis s. Clare uniformiter nominandas, statuentes quod immunitates, libertates, privilegia et indulgentie, ac littere quecumque vobis seu eidem ordini a prefata sede sub quacumque nominatione concessa, id robur obtineant firmitatis, et ita per omnia ipsis uti possitis ac si a principio sub hujusmodi nominis titulo, sub hac nominatione concessa fuissent.

Ut autem bene ac jucunde habitetis in unum nec sub predictarum observantiarum differentia in modo vivendi videamini differentes, sed ambuletis in domo Domini cum consensu, nos, inspectis predictis omnibus regulis et formis, ac specialiter illam quam prefatus predecessor, tunc Ostiensis episcopus, vobis dedisse dinoscitur, diligentius attendentes, regulam sive formam vivendi, presentibus annotatam, vobis et hiis, que vobis successerint, de eorumdem fratrum consilio, presentium tenore concedimus et etiam confirmamus, in singulis monasteriis vestri ordinis perpetuis temporibus observandam, illas ex vobis, que ipsam regulam sive formam per nos vobis concessam et confirmatam, professe fuerint, ab omnibus aliis regulis, formis et votis premissis de apostolice potestatis plenitudine absolventes.

Que regula talis est :

« Omnes que, seculi vanitate relicta, religionem vestram assumere voluerint et tenere, hanc eas legem vite et discipline oportet et convenit observare, vivendo in obedientia, sine proprio, in castitate et etiam sub clausura.

« Omni namque tempore vite sue hanc vitam profitentes, clause manere firmiter teneantur infra murorum ambitum, ad intrinsecam clausuram monasterii deputatum, nisi forsan (quod absit) superveniret inevitabilis et periculosa necessitas, sicut exustionis, ignis vel incursus hostilis, seu alicujus hujusmodi, que dilationem nullo modo caperet ad egrediendi licentiam postulandam. In quibus casibus, transferant se sorores ad locum alium competentem, in quo, quantum commode fieri poterit, clause morentur, quousque eis de monasterio sit provisum. Et propter hujusmodi necessitatis evidentiam, nulla eis conceditur licentia vel facultas extra predictam clausuram ulterius exeundi, nisi forte de mandato aut auctoritate cardinalis Romane ecclesie, cui a sede apostolica generaliter fuerit ordo ipse commissus, ad aliquem locum alique mitterentur, causa plantandi vel edificandi eamdem religionem, vel reformandi aliquod monasterium ejusdem ordinis, seu causa regiminis aut correctionis aut alicujus valde

evidentis et gravis dispendii evitandi, vel nisi de ejusdem cardinalis mandato aut auctoritate, monasterio primo rationabili causa relicto, totus conventus ad monasterium aliud se transferret. Possint autem in singulis monasteriis recipi alique, licet pauce, sub *servitialium* nomine vel sororum, ad hujusmodi professionis observantiam astringende, preterquam ad articulum de clausura, que de mandato vel licentia abbatisse, interdum poterint egredi ad negotia monasterii procuranda. Morientes vero tam sorores, quam servitiales hujusmodi infra claustrum, prout convenit, tumulentur.

« Omnibus hanc religionem assumere cupientibus, et que fuerint admittende, priusquam habitum mutent et religionem assumant, dura eis et aspera proponantur, per que itur ad Deum et que secundum hanc religionem necesse habuerint observare, ne de ignorantia postea se excusent. Non recipietur aliqua, que vel longiori etate vel infirmitate aliqua vel fatua simplicitate ad hujusmodi vite observantiam insufficiens et non ydonea censeatur, nisi forte cum, aliqua interdum causa rationabili exigente, de mandato vel auctoritate dicti cardinalis alicui fuerit dispensandum. Per tales enim status et vigor religionis sepius dissolvitur et turbatur. Unde, in personis recipiendis diligenti studio et cautela debet hujusmodi occasio devitari. Abbatissa nullam propria auctoritate recipiat, sine consensu omnium sororum suarum, vel ad minus duarum partium earumdem. Omnes vero ex more intra claustrum recepte, tonsis crinibus, citius deponant habitum secularem ; quibus deputetur magistra, que eas informet regularibus disciplinis. Ad tractatus quoque capituli infra annum nullatenus admittantur. Completo vero unius anni spatio, si etatis legitime fuerint, professionem in manibus abbatisse, coram conventu, faciant in hunc modum : « Ego .. soror pro-
« mitto Deo et beatissime Marie semper Virgini, beato
« Francisco et beate Clare et omnibus sanctis vivere
« sub regula a domino Urbano papa IIII ordini nostro
« concesso, toto tempore vite mee, in obedientia, sine
« proprio et in castitate, et etiam, secundum quod per
« eandem ordinatur regulam, sub clausura. » Idem similiter profitendi modus in servitialibus vel sororibus, que de licentia egredi possunt exterius, preter articulum de clausura, per omnia observetur.

« Omnes sorores communiter capillos suos usque ad aures certis temporibus tondeant in rotundum. Et una queque soror, preter cilicium, si voluerit, vel stamineam, duas tunicas vel etiam plures, secundum quod visum fuerit abbatisse, habere valeat, ac mantellum post collum hinc inde connexum. Et hec indumenta sint de panno religioso et vili tam pretio quam colore, juxta diversarum consuetudinem regionum, nimia brevitate vel longitudine non notanda, ut et in operiendis pedibus debita servetur honestas, et curiose longitudinis superfluitas penitus evitetur. Tunica quoque superior sit, tam in manicis quam in busto, latitudinis et amplitudinis congruentis, ut habitus exterioris honestas intrinsece attestetur. Habeant et scapularia sine caputio, de vili et religioso panno vel staminea, amplitudinis et longitudinis condecentis, sicut unius cujusque qualitas exigit vel mensura, quibus induantur quando laborant vel tale aliquid agunt, cum mantellos congrue gestare non possent. Possint etiam sine ipsis esse aliquando, si visum fuerit abbatisse, cum forte per calorem nimium vel aliquid aliud eis gravia multum fuerint ad portandum. Coram extraneis tamen hujusmodi utantur scapularibus cum mantellis. Tunice quoque superiores, scapularia et mantelli coloris omnino albi vel nigri aliquatenus non ferantur. Pro cingulo autem cordam, postquam professe fuerint, habeant minime curiosam. Vittis aut peplis de panno communi omnino albis, non tamen pretiosis aut curiosis, capita sua cooperiant uniformiter et honeste, ita quod frons, gene et collum et gula sint, ut earum honestati [convenit] et religioni, cooperta; nec aliter coram extraneis personis audeant apparere. Habeant et nigrum velum, nec pretiosum nec curiosum, extensum super capita, ita amplum et longum quod ex utraque parte descendat usque ad scapulas, et retro parum ultra tunice capitium (*sic*) protendatur. Sorores vero novitie album velum ejusdem mensure et qualitatis debeant deportare. Servitiales autem sorores pannum album, non pretiosum aut curiosum, ad modum toalie, super capita sua deferant, tante longitudinis et amplitudinis quod spatulas et pectus, precipue cum exeunt, valeant operire.

« Omnes sorores sane, tam abbatissa quam alie, vestite et cincte in communi dormitorio jaceant, et quelibet per se lectnm habeat ab invicem separatum ; lectus tamen abbatisse in tali loco dormitorii disponatur, quod inde ceteros dormitorii lectos sine obstaculo, si commode fieri poterit, valeat intueri. A festo Resurrectionis Dominice usque ad festum Nativitatis beate Virginis, post prandium usque ad horam nonam, sorores dormiant que voluerint. Que vero noluerint, oratione et meditatione divina seu aliis piis quietis laboribus occupentur. Liceat autem unicuique habere sacconem de palea vel de feno, et cervica de palea aut lana seu etiam pluma esse poterit, juxta quod abbatissa

duxerit disponendum. Habeant et coopertoria lanea sive cultras religiosas, cum lana habere nequiverint congruenter. Lampas insuper de nocte accensa semper in medio dormitorii habeatur.

« De divino officio tam in die quam in nocte Domino persolvendo, taliter observetur, quod hee que legere et canere noverint, secundum consuetudinem ordinis fratrum Minorum, cum gravitate tamen et modestia, divinum officium debeant celebrare. Illiterate vero dicant viginti quatuor *Pater noster* pro matutino, pro laudibus quinque, pro prima, tertia, sexta et nona, pro qualibet istarum horarum septem, pro vesperis autem duodecim, pro completorio septem. Qui modus per omnia in officio beate Virginis observetur. Pro defunctis, dicant in vesperis septem *Pater noster* cum *Requiem eternam*, et pro matutino duodecim, tempore quo sorores litterate faciunt officium mortuorum. Que vero, occasione rationabili, non possent aliquando legendo dicere horas suas, licet eis, sicut illiteratis sororibus, dicere Pater noster.

« Ubi proprius fuerit capellanus pro missarum sollempniis et divinis officiis celebrandis, habitu et vita religiosus sit ac bone fame nec juvenilis, sed mature et ydonee sit etatis. Ubi autem non fuerit proprius capellanus, a quolibet bone fame et honeste vite presbitero sorores missam audire possunt. Penitentiam vero et alia ecclesiastica sacramenta ab eis recipiant, qui de mandato seu auctoritate cardinalis, cui generaliter ipse fuerit ordo commissus, ea exhibendi habuerint potestatem, nisi forte in necessitatis articulo fuerit aliqua constituta. Cum aliqua sacerdoti de confessione loqui voluerit, per locutorium sola soli confessionem faciet sacerdoti, et per illud eidem de hiis que ad confessionem pertinent, tunc loquatur. Confessionem autem regulariter omnes faciant ad minus semel singulis mensibus, et sic confessione premissa, in sequentibus sollempnitatibus, videlicet in Nativitate Domini, Purificatione beate Virginis, in initio Quadragesime, Resurrectione Domini, Pentecoste, in festis ss. apostolorum Petri et Pauli, s. Clare, s. Francisci et Omnium Sanctorum, recipiant Dominici Corporis sacramentum. Si tamen aliqua sororum tanta fuerit corporis infirmitate detenta, quod ad locutorium commode venire non possit et necesse habuerit confiteri, vel Dominici Corporis seu alia recipere sacramenta, sacerdos sacramenta exhibiturus hujusmodi, alba et stola ac manipulo, cum duobus ydoneis et religiosis sociis vel uno ad minus, alba vel saltem superpelliceo vestitus, ingrediatur et moretur indutus ; et, audita confessione vel alio tradito sacramento, sicut ingressi fuerint, sic egrediantur induti, nec moram ibi faciant longiorem. Caveant etiam ut, quamdiu intra monasterium fuerint, nullatenus ab invicem separentur, quin semper mutuo possint libere se videre. Sic quoque se habeant in anime commendatione. Porro, ad exequias circa sepulturam agendas, sacerdos non ingrediatur in claustrum, sed exterius in capella, quod ad illud officium pertinet exequatur. Tamen si abbatisse et conventui visum fuerit quod ad exequias debeat introire, modo supradicto cum sociis intret indutus, et, sepulta mortua, cum eis exeat sine mora. Si autem necesse fuerit ut ingrediantur aliqui ad faciendam vel operiendam sepulturam seu postmodum coaptandam, et abbatisse et conventui visum fuerit hoc expediens, propter imbecillitatem sororum, sit sacerdoti vel alicui alii ad hoc ydoneo et honesto, cum uno socio vel duobus, licitum introire.

« Si alique juvencule vel grandiores capaces ingenii fuerint, si sibi videbitur, abbatissa eas instrui faciat, magistram eis deputans ydoneam et disertam, per quam tam in cantu quam in divinis officiis instruantur. Sorores vero et servitiales, horis et locis statutis, prout ordinatum fuerit, utilibus et honestis laboribus sub illa providentia occupentur quod, excluso otio, anime inimico, sancte orationis et devotionis spiritum non extinguant, cui debent cetera temporalia deservire. Verum, quia multitudini sub hujusmodi religionis observantia congregate omnia debent esse communia nec cuiquam licet aliquid esse suum, caveatur sollicite ne, occasione laborum hujusmodi seu mercedis recepte pro ipsis, cupiditatis vel proprietatis cujuspiam sive etiam notabilis specialitatis morbus obrepat.

« Silentium continuum sic continue ab omnibus teneatur, ut nec sibi invicem nec alicui alii sine licentia eis loqui liceat, exceptis hiis, quibus magisterium aliquod vel opus injunctum fuerit quod non possit congrue cum silentio exerceri, hiis quidem simul loqui liceat de hiis que ad officium vel opus suum pertinent, ubi, quando et qualiter visum fuerit abbatisse. Sorores tamen debiles vel infirme ac servientes eisdem, pro recreatione et ipsarum servitio, in infirmitorio loqui possint. In duplicibus quoque festis ac apostolorum sollempnitalibus et aliis quibusdam diebus, quibus visum fuerit abbatisse, in certo loco ad hoc assignato, ab hora nona usque ad vesperam vel aliqua alia hora competenti, loqui possint de Domino Jesu Christo et sollempnitate instanti ac piis sanctorum exemplis et de aliis licitis et honestis. Ab hora

quoque completorii usque ad tertiam, exceptis servitialibus, extra monasterium, abbatissa absque causa rationabili loquendi licentiam non concedat. In aliis vero temporibus atque locis, sic attendat sollicite abbatissa qua de causa, ubi et quando et qualiter sorores licentiet ad loquendum, quod regularis observantia, que non mediocriter a silentio, quod est cultus justitie, dependere dignoscitur, nullatenus relaxetur.

« Omnes autem uti studeant signis religiosis pariter et honestis. Sane quando aliqua persona religiosa seu secularis vel cujuslibet dignitatis alicui de sororibus loqui petierit, nuncietur primitus abbatisse, et, si ipsa concesserit, accedens ad locutorium, duas alias ad minus habeat secum semper, quibus jusserit abbatissa, que loquentem videant et audire valeant que dicuntur. Ad cratem vero loqui aliquatenus non presumant nisi presentibus duabus ad minus per abbatissam ad hoc specialiter deputatis. Caveant tamen sibi sorores, que cum aliquo loqui habent, ne per verba inutilia inaniter se diffundant nec etiam trahant in locutionibus moram longam. Hoc namque firmiter observetur ab omnibus, ut, quando de confessione sacerdoti interius infirma fuerit aliqua locutura, non loquatur, nisi ad minus cum duabus non longe sedentibus, que confitentem et confessorem videre possint ab eisdem pariter et videri. Hanc autem loquendi legem et ipsa abbatissa custodiat, ut omnino materia detractionis omnibus auferatur, excepto quod cum sororibus suis, horis et locis competentibus, loqui potest, sicut ei secundum Deum visum fuerit expedire.

« Sorores autem omnes et servitiales, infirmis exceptis, a festo Nativitatis gloriose Virginis usque ad festum Resurrectionis Dominice, nisi diebus dominicis et die Nativitatis Domini, continuum servent jejunium; a Resurrectione vero Dominica usque ad festum Nativitatis beate Virginis teneantur sexta feria jejunare. Omni quoque tempore, preter infirmas, infirmitatis sue tempore, ab esu carnium abstineant. Cum debilibus autem dispensare valeat abbatissa, prout eorum debilitati viderit expedire. Ovis vero, caseo et lacticiniis licite possint uti, preterquam ab Adventu usque ad Nativitatem Domini, et a Dominica Quinquagesime usque ad Pascha, necnon et sexta feria et jejuniis ab Ecclesia generaliter institutis. Cum servitialibus tamen sororibus circa predictum jejunium, preterquam in Adventu et sexta feria, possit abbatissa misericorditer dispensare. Dispensare etiam possit circa jejunium supradictum cum adolescentibus et debilibus ac senili etate confectis, prout earum debilitati vel imbecillitati viderit expedire. Sane quoque sorores jejunare non teneantur minutionis sue tempore, quod in triduo terminetur, extra majorem quadragesimam et sextam feriam, Adventum Domini et jejunia ab ecclesia generaliter instituta. Caveat tamen abbatissa ne ultra quater in anno minutionem permittat communiter celebrari, nisi certa necessitas plus requirat, nec a persona extranea, maxime viro, minutionem recipiat, ubi commode poterit evitare.

« De infirmis vero cura et diligentia maxima habeatur et, secundum quod possibile fuerit et decuerit, tam in cibariis, que earum requirit infirmitas, quam in aliis necessariis, in fervore charitatis benigne ac sollicite eis per omnia serviatur. Que infirme proprium habeant locum, si umquam fieri potest, ubi a sanis maneant separate, ne illarum ordinem et quietem confundere valeant vel turbare.

« In quolibet monasterio unum tantum hostium habeatur ad intrandum claustrum et exeundum, cum oportunum fuerit, juxta legem de ingressu et egressu positam in hac forma. In quo hostio nullum sit hostiolum vel fenestra; et istud hostium fiat in sublimi, quanto magis fieri poterit congruenter, ita quod ad ipsum per scalam levatoriam exterius ascendatur. Que scala, per cathenam ferream ex parte sororum studiose ligata, a completorio dicto usque ad primam diei sequentis continue sit suspensa, et tempore diurne dormitionis et visitationis, nisi aliud interdum evidens requirat necessitas vel utilitas manifesta. Ad predictum autem hostium custodiendum aliqua talis ex sororibus deputetur, que Deum timeat, sit matura moribus, sit diligens et discreta sitque convenientis etatis. Que unam ipsius hostii clavem sic diligenter custodiat, ut numquam, ea vel ejus socia ignorante, hostium aliquando valeat aperiri. Reliquam vero clavem, diversam ab illa, custodiat abbatissa. Sit et alia eque ydonea ei socia deputata, que ejus vicem in omnibus exequatur, cum ipsa aliqua rationabili causa vel occupatione necessaria occupata fuerit vel detenta. Caveant autem studiosissime et procurent ne umquam hostium stet apertum, nisi quantum minus fieri poterit congruenter. Sit autem hostium seris ferreis et vectibus optime communitum, et sine custodia, apertum vel clausum, minime dimittatur, nec etiam ad momentum, nisi una clave in die, et in nocte duabus sit firmiter obseratum. Nec omni pulsanti aperiatur statim, nisi prius indubitanter cognoverint quod talis sit cui sine dubitatione aliqua, secundum mandatum quod de ingressuris in hac regula continetur, debeat aperiri. Et nulli liceat ibi loqui, nisi soli hostiarie,

de hiis que ad suum officium pertinebunt. Quod si aliquando intra monasterium opus aliquod fuerit faciendum ad quod agendum seculares aliquos vel quascumque personas alias oporteat introire, provideat abbatissa sollicite ut tunc, dum opus scilicet exercetur, aliqua alia persona conveniens ad custodiendum hostium statuatur, que sic personis ad opus deputatis aperiat, quod alias intrare penitus non permittat. Nam sorores ipse, et tunc et semper, quantumcumque rationabiliter prevalent, studiosissime caveant ne a secularibus vel personis extraneis videantur.

« Ceterum, cum prefatum hostium pro aliis aperiri nolimus, nisi pro illis tantum que per rotam vel aliunde decenter nequeunt expediri, mandamus quod in singulis monasteriis, in exteriori muro clausure intrinsece, in loco siquidem competenti, manifesto a parte exteriori et omnino patenti, rota una fortis fieri debeat, latitudinis et altitudinis congruentis, ita quod per eam nulla persona ingredi valeat vel exire; per quam necessaria tam intus quam exterius ministrentur; et taliter disponatur quod per eam nec intus nec extra valeat aliquis intueri. Ex utraque etiam parte hostiolum fiat validum, quod de nocte, et in estate tempore dormitionis, seris ferreis et clavibus clausum et firmatum debeat permanere. Ad cujus custodiam, pro expediendis necessariis per eandem, unam sororem discretam, securam et maturam tam moribus quam etate, que monasterii diligat honestatem, constituat abbatissa; cui soli tantum vel deputate sibi socie, cum congrue non poterit interesse, loqui ibidem et respondere liceat, super hiis que ad suum officium pertinebunt. Ibi autem nulli alii loqui liceat, nisi esset locutorium occupatum, vel ex alia rationabili et necessaria causa, aliquando, semper tamen de licentia abbatisse; quod tamen rarissime fiat, secundum loquendi modum superius pretaxatum.

« Propter necessitates quoque aliquando imminentes, que non possunt per supradictum hostium vel rotam commode expediri, permittimus quod aliud hostium in loco decenti in monasterio fieri possit, per quod certis temporibus intromittantur vel emittantur que fuerint oportuna. Quod quidem hostium continue sit clavi, seris ferreis et repagulis communitum, sitque muro a parte exteriori muratum, ita quod non possit aliquatenus aperiri vel persona aliqua inde loqui. Possit tamen, necessitatum dictarum tempore, ipsius hostii murus dirui et hostium aperiri; nec tunc apertum, nisi quanto minus fieri poterit, sub tamen fida custodia, dimittatur. Expeditis itaque necessitatibus ipsis, secundum predictum modum remunitum clavi, seris et repagulis extrinsecus remuretur.

« Locutorium autem commune in cappella, vel potius in claustro, ubi commodius et honestius fieri poterit, disponatur, ne, si forte fieret in cappella, pacem orantium inquietet. Ipsum vero locutorium sit congrue quantitatis, de lamina ferrea subtiliter perforata et taliter clavis fortibus coaptata, quod nunquam valeat aperiri. Sit quoque ipsa lamina clavis ferreis in longum protensis exterius fortiter communita. Cui pannus niger lineus interius taliter apponatur quod nec sorores videre extra valeant, nec videri. Ad istud locutorium a completorio, quod dici debet tempore competenti, usque post primam diei sequentis, seu tempore comestionis vel dormitionis in estate, aut quando officium celebratur, nisi pro causa adeo rationabili vel necessaria, que commode differri non possit, nulli licitum erit loqui. Quandocumque vero in concessis temporibus aliqua vel alique habuerint ibi loqui, cum modestia et maturitate loquentes breviter se expediant, prout decet. Ubi vero, propter sororum multitudinem, videbitur oportunum, aliud simile locutorium esse possit.

« Volumus etiam ut in muro, qui sorores dividit a capella, congruentis forme cratis ferrea collocetur, que sit ex crebris et spissis contortis lineis ferreis, diligenti et forti opere fabricata, et clavis ferreis in longum protensis exterius fortiter communita, vel ex lamina ferrea parvis et minutis foraminibus perforata, cum protensis clavis ferreis, ut est dictum. In cujus medio fiat unum hostiolum de lamina ferrea, per quod, communionis tempore, possit intromitti calix, et sacerdos mittens manum possit Dominici Corporis tradere sacramentum. Quod quidem sera et clavi ferrea sit semper firmatum, nec aperiatur, nisi quando sororibus proponi contigerit verbum Dei, vel sacramentum Dominici corporis exhiberi, aut cum quis aliquam ex sororibus, suam propinquam consanguineam, videre petierit, vel alia causa necessaria id exposcat; quod etiam rarissime fiat, et semper de licentia abbatisse. Que tamen in nullo casu, primis duobus dumtaxat exceptis, licentiam largiatur, nisi prius, singulis vicibus, de hoc consilium petierit a conventu. Cui crati pannus lineus niger interius taliter apponatur, ut nulla inde valeat exterius aliquid intueri. Habeat et hostia lignea ex parte sororum, cum seris ferreis atque clave, ut maneant semper clausa pariter et firmata, et non aperiantur, nisi cum divinum celebratur officium, vel nisi quando ex dictis causis prefato modo dictum hostiolum contigerit aperiri. Et nemo alius

per dictam cratem loquatur, nisi forte aliquando, rationabili causa vel necessaria exigente, alicui de abbatisse licentia raro fuerit concedendum, et tunc predicta hostia lignea poterunt aperiri. Et quandocumque aliquam personam extraneam ad eas ingredi vel alias per cratem eis loqui contigerit, tegant faciem cum modestia et inclinent, prout religionis convenit honestati.

« De ingressu personarum in monasterium, firmiter ac districte precipimus ut nulla umquam abbatissa vel ejus sorores aliquam personam religiosam seu secularem aut cujuslibet dignitatis in monasterii clausuram intrinsecam intrare permittant; nec omnino alicui liceat, nisi quibus concessum a sede apostolica fuerit vel a cardinali cui fuerit sororum ordo commissus. Excipiuntur autem a dicta ingrediendi lege medicus, causa multum gravis infirmitatis, et minutor, cum necessitas exegerit; qui non absque duobus sociis de familia monasterii introducantur nec ab invicem infra monasterium separentur; necnon et illi, quos occasione incendii vel ruine seu alterius periculi vel dispendii, seu pro tuendis a violentia quorumlibet monasterio vel personis, aut pro aliquo opere exercendo quod commode extra monasterium fieri non potest, necessitas exegerit introire. Qui omnes, expedito suo ministerio vel imminenti necessitati satisfacto per ipsos, exeant sine mora. Nulli tamen persone extranee intra monasterii clausuram liceat comedere vel dormire. Sed et si quis de sancte Romane ecclesie cardinalibus ad aliquod monasterium hujusmodi religionis aliquando venerit et intra claustrum voluerit ingredi, cum reverentia quidem et devotione suscipiatur, sed rogetur ut cum paucis sociis debeat introire. Liceat quoque generali ministro ordinis fratrum Minorum, quando ibidem celebrare voluerit vel proponere sororibus verbum Dei, cum quatuor vel quinque fratribus ipsius ordinis, intra clausuram ingredi monasterii, si quando ei videbitur expedire. Alius autem prelatus, cui aliquando forte de licentia sedis apostolice vel dicti cardinalis intrare licuerit, duobus vel tribus tantum religiosis et honestis sociis sit contentus. Quod si forte, pro benedictione vel consecratione sororum vel alio etiam modo concessum fuerit alicui episcopo missam interius aliquando celebrare, quam paucioribus et honestioribus potuerit contentus sit sociis et ministris; et hoc quoque ipsum alicui rarius concedatur. Nulla tamen omnino loquatur cum aliqua persona de ingressis, nisi modo predicto, presentibus duabus vel tribus sororibus, sive infirma fuerit sive sana. Illud sane precipue caveatur ut hii, quibus aliquando concessum solummodo fuerit vel data licentia in monasterium ingredi, non aliter admittantur, nisi abbatisse et sororibus visum fuerit expedire, cum ex hujusmodi concessionibus vel licentiis abbatissa vel sorores eos admittere non cogantur, et ut sint tales, de quorum verbis et moribus necnon vita et habitu edificari valeant intuentes, et materia justi scandali exinde nequeat generari. Super concessione vero vel licentia ingressus hujusmodi, ad omne ambiguum removendum, apostolici apices vel dicti cardinalis patentes littere ostendantur.

« De servitialibus vel sororibus, que semper manere clause, sicut alie, non tenentur, districtius volumus observari ut sine licentia nulla claustrum egrediatur. Et que mittuntur, honeste sint et convenientis etatis ac religiosi et maturi aspectus et calceamentis honestis; tam ipse quam sorores ille, quas aliquando emitti contigerit pro casibus supradictis calceate incedant. Ceteris vero intus manentibus, si voluerint, liceat istud idem. Egredientibus vero assignetur certus terminus redeundi. Nec alicui ipsarum conceditur extra monasterium sine speciali licentia comedere, bibere vel dormire, nec ab invicem separari vel loqui alicui in secreto, seu cappellani monasterii vel conversorum domicilium introire. Et si aliqua contrarium fecerit, graviter puniatur. Et sollicite caveant ne ad loca suspecta divertant vel cum personis male fame familiaritatem habeant, nec in suo reditu secularia vel inutilia sororibus referant, per que dissolvi valeant vel turbari. Et quamdiu extra fuerint, taliter studeant se habere, quod de conversatione honesta ipsarum edificari valeant intuentes. Et quicquid eis pro se vel pro aliis datum fuerit vel promissum, resignent vel renuntient abbatisse vel alii, cui in hoc commiserit vices suas.

« Capellanus, si voluerit se monasterio obligare, et alii qui monasterii conversi esse voluerint et abbatisse et conventui visum fuerit eos recipere, anno probationis elapso, promittant obedientiam abbatisse, voventes loci stabilitatem et perpetuo vivere sine proprio et in castitate. Tunicas de religioso et vili panno, tam pretio quam colore, juxta earum indigentiam, habere valeant sine caputio; quarum manice breves sint et stricte tantummodo circa manus. Longitudo autem tunicarum sit talis, quod a cavilla pedum distet spatio quatuor digitorum; capellanus tamen habere poterit longiorem. Pro cingulo vero corrigiam honestam habeant cum cultello; caparonem etiam cum caputio super tunicas portent, cujus longitudo genu aliquantulum transeat, et amplitudo usque ad cubitum

protendatur; minoris tamen latitudinis caparonem, si voluerit habere, poterit capellanus, qui capa etiam honesta uti poterit vel mantello post collum, vel ante pectus hinc inde connexo. Superiores autem tunice et longum caputium necnon et capellani capa et mantellus non sint de albo vel penitus nigro panno. Vestiti etiam jaceant et camiseis lineis non utantur. Calceamenta ampla et alta et antefissa cum caligis habeant, et femoralia portent. Capillos suos usque ad aures certis temporibus tondeant in rotundum. Officium divinum faciant, ut sorores, excepto quod conversi ad officium beate Virginis et mortuorum minime teneantur. Jejunium servare debeant, ut sorores. Liceat tamen abbatisse super jejunio regule cum eis, estus vel itineris aut laboris alterius seu alia quavis rationabili et honesta causa, misericorditer dispensare. Informationi etiam et correctioni visitatoris capellanus et conversi per omnia sint subjecti, cui in hiis, que ad visitationis officium pertinent, teneantur firmiter obedire.

« Pro possessionibus et redditibus monasterii modo debito pertractandis, procurator unus, prudens pariter et fidelis, in singulis monasteriis vestri ordinis habeatur ; qui per abbatissam et conventum constitui et amoveri debeat, sicut videbitur expedire. Hic vero taliter institutus, de omnibus sibi commissis, receptis pariter et expensis, abbatisse et tribus aliis sororibus ad hoc per conventum specialiter assignatis, et visitatori, cum voluerit, rationem reddere teneatur ; et nichil omnino de rebus monasterii vendere, commutare, obligare vel alienare quoquomodo valeat, nisi de licentia abbatisse pariter et conventus; et quicquid contra hoc attemptatum fuerit, irritum decernimus et inane. Possit tamen de mobilibus parum valentibus, aliqua parva, ex causa licita, de abbatisse licentia, interdum aliis elargiri. Possit etiam per visitatorem, cum expedire videbitur, amoveri.

« Electio abbatisse libere pertineat ad conventum. Confirmatio vero fiat per cardinalem, cui fuerit iste ordo commissus, vel auctoritate ipsius. Studeant autem sorores talem eligere, que virtutibus polleat et sanctis moribus aliis prosit potius quam officio, et que communitatem servet in omnibus, ut ejus exemplo provocate sorores ex amore magis ei obediant quam timore. Que singularibus amoribus careat, ne, dum in parte plus diligit, in toto scandalum generet. Consoletur afflictas, sit refugium tribulatis, ne, si apud eam remedia defuerint sanitatum, desperationis morbus prevaleat in infirmis. Que humiliter et caritative visitet et corrigat sorores suas, non precipiendo eis aliquid quod sit contra animam suam et vestre professionis formam. Non sit preceps in precipiendo, ne ex indiscretione precepti, ponat peccati laqueum animabus. Cui, postquam confirmationem recep[er]it, quamdiu in officio permanserit, sorores universe necnon et familia exterior monasterii pareant et obediant diligenter. Semel in ebdomada ad minus, abbatissa sorores suas, pro ipsarum monitione, ordinatione et reformatione, teneatur ad capitulum convocare, ubi, secundum expressionem publicarum et communium negligentiarum atque culparum, pene misericorditer imponantur. Conferat etiam cum omnibus sororibus suis de hiis que occurrerint pro sui monasterii utilitate ac honestate tractanda ; sepe enim Dominus quod melius est juniori revelat. Nullum onerosum vel grave debitum contrahat, nisi per procuratorem, de communi consensu sororum, cum manifesta necessitas hoc requirit. Reddat etiam de receptis et expensis, semel ad minus singulis tribus mensibus, coram conventu vel saltem quatuor sororibus ab eodem ad hoc specialiter deputatis, debitam rationem. Officiales monasterii instituat, de consilio et assensu conventus vel majoris partis ipsius. Sigillum vero conventus custodiri faciat et servari secundum ordinationem conventus ejusdem, et omnem litteram dirigendam ex parte conventus, prius coram conventu in capitulo lectam, et approbatam a majori parte sororum ibidem, coram omnibus faciat sigillari. Nulla etiam soror aliquas litteras dirigat sive recipiat, nisi primo eas abbatissa legat vel ab alia ad hoc constituta legantur. Studeat insuper abbatissa sorores reconciliare, si aliquas ad invicem ex aliqua causa vel occasione contigerit conturbari. Soror vero illa, que verbo vel signo occasionem turbationis vel scandali alteri dederit, statim, antequam offerat munus orationis sue Domino, veniam petens a sorore quam offendit, coram ea humiliter se prosternat, rogans ut intercedat pro se ad Dominum, quatinus sibi culpam indulgeat, quam commisit. Illa vero memor verbi Domini : *Nisi dimiseritis ex cordibus vestris, nec Pater vester celestis dimittet vobis*, liberaliter injuriam remittat sorori veniam postulanti. Monemus sorores omnes et hortamur in Domino Jesu Christo ut caveant ab omni superbia, vana gloria, invidia, avaritia, cura et sollicitudine hujus seculi, detractione, murmuratione, dissensione et divisione ac omni vitio per quod possent displicere in oculis veri Sponsi ; sed magis sint sollicite coram Deo servare interiorem et exteriorem in omnibus puritatem ac semper invicem habere mutue dilectionis unitatem, que est vinculum perfectionis, ut, in

ea radicate et fundate, possint ad agni Domini nostri Jesu Christi nuptias cum prudentibus virginibus introire.

« Ad hec, ut dispendiosis discursibus materia subtrahatur, in virtute obedientie, sub pena excommunicationis, quam ipso facto transgredientes vel non parentes incurrant, districte precipimus ut [1], exceptis dumtaxat servitialibus, monasteriorum [2] illorum locorum, in quibus Romana fuerit ecclesia constituta, quamdiu ibi residentiam fecerit, nulla abbatissa, soror (vel servitialis), pro ulla necessitatis causa, ad sedem apostolicam personaliter veniat vel accedat, nisi super hoc per apostolicos apices, vel dicti cardinalis patentes litteras alicui specialis licentia concedatur.

« Monasteria hujus religionis per visitatores, qui auctoritatem, formam et modum a cardinali, cui fuerit a sede apostolica vester ordo commissus, recipiant, semel ad minus annis singulis visitentur. Sane circa visitationes hujusmodi illud est sollicite providendum, ut quicumque vel generalis vel etiam alicubi aliquando specialis constituendus fuerit visitator, talis debeat constitui, de cujus religiosa vita et moribus notitia plena et securitas habeatur. Qui, cum ad monasterium aliquod veniens, fuerit introgressus, sic se per omnia exhibeat et ostendat, ut omnes de bono ad melius provocet et ad Dei amorem et inter se mutuam caritatem semper inflammet pariter et accendat. Et quando monasterii claustra ad visitandum intraverit, duos religiosos et ydoneos socios secum ducat; qui videlicet socii simul maneant, et, dum fuerint intra claustrum, ab invicem nullatenus separentur. Visitator autem, regula prius lecta et exposita, ab abbatissa sigillum recipiat, quod ipsa sibi assignare et absolutionem et concessionem ab abbatisse ministerio petere absolute ac libere teneatur. Que si communem vitam ducere non potuerit vel noluerit, per eundem visitatorem a suo regimine absolvatur, nisi sua mora in officio monasterio dispendiosa non esset, sed necessaria vel evidenter utilis appareret. Absolvatur etiam per eundem, si alias non ydonea vel insufficiens ad monasterii regimen videretur, et hoc fiat secundum formam et modum quos a cardinali supradicto receperit visitator. Qui tam de ipsius abbatisse quam sororum statu et observantia sue religionis ab omnibus generaliter et specialiter a singulis inquirat studiosius veritatem; et ubi aliquid reformandum vel corrigendum invenerit, zelo caritatis et amore justitie cum discretione corrigat et reformet, tam in capite quam in membris, sicut melius viderit expedire. Excessus autem qui fuerit sufficienter correctus a visitatore, iterum nullatenus corrigatur. Quod si aliquid tale sibi occurrerit, quod per se nequeat emendare, ad superiorem referat ut corrigatur, sicut expedit, ejus consilio ac precepto. Caveat autem abbatissa ne a se vel ab aliis sororibus status sui monasterii visitatori aliquatenus abscondatur, quia malum esset indicium et offensa graviter punienda. Immo volumus et mandamus ut ea que, secundum vite sue formam et regularem observantiam, instituenda vel emendanda fuerint, publice ac privatim, sicut melius fuerit faciendum, visitatori suggerant et proponant; cui teneantur in omnibus, que ad officium visitationis pertinent, firmiter obedire. Que autem aliter fecerint, a visitatore, tam abbatissa quam alie, debite, prout convenit, puniantur. Omnes autem, tam abbatissa quam sorores, considerent et caveant diligenter ut nichil aliud quam amor divinus et suarum correctio ac monasterii reformatio eas moveat ad loquendum. Modum autem loquendi visitator custodiat supradictum, ut videlicet aut cum omnibus, aut cum pluribus simul loquatur, vel secrete cum una, aliis ad minus duabus in aspectu ejus non longe sedentibus, ut per omnia bone fame integritas conservetur, nisi ad locutorium cum una vel pluribus loqui voluerit de hiis que ad officium suum pertinere noscuntur. Idem etiam visitator tam capellanum quam conversos et ceteros de familia extrinseca monasterii visitet, et in eis corrigat et reformet que correctionis et reformationis officio noverit indigere, penas tam amotionis perpetue a monasterio, licentiando professos ad alia monasteria vel ordines, sicut expedire viderit, quam alias, prout culpe gravitas et qualitas exegerit, imponendo. Ut autem non graventur monasteria in expensis, et visitator omnem notam cujuspiam suspicionis evitet, volumus omnino quod visitator de visitationis officio quam citius commode poterit, se studeat expedire, quanto rarius absque sui officii dispendio poterit, monasterii clausuram intrinsecam ingressurus.

« Verum, ne ab observatione presentis regule sive formule suprascripte, quam uniformiter ubique ab omnibus volumus et mandamus diligentius observari, pro defectu certi regiminis in posterum recedere vos contingat, aut sub diversorum magisterio vivendi modos incurrere differentes, dilecto filio nostro J., s. Nicholai in Carcere Tulliano diacono cardinali, gubernatori, protectori et correctori ordinis fratrum Minorum, curam et regimen vestri ordinis necnon et personarum in eis degentium, scilicet capellanorum,

1. Ce mot est ajouté dans l'interligne.
2. Ce mot est ajouté en marge.

conversorum et familiarum, plene duximus committenda, statuentes ut sub ejus et aliorum cardinalium qui fuerint pro tempore gubernationi, protectioni et correctioni eorumdem fratrum ordinis a sede apostolica deputati, obedientia, cura et regimine debeatis decetero permanere, quibus teneamini firmiter obedire. Et ipsi animarum vestrarum sollicitudinem gerentes et curam, eisdem monasteriis et personis degentibus in eis, capellanis, conversis et familie, tam per se quam per viros ydoneos, quoties expedire viderint, visitationis officium impendere studeant, corrigendo et reformando ibidem, tam in capite quam in membris, que correctionis et reformationis officio noverint indigere. Instituant nichilominus et destituant, ordinent, statuant et disponant, prout secundum Deum viderint expedire.

« Ut autem vos in hac regula sive formula tamquam in speculo possitis inspicere nec per oblivionem aliquid negligatis, semel vobis in qualibet quindena legatur, et ubi vos inveneritis ea, que scripta sunt, facere, agite gratias Deo, bonorum omnium largitori. Ubi autem sibi quecunque viderit aliquid deesse, doleat de preterito et caveat de futuro, orans ut ei debitum dimittatur, et in temptationem ne deinceps inducatur. »

Nulli ergo nostre constitutionis, confirmationis et absolutionis infringere etc. Datum apud Urbemveterem, xv kalendas novembris, anno tertio.

450 Orvieto, 12 novembre 1263.

Dominum de Cuchiaco hortatur ut a molestiis Cameracensis ecclesiae resipiscat. (Reg. 28, fol. 17, ann. III, nº 53.)

« *Nobili viro.., domino de Cuchiaco.* Utinam, fili, prudenter attendas quod in te requiratur a Domino et quid ei a tue nobilitatis magnitudine debeatur. Cum enim clareas alti prosapia generis, nobilitate preditus et multa rerum temporalium ubertate fecundus, profecto decet et debitum esse dinoscitur ut ex hiis Deum Patrem datorem bonorum omnium recognoscas. Miramur igitur quod, cum de progenitoribus Deo devotis sis ex materna linea procreatus, qui se per laudabilia semper opera gratos hominibus et creatori suo reddere studuerunt acceptos, tu, sicut dicitur, ab ipsorum bonitate degenerans, Cameracensem ecclesiam, quam deberes ut matrem, more devoti filii, revereri, impugnare diceris et opprimere sicut hostem, non considerans quod non solum fame tue detrahis, sed ipsum Deum graviter provocas et ejus iram tibi accumulas, dum predictam ecclesiam dampnificas et molestas. Ideoque nobilitatem tuam rogamus et hortamur attente quatinus, intenta mente recipiens paterne commonitionis affatum pensansque provide quod grave ponis in provincia scandalum, quod generis tui decorem obnubilas, quod etiam apostolicam sedem videris habere contemptui, sub cujus cura et protectione tam predicta quam cetere orbis ecclesie, Domino disponente, consistunt, ab oppressionibus ejusdem Cameracensis ecclesie resipiscas, animum nichilominus inclinaturus ad pacem, ut inter te et venerabilem fratrem nostrum.., Cameracensem episcopum, contra quem movisse guerram diceris, pro eo quod ecclesie memorate jura defendit, concordia reformetur, ita quod per te non afficiatur ecclesia prefata dispendiis nec oporteat super hiis aliud remedium adhiberi, quia finaliter eidem ecclesie deesse nequibimus, quin in suis manutenendis juribus et etiam defendendis, oportunum sibi favorem et auxilium impendamus. Datum apud Urbemveterem, II idus novembris, anno tertio. »

451 Orvieto, 17 novembre 1263.

Matrem domini de Cuchiaco hortatur ut apud filium partes suas interponat ut idem dominus a molestiis et oppressionibus ecclesiae Cameracensis resipiscat. (Reg. 28, fol. 17, ann. III, nº 54.)

« *Nobili mulieri.., matri nobilis viri.., domini de Cuchiaco.* Officii nostri debitum nos inducit ac ex paterna benivolentia, qua te ab olim prosecuti fuimus, specialiter invitamur, ut, salutem tuam et tuorum plenis desiderantes affectibus, hiis que tibi et domui tue possent quomodolibet afferre dispendia, promptis studiis obviemus. Ad nostrum siquidem pervenit auditum quod nobilis vir.., dominus de Cuchiaco, natus tuus, non attendens quod progenitores tui, de quibus ipse traxit originem, se per laudabilia et sancta opera gratos hominibus et suo creatori acceptos reddere studuerunt, ab ipsorum devotione, ut fertur, degenerare non veritus, Cameracensem ecclesiam, quam deberet ut matrem, more devoti filii, revereri, oppugnat hostiliter et prosequitur sicut hostem; propter quod non solum Deum offendere noscitur, sed sedem apostolicam, quam in hoc videtur habere contemptui, gravi commotione provocat sueque nobilitatis decorem obnubilat et fame proprie detrahit, in se nichilominus iram Domini provocando. Unde, cum tales excessus

ipsi Deo, sicut te credimus nosse, displiceant et vergant in dicte sedis obprobrium, sub cujus cura et protectione universe tam predicta quam cetere orbis ecclesie, Domino disponente, consistunt, nobilitatem tuam rogamus et hortamur attente quatinus apud eundem natum tuum, quod a vexationibus et molestiis ecclesie memorate penitus conquiescat, interponas efficaci studio partes tuas, ita quod exinde possit tua devotio merito commendari, nec oporteat super hoc per apostolicam providentiam aliud remedium adhiberi, quia finaliter non possemus tantum ejusdem ecclesie dispendium equanimiter tolerare. Datum apud Urbemveterem, xv kalendas decembris, anno III°. »

452 28 novembre 1263.

Petrum, quondam priorem S. Quirici Lucani, monachum monasterii Casae-Dei, in abbatem monasterio Agedunensi praeficit. (Reg. 28, fol. 17, ann. III, n° 55.)

« *Petro, abbati monasterii Agedunensis, ordinis s. Benedicti, Lemovicensis diocesis.* Sponso celesti qui —. Sane monasterio Agedunensi dudum abbatis regimine destituto, dilecti filii.., prior et conventus ejusdem Stephanum, dictum *Battaliam*, ipsius monasterii monachum, in abbatem eorum et ejusdem monasterii, prout accepimus, concorditer elegerunt. Sed quia venerabilis frater noster.., episcopus Lemovicensis, loci diocesanus, presentatam sibi electionem hujusmodi, per tres menses et amplius, in ipsorum Stephani et monasterii prejudicium, confirmare pro sua voluntate distulit, idem Stephanus, sentiens ex hoc indebite se gravari, ad sedem apostolicam appellavit. At episcopus ipse, hujusmodi appellatione contempta, dilectum filium Guillelmum Arnaldi, abbatem monasterii Aureliacensis, Claromontensis diocesis, tunc monachum monasterii s. Marcialis Lemovicensis, predicti ordinis, de facto, cum de jure non posset, eidem monasterio Agedunensi prefecit auctoritate propria in abbatem. Postmodum vero, eodem G., causa prosequendi predicte electionis negotium, ad sedem apostolicam accedente, dilectus filius noster O., s. Adriani diaconus cardinalis, quem in eodem negotio dedimus auditorem, de appellatione predicta legitime cognito, pronuntiavit prefatum negotium per appellationem eandem esse ad sedem ipsam legitime devolutum ac apud eam debere tractari. Propter quod nos eundem G. et omnes, qui sua crederent interesse, per litteras nostras citari mandavimus ut certo termino coram nobis comparere curarent, facturi et recepturi super eodem negotio quod ordo exposceret rationis. Porro jamdictum G. supradicto Aureliacensi monasterio, tunc vacanti, medio tempore prefecimus in abbatem, dictusque Stephanus omni juri, quod sibi ex sepedicta electione acquisitum fuerat, in manibus prefati cardinalis, recipientis de mandato nostro cessionem hujusmodi, sponte cessit. Verum nos, ad supradictum monasterium Agedunense, ne propter vacationem diutinam detrimentum incurreret, conversis oculis nostre mentis, quicquid per prefatum episcopum Lemovicensem, post dictam appellationem, attemptatum fuerat, apostolica auctoritate cassantes, demum te, tunc priorem s. Quirici Lucani, monachum monasterii Case-Dei, supradicti ordinis, prefato Agedunensi monasterio in abbatem prefecimus de apostolice plenitudine potestatis, tibi administrationem ipsius monasterii tam in spiritualibus quam temporalibus committentes, firma concepta fiducia quod, cum tu noscaris esse discretus et providus ac instructus laudabiliter regularibus institutis et in eorum observantia studiosus, dictum monasterium Agedunense per industriam tuam, divina favente clementia, in statum salutis dirigi et in prosperis debeat ampliari. Quocirca discretionem tuam rogamus et hortamur attente, per apostolica tibi scripta firmiter precipiendo mandantes quatinus onus regiminis predicti monasterii Agedunensis mente devota et animo suscipiens reverenti, te in eodem regimine talem corde sollicito studeas exhibere, ut grex tue cure commissus, in te salutis ministrum repperisse gaudeat et tandem propter hoc tibi claritatis eterne radius illucescat. Datum apud Urbemveterem, III kalendas decembris, anno tertio. »

Orvieto, 22 novembre 1263.

In e m... priori et conventui monasterii Agedunensis, ordinis s. Benedicti, Lemovicensis diocesis. Sponso celesti etc. —. Datum apud Urbemveterem, x kalendas decembris, anno III°.

453 Orvieto, 29 novembre 1263.

Abbati et conventui monasterii s. Sergii, Bibliensis diocesis, indulget ut bona sua de civitatibus, castris et aliis locis extrahi, ac ipsa per terram seu per mare ad monasterium et alia loca sua, sine alicujus exhibitione pedagii vel alterius rei, quocumque nomine censeatur, facere deportari valeant. (Reg. 28, fol. 17 v°, n° 56.)

« .. *abbati et conventui monasterii s. Sergii, Cisterciensis ordinis, Bibliensis diocesis.* Meritis vestre religionis —. Datum apud Urbemveterem, III kalendas decembris, anno III° »

454 Orvieto, 29 novembre 1263.

Abbati et conventui monasterii Bellimontis, Tripolitanae diocesis, idem concedit. (Reg. 28, fol. 17 v°, n° 57.)

« .. *abbati et conventui monasterii Bellimontis, Cisterciensis ordinis, Tripolitane diocesis.* Meritis vestre religionis —. Datum apud Urbemveterem, III kalendas decembris, anno III° ».

455 Orvieto, 29 novembre 1263.

Abbati et conventui monasterii Belliloci, Nicosiensis diocesis, idem concedit. (Reg. 28, fol. 17 v°, n° 58.)

« .. *abbati et conventui monasterii Belliloci, Cisterciensis ordinis, Nicosiensis diocesis.* Meritis vestre religionis —. Datum apud Urbemveterem, III kalendas decembris, anno tertio. »

456 Orvieto, 17 novembre 1263.

Magistrum Mathaeum ecclesiae Salernitanae in archiepiscopum praeficit. (Reg. 28, fol. 17 v°, ann. III n° 59.)

« *Magistro Matheo, electo Salernitano.* Sollicitudinis apostolice studium —. Sane Salernitana ecclesia solacio destituta pastoris, digne pensavimus ut ipsa, cujus decor decessu sponsi deciderat, presidio paterne propitiationis adjuta, optati sponsi provisione recepta, vigorem leta resumat solite venustatis ac, Deo propitio, relevetur a noxiis que sibi (pro dolor) imminent, temporis malitia faciente. Decens autem arbitrantes et congruum ut ipsam ecclesiam, multe dignitatis privilegio decoratam, prerogativa favoris et gratie prosequamur, de tali persona sibi providere decrevimus, quam ei speramus et credimus fore perutilem, quamque, suis claris exigentibus meritis, infra nostri precordia pectoris dilectionis prerogativa portamus. Attendentes igitur quod te superna clementia magno dono scientie, providi maturitate consilii, providentie munere multisque virtutibus insignivit, de conversatione quoque tue vite laudabilis, morum pudicitia tuaque probitate multiplici, per diutinam et familiarem experientiam plenam notitiam obtinentes et ob id reputantes merito debitum ut per sedem apostolicam, quam multe studio devotionis honoras, dignis honoribus extollaris, de fratrum nostrorum consilio et apostolice plenitudine potestatis ipsi ecclesie te preficimus in archiepiscopum et pastorem —. Datum apud Urbemveterem, XV kalendas decembris, anno III°. »

In e. m. capitulo Salernitane ecclesie.
In e. m. populo civitatis Salernitane.

457 Orvieto, 29 novembre 1263.

Electo Salernitano indulget ut munus consecrationis recipere, non obstante constitutione Alexandri papae IV, differre valeat. (Reg. 28 fol. 18, ann. III, n° 60.)

« *M., electo Salernitano.* Felicis recordationis Alexander papa, predecessor noster, volens indempnitatibus cathedralium ecclesiarum occurrere, duxit provide statuendum ut electi ecclesiarum ipsarum, infra terminum sex mensium, munus consecrationis suscipere procurarent ; alioquin extunc, nisi legitimo forent impedimento detenti, ab administratione spiritualium et temporalium cognoscerent se suspensos, et si forsan infra sex alios menses sequentes, hujusmodi suscipere munus differrent, capitula, collegia et conventus ecclesiarum, ad quos electio pertinet eorumdem, liberam haberent providendi sibi de aliis facultatem. Nos igitur attendentes quod ad ecclesiam tuam commode non potes accedere, temporis malitia faciente, tuis supplicationibus inclinati, ut idem terminus, donec archiepiscopatus tui pacificam possessionem valeas adipisci, tibi aliquatenus non labatur, constitutione hujusmodi non obstante, devotioni tue auctoritate presentium indulgemus. Nulli ergo nostre concessionis etc. Datum apud Urbemveterem, III kalendas decembris, anno III°. »

458 Orvieto, 9 novembre 1263.

Archidiacono et officiali Trecensibus mandat nonnullis mercatoribus Senensibus certas pecuniarum summas mutuatas persolvi faciant. (Reg. 28, fol. 18, ann. III, n° 61.)

« .. *archidiacono et .. officiali Trecensibus.* Dilecti filii Bonaventura Bernardini, Franciscus Guidi, Fatius Juncte, Tholomeus Manentis, Hugolinus Belmontis,

Buonsignore Raynerii et alii eorum socii, cives et mercatores Senenses, nostri et ecclesie Romane devoti, nobis significare curarunt quod, licet ipsi et quidam ex eis, suo et suorum sociorum nomine, venerabilibus fratribus nostris.., archiepiscopo Turonensi, et nonnullis suffraganeis ejus ac abbatibus, prioribus, conventibus, capitulis et quibusdam aliis clericis civitatis, diocesis et provincie Turonensis, renuntiantibus beneficio restitutionis in integrum et exceptioni quod pecunie sibi mutuate in utilitatem ecclesiarum seu monasteriorum suorum non sint converse, necnon constitutioni de duabus dietis edite in concilio generali, et omnibus apostolicis indulgentiis et litteris impetratis seu etiam impetrandis, quasdam pecuniarum summas mutuarint, certis eis loco et terminis persolvendas, prout in publicis instrumentis seu litteris inde confectis plenius dicitur contineri, nondum tamen est eis de hujusmodi pecuniarum summis, quamquam termini solutionum effluxerint, satisfactum; propter quod dicti mercatores dampna gravia et expensas se asserunt incurrisse. Quocirca mandamus quatinus vos vel alter vestrum, per vos vel per alium seu alios, hujusmodi debitores, eorum veritate cognita, quod de dictis pecuniarum summis, in quibus tenentur eisdem, cum justis et moderatis expensis ac debita restauratione dampnorum, usuris omnino cessantibus, debitam eis satisfactionem, infra tres menses post monitionem vestram, prout exigunt litterarum et instrumentorum ipsorum tenores, impendant, ex parte nostra monere et inducere procuretis. Quod si, infra tempus hujusmodi, vestris non acquieverint monitis et inductionibus in hac parte, vos extunc in debitorum ipsorum et majorum de conventibus et capitulis prefatis personas excommunicationis, in conventus vero et capitula, que contumaciter monitis vestris duxerint resistendum, auctoritate nostra per vos vel alium seu alios studeatis interdicti sententias promulgare, quas usque ad satisfactionem condignam, ubi et quando expedire videritis, pulsatis campanis et candelis accensis, faciatis sollempniter innovari, illosque ab aliis artius evitari. Non obstantibus si —. Datum apud Urbemveterem, v idus novembris, anno tertio. »

In e. m. eisdem archidiacono et officiali. Dilecti filii Bonaventura, etc., usque sociorum nomine, venerabilibus fratribus nostris . . archiepiscopo Burdegalensi et nonnullis suffraganeis ejus, etc., ut in superiori proxima per totum.

In e. m. eisdem archidiacono et officiali. Dilecti filii Bonaventura, etc., usque sociorum nomine, venerabilibus fratribus nostris . . archiepiscopo Bisuntino et nonnullis suffraganeis ejus, etc., ut in prima per totum.

In e. m. eisdem archidiacono et officiali. Dilecti filii Bonaventura, etc., usque sociorum nomine, dilecto filio Henrico, qui se gerit pro electo Treverensi, et nonnullis venerabilibus fratribus nostris, suffraganeis ejus, etc., ut in prima per totum.

Orvieto, 26 octobre 1263.

In e. m. episcopo Magalonensi. Dilecti filii Bonaventura, etc., suorum sociorum nomine, venerabilibus fratribus nostris . . archiepiscopo Auxitano et nonnullis suffraganeis ejus, etc., ut in prima usque excludendos. Datum apud Urbemveterem, vii kalendas novembris anno III°.

In e. m. eidem episcopo. Dilecti filii Bonaventura, etc., usque sociorum suorum nomine, venerabilibus fratribus nostris . . archiepiscopo Narbonensi et nonnullis suffraganeis ejus, etc. Datum apud Urbemveterem, vii kalendas novembris, anno III°.

Orvieto, 8 novembre 1263.

In e. m. eidem episcopo. Dilecti filii Bonaventura, etc., suorum sociorum nomine, venerabilibus fratribus nostris . . archiepiscopo Aquensi et nonnullis suffraganeis ejus, etc., usque excludendos. Datum apud Urbemveterem, vi idus novembris, anno III°.

In e. m. eidem episcopo, Dilecti filii Bonaventura, etc., usque suorum sociorum nomine, venerabilibus fratribus nostris . . archiepiscopo Januensi et nonnullis suffraganeis ejus, etc., usque excludendos. Datum apud Urbemveterem, vi idus novembris, anno III°.

Orvieto, 9 novembre 1263.

In e. m. . . archiepiscopo Pisano. Dilecti filii Bonaventura, etc., usque suorum sociorum nomine, venerabilibus fratribus nostris . . archiepiscopo Ravennati et nonnullis suffraganeis ejus, etc., usque excludendos. Datum apud Urbemveterem, v idus novembris, anno III°. »

459 Orvieto, 1er décembre 1263.

Episcopo Bruniatensi mandat ex parte apostolicae sedis capitulo de Sarzana inhibeat ne ad electionem episcopi, sine licentia apostolica, procedat. (Reg. 28, fol. 19, ann. III, n° 62.)

« .. *episcopo Bruniatensi*. Capitulis ecclesiarum cathedralium consistentium in civitatibus faventibus Manfredo, quondam principi Tarentino, cum omnibus suis fautoribus, exigentibus culpis suis, per sedem apostolicam vinculo excommunicationis astricto, est per eandem sedem edicto generali prohibitum ne, vacantibus ipsorum ecclesiis, aliquos in episcopos eligere, postulare presumant seu etiam nominare. Cum igitur locus de Sarzana, in quo, Lunensi civitate destructa, capitulum Lunensis ecclesie commoratur, et magna pars diocesis Lunensis dicto Manfredo favere et ejus adherere fautoribus dinoscatur, fraternitati tue mandamus quatinus, ad capitulum ipsum accedens, si secure potueris, alioquin proposito edicto publico coram populo in ecclesiis aliquorum vicinorum locorum, unde possit ad ejusdem capituli notitiam pervenire, ei ex parte nostra districtius inhibere procures ne, si eorum ecclesia quovis casu vacaverit, aliquem in episcopum eligant, postulent seu nominent, sine dicte sedis licentia speciali. Nos enim eidem ecclesie de persona utili providere volentes, exnunc irritum decernimus et inane, si secus per dictum capitulum fuerit attemptatum. Datum apud Urbemveterem, kalendis decembris, anno tertio. »

460 Orvieto, 3 décembre 1263.

Fratrem Johannem de Alneto, ordinis fratrum Minorum, ecclesiae Rathbothensi in episcopum praeficit. (Reg. 28, fol. 19, ann. III, n° 63; Potthast 18732.)

« *Fratri Johanni de Alneto, ordinis fratrum Minorum, electo Rathbothensi*. Cum nos simus —. Sane dudum ecclesia Rathbothensi pastoris solacio destituta, quidam de capitulo ipsius, videlicet minor pars, elegerunt quondam Henricum, archidiaconum ejusdem ecclesie ; ceteri vero.., abbatem monasterii Nigre Celle de Deri, in episcopum ipsius ecclesie postularunt. Tandem vero, electione dicti archidiaconi per venerabilem fratrem nostrum .., archiepiscopum Armachanum, metropolitanum loci, rite cassata, et per appellationem ipsius archidiaconi negotio hujusmodi ad sedem apostolicam legitime devoluto, dictoque archidiacono apud sedem eandem nature debitum persolvente, ac postulatione ipsius abbatis a nobis ex causis legitimis non admissa, nos volentes eidem ecclesie, ne dampna gravia ex longiori vacatione subiret, salubriter de persona ydonea providere, te, de cujus circumspectione plenam in Domino fiduciam obtinemus, ipsi Rathbothensi ecclesie, de fratrum nostrorum consilio, prefecimus in episcopum et pastorem, sperantes firmiter —. Non obstante contraria constitutione tui ordinis, etiam si foret per sedem apostolicam confirmata, vel indulgentia dicte sedis concessa eidem, per quam non expressam presentibus vel totaliter non insertam, id valeat impedire. Datum apud Urbemveterem, III nonas decembris, anno III°. »

In e. m. capitulo ecclesie Rathbothensis.

In e. m. clero civitatis et diocesis Rathbothensium.

In e. m. populo civitatis et diocesis Rathbothensium.

In e. m. archiepiscopo Armachano.

461 Orvieto, 9 décembre 1263.

Decano et cantori Metensibus mandat ut Alexandrum, dictum *Makeres*, aliosque coexecutores testamenti Theobaldi, cantoris Metensis, a sententia excommunicationis absolvant. (Reg. 28, fol. 19 v°, ann. III, n° 64.)

« .. *decano et .. cantori Metensibus*. Constitutus in presentia nostra Alexander, dictus *Makeres*, civis Metensis, nobis exposuit quod quondam Theobaldus, cantor Metensis ecclesie, de bonis suis testamentum condens in ultima voluntate, nonnulla de bonis ipsis per manus ipsius civis et aliorum concivium suorum, quos executores constituit hujusmodi testamenti, in pios usus erogari precepit et nichilominus per eos satisfieri omnibus quibus, dum viveret, in aliquo tenebatur. Verum nos, intellecto quod idem cantor ab intestato decesserat, vobis diversas litteras nostras direximus ut bona, que fuerunt ipsius cantoris, faceretis vobis, nostro et ecclesie Romane nomine, assignari; quarum auctoritate, in eundem Alexandrum et coexecutores suos, occasione bonorum hujusmodi, excommunicationis sententiam promulgastis. Quare dictus Alexander nobis humiliter supplicavit ut, cum consanguinei dicti cantoris, post ejus obitum, magnam partem bonorum occupaverint eorumdem et quamplures ab eo et dictis coexecutoribus suis petant ea in quibus dictus cantor ipsis, ut asserunt, dum viveret, tenebatur, dictusque Alexander paratus sit prestare ydoneam cautionem, quod si predicta bona ad suas et coexecutorum suorum manus perveniant, id quod de bonis hujusmodi superfuerit, deductis legatis et debitis hujusmodi, vobis, nostro et ecclesie predicte nomine, assignabit, deponendum in aliquo religioso loco, prout vobis per hujusmodi nostras litteras duximus

injungendum, ipsum ab hujusmodi excommunicationis sententia mandaremus absolvi. Quocirca mandamus quatinus, si est ita, eundem Alexandrum, facientem quod offert, et alios coexecutores suos predictos, postquam prestiterint similem cautionem, ab eadem excommunicationis sententia, juxta formam ecclesie, absolventes, faciatis eis predicta bona ab ipsorum detentoribus assignari, ac nichilominus debita, in quibus quicumque debitores tenebantur dicto cantori, dum vixit, sine qualibet difficultate persolvi et hujusmodi residuum deponi apud aliquem religiosum locum, juxta earumdem continentiam litterarum. Contradictores etc. Non obstante si —. Datum apud Urbemveterem, v idus decembris, anno III°. »

462 Orvieto, 27 novembre 1263.

Statutum a capitulo ecclesiae s. Gaudentii Novariensis edictum confirmat. (Reg. 28, fol. 19 v°, ann. III, n° 65.)

« .. *preposito et capitulo ecclesie s. Gaudentii Novariensis.* Dignum est ut —. Sane petitio vestra nobis exhibita continebat quod vos deliberatione provida statuistis ut quatuor in ecclesia vestra esse debeant sacerdotes; ita quod, cedente vel decedente aliquo ex eisdem sacerdotibus, loco illius, qui sit presbiter subrogetur, nec loco cedentis vel decedentis possit alius qui non sit sacerdos eligi vel etiam nominari, et sacerdos qui fuerit electus, continuam faciat residentiam in ecclesia memorata; quod nisi fecerit, nichil de prebende sue proventibus assequatur. Nos itaque, vestris supplicationibus inclinati, statutum hujusmodi, sicut est provide factum, ratum et firmum habentes, illud auctoritate apostolica confirmamus etc. usque communimus. Nulli ergo nostre confirmationis etc. Datum apud Urbemveterem, v kalendas decembris, anno tertio. »

463 Orvieto, 5 décembre 1263.

De absolutione excommunicationis Puccii et Dosii, mercatorum Florentinorum, ad ecclesiae mandata redeuntium. (Reg. 28, fol. 19 v°, ann. III, n° 66.)

« .. *abbati s. Genovefe et magistro Johanni de Sermineto, capellano nostro, canonico Parisiensi.* Olim in die Cene Domini proximo preterito etc., ut continetur in littera Giani Bonaguide, mercatoris Florentini, folio quarto primi quaterni, capitulo XIII°, usque constanter, auctore Domino, procedere curaremus. Sane Dosius quondam Albizi, civis et mercator Florentinus, reprobi sensus dampnata studia etc., usque promittens, sub pene trecentarum marcharum sterlingorum, se facturum et curaturum quod Pepus, vocatus *Puccius*, ejus frater, socius et concivis, quondam dicti Albizi filius, mercator Florentinus, ad ecclesie mandata redibit etc., usque sub pena trecentarum marcarum sterlingorum etc., usque amplum sinum, ac predicto Dosio, qui tunc presens aderat etc., usque recipiatis a dicto Pepo, vocato *Puccio*, in partibus Gallie vel Alamannie commorante, de stando super premissis etc., usque : Quibus rite peractis, tam eundem Puccium quam dictum Dosium per omnia loca, in quibus ipsi voluerint etc., usque de bonis ipsorum propriis vel communibus, quatenus contingunt eosdem, habentibus etc., usque compellatis. Datum apud Urbemveterem, nonis decembris, anno III°. »

464 Orvieto, 9 novembre 1263.

Cum Dominico Gometii de Avione, laico Oxomensis diocesis, qui olim cum Maria Michaelis, muliere ejusdem diocesis, esse conjunctam prorsus ignorans illam sibi in quarta consanguinitatis linea, matrimonium conjunxit et ex ea filium suscepit, dispensat, quia et devotus Deo esse dicitur praedictus Dominicus et nimia paupertate gravatur, ut, praedicto filio legitimo nuntiato, in eodem matrimonio remanere possint. (Reg. 28, ann. III, fol. 20, n° 67.)

« *Dominico Gometii de Avione, laico Oxomensis diocesis.* Licet conjunctio copule —. Datum apud Urbemveterem, v idus novembris, anno III°. »

465 Orvieto, 23 décembre 1263.

De absolutione excommunicationis nonnullorum Florentinorum mercatorum, in Provinciae partibus commorantium, ad ecclesiae mandata redeuntium. (Reg. 28, fol. 20, ann. III, n° 68.)

« .. *episcopo et.. sacriste Agathensibus.* Olim in die Cene Domini proximo preterito etc., ut continetur in littera Giani Bonaguide, mercatoris Florentini, folio quarto primi quaterni, capitulo XIII°, usque constanter, auctore Domino, procedere curaremus. Sane Duccius, filius Rogeri Vinciguerre, civis et mercator Florentinus, reprobi sensus dampnata studia etc., usque promittens, sub pena trecentarum marcarum sterlingorum, se facturum et curaturum quod Nerus

et Rusticus, sui fratres, socii et concives, filii dicti Rogeri, ad ecclesie mandata redibunt etc., usque sub pena trecentarum marcarum sterlingorum etc., usque amplum sinum, ac predicto Duccio, qui tunc presens aderat etc., usque recipiatis a predictis Nero et Rustico, in comitatu Provincie commorantibus, de stando super premissis etc., usque : Quibus rite peractis, tam eosdem Nerum et Rusticum quam dictum Duccium per omnia loca in quibus ipsi voluerint, etc., usque de eorum bonis propriis vel communibus, quatenus contingunt eosdem, habentibus etc., usque compellatis. Datum apud Urbemveterem, x kalendas januarii, anno III°. »

466 Orvieto, 4 octobre 1263.

Praedicationem Crucis Waltero, Wigorniensi episcopo, in regno Angliae committit. (Reg. 28, fol. 20, ann. III, n° 69.)

« *Waltero, Wigorniensi episcopo. De predicatione Crucis pro subsidio Terre Sancte.* De summis celorum —. Cum igitur de te, quem habere credimus timorem Domini et amorem, quique, multiplicibus donis virtutum preditus, laudabiliter scis et vales proficere ubi labores impendis, magnam in Domino fiduciam habeamus, sperantes ut, in prosecutione presentis negotii constanter militans, illud efficacibus studiis et plenis debeas affectibus promovere, fraternitatem tuam rogamus et hortamur attente, in remissionem tibi peccaminum injungentes quatinus hujusmodi predicte terre statum Christi fidelibus in regno Anglie, per te vel per alium seu alios ecclesiarum prelatos et clericos, religiosos et seculares, cujuscumque dignitatis vel ordinis fuerint, quos ad hoc ydoneos esse cognoveris, diligenter exponens, eisque proponens sollicite verbum Crucis, ipsos, juxta datam tibi a Domino gratiam, intentis inducas monitis et sedulis predicationibus exhorteris ut, cogitantes prudenter quantum nunc indigeat ipsorum prefata terra succursu, ad subventionem ejus promptis intendant animis et viribus totis exurgant, crucisque suscepto signaculo, illuc, spiritualibus armis et materialibus premuniti, de divina quoque sperantes potentia, cum festinatione procedant, et ut circa id eo libentius et animosius intendant, quo exinde dona spiritualia, temporalibus proculdubio preferenda, perceperint potiora, nos de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, auctoritate confisi, et illa quam nobis Deus, licet indignis, ligandi atque solvendi contulit potestate, omnibus vere penitentibus et confessis, qui hujusmodi laborem in propriis personis subierint et expensis, plenam suorum peccaminum veniam indulgemus. Eis autem qui non in propriis personis illuc accesserint, sed in suis dumtaxat expensis, juxta facultates et qualitates suas, viros ydoneos destinaverint, et illis similiter qui, licet in alienis expensis, in propriis tamen personis accesserint, plenam suorum concedimus veniam peccatorum. Hujusmodi quoque remissionis volumus et concedimus esse participes, juxta quantitatem subsidii et devotionis affectum, omnes qui ad subventionem ipsius terre, de bonis suis aliquam portionem vel alias consilium et auxilium impenderint oportunum. Volumus etiam crucesignatos illo privilegio illaque immunitate gaudere, que in generali crucesignatorum indulgentia continetur. Ut autem commissum tibi hujusmodi ministerium facilius et utilius exequi valeas, tibi et predictis, quos in hoc cooperatores elegeris, convocandi ob id, quotiescumque et ubicumque videris expedire, cleros et populos locorum, in quibus te vel ipsos proponere contigerit verbum Crucis, ut processionaliter cum devotione conveniant et predicationibus vestris intersint; cleros eosdem ad id, si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compellendi, ac pro eisdem predicationibus ferias, prout expedire videris, indicendi, concedendi quoque omnibus vere penitentibus et confessis, qui ad easdem convocationes et predicationes vestras accesserint, centum dierum indulgentiam, plenam concedimus auctoritate presentium potestatem. Non obstantibus si —. Datum apud Urbemveterem, IIII nonas octobris, anno tertio. »

In e. m. . . episcopo Sancti Andree. De summis celorum, etc., ut in superiori usque predicte terre statum christifidelibus in regno Scotie, etc., ut in superiori per totum.

In e. m. . . archiepiscopo Compostellano. De summis celorum, etc., usque predicte terre statum christifidelibus in regnis . . illustris regis Castelle, etc., ut in prima per totum.

In e. m. . . archiepiscopo Bracharensi. De summis celorum, etc., usque predicte terre statum chistifidelibus in regno Portugalie, etc., ut in prima per totum.

In e. m. . . episcopo Pampilonensi. De summis celorum, etc., usque predicte terre statum christifidelibus in regno Navarre, etc., ut in prima per totum.

Orvieto, 23 octobre 1263.

In e. m. . . episcopo Oscensi. De summis celorum, etc., usque predicte terre statum christifidelibus in regno Aragonum, etc., usque mereatur. Datum apud Urbemveterem, x kalendas novembris, anno tertio. »

Orvieto, 4 octobre 1263.

In e. m. .. archiepiscopo Tarentasiensi. De summis celorum, etc., usque predicte terre statum christifidelibus in comitatu Provincie necnon in Lugdunensi, Viennensi, Bisuntina, Tarentasiensi, Ebredunensi, Aquensi et Arelatensi civitatibus, diocesibus et provinciis, etc., usque mereatur. Datum ut in prima.

In e. m. . . archiepiscopo Nidrosiensi. De summis celorum, etc., usque predicte terre statum christifidelibus in Norwagia, etc., usque mereatur. Datum ut in prima.

Orvieto, 12 novembre 1263.

In e. m. . . episcopo Scarensi. De summis celorum, etc., usque predicte terre statum christifidelibus in Suetia, etc., usque mereatur. Datum apud Urbemveterem, II idus novembris, anno tertio.

Orvieto, 4 octobre 1263.

In e. m. . . Arusiensi episcopo. De summis celorum, etc., usque predicte terre statum christifidelibus in Dacia, etc., usque mereatur. Datum ut in prima.

Orvieto, 22 novembre 1263.

In e. m. . . episcopo Wratislaviensi. De summis celorum, etc., usque predicte terre statum christifidelibus in Polonia, etc., usque mereatur. Datum apud Urbemveterem, x kalendas decembris, anno III°.

Orvieto, 12 novembre 1263.

In e. m. . . archepiscopo Strigoniensi. De summis celorum, etc., usque predicte terre statum christifidelibus in regno Ungarie, etc., usque mereatur. Datum apud Urbemveterem, II idus novembris, anno III°.

Orvieto, 4 octobre 1263.

In e. m. . . episcopo Mantuano. De summis celorum, etc., usque predicte terre statum christifidelibus in Lombardia, Marchia Tervisina et Romaniola, etc., usque mereatur. Datum apud Urbemveterem, IIII nonas octobris, anno III°.

In e. m. . . episcopo Senensi. De summis celorum, etc., usque predicte terre statum christifidelibus in Tuscia, etc.

467 Orvieto, 23 octobre 1263.

Privilegia, indulgentias et immunitates, quae in concilio generali Lateranensi ab Innocentio papa III crucesignatis concessa sunt, innovat et observari mandat. (Reg. 28, fol. 21, ann. III, n° 70.)

« *Universis archiepiscopis ac dilectis filiis fratribus Predicatorum et Minorum ordinum, ceterisque executoribus per diversa christiana regna mundi ad Crucis negotium, pro Terre Sancte subventione, a sede apostolica deputatis et in posterum deputandis.* Cum negotium Crucis, pro Terre Sancte subsidio, vobis per diversas nostras sub certis formis litteras per diversa christiana regna mundi duxerimus committendum, faciendi observari per vos vel per alium seu alios, circa crucesignatos et crucesignandos, privilegia et indulgentias et immunitates, que ipsis in generali concilio sunt concessa, et contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendi, vobis plenam auctoritate presentium concedimus facultatem. Tenorem autem hujusmodi privilegiorum, indulgentiarum et immunitatum, sumptum ex regesto felicis recordationis Innocentii pape III, predecessoris nostri, presentibus inseri fecimus, qui talis est :

« Ad liberandam Terram Sanctam de manibus impiorum ardenti desiderio aspirantes —. » Et infra : « Sacerdotes autem et alii clerici, qui fuerint in exercitu Christiano, tam subditi quam praelati, orationi et exhortationi diligenter insistant, docentes eos, verbo pariter et exemplo, et timorem et amorem semper habeant divinum ante oculos, ne quid dicant aut faciant quod divinam majestatem offenda(n)t; et si aliquando lapsi fuerint in peccatum, per veram penitentiam mox resurgant, gerentes humilitatem cordis et corporis, et tam in victu quam in vestitu, mediocritatem servantes, dissensiones et emulationes omnino vitando, rancore ac livore a se penitus relegatis, ut sic spiritualibus et materialibus armis muniti, adversus hostes fidei securius prelientur, non de sua presumentes potentia, sed de divina virtute sperantes. Ipsis autem clericis indulgemus ut beneficia sua integre percipiant per triennium ac si essent in ecclesiis residentes, et si necesse fuerit, ea per idem tempus pignori valeant obligare. Ne igitur hoc sanctum propositum impediri vel retardari contingat, universis ecclesiarum prelatis

districte precipimus ut singuli per loca illos, qui signum crucis deposuerint, resumere, ac tam ipsos quam alios crucesignatos et quos adhuc cruce signari contigerit, ad reddendum Domino vota sua diligenter moneant et inducant, et si necesse fuerit, per excommunicationis in personas et interdicti sententias in terras ipsorum, omni tergiversatione cessante, compellant, illis duntaxat exceptis quibus tale impedimentum occurreret, propter quod, secundum sedis apostolice providentiam, votum eorum commutari merito debeat vel differri. Ad hec, ne quid in negotio Jesu Christi de contingentibus omittatur, volumus et mandamus ut patriarche, archiepiscopi, episcopi, abbates, et alii qui curam obtinent animarum, studiose proponant commissis populis verbum Crucis, obsecrantes per Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, unum, solum, verum, eternum Deum, reges, duces, principes, marchiones, comites et barones aliosque magnates, nec non et communia civitatum, villarum et oppidorum, ut qui personaliter non accesserint in subsidium Terre Sancte, competentem conferant numerum bellatorum, cum expensis ad triennium necessariis, secundum proprias facultates, in remissionem peccatorum suorum, prout in generalibus litteris est expressum et ad majorem cautelam, etiam inferius exprimetur, cujus remissionis volumus esse participes non solum eos, qui ad hoc naves proprias exhibebunt, sed illos qui, propter hoc opus, naves studuerint fabricare. Renuentibus autem, si qui forte tam ingrati fuerint Domino Deo nostro, ex parte apostolica firmiter protestetur, ut sciant se super hoc nobis in novissimo districti examinis die coram tremendo judice responsuros; prius tamen considerantes qua conscientia, quave securitate comparere poterunt coram unigenito Dei filio Jesu Christo, cui omnia dedit pater in manus, si ei pro peccatoribus crucifixo servire renuerint in hoc negotio quasi proprie sibi proprio, cujus munere vivunt, cujus beneficio sustentantur, quin etiam cujus sanguine sunt redempti. »

Et infra :

« Sane, quia justo judicio celestis imperatoris obsequiis inherentes speciali decet prerògativa gaudere, cum tempus proficiscendi annum excedat in modico, crucesignati a collectis vel talliis aliisque gravaminibus sint immunes; quorum personas et bona, post crucem assumptam, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, ut sub archiepiscoporum et episcoporum ac omnium prelatorum ecclesie Dei defensione consistant, propriis ad hoc protectoribus nichilominus specialiter deputandis, ita ut, donec de ipsorum obitu vel reditu certissime cognoscatur, integra maneant et quieta. Et si quispiam contra presumpserit, censura ecclesiastica compescatur. Si qui vero proficiscentium illuc ad prestandas usuras juramento teneantur astricti, creditores eorum ut remittant eis prestitum juramentum, et ab usurarum exactione desistant, eadem precipimus districtione compelli. Quod si quisquam creditorum eos ad solutionem coegerit usurarum, eum ad restitutionem eorum (*sic*) simili cogi animadversione mandamus. Judeos vero ad remittendas usuras per secularem compelli precipimus potestatem, et donec illas remiserint, ab universis Christi fidelibus per excommunicationis sententiam eis omnino communio denegetur. Iiis autem, qui Judeis debita solvere nequeunt in presenti, sic principes seculares utili dilatione provideant, quod post iter arreptum, usquequo de ipsorum obitu vel reditu certissime cognoscatur, usurarum incommoda non incurrant, compulsis Judeis proventus pignorum, quos interim ibi perceperint, in sortem, expensis deductis necessariis, computare, cum hujusmodi beneficium non multum videatur habere dispendii, quia solutionem sic prorogat, quod debitum non absorbet. Porro ecclesiarum prelati, qui in exhibenda justitia crucesignatis et eorum familiis negligentes extiterint, sciant se graviter puniendos. Ceterum, quia cursarii et pirate nimis impediunt subsidium Terre Sancte, capiendo et spoliando transeuntes ad illam et redeuntes ab ipsa, nos eos et principales adjutores et fautores eorum excommunicationis vinculo innodamus, sub interminatione anathematis inhibentes ne qui cum eis scienter communicet in aliquo venditionis vel emptionis contractu, et injungentes rectoribus civitatum et locorum suorum, ut eos ab hac iniquitate revocent et compescant. Alioquin, quia nolle perturbare perversos nichil est aliud quam fovere, nec caret scrupulo societatis occulte, qui manifesto facinori desinit obviare, in personas et terras eorum per ecclesiarum prelatos severitatem ecclesiasticam volumus et precipimus exerceri. Excommunicamus preterea et anathematizamus illos falsos et impios christianos, qui contra ipsum Christum et populum christianum Sarracenis arma, ferrum et lignamina deferunt galearum; eos etiam qui galeas eis vendunt vel naves, quique in piraticis Sarracenorum navibus curam gubernationis exercent, vel in machinis aut quibuslibet aliis aliquod eis impendunt consilium vel auxilium, in dispendium Terre Sancte, ipsosque rerum suarum privatione mulctari et capientium servos fore censemus, precipientes ut per omnes urbes maritimas, diebus dominicis et festivis, hujus-

modi sententia innovetur, et talibus gremium non aperiatur ecclesie, nisi totum quod commercio tam damnato perceperint, et tantumdem de suo, in subsidium predicte Terre, transmiserint, ut equo judicio in quo deliquerint, puniantur. Quod si forte solvendo non fuerint, sic alias reatus talium castigetur, quod in pena ipsorum aliis interdicatur audacia similia presumendi. Prohibemus insuper omnibus Christianis et sub anathemate interdicimus ne in terras Sarracenorum, qui partes Orientales inhabitant, usque ad quadriennium, transmittant aut transvehant naves suas, ut per hoc volentibus transfretare in subsidium Terre Sancte, major navigii copia preparetur et Sarracenis predictis subtrahatur auxilium, quod eis consuevit ex hoc non modicum provenire. Nos ergo de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli auctoritate confisi, et ex illa, quam nobis, licet indignis, Deus ligandi atque solvendi contulit potestate, omnibus qui laborem istum in personis propriis subierint et expensis, plenam suorum peccaminum, de quibus veraciter fuerint corde contriti et confessi, veniam indulgemus et, in retributione justorum, salutis eterne pollicemur augmentum. Eis autem qui non in personis propriis illuc accesserint, sed in suis dumtaxat expensis, juxta facultatem et qualitatem suam, viros ydoneos destinaverint, et illis similiter qui, licet in alienis expensis, in propriis tamen personis accesserint, plenam concedimus suorum veniam peccatorum. Hujus quoque remissionis volumus et concedimus esse participes, juxta qualitatem subsidii et devotionis affectum, omnes qui ad subventionem ipsius Terre, de bonis suis congrue ministrabunt, aut circa predicta consilium et auxilium impenderint oportunum. Omnibus etiam pie proficientibus in hoc opere, sancta et universalis synodus orationum et beneficiorum suorum suffragium impertitur, ut eis digne proficiat ad salutem. Datum Laterani, XVIII kalendas januarii, pontificatus nostri anno octavo decimo. »

Datum apud Urbemveterem, X kalendas novembris, anno III°. »

In e. m. scriptum est prefatis archiepiscopis, episcopis et aliis, in singulis regnis et provinciis christianis. »

468 Orvieto, 3 octobre 1263.

De praedicatione Crucis certisque pecuniis in subventionem Terrae Sanctae colligendis. (Reg. 28, fol. 22, ann. III, n° 71.)

« *Waltero, Wigorniensi episcopo.* Inter occupationes multiplices et immensas, quibus assidue angimur et distrahimur supra vires, de subsidio Terre Sancte vehementer cogitantes, ad hoc attenta sollicitudine et attentione sollicita instantius vigilamus ut ejusdem terre succursui oportuno provideatur remedio et Crucis ac Crucifixi negotium, auctore Domino, feliciter dirigatur. Nam, licet nonnulli predecessores nostri, Romani pontifices, grandis ad hoc diligentie studio ferventer institerint, nos tamen, qui statum illius terre presentialiter novimus quique ipsius discrimina experientia palpavimus manuali, eo affectuosius cupimus eidem terre celeri et efficaci subsidio subveniri, quo terra eadem in graviori est, hoc tempore, necessitatis articulo constituta. Cum igitur nos centesimam omnium ecclesiasticorum proventuum regni Anglie, usque ad quinquennium, eidem terre, de fratrum nostrorum consilio, duxerimus concedendam, fraternitati tue mandamus quatinus, hujusmodi centesimam annuatim, usque ad predictum quinquennium, per te vel per alium seu alios integre colligens, quicquid collectum fuerit, nuntiis ejusdem terre vel eorum procuratoribus seu alterius eorumdem, absque diminutione qualibet, assignare procures, per eos in dicte terre subsidium convertendum. Contradictores autem —. Non obstante si —. Omnes autem de regno predicto clericos et laicos, cujuscumque condicionis, ordinis et dignitatis existant, qui olim, pro dicte terre subsidio, Crucis signaculum assumpserunt et motu proprio deposuerunt assumptum, voto hujusmodi minime adimpleto, ut illud cum devotione resumant; illos etiam qui assumptum non deposuerunt, et qui ipsum assument deinceps, ut se sic studeant preparare, quod personaliter se conferant in succursum terre predicte, et quod interim hujusmodi crucis signaculum publice deferant, moneas efficaciter et inducas, eos ad redimendum vota sua vel ad transfretandum, censura simili, appellatione postposita, coercendo. Verum quia, sicut accepimus, nonnulli executores plerisque personis et locis ecclesiasticis, regularibus et secularibus, exemptis et non exemptis, ejusdem regni a memorata sede concessi, super quibusdam concessionibus de redemptionibus votorum crucesignatorum necnon de legatis, datis, obventionibus, relictis subventioni terre predicte, ac aliis deputatis ad subventionem eandem, in premisso regno per nos et predecessores nostros, Romanos pontifices, seu alios de

mandato sedis predicte factis, modum in colligendis predictis excedant aliasque in talibus pernitiose versentur; nos, nolentes ista sub dissimulatione transire, ne in grave (quod absit) vergant ejusdem terre, per subtractionem vel diminutionem prefati subsidii, detrimentum, volumus ut in predicto regno, omnibus executoribus eisdem personis et locis deputatis a predicta sede super hujusmodi concessionibus, ex parte nostra firmiter inhibere procures, ne quoquomodo ad colligenda premissa procedant, eos, si contra tuam inhibitionem procedere forte presumpserint, a presumptione hujusmodi per eandem censuram, appellatione postposita, compescendo. Et nichilominus qua auctoritate quibusque personis et locis, sub qua forma et in qua quantitate fuerint predicta concessa, et que et quot et in quibus locis ab eisdem executoribus fuerint collecta per eos diligentius inquirens, ea nobis per tuas litteras studeas fideliter intimare. Nos enim concessiones predictas aliquem vigorem habere ac illarum pretextu quicquam percipi nolumus, donec per tuam insinuationem sciamus super premissis plenius veritatem, ac de hiis, prout expediens fore viderimus, disponamus. Tu autem interim redemptiones, legata, relicta, data et obventiones hujusmodi per te vel per alium seu alios, quos ad hoc ydoneos esse cognoveris, integre colligens, quicquid de hiis collectum fuerit, nuntiis dicte terre vel eorum procuratoribus seu alterius eorumdem, convertendum in ipsius terre subsidium, assignare totaliter non omittas. Omnes etiam crucesignatos et crucesignandos pro dicte terre subsidio, quos sub nostra et apostolice sedis protectione suscipimus, non permittas per te vel per alium seu alios, contra immunitates et privilegia crucesignatis ab eadem sede concessa, ab aliquibus indebite molestari, molestatores hujusmodi per eandem censuram, sublato cujuslibet appellationis obstaculo, compescendo.

Ad hec, cum predicatio Crucis in memorato regno, pro ejusdem terre succursu, tibi per alias sub certa forma litteras sit commissa, nos volentes ut negotium eo efficacius prosequaris, quo majori per nos fueris auctoritate munitus, injungendi libere per te vel per alium seu alios omnibus predicatoribus et executoribus Crucis ecclesiasticis, secularibus et religiosis, pro Terre Sancte subsidio in dicto regno a sede apostolica deputatis aut in posterum deputandis, ut in omnibus, que promotioni dicti negotii expedire cognoveris, tibi assistant, obediant, pareant et intendant; assumendi etiam aliquos ecclesiarum prelatos aliosque religiosos et seculares ejusdem regni, de quibus expedire videris, ut in hiis, que spectant ad ipsius negotii promotionem, tibi assistant, intendant et obediant, et tam predicatores et executores predictos quam prelatos aliosque religiosos et seculares hujusmodi ad hec, si necesse fuerit, auctoritate nostra, appellatione remota, cogendi; faciendi etiam quinque clericis qui tecum in ipso negotio laborabunt, beneficiorum, prebendarum et ecclesiarum suarum proventus per te vel per alium seu alios, cotidianis distributionibus dumtaxat exceptis, integre ministrari, ac si in ecclesiis, quas seu in quibus ea obtinent, personaliter residerent, et contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendi, consuetudinibus vel statutis contrariis ecclesiarum ipsarum juramento, confirmatione apostolica vel quacumque alia firmitate vallatis, nequaquam obstantibus, libera sit tibi de nostra permissione facultas.

Presentium quoque auctoritate concedimus ut predicatores Crucis, quos ad id duxeris deputandos, ne hujusmodi eorum predicationibus impedimentum vel aliquod obstaculum ingeratur, questuariis universis et aliis quibuslibet predicare volentibus, proponendi aliquid populo, dum ab ipsis predicatoribus Crucis negotium proponetur, licentiam interdicere valeant, ac compescere per censuram ecclesiasticam, sublato cujuslibet appellationis obstaculo, temeritatem eorum qui secus duxerint presumendum. Concedimus insuper tibi ut, cum ad aliquam villam vel ecclesiam regni predicti ecclesiastico interdicto suppositam, te declinare contigerit, possis interdictum hujusmodi suspendere, ac divina officia, dum ibidem moram traxeris, in eadem ecclesia, propter Crucis predicationem, exclusis excommunicatis et hiis qui causam interdicto dederint, celebrare ac facere celebrari. Et cum ad loca interdicta te declinare contigerit, crucesignatis et crucesignandis, dummodo excommunicati non fuerint nec causam dederint interdicto, audiendi, te presente, divina officia in illis ecclesiis in quibus possunt ex privilegiis sedis apostolice tunc temporis celebrari, licentiam valeas impertiri. Preterea absolvendi, per te vel per alium seu alios, eos qui contra prohibitionem predicte sedis vel legatorum ejus, sepulchrum Dominicum visitarunt, ac illos qui portaverunt [1] ferrum, arma, lignamina et merces prohibitas Sarracenis, vel alias contra christianos dederunt eis consilium, auxilium vel favorem; quoslibet etiam clericos in prelaturis, dignitatibus vel personatibus constitutos, necnon presbyteros qui, contra constitutionem ecclesie, leges vel physicam audiverunt, ab excommunicationum

1. Ce mot est ajouté en marge.

sententiis, quibus propter hoc tenentur astricti, et dispensandi cum illis qui excommunicati vel suspensi, alias inmiscentes se divinis, irregularitatem aliquam incurrerunt, dum tamen crucesignati existant vel crucem recipiant et in dicte terre subsidium personaliter transfretent, seu in propriis expensis alios illuc pro se ydoneos dirigant bellatores aut alias partem de bonis suis prefato subsidio congrue, juxta tue et illorum, quibus hoc commiseris, discretionis arbitrium, sumministrent; absolvendi quoque per te vel per alium seu alios, quos ad hoc ydoneos esse cognoveris, a voto Crucis omnes crucesignatos hactenus in subsidium terre predicte et crucesignandos deinceps, qui propter suorum infirmitatem aut debilitatem corporum, inhabiles vel impotentes fuerint ad pugnandum vel transfretandum se in ipsius terre succursum, dummodo secundum proprias facultates velint redimere vota sua; commutandi quoque per te vel per alium seu alios hujusmodi votum Crucis, vota peregrinationis et abstinentie illorum qui pro dicto subsidio signum Crucis assumpserint, et dispensandi cum quinquaginta clericis ejusdem regni, defectum natalium patientibus, dummodo non sint de adulterio vel incestu aut de regularibus procreati nec paterne incontinentie imitatores, sed bone conversationis et vite aliasque eis merita suffragentur ad dispensationis gratiam obtinendam, qui, signo crucis assumpto, transfretaverint personaliter in dicte terre subsidium vel illuc bellatores ydoneos destinaverint aut alias partem de bonis suis predicto subsidio congrue, juxta tue discretionis arbitrium, ministrabunt, quod quilibet eorum, hujusmodi non obstante defectu, possit ad omnes ordines promoveri et ecclesiasticum beneficium obtinere, etiam si curam habeat animarum; absolvendi insuper, durante commisso tibi hujusmodi Crucis negotio, per te vel per alium seu alios ydoneos, juxta formam ecclesie, omnes illos quos, pro violenta injectione manuum in viros religiosos et clericos seculares vel etiam pro incendio, incidisse compereris in canonem sententie promulgate, dummodo injurias et dampna passis satisfaciant competenter, et non sit adeo gravis et enormis excessus, quod propter hoc sit merito sedes apostolica requirenda, ac de mandato tuo vel illorum, quos ad hoc duxeris deputandos, signum Crucis receperint in subsidium dicte terre, ituri personaliter vel missuri illuc ydoneos bellatores aut alias partem de bonis suis congrue, juxta tue et illorum, quibus hoc commiseris, pro hujusmodi subsidio, discretionis arbitrium, ministrabunt, et dispensandi cum clericis hujusmodi ligatis sententiis qui se immiscuere divinis, ac injungendi eis penitentiam salutarem; absolvendi etiam ab excommunicationis vinculo, juxta formam ecclesie, illos qui pro violenta injectione manuum et incendiis, in promulgate sententie canonem inciderunt, et pro quorum gravi et enormi excessu sedes foret merito requirenda predicta, dummodo injurias et dampna satisfaciant competenter, et tales, Crucis assumpto signaculo, ad mandatum tuum in subsidium dicte terre se duxerint personaliter transferendos, plenam et liberam concedimus auctoritate presentium facultatem. Nichilominus concedentes ut clerici et laici regni predicti, crucesignati et crucesignandi, decimas non ecclesiarum ratione pacifice detinentes, fructus earum perceptos hactenus, in dicte terre subsidium convertere valeant per se ipsos, vel tibi aut illis, quibus hoc specialiter commiseris, secura conscientia exhibere; liberumque sit tibi dimittendi per te vel per alium seu alios clericis et laicis eisdem quintam partem decimarum hujusmodi perceptarum hactenus, ita quod ad aliam restitutionem earum minime teneantur, sed exinde remaneant penitus absoluti, dummodo decimas easdem ecclesiis ad quas spectare noscuntur, duxerint libere in posterum dimittendas. Ceterum volumus ut premissa omnia et singula exequi libere valeas, non obstante si —. Datum apud Urbemveterem, v nonas octobris, anno tertio. »

In e. m. . episcopo Sancti Andree. Inter occupationes, etc., usque proventuum regni Scotie, etc., ut in superiori per totum.

In e. m. . . episcopo Menevensi. Inter occupationes, etc., usque proventuum totius Wallie, etc., ut in prima per totum.

In e. m. . . archiepiscopo Compostellano. Inter occupationes, etc., usque proventuum regnorum . . illustris regis Castelle, etc., ut in prima.

In e. m. . . archiepiscopo Bracharensi. Inter occupationes, etc., usque proventuum regni Portugalie, etc., ut in prima per totum.

In e. m. . . episcopo Pampilonensi. Inter occupationes, etc., usque proventuum regni Navarre, etc., ut in prima per totum.

In e. m. . . episcopo Oscensi. Inter occupationes, etc., usque proventuum regni Aragonum, etc., ut in prima per totum.

In e. m. . . archiepiscopo Tarentasiensi. Inter occupationes, etc., usque proventuum comitatus Provincie necnon Lugdunensis, Viennensis, Bisuntine, Tarentasiensis, Ebredunensis, Aquensis et Arelatensis civi-

tatum, diocesium et provinciarum, etc., ut in prima per totum.

In e. m. . . archiepiscopo, Nidrosiensi. Inter occupationes usque proventuum totius Norwagie, etc., ut in prima per totum.

In e. m . . episcopo Scarensi. Inter occupationes, etc., usque proventuum totius Suetie, etc., ut in prima per totum.

In e. m. . . Arusiensi episcopo. Inter occupationes, etc., usque proventuum totius Dacie, etc., ut in prima per totum.

In e. m . . Wratislaviensi episcopo. Inter occupationes, etc., usque proventuum totius Polonie, etc , ut in prima per totum.

In e. m. . . archiepiscopo Strigoniensi. Inter occupationes, etc., usque proventuum regni Ungarie, etc., ut in prima per totum.

In e. m. . . episcopo Mantuano. Inter occupationes, etc., usque proventuum totius Lombardie, Marchie Tervisine et Romaniole, etc., usque duxerint presumendum. Preterea absolvendi, etc., ut in prima per totum.

In e. m. . . episcopo Senensi. Inter occupationes, etc., usque proventuum totius Tuscie, etc., usque duxerint presumendum. Preterea absolvendi, etc., ut in prima per totum.

469 Orvieto, 23 octobre 1263.

Indulgentia peccatorum universis et singulis verbi Crucis praedicatoribus conceditur. (Reg. 28, fol. 23 v°, ann. III, n° 72.)

« *Universis predicatoribus verbi Crucis pro Terre Sancte subsidio ac executoribus negotii ejusdem Crucis.* Volentes labores vestros, quos pro Terre Sancte subsidio prompta voluntate subitis, spiritualibus premiis compensare, vobis universis et singulis propter hoc per annum in predicto negotio laborantibus, illam vestrorum, de quibus fueritis corde contriti et ore confessi, concedimus veniam peccatorum, illoque volumus privilegio eaque immunitate gaudere, que ad dicte terre subsidium personaliter tran[s]fretantibus in generali concilio sunt concessa. Nulli ergo nostre concessionis etc. Datum apud Urbemveterem, x kalendas novembris, anno tertio. »

In e. m. scriptum est eisdem in singulis regnis et provinciis christianis.

470 Orvieto, 23 octobre 1263.

Ne crucesignati per litteras apostolicas in causam trahi extra suas dioceses possint. (Reg. 28, fol. 23 v°, ann. III, n° 73.)

« .. *episcopo Sancti Andree.* Volentes omnes crucesignatos et crucesignandos in regno Scotie pro subsidio Terre Sancte singularis privilegii prerogativa gaudere, crucesignatis et crucesignandis hujusmodi, ut per litteras apostolice sedis vel legatorum ejus impetratas hactenus, quarum non sit auctoritate processum, et impetrandas in posterum, nisi dicte sedis littere impetrande plenam et expressam fecerint de presentibus mentionem, extra dioceses, in quibus ipsi et eorum bona consistunt, in causam trahi vel ad judicium evocari non possint, dummodo parati sint coram eorum ordinariis de se querelantibus exhibere justicie complementum, auctoritate presentium indulgemus. Nulli ergo nostre concessionis etc. Datum apud Urbemveterem, x kalendas novembris, anno III°. »

Orvieto, 15 octobre 1263.

In e. m. . . episcopo Menevensi. Volentes omnes crucesignatos et crucesignandos in Wallia, etc., ut in proxima superiori usque : Datum apud Urbemveterem, idus octobris, anno tercio.

Orvieto, 21 octobre 1263.

In e. m. . . episcopo Pampilonensi. Volentes omnes crucesignatos et crucesignandos regni Navarre, etc., ut in prima usque : Datum apud Urbemveterem, xii kalendas novembris, anno III°.

Orvieto, 15 octobre 1263.

In e. m. . . episcopo Oscensi. Volentes omnes crucesignatos et crucesignandos regni Aragonum, etc., ut in prima. Datum apud Urbemveterem, idus octobris, anno III°.

Orvieto, 21 octobre 1263.

In e. m. . . archiepiscopo Tarentasiensi. Volentes omnes crucesignatos et crucesignandos in comitatu Provincie, necnon in Lugdunensi, Viennensi, Bisuntina, Tarentasiensi, Aquensi et Arelatensi civitatibus, diocesibus et provinciis, etc., ut in prima usque : Datum apud Urbemveterem, xii kalendas novembris, anno III°.

Orvieto, 23 octobre 1263.

In e. m. . . archiepiscopo Nidrosiensi. Volentes omnes crucesignatos et crucesignandos in Norwagia, etc.,

ut in prima usque : Datum apud Urbemveterem, x kalendas novembris, anno tertio.

Orvieto, 15 octobre 1263.

In e. m. . . episcopo Scarensi. Volentes omnes crucesignatos et crucesignandos in Suetia, etc., ut in prima usque : Datum apud Urbemveterem, idus octobris, anno III°.

Orvieto, 1er octobre 1263.

In e. m. . . episcopo Arusiensi. Volentes omnes crucesignatos et crucesignandos in Dacia, etc., ut in prima usque : Datum apud Urbemveterem, kalendis octobris, anno tertio.

Orvieto, 1er novembre 1263.

In e. m. . . episcopo Wratislaviensi. Volentes omnes crucesignatos et crucesignandos in Polonia, etc., ut in prima usque : Datum apud Urbemveterem, kalendis novembris, anno tertio.

Orvieto, 15 octobre 1263.

In e. m . . archiepiscopo Strigoniensi. Volentes omnes crucesignatos et crucesignandos in regno Ungarie, etc., ut in prima usque : Datum apud Urbemveterem, idus octobris, anno III°.

471 Orvieto, 23 octobre 1263.

Episcopis et ceteris ecclesiarum praelatis per regnum Scotiae constitutis, nuntiat se episcopo S. Andreae negotium Crucis in eodem regno commisisse, eosque rogat ut ei auxilium et favorem impendant. (Reg. 28, fol. 24, ann. III, n° 74.)

« *Episcopis ac dilectis filiis ceteris ecclesiarum prelatis per regnum Scotie constitutis.* Terram Sanctam, quam unigenitus Dei filius, Dominus Jesus Christus, in proprium sibi patrimonium et hereditatem elegit, conspicientes feritate diversorum infidelium immaniter lacerari, vias et modos desideranter exquirimus, quibus eidem terre possint oportuna presidia nostro ministerio provenire. Quare, de venerabili fratre nostro.., episcopo Sancti Andree, quem Dei timorem habere credimus et amorem, quique, multiplicibus donis virtutum preditus, utiliter scit et valet ubi labores impendit, plenam in Domino fiduciam obtinentes, predicationem Crucis pro dicte terre subsidio in regno Scotie sibi per nostras litteras sub certa forma duximus committendam, cupientes ut negotium ipsum in manibus ejus eo plenius, divina clementia faciente, proficiat, quo magis insidet cordi nostro et quo majorem necessitatem ad presens eidem terre novimus imminere. Ideoque universitatem vestram rogamus et hortamur attente, vobis nichilominus in remissionem peccatorum injungentes quatinus prefato episcopo et aliis, quos in hoc ipse cooperatores elegerit, circa ipsius negotii prosecutionem ferventer assistere studeatis, habentes ipsum episcopum, immo potius nos in ipso, tamquam nobis intimum, in ejusdem prosecutione negotii favorabiliter in Domino commendatum, ita quod devotionem vestram commendare cum gratiarum actionibus merito valeamus, ac nichilominus exinde divine retributionis vobis proveniat incrementum. Datum apud Urbemveterem, x kalendas novembris, anno tertio. »

Orvieto, 15 octobre 1263.

In e. m. archiepiscopis et episcopis ac ceteris ecclesiarum prelatis per Walliam constitutis. Terram sanctam, etc., usque de venerabili fratre nostro episcopo Menevensi, etc., usque subsidio in Wallia, etc., usque incrementum. Datum apud Urbemveterem, idus octobris, anno III°.

In e. m. archiepiscopis et episcopis ac ceteris ecclesiarum prelatis per regnum Navarre constitutis. Terram sanctam, etc., usque de venerabili fratre nostro episcopo Pampilonensi, etc., usque subsidio in regno Navarre, etc., usque incrementum. Datum apud Urbem[veterem], idus octobris, anno III°.

Orvieto, 21 octobre 1263.

In e. m. archiepiscopis et episcopis ac ceteris ecclesiarum prelatis per regnum Aragonum constitutis. Terram sanctam, etc., usque de venerabili fratre nostro episcopo Oscensi, etc., usque subsidio in regno Aragonum, etc., usque incrementum. Datum apud Urbemveterem, xii kalendas novembris, anno III°.

In e. m. archiepiscopis et episcopis ac ceteris ecclesiarum prelatis per comitatum Provincie, necnon per Lugdunensem, Viennensem, Bisuntinam, Tarantasiensem, Ebredunensem, Aquensem et Arelatensem civitates et dioceses ac provincias constitutis. Terram sanctam, etc., usque de venerabili fratre nostro archiepiscopo Tarantasiensi, etc., usque subsidio in comitatu, civitatibus et diocesibus ac provinciis supradictis. Datum apud Urbemveterem, xii kalendas novembris, anno III°.

In e. m. archiepiscopis et episcopis ac ceteris, etc., per regnum Norwagie constitutis. Terram sanctam, etc., usque de venerabili fratre nostro .. archiepiscopo Nidrosiensi, etc., usque subsidio in regno Norwagie, etc., usque incrementum. Datum apud Urbemveterem, VII kalendas novembris, anno III°.

Orvieto, 13 novembre 1263.

In e. m. archiepiscopis et episcopis ac ceteris ecclesiarum prelatis per Suetiam constitutis. Terram sanctam, etc., usque de venerabili fratre nostro . . episcopo Scarensi, etc., usque subsidio in Suetia, etc., usque incrementum. Datum apud Urbemveterem, idus novembris, anno III°.

Orvieto, 21 octobre 1263.

In e. m. archiepiscopis et episcopis ac ceteris ecclesiarum prelatis per Poloniam constitutis. Terram sanctam, etc., usque de venerabili fratre nostro . . episcopo Wratislaviensi, etc., usque subsidio in Polonia, etc , usque incrementum. Datum apud Urbemveterem, XII kalendas novembris, anno III°.

Orvieto, 13 novembre 1263.

In e. m. archiepiscopis et episcopis ac ceteris ecclesiarum prelatis per Ungariam constitutis. Terram sanctam, etc., usque de venerabili fratre nostro . . archiepiscopo Strigoniensi, etc., usque subsidio in Ungaria, etc., usque incrementum. Datum apud Urbemveterem, idus novembris, anno III°.

Orvieto, 10 novembre 1263.

In e. m. archiepiscopis et episcopis ac ceteris ecclesiarum prelatis per Lombardiam, Marchiam Tervisinam et Romaniolam constitutis. Terram sanctam, etc., usque de venerabili fratre nostro . . episcopo Mantuano, etc., usque subsidio in Lombardia, Marchia Tervisina et Romaniola, etc., usque incrementum. Datum apud Urbemveterem, IIII idus novembris, anno III°.

In e. m. archiepiscopis et episcopis ac ceteris ecclesiarum prelatis per Tusciam constitutis. Terram sanctam, etc., usque de venerabili fratre nostro . . episcopo Senensi, etc., usque subsidio in Tuscia, etc., usque incrementum. »

472 Orvieto, 1er octobre 1263.

Infrascriptis mandat ut Waltero, episcopo Wigorniensi, cui in regno Angliae negotium Crucis commissum est, extra suam civitatem et diocesim pro se et comitiva liberaliter providere procurent. (REG. 28, fol. 24, ann. III, n° 75.)

« *Universis patriarchis, archiepiscopis et episcopis, ac dilectis filiis electis, abbatibus, prioribus, capitulis, conventibus et collegiis s. Benedicti vel cujuslibet alterius ordinis, necnon decanis, archidiaconis, prepositis, archipresbyteris et aliis ecclesiarum prelatis, ac preceptoribus seu administratoribus domorum Hospitalis et Templi ac s. Marie Theutonicorum, exemptis et non exemptis, ad quos littere iste pervenerint.* Cum negotium Terre Sancte venerabili fratri nostro Waltero, Wigorniensi episcopo, viro utique probate fidei et examinate virtutis, in regno Anglie, de fratrum nostrorum consilio duxerimus specialiter committendum, universitatem vestram monemus, rogamus et hortamur attente, per apostolica vobis scripta districte precipiendo mandantes quatinus ipsum, immo potius nos in eo, ob reverentiam apostolice sedis et nostram, in eundo, morando et redeundo suscipientes honore condigno, sibi extra suam civitatem et diocesim personaliter in predicto negotio laboranti, pro se, sexdecim equitaturis et vigintiquinque personis in necessariis necnon in securo conductum providere curetis liberaliter et decenter; ita quod idem, quem nos et dicti fratres, sue probitatis exigentibus meritis, carum habemus multipliciter et acceptum, cum ad presentiam nostram, Deo dante, redierit, laudabile possit vestre promptitudini testimonium perhibere ac nos exinde reddere in vestris utilitatibus promptiores. Alioquin, sententias, quas ipse per se vel per alios rite tulerit in rebelles, ratas habebimus easque faciemus etc., usque observari. Non obstantibus —. Datum apud Urbemveterem, kalendis octobris, anno tertio. »

Orvieto, 1er octobre 1263.

In e. m. universis patriarchis, etc. Cum negotium Terre Sancte venerabili fratri nostro . . episcopo Sancti Andree, etc., usque regno Scotie, etc., usque laboranti pro se, decem equitaturis et quindecim personis, etc., usque exhibendis.

In e. m. universis patriarchis, etc. Cum negotium Terre Sancte venerabili fratri nostro . . episcopo Menevensi, etc., usque in Wallia, etc., usque laboranti pro se, decem equitaturis et quindecim personis, etc., usque exhibendis.

In e. m. universis patriarchis, etc. Cum negotium Terre Sancte venerabili fratri nostro . . archiepiscopo Compostellano, etc., usque in regnis . . illustris regis

Castelle, etc., usque laboranti, pro se, sexdecim equitaturis et vigintiquinque personis, etc., usque exhibendis.

In e. m. universis patriarchis, etc. Cum negotium Terre Sancte venerabili fratri nostro . . archiepiscopo Bracharensi, etc., usque in regno Portugalie, etc., usque laboranti, pro se, sexdecim equitaturis et vigintiquinque personis, etc., usque exhibendis. Datum apud Urbemveterem, kalendis octobris, anno tertio.

In e. m. universis patriarchis, etc. Cum negotium Terre Sancte venerabili fratri nostro . . episcopo Pampilonensi, etc., usque in regno Navarre, etc., usque laboranti, pro se, decem equitaturis et quindecim personis, etc., usque exhibendis. Datum ut supra.

In e. m. universis patriarchis, etc. Cum negotium Terre Sancte venerabili fratri nostro . . episcopo Oscensi, etc., usque in regno Aragonum, etc., usque laboranti, pro se, duodecim equitaturis et decem et octo personis, etc., usque exhibendis. Datum ut supra.

In e. m. universis patriarchis, etc. Cum negotium Terre Sancte venerabili fratri nostro . . archiepiscopo Tarantasiensi, etc., usque in comitatu Provincie necnon in Lugdunensi Viennensi, Bisuntina, Tarentasiensi, Ebredunensi, Aquensi et Arelatensi civitatibus et diocesibus et provinciis, etc., usque laboranti, pro se, duodecim equitaturis et decem et octo personis, etc., usque exhibendis.

Orvieto, 10 janvier 1264.

In e. m. universis patriarchis, etc. Cum negotium Terre Sancte venerabili fratri nostro . . archiepiscopo Nidrosiensi, etc., usque in regno Norwegie, etc., usque laboranti, pro se, duodecim equitaturis et decem et octo personis, etc., usque exhibendis. Datum apud Urbemveterem, IIII idus januarii, anno tertio.

Orvieto, 11 janvier 1264.

In e. m. universis patriarchis, etc. Cum negotium Terre Sancte venerabili fratri nostro . . episcopo Scarensi, etc., usque in Svetia, etc., usque laboranti, etc., usque pro se, octo equitaturis et duodecim personis, etc., usque exhibendis. Datum apud Urbemveterem, III idus januarii, anno III°.

Orvieto, 1er octobre 1263.

In e. m. universis patriarchis, etc. Cum negotium Terre Sancte venerabili fratri nostro . . episcopo Arusiensi, etc., usque in Dacia, etc., usque laboranti, pro se, duodecim equitaturis et quindecim personis, etc., usque exhibendis. Datum apud Urbemveterem, kalendis octobris, anno III°.

Orvieto, 10 janvier 1264.

In e. m. universis patriarchis, etc. Cum negotium Terre Sancte venerabili fratri nostro . . episcopo Wratislaviensi, etc., usque in Polonia, etc., usque laboranti, pro se, duodecim equitaturis et decem et octo personis, etc., usque exhibendis. Datum apud Urbemveterem, IIII idus januarii, anno tertio.

Orvieto, 11 janvier 1264.

In e. m. universis patriarchis, etc. Cum negotium Terre Sancte venerabili fratri nostro . . archiepiscopo Strigoniensi, etc., usque in regno Ungarie, etc., usque laboranti, pro se, sexdecim equitaturis et viginti quinque personis, etc., usque exhibendis. Datum apud Urbemveterem, III idus januarii, anno III°.

Orvieto, 12 janvier 1264.

In e. m. universis patriarchis, etc. Cum negotium Terre Sancte venerabili fratri nostro . . episcopo Mantuano, etc., usque in Lombardia, Marchia Tervisina et Romaniola, etc., usque laboranti, pro se, octo equitaturis et duodecim personis, etc., usque exhibendis. Datum apud Urbemveterem, II idus januarii, anno III°.

In e. m. universis patriarchis, etc. Cum negotium Terre Sancte venerabili fratri nostro . . episcopo Senensi, etc., usque in Tuscia, etc., usque laboranti, pro se, septem equitaturis et decem personis, etc., usque exhibendis.

473 Orvieto, 7 janvier 1264.

Ludovicum, regem Francorum, rogat ut centesima in Gallia pro Terrae Sanctae subsidio colligenda, comiti Joppensi non tradatur sed, juxta ejusdem regis assensum, in subsidium ejusdem Terrae convertatur. (Reg. 28, fol. 25, ann. III, n° 76; Potthast, 18769.)

« *Ludovico, illustri regi Francorum.* Dilectus filius frater Willelmus Tripolitanus, ordinis Predicatorum, nuntius Terre Sancte, primo, ac deinde venerabilis frater noster.., episcopus Bethleemitanus, de transmarinis partibus ad sedem apostolicam accedentes, tribulationes, calamitates, angustias et pressuras quibus Terra Sancta crudelius solito, soldani Babilo-

nis invalescente potentia, hiis diebus affligitur, Agarenorum quoque hostiles incursus, quibus indesinenter Christianorum reliquie, in predictis existentes partibus, molestantur, flebili nobis et fratribus nostris relatione narrarunt, mentis nostre vulnera, que precedentia de doloribus et meroribus ipsius terre nova visceribus nostris inflixerant, iteratis rumorum jaculis cruentantes, ac nobis supplicantes humiliter ut, cum dictus soldanus, qui ad exterminium predictorum Christianorum ferventer anhelat, adveniente veris tempore, quo reges et principes consueverunt ad bella procedere, intendat, conflatis et collectis undique sui viribus potentatus, hostiliter ingredi et aggredi terram ipsam suumque in illa exercere furorem, subvenire ipsi terre de celeri et oportuno remedio apostolica sollicitudine curaremus. Nos autem, quia hujusmodi relatio nostri cordis intima telo letifero perforavit, exquirere cepimus vias et modos quibus celeriter succurrere dicte terre possemus, et tandem nostre occurrit memorie quod nos centesimam ecclesiasticorum proventuum, usque ad quinquennium, et alia pecuniaria subsidia, que colligi mandavimus per omnia regna mundi que christiana professione censentur, predicte terre pro ejus subsidio duximus concedenda, quodque venerabilibus fratribus nostris universis archiepiscopis et episcopis, et dilectis filiis abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis necnon prioribus Predicatorum et ministris, custodibus et guardianis Minorum ordinum, ceterisque personis ecclesiasticis, secularibus et religiosis, per regnum Francie et per Cameracensem, Tullensem, Leodiensem, Metensem et Virdunensem civitates et dioceses, ad Crucis negotium et ad hujusmodi colligenda subsidia pro dicte terre subventione a sede apostolica deputatis, nostris sub certa forma in virtute obedientie dedimus litteris in preceptis, ut omnem pecuniam cunctaque alia tunc collecta per eos de hujusmodi subsidiis, et que postmodum contingeret colligi, venerabili fratri nostro Egidio, Tyrensi archiepiscopo, et dilecto filio nobili viro Johanni de Valencenis, domino Cayphe, ejusdem terre nuntiis, aut illi vel illis quem vel quos tu eis vel eorum alteri adjungeres vel etiam subrogares, aut eorum certis nuntiis seu procuratoribus integre ac fideliter assignarent, per eos, juxta tuum consilium et assensum, in ejusdem terre subsidium totaliter [1] convertenda. Ideoque serenitatem tuam, quam semper in ipsius terre profectibus vigilem invenimus, sollicitam et attentam, rogamus et hortamur attente, tibi nichilominus in remissionem tuorum peccaminum suadentes quatenus memoratos archiepiscopum Tyrensem et Johannem de Valencenis, quibus super hoc scribimus, ex parte nostra cum omni attentione requiras, ut quicquid de predictis centesima et subsidiis ad manus pervenit eorum, in instanti passagio, juxta tuum consilium et assensum, in succursum predicte terre convertant, procurans diligenter et sollicite qualiter aliqua bona summa pecunie predictis archiepiscopo Tyrensi et nobili super eisdem centesima et subsidiis mutuetur; quam similiter, juxta tuum consilium et assensum, in subventionem dicte terre in eodem passagio mitti volumus et converti. Nos enim eisdem archiepiscopo Tyrensi et nobili obligandi libere centesimam et alia hujusmodi subsidia regni Francie ac civitatum et diocesum predictorum, cum tuo consilio et assensu, usque ad quinquennium hujusmodi, sicut eis videbitur expedire, ac satisfaciendi de obventionibus centesime et subsidiorum ipsorum creditoribus, qui hujusmodi pecuniam mutuarint, plenam concedimus per alias nostras litteras facultatem. Verum, quia inter ceteras terras ultramarinas quas Christiani tenent, castrum Joppense specialiori et attentiori munitione indigere dinoscitur, sicut prefatus frater Guillelmus tibi referet viva voce, volumus ut sic provideatur de hujusmodi centesima, subsidiis et pecunia circa ipsius castri custodiam et munimen, quod ex defectu muniminis hostilibus aggressibus non pateat occupandum. Attente quoque provideas ut hujusmodi pecunia dilecto filio nobili viro.., comiti Joppensi, aliquatenus non tradatur, set expendatur per manus aliquarum fidelium personarum de consilio venerabilis fratris nostri.., patriarche Jerosolimitani, et aliarum personarum quas ad hoc sibi duxeris adjungendas. Ceterum, predictum fratrem Guillelmum qui, sicut scire te credimus, non cessat pro dicte terre profectibus laborare, personam suam maris et terre periculis exponendo, et qui ad tuam propter hoc accedit presentiam, regia benignitate recipias eique benivolam prebeas audientiam in negotiis dicte terre, que ipse tue magnitudini confidenter exponet. Taliter igitur apostolicas preces adimpleas quod unigenitum Dei filium Jesum Christum, qui te fecit oleo sacri crismatis christum suum, propitium exinde [1] tibi constituas et benignum, nosque devotionem tuam, quam in adimplendis divinis et apostolicis beneplacitis promptam semper invenimus et paratam, dignis ob hoc laudum preconiis attollamus. Da-

1. Ce mot a été ajouté dans la marge.

1. Ce mot a été ajouté en marge.

tum apud Urbemveterem, vii idus januarii, anno tertio. »

474 Orvieto, 7 janvier 1264.

Infrascriptis mandat ut centesimam pro Terrae Sanctae subsidio in regno Franciae colligendam, juxta assensum Ludovici, Francorum regis, in subventionem Terrae Sanctae convertant. (Reg. 28, fol. 25 v°, ann. III, n° 77.)

« .. *archiepiscopo Tyrensi et nobili viro Johanni de Valencenis, domino Cayphe.* Dilectus filius frater Guillelmus Tripolitanus, ordinis Predicatorum etc., ut in superiori proxima usque contingeret colligi, vobis et illi vel illis quem vel quos carissimus in Christo filius noster Ludovicus, illustris Francorum rex, vobis vel vestrum alteri adjungeret vel etiam subrogaret, aut vestris vel eorum certis nuntiis etc., usque convertenda. Ideoque discretionem vestram monemus, rogamus et hortamur attente mandantes quatinus ad requisitionem ipsius regis, cui super ⌈hoc⌋ scribimus, quicquid de predictis centesima et subsidiis ad manus vestras pervenit in instanti passagio, juxta ipsius regis consilium et assensum, convertatis in dicte terre succursum, procurantes nichilominus cum omni sollicitudine et diligentia, requisito super hoc dicti regis auxilio, quod aliqua bona summa pecunie vobis etc., usque converti. Nos enim vobis obligandi libere centesimam etc., usque facultatem. Verum quia inter ceteras terras etc., usque occupandum. Attente quoque provideatis ut hujusmodi pecunia etc., usque quas ad hoc idem rex duxerit adjungendas. Ceterum predictum fratrem Guillelmum qui, sicut scire vos credimus etc., usque exponendo, et qui ad vestram propter hoc accedit presentiam, benigne recipere eique benignam audientiam in negotiis dicte terre, que idem vobis confidenter exponet, exhibere curetis ; ita quod devotionis vestre promptitudinem dignis exinde in Domino laudibus merito commendemus. Datum ut supra. »

475 Orvieto, 21 décembre 1263.

Fratrem Guillelmum de Rota, priorem de Calma, monachum monasterii Casae Dei, ordinis s. Benedicti, ecclesiae Anitiensi praeficit. (Reg. 28 fol. 25 v°, ann. III, n° 78)

« *Fratri Guillelmo de Rota, ordinis s. Benedicti, electo Anitiensi.* Militanti ecclesie disponente —. Sane Anitiensi ecclesia nobis et ecclesie Romane immediate subjecta, per translationem venerabilis fratris nostri.., Sabinensis, tunc Anitiensis episcopi, ad ecclesiam Narbonensem, vacante pastore, ac in ea electione de dilecto filio nostro S., tituli s. Cecilie presbytero cardinali, tunc sedis apostolice capellano, concorditer celebrata, ipsoque hujusmodi electioni de se facte consentire nolente, dilectis filiis capitulo memorate Anitiensis ecclesie convenientibus, ut moris est, pro futuri substitutione pastoris in unum, major et sanior pars eorum te, tunc priorem de Calma, monachum monasterii Case Dei, elegit unanimiter in ecclesie predicte Anitiensis episcopum et pastorem. Verum hujusmodi electioni dilectis filiis.., decano,.., preposito, et Stephano de Masnilio-Symonis, qui se ipsius ecclesie canonicum asserebat, et quibusdam aliis prelibate Anitiensis ecclesie canonicis se opponentibus, felicis recordationis Alexander papa, predecessor noster, dilectum filium nostrum R., s. Angeli diaconum cardinalem, in hujusmodi negotio dedit partibus auditorem ; coram quo, licet dictus Stephanus se fuisse contemptum, reliqui vero quasdam excommunicationis sententias contra quosdam de tuis electoribus et etiam contra te quedam alia objecissent, tamen dictus Stephanus se fuisse contemptum vel etiam esse canonicum ecclesie memorate, nec alii ea que objecerant, probaverunt. Eodem autem negotio sic pendente, licet videretur aliquibus quod ex officio nostro possemus procedere ad inquirendum super aliquibus de objectis, quia tamen id tractum temporis non modicum exigere nec sine memorate Anitiensis ecclesie discrimine magnisque laboribus et gravibus sumptibus posse fieri videbatur, tu, zelo devote considerationis inductus et ecclesie predicte Anitiensi compatiens, et cupiens ejusdem ecclesie, que per vacationem diutinam variis subjacebat discriminibus, vitare dispendia, jus, si quod tibi quesitum fuerat ex electione predicta, libere in nostris manibus resignasti. Nos autem, cum fratribus nostris deliberatione prehabita, considerantes quod ipsa ecclesia prolixiori tempore cura destituta pastoris, irreparabilia poterat incurrere detrimenta, providimus fore subveniendum sibi celeriter de pastore. Attendentes itaque quod contra te post diligentem multamque discussionem aliquid probatum non extitit, quod statui tuo vel fame posset impedimentum afferre, pensantes etiam quod claram et integram famam tuam, honestatem insuper et conversationem tue vite laudabilis multorum fidedignorum testimonio comprobasti, que alias per tuam longam moram in Romana curia et familiarem experientiam nobis et dictis fratribus nota erant, de persona

tua prefate Anitiensi ecclesie providemus, teque ipsi ecclesie, de dictorum fratrum consilio et apostolice plenitudine potestatis, preficimus in episcopum et pastorem, sperantes quod eadem ecclesia per tua circumspectionis industriam, auctore Domino, relevetur a noxiis et spiritualiter et temporaliter salubribus proficiat incrementis. Te igitur ad prefatam Anitiensem ecclesiam cum plenitudine nostre benedictionis et gratie remittentes, mandamus quatenus sic laudabiliter curam ejusdem ecclesie gerere studeas quod tibi per vite meritum et aliis proficias per exemplum nosque personam tuam exinde precipui favoris gratia prosequi non immerito teneamur. Datum apud Urbemveterem, XII kalendas januarii, anno III°. »

476 Orvieto, 31 décembre 1263.

Episcopo Cracoviensi mandat ut, precibus ducis Cracoviensis satisfaciens, viros idoneos ad Lituanos qui venire cupiant ad Christianae fidei unitatem, mittat, ac in eisdem partibus ecclesias fundet. (Reg. 28, fol. 26, ann. III, n° 79; Potthast, 18752.)

« .. *episcopo Cacroviensi* (*sic*). Cum, sicut lecta coram nobis dilecti filii nobilis viri.., ducis Cracoviensis, petitio continebat, Lituani et nonnulli alii illarum partium pagani, qui civitatem et diocesim Cracovienses frequenter impugnant, venire cupiant ad Christiane fidei unitatem, nos, qui ad augmentum divini cultus totis affectibus aspiramus, prout ex injuncte nobis tenemur officio servitutis, illorum in hac parte propositum in Domino commendantes, ejusdem ducis supplicationibus inclinati, fraternitati tue mandamus quatinus eisdem paganis, ne (quod absit) videantur velut oves sine pastore relinqui, evangelizare salubriter per te vel alios religiosos, quod ad hoc ydoneos esse cognoveris, verbum Dei ac baptismatis et alia ecclesiastica exhibere auctoritate nostra studeas sacramenta, faciens nichilominus fundari in eisdem partibus ecclesias, ad opus hujusmodi conversorum, non obstantibus quibuslibet religiosorum ipsorum consuetudinibus vel statutis contrariis, per que hujusmodi processus negotii impediri valeat vel differri. Contradictores etc. Datum apud Urbemveterem, II kalendas januarii, anno III°. »

477 Orvieto, 13 janvier 1264.

Dispensatio super visitatione ad limina episcopo Pictavensi conceditur. (Reg. 28, fol. 26 v°, ann. III, n° 80.)

« .. *episcopo Pictavensi*. Cum sedem apostolicam —. Datum apud Urbemveterem, idus januarii, anno III°. »

478 Orvieto, 13 janvier 1264.

Thurgotum in episcopum Revaliensem confirmat. (Reg. 28, fol. 26, ann. III, n° 81; Potthast, 18782.)

« *Thurgoto, episcopo Revaliensi*. Ecclesia Revaliensi dudum pastore vacante, carissima in Christo filia nostra M., regina Dacie illustris, que carissimum in Christo filium nostrum.., illustrem regem Dacie, natum suum, tunc impuberem, et regnum Dacie gubernabat, ad regimen ipsius ecclesie te, tunc canonicum Roskildensem, de facto elegit etc., ut continetur in littera provisionis ejusdem episcopi, folio primo primi quaterni, capitulo III°, usque pastorem, tibi propriis nostris manibus munere consecrationis impenso, firma de te concepta fiducia etc., usque impertiri. Datum apud Urbemveterem, idus januarii, anno III°. »

479 Orvieto, 21 décembre 1263.

De solutione debitorum monasterii s. Jaculi, ordinis s. Benedicti, Dolensis diocesis, provisio. (Reg. 28, fol. 26, ann. III, n° 82.)

« .. *abbati et conventui monasterii s. Jacuti, ordinis s. Benedicti, Dolensis diocesis*. Monasterium vestrum sincera —. Sane petitio vestra nobis exhibita continebat quod prefatum monasterium ejusque prioratus et membra sunt, tam mercatoribus Florentinis quam aliis creditoribus, diversis debitis, usque ad summam duorum milium et centum librarum turonensium, obligata; propter quod, nisi per apostolice sedis providentiam eidem monasterio succurratur, verendum est ne ipsius substantiam vorago absorbeat usurarum. Quare nobis humiliter supplicastis ut salubre super hoc remedium apponere curaremus. Cum itaque, sicut ex tenore litterarum venerabilium fratrum nostrorum.., archiepiscopi Turonensis,.., Dolensis,.., Trecorensis et.., Briocensis episcoporum accepimus, universi proventus dicti monasterii valorem quingentarum librarum turonensis monete, annis singulis, non excedant, et prioratus et membra predicta non nisi in centum libris ejusdem monete eidem monasterio pro solutione debitorum annuatim valeant subvenire, nos tam vobis quam eidem monasterio, prioratibus et membris predictis paterna in hac parte sollicitudine

providere volentes, vobis auctoritate presentium indulgemus ut, vobis annuatim usque ad septennium trecentas libras ejusdem monete prefatis creditoribus persolventibus, satisfaciendo illis primo qui jure noscuntur existere potiores, ad exhibendum eis amplius et etiam usuras aliquas seu quicquam aliud, in fraudem earum, vos seu persone dictorum membrorum et prioratuum predictorum minime teneamini, nec ad id compelli possitis per litteras apostolicas, cujuscumque tenoris existant, super hujusmodi debitis hactenus impetratas et etiam impetrandas, que de presentibus non fecerint mentionem. — Nulli ergo nostre concessionis, relaxationis et constitutionis etc. Datum apud Urbemveterem, XII kalendas januarii, anno III°. »

480 Orvieto, 22 décembre 1263.

Episcopo et archidiacono Dolensibus mandat quatenus non permittant abbatem et conventum s. Jacuti super debitis praedictis, contra concessionis apostolicae tenorem, ab aliquibus molestari, et molestatores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescant. (Reg. 28, fol. 26 v°, ann. III, n° 83.)

« .. *episcopo et.. archidiacono Dolensibus.* Monasterium s. Jacuti —. Datum apud Urbemveterem, XI kalendas januarii, anno III°. »

481 Orvieto, 12 janvier 1264.

Confirmat venditionis instrumentum quo Virziliacensis abbas papae vendidit domum seu grangiam vulgariter *Malum-Nidum* dictam, in diocesi Trecensi sitam. (Reg. 28, fol. 26 v°, ann. III, n° 84.)

« *Ad futuram rei memoriam.* Hiis que fiunt —. Sane dilectus filius frater Johannes, abbas monasterii Virziliacensis, Eduensis diocesis, ordinis s. Benedicti, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, apud sedem apostolicam tunc temporis presentialiter constitutus, sua bona et spontanea voluntate, de speciali licentia et beneplacito, dedit, vendidit et ad proprietatem concessit dilecto filio magistro Michaeli de Tholosa, Romane ecclesie vicecancellario, recipienti vice nostra, de mandato nostro, venditionem hujusmodi, domum seu grangiam ad dictum monasterium pertinentem, sitam in diocesi Trecensi que[1] vulgariter dicitur[1] *Malus-Nidus*, cum dominiis, vineis, terris, pratis, silvis, nemoribus, pascuis, aquis, montibus planitiis et cum omnibus juribus, rationibus, usibus, utilitatibus et pertinentiis suis, ad opus ecclesie nostre, quam in civitate Trecensi ad honorem beati Urbani. pape ac martyris, construi facimus, ita quod pro singulis decem libris annui redditus dicte domus, dentur a nobis predicto abbati, nomine ipsius monasterii, centum libre. Valorem autem hujusmodi redditunm sive ipsos redditus extimabunt certe persone ad hoc specialiter ordinate. Dedit insuper et concessit idem abbas eidem vicecancellario, nostro nomine, ingrediendi possessionem ejusdem domus licentiam et liberam potestatem. Mandavit etiam sive cessit ipsi vicecancellario pro nobis omne jus omnemque actionem quod et quam, in dicta domo seu grangia et pertinentiis suis, dictum monasterium habet vel posset habere, prout in instrumento publico inde confecto et ipsius abbatis sigillo signato, plenius et expressius continetur. Nos igitur quod super hoc a prefato abbate factum est, ratificamus et ex certa scientia approbamus ac hujusmodi venditionem habentes acceptam et inviolabilem, inconcussam et stabilem in perpetuum manere volentes, eam auctoritate apostolica confirmamus etc. usque communimus. Et quia conventus predicti monasterii ad hoc non intervenit assensus, nec fuit etiam requisitus, nos omnem defectum, qui ex hoc fuit, et quemlibet alium, si quis ex quacumque causa vel omissione est habitus, supplemus de apostolice plenitudine potestatis; ita quod, hujusmodi defectibus nequaquam obstantibus, eadem venditio valida per totum existat et efficax et perpetua vigeat firmitate nec ullo unquam tempore valeat violari, neque liceat abbati et conventui prefati monasterii, qui sunt vel fuerint pro tempore, predictam venditionem impugnare, revocare, irritare vel reprobare in toto vel in parte, aut venire vel attemptare seu facere aliquid contra illam, et si forte presumpserint, sit omnino irritum, vacuum et inane. Instrumentum autem predictum verum et rectum, non cancellatum nec vitiatum, non abolitum nec corruptum nec in aliqua sui parte suspectum, attente inspeximus et perlegimus et proprium ejusdem abbatis sigillum quo pro certo eundem abbatem uti novimus, studiose in eisdem appensum litteris, advertimus diligenter et ipsius instrumenti tenorem, ad plenam et efficacem cautelam, perpetuam rei firmitatem et futuram memoriam, presentibus de verbo ad verbum fecimus annotari. Ut

1. Ce dernier mot a été ajouté en marge.

1. Ces deux derniers mots ont été écrits sur un grattage.

autem idem tenor omnimodam rei vel facti certitudinem faciat sic insertus, apostolica auctoritate decernimus ut illud idem robur eamque vim eumdemque vigorem per omnia habeat et retineat que habet instrumentum predictum et eadem prorsus sibi fides adhibeatur, que instrumento adhibetur eidem, et quandocumque et ubicumque, sive in judicio sive alibi, fuerit idem tenor exhibitus et ostensus, stetur ei firmiter in omnibus; sicut instrumento staretur eidem, si foret exhibitum vel ostensum, ac plenam et firmam fidem per omnia faciat, etiam si originale sive ipsum instrumentum non exhiberetur nec appareret nec etiam haberetur, ratificatione, approbatione, confirmatione ac suppletione nostra firma semper et stabili permanente.

Tenor vero predictus talis est :

« In nomine Domini, amen. Anno Domini M° CC°. LXIIII°, V idus januarii, indictione VII°, pontificatus vero domini Urbani pape IIII anno tertio. Per presentem paginam appareat omnibus evidenter quod religiosus vir frater Johannes, abbas monasterii Virziliacensis, Eduensis diocesis, coram venerabili patre domino Anchero, tituli s. Praxedis presbytero cardinali, et in presentia domini Petri, archidiaconi Senonensis, domini pape camerarii, mei, Bassi, notarii, et testium subscriptorum ad hoc rogatorum, presentialiter constitutus, sua bona et spontanea voluntate et de speciali licentia et beneplacito domini pape, dedit, vendidit et ad proprietatem concessit magistro Michaeli, sancte Romane ecclesie vicecancellario, procuratori dicti domini pape, habenti ad hoc speciale mandatum, recipienti vice et nomine ejusdem domini pape, domum sive grangiam que vulgariter dicitur *Malus-Nidus*, cum introitibus et exitibus suis, sicut suis finibus limitatur, positam in diocesi Trecensi, cum domibus, vineis, terris, pratis, silvis, pascuis, aquis, montibus, planitiis et cum omnibus aliis juribus, rationibus, usibus, utilitatibus et pertinentiis suis ad dictam domum spectantibus, ad habendum, tenendum, possidendum et faciendum quicquid ipsi domino pape placuerit, ad opus et utilitatem capelle ipsius domini pape fabricate de novo apud Trecas in honore beati Urbani martyris. Et hoc ita quod pro quibuslibet decem libris annui redditus dicte domus, dabuntur predicto abbati, nomine predicti monasterii, centum libre illius ejusdemque monete cujus redditus erunt. Valorem autem reddituum sive ipsos redditus extimatores ad hoc ordinati extimabunt, ita quod, si iidem extimatores extimabunt quod fructus sive redditus dicte domus annuatim valeant centum libras turonenses, dominus papa, per se vel per alium ejus nomine, solvet predicto abbati, nomine dicti monasterii, mille libras turonensium, et sic pro singulis centum libris, si ultra ascenderint redditus dicte domus; et dictus procurator, nomine predicti domini pape, hoc pretium eidem abbati vel alii recipienti, nomine predicti monasterii, per se vel per alium solvet, vel facturum quod dominus papa per se vel per alium solvet, per legitimam stipulationem promisit. Et donec dictus emptor seu dominus papa vel alius, nomine suo, possessionem dicte domus fuerit ingressus, dictus venditor, precario nomine dicti emptoris et domini pape, se constituit possidere et tenere, in cujus possessionem intrandi eisdem sua auctoritate omnimodam licentiam contulit atque dedit. Et si quelibet decem librate redditus dicte domus vel ipsa domus sive possessio plus dicto pretio valeret, illud plus dictus venditor dicto emptori inter vivos, pro reverentia quam habet ad personam domini pape, donavit et concessit et etiam mandavit sibi omne jus et actionem, quod et quam in dicta domo et pertinentiis suis haberet vel habere posset. Promisit insuper dictus venditor, pro se suisque successoribus, quod nullum jus sibi competens in predictis, in totum vel in partem alicui alii persone donavit, concessit, vendidit, alienavit nec contractum vel quasi cum aliqua persona seu loco fecit, et si aliquo tempore contrarium appareret, vel ea occasione vel alio quocumque modo, dictus emptor vel dominus papa in dampnum veniret et expensas inde faceret, totum dampnum et expensas et interesse dicto procuratori recipienti pro domino papa et ipsi domino pape reficere et resarcire promisit. Preterea, dictus venditor, pro se suisque successoribus, promisit dicto procuratori, recipienti et stipulanti pro domino papa, hanc venditionem, dationem et concessionem ab omni persona et loco defendere, guarentiare et auctorizare in judicio et extra judicium, et omnia et singula supradicta attendere et observare et contra non venire, aliqua occasione vel exceptione, sub pena dupli dicti pretii et oblatione omnium bonorum suorum et dicti monasterii et, pena predicta soluta vel non, contractus iste et omnia et singula que dicta sunt, in sui maneant roboris firmitate. Ad majorem autem cautelam et in testimonium hujusmodi rei, dictus abbas presenti instrumento suum sigillum apponi fecit. Actum apud Urbemveterem, in camera domini pape, presentibus magistro Egidio, archidiacono Rothomagensi, doctore theologie, magistro Roberto de Baro, magistro Paulo de Sancto-Helya et magistro Felicio de Trecis, medico, testibus. Extimatores autem sunt

Theobaldus de Achenaio, burgensis Trecensis, et Phylippus, prior de Oseio, et Tertius, abbas Aremanensis, ita quod si primi duo nolunt vel non possunt predictos redditus estimare, idem abbas cum eorum altero eosdem extiment redditus bona fide, et quicquid dicti duo cum eorum altero extimabunt, predicti emptor et venditor ratum habebunt perpetuo atque firmum, et dictus abbas instrumenta omnia ad dictam domum pertinentia promisit se dicto domino pape vel ejus procuratori daturum et integre redditurum. Et ego Bassus, filius quondam domini Roberti, apostolica auctoritate et nunc camere ejusdem notarius, quia hiis predictis interfui, rogatus scripsi et publicavi. »

Nulli ergo nostre ratificationis, approbationis, confirmationis, suppletionis et constitutionis etc. Datum apud Urbemveterem, II idus januarii. anno tertio. »

482 Orvieto, 12 janvier 1264.

Quidam adjicitur articulus statutis Militiae s. Jacobi. (Reg. 28, fol. 27, ann. III, n° 85.)

« .. *magistro et fratribus Militie s. Jacobi.* Insignis ordinis vestri —. Nos itaque, ut efficacius in tam sancto proficiatis proposito, profectibus vestris libenter intendimus et ne, dissidentibus vobis ad invicem, ad nocendum vobis ostium pateat tam perfidis hostibus, sed in vestrorum unanimitate votorum, vestris in unum collectis viribus, vos in domo Domini habitantes, unanimes ipsis viribus resistatis, omnem inter vos scandali materiam paterne sollicitudinis studio summovemus. Et ideo, cum in privilegio vestri ordinis haberetur ut, si aliquis ex tredecim fratribus ejusdem ordinis qui magistro, cum opus est, in consilio et dispositione domus assistunt et curam habent eundem eligendi magistrum, ex hac vita transierit vel pro culpa seu quacumque fuerit occasione mutandus, magister, cum consilio reliquorum aut majoris partis, alium substituat, loco ejus, nos intendentes eidem ordini providere, ut omnis in vobis quo ad hoc dissensionis tolleretur occasio, adiciendum duximus quod idem magister substitutionem hujusmodi faciat cum reliquorum vel majoris partis consilio et consensu. Ceterum cum, sicut fertur, quinque de predictis tredecim viam fuissent universe carnis ingressi et nonnulli ex octo superstitibus tibi, fili magister, rebelles seu inobedientes existerent, tu rebelles seu inobedientes ipsos cum reliquorum consilio amovisse, ac tam ipsis quam memoratis quinque defunctis alios diceris subrogasse, nos itaque, sicut in predictis ordini memorato providimus, sic et in hoc tibi providere volentes, quia nostre intentionis existit ut hujusmodi adjectio nostra non ad preterita, sed solummodo ad futura trahatur, decernimus ut in suo remaneant officio illi quos, ut prediximus, amotis et defunctis hujusmodi subrogasti. Nulli ergo nostre constitutionis. Datum apud Urbemveterem, II idus januarii, anno III °. »

483 Orvieto, 25 janvier 1264.

Gualterum, absolutum a vinculo quo tenebatur ecclesiae Ameliensi, ecclesiis unitis Pennensi et Adriensi in episcopum praeficit. (Reg. 28, fol. 28, ann. III, n° 86.)

« *Gualtero, Pennensi et Adriensi episcopo.* In sup[p]reme specula —. Sane, licet ministerium tuum Ameliensi ecclesie, cui laudabiliter prefuisti, utile multum existeret, nos tamen, de ordinatione Pennensis et Adriensis ecclesiarum, que auctoritate sedis apostolice sunt unite ac ad presens solacio destitute pastoris, sollicite cogitantes, ac talem illis preesse pontificem affectantes, quem laudabilia sua merita redimirent, cujusve non esset dubia caritas erga plebem sue sollicitudini commendandam, in te, cui vite honestas, commendabilis conversatio et sufficiens litterarum scientia suffragantur quique spiritualium providentiam, temporalium quoque circumspectionem necnon et fervidam circa prosperum statum illarum partium caritatem ac sinceram insuper devotionem ad predictam sedem obtinens, nobis et fratribus nostris acceptus redderis, oculos direximus mentis nostre. Quapropter, tam eisdem Pennensi et Adriensi ecclesiis, quarum in hoc utilitatem evidentem specialiter attendimus, quam gregi Dominico paterna intendentes diligentia providere, te a vinculo, quo tenebaris astrictus Ameliensi ecclesie supradicte, de fratrum predictorum consilio absolvimus et de persona tua eisdem Pennensi et Adriensi ecclesiis providemus, teque ad ipsas transferimus de apostolice plenitudine potestatis, transeundi ad easdem ecclesias tibi liberam licentiam concedentes ; firma de te concepta fiducia quod tu, qui in commisso tibi officio hactenus fideliter ac utiliter ministrasti, de talento tibi credito, talenta, prestante Domino, referes potiora. Fraternitatem igitur tuam rogamus, monemus et hortamur attente per apostolica tibi scripta in virtute obedientie districte precipiendo mandantes quatinus ad prefatas Pennensem et Adrien-

sem ecclesias, quarum plenam administrationem in spiritualibus et temporalibus tibi committimus, cum plenitudine nostre gratie ac benedictionis accedens, erga illarum curam et regimen sic te fructuosum reddas et sollicitum quod tua fama clareat per effectum, et in delectationem nobis veniat precipua te benivolentia prosequi, tuisque votis condignis favorem propitium impertiri. Datum apud Urbemveterem, VIII kalendas februarii, anno tertio. »

In e. m. capitulo Pennensis et Adriensis ecclesiarum, ac clero civitatis et diocesis Pennensis. (Potthast 19018.)

In. e. m. populo civitatis et diocesis Pennensis.

484 Orvieto, 2 janvier 1264.

E., regi Daciae, et reginae matri indulget ut neque Lundensis archiepiscopus neque episcopus Roskildensis, qui se praedictis regis et reginae publicos inimicos constituerunt, hujusmodi durantibus inimicitiis, possint in personas excommunicationis aut in terras ipsorum interdicti sententias auctoritate propria promulgare. (Reg. 28, ann. III, n° 87, fol. 28; Potthast 18762.)

« *Carissimo in Christo filio E., regi Dacie, ac carissime in Christo filie .., regine, matri ejus, illustribus.* Pro sincere devotionis —. Cum itaque, sicut ex parte vestra fuit propositum coram nobis, venerabiles fratres nostri .. Lundensis archiepiscopus et .. episcopus Roskildensis, se vestris publicis inimicis in suis dampnatis studiis conjungentes, se vobis publicos emulos et inimicos constituerint manifestos, ac exiverint, occasione hujusmodi, regnum vestrum, nos devotionis vestre precibus inclinati, vobis auctoritate presentium indulgemus ut nullus ipsorum, hujusmodi inimicitiis propter culpam eorum durantibus inter vos et ipsos, possit in personas excommunicationis aut terras interdicti sententias auctoritate propria promulgare. Datum apud Urbemveterem, III nonas januarii, anno III°. »

485 Orvieto, 2 janvier 1264.

Eisdem concedit ut, tempore generalis vel specialis terrae interdicti, liceat eis in capellis suis, per capellanos proprios, januis clausis, celebrari et audire divina et ecclesiastica percipere sacramenta, dummodo ipsi causam non dederint interdicto vel id ipsis non contingat per alios quam per Lundensem archiepiscopum et Roskildensem episcopum, durantibus hujusmodi inimicitiis, interdici. (Reg. 28, fol. 28 v°, ann. III, n° 88; Potthast 18763.)

« *Eisdem.* Pro sincere devotionis —. Datum ut supra. »

486 Orvieto, 2 janvier 1264.

Episcopo Wibergensi mandat ut archiepiscopi Lundensis in episcopalibus vices gerat, quamdiu a sua diocesi idem archiepiscopus absens fuerit. (Reg. 28, fol. 28 v°. ann. III, n° 89; Potthast, 18764.)

« *.. episcopo Wibergensi.* Ad audientiam nostram pervenit quod venerabilis frater noster .. archiepiscopus Lundensis, se a civitate ac diocesi Lundensibus tam motu proprio quam suis culpis exigentibus, diutius absentavit, carissimi in Christo filii nostri E., regis, ac regine Dacie illustrium inimicis publicis adherendo, sicque non est nec fuit, annis pluribus jam elapsis, qui in eisdem civitate vel diocesi crisma conficeret, crismaret pueros et subditis ecclesie Lundensis exhiberet ecclesiastica sacramenta et alia que per archiepiscopos conferuntur ; ex quo non solum periculum imminet animarum, verum etiam grave in eisdem civitate ac diocesi scandalum generatur. Quoniam igitur nostra interest super hoc salubriter providere, fraternitati tue mandamus quatinus, si est ita, in civitate ac diocesi supradictis, quamdiu ab ipsis idem archiepiscopus absens fuerit, ea que sunt episcopalis ordinis, auctoritate nostra exercere procures, ita quod per hoc Lundensi ecclesie in posterum nullum prejudicium generetur. Contradictores auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo. Datum ut supra. »

487 2 janvier 1264.

Episcopo Arusiensi simile dat mandatum respectu episcopi Roskildensis, qui propter graves excessus per triennium absentavit. (Reg. 28, fol. 28 v°, ann. III, n° 90; Potthast 18765.)

« *.. episcopo Arusiensi.* Ad audientiam nostram —. Datum ut supra. »

488 Orvieto, 18 janvier 1264.

Praeposito et capitulo Zagabriensibus, a quibus nuntii et procuratores Timothei, Zagabriensis episcopi, olim archidia-

coni de Zala in ecclesie Vesprimiensi, subdiaconi et capellani apostolici, non fuerant admissi, mandat quatenus praedicto Timotheo humiliter intendant et fratri Gualtero, pœnitentiario et capellano apostolico, cui idem episcopus et ipse papa curam praedictae ecclesiae duxerunt committendam, exhibeant consilium, auxilium et favorem in his super quibus ipsos duxerit requirendos. (Reg. 28, ann. III, n° 91, fol. 28 v°; Potthast 18785.)

« .. *preposito et capitulo Zagabriensibus.* Gratie divine premium —. Datum apud Urbemveterem, xv kalendas februarii, anno tertio. »

489 Orvieto, 23 janvier 1264.

Fratri Gualtero, de ordine fratrum Minorum, pœnitentiario, capellano et nuntio apostolico, a Timotheo, episcopo Zagabriensi, procurationis officium commissum circa curam in spiritualibus et temporalibus Zagabriensis ecclesiae confirmat. (Reg. 28, fol. 28 v°, ann. III, n° 92; Potthast 18787.)

« *Fratri Gualtero, de ordine fratrum Minorum, penitentiario, cappellano et nuntio nostro.* Inter alias sollicitudines —. Datum apud Urbemveterem, x kalendas februarii, anno III°. »

490 Orvieto, 28 janvier 1264.

Episcopum Tridentinum hortatur ut infeudationes et obligationes in damnum ecclesiae Tridentinae factas, revocet clericosque suos ab omnibus molestiis defendat. (Reg. 28, fol. 29, ann. III, n° 93.)

« .. *episcopo Tridentino.* Accepimus unde saltem propter infamiam, si forsan desipiens (quod non credimus) anime ac honoris non formidas periculum, potes erubescere ac dolere, quod tu quedam castra, redditus et proventus ad episcopalem mensam spectantia, quibusdam nobilibus concessisti de novo in feudum et ex eis aliqua specialis ypothece titulo obligasti; ac, alias bona ipsius mense dilapidans enormiter et consumens, vitam ducis nimium dissolutam, et cum in civitate ac diocesi Tridentinis jurisdictionem obtineas temporalem, clericos earundem a laicorum violentiis et incursibus non defendis. Cum igitur prelatos conveniat ecclesiarum suarum bona et jura non minuere, sed cum equitate (si possunt) augere, non deformare subditos pravitatis exemplis, sed virtutum suarum meritis informare ac defensionis se murum ponere pro eisdem, nos, qui nequaquam in ipsorum prelatorum delationibus delectamur, tibi quantum citra divinam offensam et commissorum tibi cleri et ecclesie detrimentum possumus, deferre volentes, fraternitatem tuam monemus et hortamur attente mandantes quatinus, si est ita, honori tuo consulens et saluti, actus tuos, mores et vitam reformes in melius, infeudationes et obligationes hujusmodi revoces et omnino a bonorum ecclesie tue dilapidatione desistens, clericos ipsos ab oppressionibus et injuriis tamquam bonus pastor protegas et defendas; ita quod omnis a te super hiis cesset infamia et odor fame laudabilis subsequatur, nec oporteat super hoc aliter provideri. Datum apud Urbemveterem, v kalendas februarii, anno III°. »

491 Orvieto, 18 janvier 1264.

Guillizonum monasterio s. Vincentii Mediolanensis in abbatem praeficit. (Reg. 28, fol. 26, ann. III, n° 94.)

« *Guillizono, abbati monasterii s. Vincentii Mediolanensis, ordinis s. Benedicti.* Inter primas sollicitudinis —. Sane monasterio s. Vincentii Mediolanensis abbatis regimine destituto et convenientibus in unum .. priore, monachis et aliis qui electioni debebant et commode poterant interesse, major et sanior pars ipsorum in te, tunc ipsius monasterii monachum, tamquam in virum multiplicibus adjutum meritis, oculum direxit et votum. Et quia conventibus monasteriorum civitatis et diocesis Mediolanensium eligendi sibi abbates per sedem apostolicam est adempta potestas, eadem major pars nobis humiliter supplicavit ut te in abbatem predicti monasterii preficere dignaremur. Nos igitur, attendentes quod, juxta fidedignorum testimonia, tibi a meritis provenit supradictis ut aliis preesse valeas et prodesse, ac ipsum monasterium in temporalibus et spiritualibus salubriter gubernare, te illi, de fratrum nostrorum consilio et plenitudine potestatis apostolice, prefecimus in abbatem, firma spe fiduciaque concepta quod monasterium ipsum per industrie tue studium votivis ampliabitur commodis et optatis augmentis, Domino cooperante, consurget. Quocirca, discretionem tuam rogamus, monemus et hortamur attente, mandantes quatenus, devote suscipiens impositum a Domino tibi onus, et summittens fortitudinis tue collum ad hujusmodi sollicitudinis sarcinam mente stabili deferendam, curam ipsius monasterii diligenter geras et salubriter ac utiliter exequaris; ita quod de grege tibi commisso et te ipso digne possis in examine dis-

tricti judicis respondere. Datum apud Urbemveterem, xv kalendas februarii, anno III°. »

Orvieto, 27 janvier 1264.

In e. m. .. priori et conventui monasterii s. Vincentii Mediolanensis, ordinis s. Benedicti. Inter primas sollicitudinis —. Datum apud Urbemveterem, vi kalendas februarii, anno III°.

In. e. m. universis vassallis monasterii s. Vincentii Mediolanensis, ordinis s. Benedicti. Dat. ut supra.

In. e. m... s. Basiani et .. s. Michaelis in Serravalle abbatibus, Laudensis diocesis. Inter primas sollicitudinis —. Quocirca mandamus quatinus vos vel alter vestrum per vos vel alium seu alios dictum abbatem vel procuratorem suum, ejus nomine, in possessionem vel quasi abbatie inducentes predicte, eum pro abbate dicti monasterii tractari et haberi, ac responderi sibi de juribus et redditibus ejusdem monasterii universis, necnon ab omnibus sibi subditis obedientiam et reverentiam exhiberi debitam faciatis. Contradictores etc. Invocato etc. Datum ut supra. »

492 Orvieto, 5 février 1264.

De quodam excambio captivorum provisio. (Reg. 28, fol. 29 v°, ann. III, n° 95; Potthast 18800.)

« *Manfredo, Veronensi electo, ducatus Spoletani et Marchie Anconitane rectori ac vicario generali.* Apostolici pietas nos —. Sane dilecti filii .. potestas, .. capitaneus, consilium et commune Asisinates nobis significare curarunt quod Benellus Martini, civis Asisinas, in obsequiis ecclesie Romane persistens, fuit in Anconitana Marchia casualiter captus ab ipsius ecclesie hostibus et adhuc ab eis detinetur miserabiliter captivatus. Quare predicti potestas, capitaneus, consilium et commune humiliter per suas litteras petebant a nobis, ut unum de predictis hostibus, qui sub tua custodia detinentur, pro ipsius B. excambio concedere curaremus. Nos itaque tibi super hoc deferre volentes, discretioni tue mandamus quatinus, si est ita, piis desideriis eorumdem potestatis, capitanei, consilii et communis benigne annuens in hac parte, unum de talibus a te detentis, qui, juxta tue discretionis arbitrium, ad hoc paris vel congrue condicionis existat, in excambium pro liberatione prefati Benelli prompta liberalitate concedas, ita quod et sinceritas devotionis eorum propter hoc circa sedem apostolicam augeatur et tua circumspectio possit exinde merito commendari. Datum apud Urbemveterem, nonis februarii, anno III°. »

493 Orvieto, 28 janvier 1264.

De solutione debitorum monasterii s. Luciani Belvacensis provisio. (Reg. 28, fol. 30, ann. III, n° 96.)

« *Magistris Giraudo, archidiacono in Pontivo in ecclesia Ambianensi, Johanni de Vulliaco, cancellario, et Symoni de Tria, canonicis Belvacensibus.* Intellecto quod monasterium s. Luciani Belvacensis, ordinis s. Benedicti, tanta premitur sarcina debitorum quod, nisi per celere (*sic*) remedium sedis apostolice succuratur eidem, verendum erat ne usurarum vorago ipsius substantiam absorberet, volentes indempnitati ejusdem monasterii super hoc salubriter providere, vobis, de quorum discretione plenam in Domino fiduciam obtinemus, super collocandis monachis predicti monasterii per alia monasteria sui ordinis, Remensis et Rothomagensis provinciarum, et colligendis omnibus redditibus ac proventibus prefati monasterii s. Luciani, convertendis per vos in solutionem hujusmodi debitorum, sub certa forma nostras litteras duximus dirigendas. Nos itaque, dignum arbitrantes et congruum ut dilecto filio Johanni, capellano nostro, abbati prefati monasterii s. Luciani, de bonis ipsius congrua provisio assignetur, discretioni vestre mandamus quatinus eidem abbati, pro sustentatione sua, de bonis prelibati monasterii s. Luciani, pensatis ejus facultatibus, redditibus et oneribus diligenter, provisionem congruam, decentem statum persone sue, assignare curetis, percipiendam ab eo donec sepedictum monasterium ab eisdem debitis fuerit liberatum. Non obstante si —. Contradictores etc. Quod si non omnes etc. Datum apud Urbemveterem, v kalendas februarii, anno III°. »

494 Orvieto, 31 janvier 1264.

Archiepiscopo Burdegalensi mandat ut omnes colligationes in regno Navarrae factas, omnino dissolvat. (Reg. 28, fol. 30, ann. III, n° 97.)

« .. *archiepiscopo Burdegalensi.* Ex parte carissimi in Christo filii nostri.., regis Navarre illustris, comitis Campanie ac Brie Palatini, fuit propositum coram

nobis quod contingit interdum quod homines civitatis Pampilonensis castrorum et villarum regni Navarre, conjurationes, conspirationes et colligationes inter se facientes, aliquem ex se ipsis temeritate propria eligunt et prestant corporaliter juramentum quod sic electo obedient et intendent. Quia vero, hujusmodi conjurationum, conspirationum et colligationum occasione, possunt eidem regi et dicto regno multa dispendia provenire, dictus rex nobis humiliter supplicavit ut super hoc providere paci et tranquillitati dicti regni paterna sollicitudine curaremus. Quia vero nostri decet appositione consilii super hoc salubriter provideri, fraternitati tue mandamus quatenus illicitas conjurationes, conspirationes seu colligationes, quocumque nomine censeantur, auctoritate nostra in regno fieri prohibeas supradicto, et siquas jam factas compereris, omnino dissolvas. Illos vero, qui eas juraverunt servare, absolvas ab observatione hujusmodi juramenti. Contradictores etc. Non obstante si —. Datum apud Urbemveterem, II kalendas februarii, anno III°. »

495 Orvieto, 28 janvier 1264.

De solutione debitorum monasterii s. Luciani Belvacensis altera provisio. (Reg. 28, fol. 30, ann. III, n° 98.)

« *Magistris Giraudo, archidiacono in Pontivo, in ecclesia Ambianensi, Johanni de Vulliaco, cancellario, et Symoni de Tria, canonicis Belvacensibus.* Ad audientiam nostram, significante nobis dilecto filio Johanne, abbate monasterii s. Luciani Belvacensis, ordinis s. Benedicti, capellano nostro, noveritis pervenisse quod monasterium ipsum tanta premitur sarcina debitorum quod, nisi per celere (*sic*) remedium sedis apostolice succurratur eidem, verendum est ne ipsius substantiam vorago absorbeat usurarum. Nos itaque indempnitati ejusdem monasterii providere volentes, cum nostri deceat appositione consilii super hoc salubriter provideri, discretioni vestre, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta mandamus quatinus, si est ita, monachos predicti monasterii aliquibus ex eis, prout expedire videritis, pro divinis officiis celebrandis ibidem dimissis in ipso monasterio, quibus de bonis dicti monasterii, pro sustentatione sua, provisionem studeatis congruamas signare, per alia monasteria ipsius ordinis Remensis et Rothomagensis provinciarum collocare curetis, tamdiu moraturos in eis et percepturos vite necessaria donec predictum monasterium s. Luciani fuerit ab hujusmodi debitis totaliter liberatum, ac nichilominus omnes redditus et proventus prefati monasterii s. Luciani per duos monachos ad hoc ydoneos per vos deputandos, colligi facientes et in solutionem debitorum ipsorum convertentes, satisfaciendo primo creditoribus qui jure fuerint potiores, non permittatis dilectos filios . . abbatem et conventum memorati monasterii s. Luciani a creditoribus suis super eisdem debitis vel ipsorum occasione aliquatenus molestari. Non obstantibus renuntiationibus, penarum adjectionibus aut etiam juramentis, tempore contractuum, interjectis, seu si monasteria in quibus predictos monachos duxeritis collocandos, de mandato apostolico sint super simili vel alia provisione gravata, seu si personis ipsorum a sede apostolica sit indultum quod ad receptionem seu provisionem alicujus minime teneantur et ad id compelli non possint —. Contradictores etc. Quod si non omnes etc. Datum apud Urbemveterem, V kalendas februarii, anno III°. »

496 Orvieto, 7 février 1264.

Infrascriptis mandat ut archiepiscopum Turritanum, legationis officio fungentem in Sardinia et Corsica, honorifice recipiant. (Reg. 28, fol. 30 v°, ann. III, n° 99.)

« *Archiepiscopis et episcopis, ac abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis, archipresbyteris, prepositis et aliis ecclesiarum prelatis, capitulis, conventibus, collegiis et clericis, exemptis et non exemptis, per Sardiniam et Corsicam constitutis.* Cum venerabili fratri nostro . . archiepiscopo Turritano, de cujus prudentia experta in pluribus, nos et fratres nostri confidimus, in Sardinia et Corsica plene legationis officium duxerimus committendum, universitatem vestram rogamus, monemus et hortamur attente, mandantes quatenus eumdem archiepiscopum, immo nos in eo honorifice recipere ac mandatis ejus salubribus prompte obedire curetis, ei providendo in procurationibus, prout predecessoribus ejus, ibidem officio legationis fungentibus, consuevistis hactenus providere. Datum apud Urbemveterem, VII idus februarii, anno III°. »

497 Orvieto, 7 février 1264.

Archiepiscopo Turritano mandat ut ad audientiam apostolicam citare curet praelatos illiteratos in Sardinia et Corsica constitutos. (Reg. 28, fol. 30 v°, ann. III, n° 100.)

« . . *archiepiscopo Turritano, in Sardinia et Corsica apostolice sedis legato.* Ad audientiam nostram pervenit quod in Sardinia et Corsica tue legationi commissis, nonnulli illitterati non solum in abbates, verum etiam in episcopos et archiepiscopos, pretextu cujusdam consuetudinis que dicenda est corruptela potius, sunt assumpti, in monasteriorum et ecclesiarum ac animarum eis subjectarum non modicum detrimentum et scandalum plurimorum. Nolentes igitur tantum in hujusmodi prelatis tolerare defectum, fraternitati tue mandamus quatinus dictos prelatos ex parte nostra peremptorie citare procures, ut, infra competentem terminum a te prefigendum eisdem, personaliter compareant coram nobis, recepturi super premissis quod justitia suadebit. Diem vero citationis et quicquid exinde feceris, nobis per tuas litteras presentium continentes seriem intimare procures. Datum apud Urbemveterem, vii idus februarii, anno III°. »

498 Orvieto, 21 janvier 1264.

Quod in agris decimae solvantur in diocesi Wratislaviensi. (Reg. 28, fol. 30 v°, ann. III, n° 101.)

« . . *episcopo Cracoviensi.* Ex parte dilectorum filiorum capituli et cleri civitatis et diocesis Wratislaviensium fuit propositum coram nobis quod, licet nos, tunc in minori officio constituti et in Polonia apostolice sedis legati, deliberatione provida duxerimus statuendum, ut ibidem in agris decime solverentur, tamen nonnulli earumdem civitatis et diocesis statutum hujusmodi observare indebite contradicunt, in eorumdem capituli et cleri prejudicium et gravamen; super quo clerus ipse apostolice providentie remedium imploravit. Quocirca fraternitati tue mandamus quatinus statutum ipsum per te vel alium auctoritate nostra facias firmiter observari. Contradictores, etc. Non obstante si —. Datum apud Umbemveterem, xii kalendas februarii, anno III°. »

499 Orvieto, 5 février 1264.

Archidiacono Vulcassini Normanni mandat satisfactionem condignam faciat impendi magistro Guillelmo Normanno, episcopi Albanensis capellano. (Reg. 28, fol. 30 v°, ann. III, n° 102.)

« . . *archidiacono Vulcassini Normanni, in ecclesia Rothomagensi.* Dilectus filius magister Guillelmus Normannus, capellanus venerabilis fratris . . , episcopi Albanensis, nobis significare curavit quod, cum bone memorie R., Morinensis episcopus, ipsum pro suis et ecclesie Morinensis negotiis procurandis ad Romanam curiam destinasset, idem magister propter hoc non solum ibidem propriam pecuniam suam expendit, verum etiam se variis creditoribus in diversis pecuniarum quantitatibus obligavit. Quare dictus magister nobis supplicavit humiliter ut, cum dicta ecclesia vacet ad presens nec sit a quo possit repetere supradicta, timeatque ne propter longum tractum provisionis ipsius ecclesie, tam futurus episcopus Morinensis [1] quam dictus magister usurarum pretextu multa sustineant detrimenta, providere super hoc misericorditer curaremus. Cum igitur nonnulli redditus in episcopatu Morinensi consueverint, sicut accepimus, reservari, et indignum existat ut dictus magister, unde meretur premium, inde dispendium patiatur, discretioni tue mandamus quatinus, si est ita, eidem magistro de hujusmodi redditibus et detentoribus eorumdem facias auctoritate nostra per te vel per alium, sicut justum fuerit, plenam et debitam satisfactionem impendi. Contradictores, etc. Non obstante —. Datum apud Urbemveterem, nonis februarii, anno III. »

500 Orvieto, 12 février 1264.

Guillelmum ecclesiae Metensi praeficit (Reg. 28, fol. 31, ann. III, n° 103.)

« *Guillelmo, electo Metensi.* Sollicitudinis apostolice studium —. Sane dudum ecclesia Metensi pastore vacante, contigit in ea duas electiones, unam videlicet de dilecto filio Phylippo, tunc thesaurario, reliquam vero de quondam Theobaldo, cantore ipsius ecclesie, in discordia celebrari. Cumque negotium electionum hujusmodi fuisset per appellationem ad sedem apostolicam devolutum, tandem, quia invenimus quod, eodem cantore juri suo cedente, et quondam Herberto de Vireyo, canonico Metensi, apud sedem eandem contra dictum Phylippum ejusdem appellationis negotium prosequente, dilectus filius . . , electus Treverensis, loci metropolitanus, electionem de dicto Phylippo inibi celebratam, motu proprio confirmavit et fecit eum de facto, cum de jure nequiverit, in episcopum consecrari, nos confirmationem hujusmodi et

1. Ce mot est récrit sur un grattage.

omnem ipsius electi processum super hoc habitum, duximus de fratrum nostrorum consilio irritandos. Postmodum autem, idem Phylippus, personaliter ad presentiam nostram accedens, omne jus, quod sibi ex electione competebat eadem, sponte ac libere in nostris manibus resignavit. Sic igitur eadem ecclesia pastorali destituta regimine, digne pensavimus ut ipsa presidio paterne propitiationis adjuta, optati sponsi provisione recepta, vigorem leta resumat solite venustatis. Decens quoque arbitrantes et congruum ut eandem ecclesiam, multe dignitatis privilegio decoratam, oportunis favoribus prosequamur, de persona sibi providendum fore decrevimus, quam verisimiliter ei speramus et credimus fore perutilem, quamque, suis claris exigentibus meritis, infra nostri precordia pectoris dilectionis prerogativa portamus. Attendentes igitur quod divina clementia te, de nobilibus ortum natalibus, dono scientie, providi maturitate consilii multisque virtutibus insignivit, de conversatione quoque tue vite laudabilis, morum honestate tuaque probitate multiplici per familiarem experientiam notitiam obtinentes, ac ob id reputantes merito debitum, ut per eandem sedem, quam studio multe devotionis honoras, dignis honoribus extollaris, de fratrum predictorum consilio et apostolice plenitudine potestatis, te ipsi Metensi ecclesie prefecimus in episcopum et pastorem; sperantes quod per tue circumspectionis industriam et tuam tuorumque potentiam eadem ecclesia, Deo propitio, relevetur a noxiis et in suis juribus defendatur, ac alias in spiritualibus et temporalibus laudabilia suscipiat incrementa. Ideoque discretioni tue mandamus quatinus impositum tibi onus devote suscipiens, curam ecclesie predicte sic laudabiliter gerere studeas sicque suis profectibus et honori vigilanter intendas, quod exinde plenitudinem nostre benedictionis et gratie merearis et clarens per vite meritum apud Deum, aliis proficere valeas per exemplum, nosque personam tuam exinde precipuo favore prosequi non immerito teneamur. Datum apud Urbemveterem, II idus februarii, anno III°. »

Orvieto, 13 février 1264.

In e. m. . . decano et capitulo Metensibus. Sollicitudinis apostolice studium —. Datum apud Urbemveterem, idus februarii, anno III°.

In e. m. clero civitatis et diocesis Metensium.

In e. m. populo Metensi.

In e. m. vassallis et ministerialibus ecclesie Metensis.

501 Orvieto, 5 février 1264.

De absolutione excommunicationis mercatorum Florentinorum in comitatu Provinciae commorantium, ad ecclesie mandata redeuntium. (Reg. 28, fol. 31 v°, ann. III, n° 104.)

« . . *episcopo Agathensi.* Olim in die Cene Domini proximo preterito, etc., ut continetur in littera Giani Bonaguide, mercatoris Florentini, folio quarto primi quaterni, capitulo XIII°, usque constanter, auctore Domino, procedere curaremus. Sane Cambius quondam Phylippi, civis et mercator Florentinus, reprobi sensus dampnata studia, etc., usque promittens, sub pena quingentarum marcarum sterlingorum, se facturum et curaturum quod Raynerius, frater suus, Capiardinus Guillelmi Danielis, Lapus et Marcutius fratres, filii Bizochi Marci, sui socii et concives, Florentini mercatores, ad ecclesie mandata redibunt, etc., usque sub pena quingentarum marcarum sterlingorum, etc., usque amplum sinum, ac predicto Cambio, qui tunc presens aderat, etc., usque recipias a predictis Raynerio, Capiardino, Lapo et Marcutio in comitatu Provincie commorantibus, de stando super premissis, etc., usque : Quibus rite peractis, tam eosdem Raynerium, Capiardinum, Lapum, Marcutium quam dictum Cambium per omnia loca, in quibus ipsi voluerint, etc., usque de bonis ipsorum propriis vel communibus, quatenus contingunt eosdem, habentibus, etc., usque compellas. Datum apud Urbemveterem, nonis februarii, anno III°. »

502 Orvieto, 1er février 1264.

De celebratione capituli generalis et de persona magistri ordinis ordinatio. (Reg. 28, fol. 31 v°, ann. III, n° 105.)

« . . *magistro et fratribus Militie s. Jacobi.* Insignis ordinis vestri —. Nos itaque, ut efficacius in tam sancto proficiatis proposito, profectibus vestris libenter intendimus et, ne inter vos vitiorum spine succrescant, sed idem ordo flores honoris et honestatis fructus in ubertate producat, operose sollicitudinis studium et studiosam operam promptis affectibus adhibemus. Et ideo, cum in privilegio vobis ab apostolica sede concesso, contineatur expresse quod locus aliquis ordinetur, in quo per singulos annos, in solempnitate Omnium Sanctorum, generale capitulum teneatur, et sit ibi clericorum conventus et prior, qui eorum et aliorum clericorum, qui de ordine vestro fuerint, cu-

ram possit habere, ac fratrum, cum necesse fuerit, provideat animabus, presentium auctoritate statuimus ut, juxta premissum privilegii tenorem, generale capitulum annis singulis celebretur in loco ad hoc per magistrum ipsius ordinis, de consilio et consensu tredecim fratrum ejusdem ordinis vel majoris partis eorum qui, secundum ipsius privilegii statutum, eidem magistro, cum opus est, in consilio et dispositione domus assistere ac curam competentem habere debent ipsum eligendi magistrum in quolibet capitulo, postquam primo convenerit, pro anno sequenti de cetero deputando. Quod si forsan dictus magister et fratres in expeditione aliqua pro tuitione fidei constituti, seu alia rationabili vel evidenti causa forsitan impediti. non possint commode in loco hujusmodi convenire, locus alius ad id per dictum magistrum cum consilio et consensu simili deputetur. Porro, cum magister, qui fuerit pro tempore, in certis casibus, utpote si pernitiosus vel inutilis apparuerit, dicatur posse corrigi aut etiam amoveri, nos magistrum inutilem tunc fore dicimus, cum propter mentis alienationem vel sensuum impedimenta irrevocabiliter non valet, ut consueverat, utilitatem ordinis procurare, ac illum magistrum esse pernitiosum asserimus, qui castra vel hereditates, in dispendium ordinis, alienat et plus dilapidat ordini quam acquirat, prout in declaratione felicis recordationis Innocentii pape IIII, predecessoris nostri, super hoc edita, dicitur contineri; et etiam si alias inutilis aut pernitiosus existat. Ad hec, cum in eodem privilegio sit statutum ut, si aliquis ex dictis tredecim ex hac vita transierit, vel pro culpa sua seu quacumque fuerit occasione mutandus, magister cum consilio reliquorum aut majoris partis alium substituat loco ejus, nos adiciendo duximus statuendum ut ad substitutionem hujusmodi faciendam memoratus magister procedat deinceps, cum eorundem reliquorum aut majoris partis consilio et consensu. Nulli ergo nostre constitutionis, declarationis et assertionis —. Datum apud Urbemveterem, kalendis februarii, anno III°. »

503 Orvieto, 30 janvier 1264.

Quod prior et conventus ecclesiae Uclensis integre pacifice suis gaudeant decimis. (Reg. 28, fol. 32, ann. III, n° 106.)

« .. *priori et conventui canonicorum Uclensis ecclesie, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis*, *ordinis Militie s. Jacobi*, *Conchensis diocesis.* Ex parte vestra fuit propositum coram nobis quod in ordine vestro de consuetudine est obtentum et in privilegio concesso eidem ordini a sede apostolica continetur, ut clericis de laboribus et aliis bonis fratribus ipsius ordinis a Deo prestitis decime reddantur, de quibus iidem clerici libros et congrua ecclesiarum faciant ornamenta, ac in necessariis corporis convenienter sibi provideant et, si aliquid superfuerit, illud, secundum providentiam magistri dicti ordinis, in usus pauperum erogetur. Licet autem decimas de laboribus et bonis hujusmodi a fratribus predictis, juxta tenorem dicti privilegii, perceperitis ab antiquo, tamen dilectus filius.., magister ipsius ordinis, vos ipsas integre, ut debetis, percipere non permittens, magnam partem ipsarum vobis jam per plures annos pro sua voluntate subtraxit. Quare nobis fuit ex parte vestra humiliter supplicatum ut providere vobis super hoc paterna sollicitudine curaremus. Nos itaque, auditis que tu, fili prior, et.., procurator ipsius magistri, voluistis proponere coram nobis, decernimus auctoritate presentium vos predictas decimas integre debere percipere ac pacifica et quieta ipsas percipiendi decetero possessione gaudere; inhibentes memorato magistro ne vos super earumdem decimarum perceptione molestare aliquatenus vel impedire presumat. Nulli ergo nostre constitutionis et inhibitionis etc. Datum apud Urbemveterem, III kalendas februarii, anno III°. »

504 Orvieto, 31 janvier 1264.

Gundisalvum Petri ad prioratum ecclesiae Uclensis restituit. (Reg. 28, fol. 32, ann. III, n° 107.)

« *Gundisalvo Petri*, *priori ecclesie Uclensis ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis*, *ordinis Militie s. Jacobi*, *Conchensis diocesis.* In nostra et fratrum nostrorum proposuisti presentia constitutus, quod dilectus filius .., magister ordinis Militie s. Jacobi, te prioratu Uclensis ecclesie, ipsius ordinis, quem canonice fueras assecutus et per plures annos possederas pacifice ac quiete, contra justitiam spoliavit. Quare nobis humiliter supplicasti, ut te ad prioratum ipsum restituere de benignitate apostolica curaremus. Licet autem .., procurator memorati magistri, ad impediendam restitutionem hujusmodi, aliqua in contrarium pro ipso magistro duxerit proponenda, nos tamen, consideratis hinc inde propositis, de ipsorum fratrum consilio, te ad prioratum eundem restituendum fore providimus, et te ad eum ipsumque tibi restituimus, ac volumus

te pacifica dicti prioratus, jurium et pertinentiarum ejus possessione gaudere. Nulli ergo nostre provisionis et restitutionis etc. Datum apud Urbemveterem, II kalendas februarii, anno III°. »

505 Orvieto, 8 janvier 1264.

Episcopo Traguriensi mandat ut terras et possessiones quas Desaluce, civis Traguriensis, fratribus de ordine Minorum in civitate Traguriensi legavit, vendere studeat et de pretio quod ex eis provenerit, dictis Minoritis locum aptum emat ac in ipso ecclesiam, domos et officinas construi ad opus eorum faciat. (Reg. 28, fol. 32, ann. III, n° 108; Potthast 18770.)

« .. *episcopo Traguriensi.* Sua nobis dilecti filii .., guardianus, et fratres, de ordine Minorum, Tragurienses petitione monstrarunt quod quondam Desaluce, civis Traguriensis, terrena pro celestibus cupiens feliciter commutare, dictis guardiano et fratribus, quos in necessariis magnum consideravit sustinere defectum, terras, possessiones et omnia bona sua in ultima voluntate legavit; et quia fratres ipsius ordinis de possessionibus se nullatenus intromittunt nec eis licet possessiones habere, quatuor procuratores constituit, qui terras et possessiones hujusmodi procurarent, ac redditus et proventus earum in necessitates guardiani et fratrum converteret eorumdem; ita quod reddituum et proventuum predictorum residuum, si quod esset, juxta consilium provincialis ministri et aliorum fratrum ipsius ordinis de partibus illis, studerent aliis fratribus ejusdem ordinis alibi commorantibus impertiri. Quare pro parte dictorum guardiani et fratrum humiliter petebatur a nobis ut, cum eis premissa terrarum et possessionum seu reddituum et proventuum predictorum dispositio pro ipsius ordinis honestate non competat, et locus in quo hactenus morati sunt, pro eo precipue habitationi non congruat eorumdem, quia a civitate Traguriensi nimium est remotus, providere super hoc paterna sollicitudine curaremus. Nos itaque, hujusmodi necessitati dictorum guardiani et fratrum consulere cupientes, fraternitati tue mandamus quatinus, si est ita, terras et possessiones predictas, de consilio et assensu predictorum procuratorum, per te vel per alium auctoritate nostra vendere studeas, et de pretio, quod ex eis provenerit, aliquem locum dictis guardiano et fratribus aptum emas, sine juris prejudicio alieni, ac in ipso ecclesiam, domos et officinas construi ad opus facias eorumdem, talem super hiis diligentiam habiturus quod exinde digna laudibus apud nos tua sinceritas habeatur. Datum apud Urbemveterem, VI idus januarii, anno III°. »

506 Orvieto, 20 octobre 1263.

Praeposito ecclesiae s. Christinae, Urbevetanae diocesis mandat ut, ad sublevanda onera capituli s. Flaviani de Monteflascone, inter monasteria et ecclesias Balneoregensis diocesis, onera procurationum dividat. (Reg. 28, fol. 32 v°, ann. III, n° 109.)

« .. *preposito ecclesie s. Christine, Urbevetane diocesis.* Sua nobis dilecti filii .. prior et capitulum secularis ecclesie s. Flaviani de Monteflascone, Balneoregensis diocesis, petitione monstrarunt quod ipsi in exhibendis procurationibus nuntiis et legatis apostolice sedis, ac in collectis et talliis, que interdum ecclesiis Balneoregensium civitatis et diocesis imponuntur, adeo pregravantur quod non possunt amplius sine gravi dispendio sustinere; propter quod iidem nobis humiliter supplicarunt ut providere sibi et eidem ecclesie super hoc misericorditer curaremus. Quia igitur onera per partes divisa levius supportantur, discretioni tue mandamus quatinus, pensatis circumspectione provida facultatibus omnium monasteriorum et ecclesiarum in predictis civitate et diocesi existentium, auctoritate nostra statuas ut harum quelibet proportionaliter contribuat juxta vires in hujusmodi procurationibus exhibendis et collectis ac talliis supportandis; ita quod super hiis dicti prior et capitulum ac eorum ecclesia ultra facultates proprias non graventur. Quod autem super hoc duxeris statuendum, facias per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, firmiter observari. Non obstante —. Datum apud Urbemveterem, III kalendas novembris, anno III°. »

507 Orvieto, 18 février 1264.

Thammonem monasterio Pigaviensi in abbatem praeficit. (Reg. 28, fol. 32 v°, ann. III, n° 110.)

« *Thammoni, abbati monasterii Pigaviensis, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis s. Benedicti, Merseburgensis diocesis.* Imminente nobis ecclesiarum —. Sane presentatam nobis electionem, que de te in monasterio Pigaviensi, ad eandem Romanam ecclesiam nullo medio pertinente, tunc temporis abbatis regimine destituto, fuit concorditer celebrata, per venerabilem fratrem J., Portuensem episcopum, ac dilectos

filios nostros A., basilice duodecim apostolorum presbyterum, necnon J., s. Marie in Cosmidin diaconum cardinales, examinari fecimus diligenter, et demum electionem ipsam, quia in ejus forma invenimus fuisse peccatum, exigente justitia, irritavimus seu nuntiavimus irritam et inanem. Postmodum vero, nos, considerantes attente quod vota omnium monachorum dicti monasterii Pigaviensis in te concorditer concurrerunt, te tandem ,predictorum et aliorum fratrum nostrorum communicato consilio, prefato monasterio in abbatem prefecimus de nostre plenitudine potestatis, tibique administrationem ipsius monasterii tam in spiritualibus quam temporalibus committentes, munus benedictionis tibi nostris propriis manibus duximus impendendum, firma concepta fiducia quod, cum tu dicaris esse discretus et providus ac instructus laudabiliter regularibus institutis, necnon in eorum observantia studiosus, dictum monasterium per tuam industriam, divina favente clementia, in statum salutis dirigi et in prosperis debeat ampliari. Rogamus itaque discretionem tuam et hortamur attente, per apostolica tibi scripta firmiter precipiendo mandantes quatinus personaliter ad monasterium ipsum accedens, te in ejus regimine talem corde sollicito studeas exhibere, quod grex tue cure commissus, in te salutis ministrum reperisse gaudeat, et tandem propter hoc tibi claritatis eterne radius illucescat. Datum apud Urbemveterem, xii kalendas martii, anno tertio. »

In e. m. conventui monasterii Pigaviensis, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis s. Benedicti, Merseburgensis diocesis. Datum ut supra.

In e. m. ministerialibus et vassallis monasterii Pigaviensis ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis s. Benedicti, Merseburgensis diocesis.

508 Orvieto, 20 février 1264.

Officiali Trecensi mandat certas pecuniarum summas Senensibus mercatoribus exsolvi faciat. (Reg. 28, fol. 33, ann. III, n° 111.)

« . . *officiali Trecensi*. Significavit nobis dilectus filius Gaufridus de Arsiaco, thesaurarius ecclesie Suessionensis, capellanus noster, procurator dilecti filii Jacobi de Basochiis, thesaurarii Belvacensis, quod, cum ipse per litteras ipsius thesaurarii habuerit de contrahendo mutuo, nomine suo, usque ad summam ducentarum librarum turonensium, facultatem, tandem suo et predicti thesaurarii Belvacensis nomine, renuntians constitutioni de duabus dietis edite in concilio generali, et beneficio restitutionis in integrum, necnon conventioni judicum, ac omnibus litteris et indulgentiis a sede apostolica impetratis et etiam impetrandis, et exceptioni quod mutuata sibi pecunia in utilitatem dicti thesaurarii Belvacensis et suam minime sit conversa, a Matheo Raynerii, mutuante pro se et Guillelmo Raynerii ac Hugone magistri Hugolini ac Guillelmo Raynerii, civibus et mercatoribus Senensibus, nobis et ecclesie Romane devotis, ducentas libras turonenses recepit mutuo, pro expediendis in Romana curia negotiis ejusdem thesaurarii et suis, certis sibi loco et termino persolvendas, prout in publico instrumento confecto exinde, plenius dicitur contineri. Nos itaque, ad supplicationem ipsius procuratoris, eorumdem mercatorum indempnitati precavere volentes, discretioni tue mandamus quatinus per te vel alium seu alios, si forte de dicta pecunia in statutis loco et termino, prout instrumenti predicti tenor exigit, mercatoribus ipsis, quibus, pretextu alicujus constitutionis canonice vel civilis aut cujuscumque privilegii vel indulgentie, de quibus plenam et expressam oporteat in presentibus fieri mentionem, probandi necessitatem incumbere nolumus quod pecunia ipsa in utilitatem dictorum thesaurariorum sit conversa, non fuerit satisfactum, ex tunc dictos thesaurarios vel heredes eorum monere procures ut, infra duos menses post monitionem tuam, de dicta pecunia, cum justis et moderatis expensis ac debita restauratione damnorum, usuris omnino cessantibus, mercatoribus satisfaciant memoratis, ac dictos thesaurarios vel eorum heredes ad id per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compellas, non obstante constitutione predicta vel excommunicationis sententia in cives Senenses ex certa causa generaliter promulgata, vel aliqua inhibitione per nos facta, ne civibus ipsis de suis debitis debeat responderi, maxime cum supradictos mercatores, utpote nostros devotos, a sententia et inhibitione hujusmodi duxerimus excludendos, aut si dictis thesaurariis a sede apostolica sit indultum ut sibi aut heredibus suis indulgeri contingat quod suspendi vel interdici aut excommunicari, seu extra certa loca conveniri non possint, sive quibuslibet aliis indulgentiis sedis ejusdem, de quibus in nostris litteris opporteat specialem et expressam mentionem fieri, et per quas dicti thesaurarii super hiis valeant in aliquo se tueri. Datum apud Urbemveterem, x kalendas martii, anno III°. »

509 Orvieto, 23 février 1264.

Infrascriptis mandat inquirant et referant de gestis Placentini episcopi, qui Placentinam civitatem Uberto Pelavicino, persecutori ecclesiae manifesto, tradidit. (Reg. 28, fol. 33, ann. III. n° 112; Potthast 18807.)

« . . *priori provinciali Predicatorum in Lombardia, et . ., guardiano Minorum fratrum Astensium.* Eo sollertius insequi —. Sane, ad audientiam nostram pervenit quod venerabilis frater noster .., Placentinus episcopus, tanquam sibi molestum existeret quod in devotione Romane ecclesie Placentina civitas persistebat, ipsam Uberto Pelavicino, indevotionis filio et ejusdem persecutori ecclesie manifesto, dedit, ipsumque Ubertum in dictam civitatem, eum addextrando seu ipsius lateri assistendo, induxit atque processionaliter recepit eundem, postposita prorsus pontificis gravitate. Licet igitur prurientes non habeamus aures in delationibus prelatorum, quantum cum Deo possumus, deferentes eisdem, quia tamen hec non est culpa que possit vel debeat sub dissimulatione transiri, discretioni vestre mandamus quatinus super hiis apud civitatem predictam, si secure poteritis, vel alibi in loco civitati vicino eidem, ad quem tam idem episcopus quam producendi testes secure possint accedere, inquiratis sollicite veritatem, et eam fideliter conscribentes, sub sigillis vestris nobis transmittatis inclusam, prefixo eidem episcopo peremptorio termino competenti, quo per se vel procuratorem ydoneum apostolico se conspectui representet, non obstante indulgentia sedis apostolice qua dicitur ordinibus vestris esse concessum, ut fratres ipsorum ordinum cognoscere non possint inviti seu se intromittere de negotiis, que ipsis a sede committuntur eadem, nisi commissionis hujusmodi littere de ipsis indulgentia et ordinibus plenam et expressam de verbo ad verbum fecerint mentionem. Datum apud Urbemveterem, VII kalendas martii, anno III°. »

510 Orvieto, 19 février 1264.

Fratri Bartholomeo de Benevento, de ordine Praedicatorum, episcopum quondam Alatrinum, Ameliensi ecclesiae praeficit. (Reg. 28, fol. 33 v°, n° 113; Potthast 18803.)

« *Fratri Bartholomeo de Benevento, de ordine Predicatorum, episcopo Ameliensi.* Debitum officii nostri —. Datum apud Urbemveterem, XII kalendas martii, anno tertio. »

In e. m. capitulo Ameliensi. (Potthast 18804)

In e. m. clero civitatis et diocesis Ameliensium.

In e. m. populo civitatis et diocesis Ameliensium.

511 Orvieto, 28 février 1264.

Magistro Miloni mandat Bartholomeum Mancini et Raynerium, filium ejus, cives Senenses, nuntient a sententia excommunicationis absolutos esse. (Reg. 28, fol. 33 v°, ann. III, n° 114.)

« *Magistro Miloni, forisdecano ecclesie Brivatensis, scriptori et nuntio nostro.* Dilecti filii Bartholomeus Mancini et Raynerius, filius ejus, cives et mercatores Senenses, indevotionem civium Senensium sano decernentes consilio declinare ac sedi apostolice in illo constanter adherere proposito quo ipsa, pro defensione libertatis ecclesiastice ac pacifico statu fidelium, Manfredo, quondam principi Tarentino, publico jurium imperii Romanorum, patrimonii beati Petri in Tuscia ac regni Sicilie pervasori, exigente justitie debito, se opponit, nobis humiliter supplicarunt ut eos ad ipsius ecclesie gremium ac devotionem admittere et ab excommunicationum sententiis in dictos cives Senenses, propter favorem quem ipsi Manfredo presumunt impendere, et ob suam indevotionem auctoritate apostolica generaliter promulgatis, absolvere dignaremur. Dictis itaque Bartholomeo et Raynerio prestantibus de parendo precise mandatis ecclesie juramentum, circa ipsos hujusmodi sententias, juxta formam ecclesie, fecimus relaxari, et more paterno in reditu filiorum, quos error a paterna devotione produxerat, specialiter delectantes, ipsos ad gremium et devotionem ejusdem ecclesie duximus admittendos. Sane tibi dudum per nostras dedimus litteras in mandatis ut per te vel alium dictos cives Senenses singulis diebus dominicis et festivis, pulsatis campanis et candelis accensis, per omnes civitates et loca regni Francie, Alamannie ac circumadjacentium provinciarum, prout tibi videretur expediens, excommunicatos publice nuntiares et faceres nuntiari per alios, et a regibus et principibus aliisque Christifidelibus usque ad satisfactionem condignam artius evitari. Quocirca mandamus quatinus predictos B. et R. per omnia loca, in quibus petierint, per te et alios denunties absolutos et ad devotionem ipsius ecclesie rediisse, ex parte nostra universis judicibus eis a sede apostolica deputatis, et subdelegatis ipsorum ac locorum ordinariis nuntiando quod non omittant propter premissa eis justitiam exhibere. Datum apud Urbemveterem, III kalendas martii, anno III°. »

512 Orvieto, 22 février 1264.

Infrascriptis nuntiat se, electione de Theodino prius cassata, monasterio Casinensi Bernardum, monachum Casinensem, praefecisse. (Reg. 28, fol. 33 v°, ann. III, n° 115.)

« *Abbatibus, prioribus, monachis necnon clericis secularibus subjectis monasterio Casinensi, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis* (sic), *per Sardiniam constitutis, ad quos littere iste pervenerint.* Pre fulgore dignitatis immense, qua confessor almus, gratia Benedictus et nomine, monasterium Casinense multipliciter illustravit, locus ipse veluti dilectus a Domino, sicut multa redditur veneratione colendus, sic amplis meruit manuteneri favoribus et specialiter sedis apostolice presidio confoveri. Hic est enim vere locus insignis, hujusmodi almi signis prefulgidis insignitus, cujus sydereus ordo per orbem late diffusus, preminentia claritatis irradians, inibi fundamenta suscepit. Et ut majoris precellentie gloria locus ille fulgeret, post corruptibilis vite decursum, idem sanctus spiritualiter ad superna vocatus, ibidem corporaliter in Domino requiescit. Digne igitur ad eundem locum aciem nostre considerationis extendimus, digne doloris acerbitate torquemur, quod in illo dampnabiliter alieni filii debachantur, nec indigne agimus quod circa ipsum pastoralis officii debitum exequentes, insistimus ut ab eodem miseria viduitatis exclusa, reparetur utilis sponsi ministerio floridus status ejus. Sane dicto monasterio pastoris regimine destituto, major pars conventus ipsius monasterii, de mandato Manfredi, quondam principis Tarentini, persecutoris ecclesie manifesti, Theodinum, qui se gerebat pro electo in episcopum Acerarrum, olim ipsius monasterii monachum et infirmarium, spreta generali prohibitione facta per sedem apostolicam quod nullum capitulum vel conventus, absque mandato sedis ejusdem, in regno Sicilie procederet ad electionem aliquam celebrandam, in abbatem prefati monasterii nominavit, cujus nominationis pretextu, notatus T. ad eundem Manfredum accedens, fidelitatis sibi prestito juramento, administrationi dicti monasterii se irreverenter ingessit, recipiendo inter alia fidelitatem a vassallis ejusdem et illis imponendo collectas, ac alia, que ad abbatis administrationem pertinere noscuntur, publice, in dicte sedis contemptum et anime sue periculum, exercendo. Nos autem, videntes dicti monasterii per hoc obfuscari decorem et nequeuntes tantum ipsius dispendium et ignominiam tolerare, nominationem hujusmodi, non sine multiplici nominantium temeritate presumptam, cassavimus, cassam et irritam nuntiavimus ac decrevimus nullius existere firmitatis. Et quia dicebatur quod venerabilis frater noster . . , episcopus Trojanus, personaliter ad eundem Theodinum accesserit, confirmationis et benedictionis munus auctoritate nostra impensurus eidem, nos, si quid per eundem episcopum factum erat in hac parte, et ulterius fieri contigeret, cassavimus similiter et decrevimus aliquatenus non valere. Cupientes autem ut ipsum monasterium statum prosperum, divina clementia cooperante, resumat, et interponentes apostolice sollicitudinis studium, ne per vacationem diutinam incurrat in spiritualibus et temporalibus detrimentum, sperantes quoque quod per industriam dilecti filii Bernardi, abbatis ipsius monasterii Casinensis, cum habeatur vir scientia preditus, morum honestate decorus, consilii maturitate preclarus et sollicitudine circumspectus, monasterium ipsum relevetur a noxiis, et utiliter, auctore Domino, proficiat in utrisque, ipsum B. a vinculo quo tenebatur monasterio Lirinensi, cujus preerat regimini, penitus absolventes, ad predictum monasterium Casinense ipsum duximus de potestatis apostolice plenitudine transferendum, dictumque B. ipsi monasterio Casinensi de fratrum nostrorum consilio in abbatem prefecimus et pastorem. Itaque universitati vestre mandamus quatinus eidem abbati tamquam patri et pastori animarum vestrarum obedientiam et reverentiam debitam impendentes, ejus salubria mandata et monita suscipiatis ac humiliter observetis, nuntioque ejusdem, abbatis ipsius litteras deferenti, non obstante si eedem littere juxta morem bulla plumbea munite non fuerint, cum idem abbas, propter malitiam temporis bullam hujusmodi, que in dicto monasterio esse dicitur, nondum habere potuerit, de redditibus aliisque juribus sibi a vobis debitis, ipsius abbatis nomine, respondere curetis. Alioquin sententiam quam ipse rite tulerit, etc. Datum apud Urbemveterem, VIII kalendas martii, anno tertio. »

In e. m. vassallis monasterii Casinensis, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, per Sardiniam constitutis, ad quos littere iste pervenerint.

513 Orvieto, 26 février 1264.

Henrico, marchioni Misnensi, licentiam concedit missam circa ultimam noctis horam celebrari faciendi. (Reg. 28, fol. 34, ann. III, n° 116.)

« *Henrico, marchioni Misnensi.* Gaudentes et leti refe-

rimus quod tu, sicut a multis dicitur, adeo in divinis delectaris officiis et in Dei laudibus jocundaris, quod diem illum preterire credis in vanum et quasi omnino perditum reputas, in quo non adoras in missarum sollempniis corpus Christi. Verum, quia nonnulla urgentia negotia, que tibi frequenter incumbunt, te in equitando cogunt multoties ortum prevenire diei, sicque postmodum in ipsorum expeditionibus occuparis, quod non potes in hujusmodi sollempniis, horis competentibus, interesse, suppliciter petiisti tibi de gratia speciali concedi ut, talibus necessitatibus imminentibus, saltem circa ultimam partem noctis, videlicet imminente sequentis diei principio, in celebratione misse videndo credere ac credendo videre valeas sub panis specie lumen verum, Unigenitum scilicet Dei Patris. Nos igitur, attendentes quod tam laudabile desiderium in te ardor fidei et fervor devotionis accendit, ac per hoc volentes personam tuam specialis privilegii titulo insignire, ob illius reverentiam et honorem, cujus est nox et dies, qui est splendor glorie et candor lucis eterne, qui lux lucis et fons luminis noctem sicut diem illuminat, presentium tibi auctoritate concedimus ut, quoties hujusmodi necessitates emergunt, libere possis, circa ultimam noctis horam, non multum preveniendo subsequentis diei principium, facere tibi per proprium capellanum, cui ad requisitionem tuam id faciendi damus licentiam, missarum sollempnia celebrare. Nulli ergo nostre concessionis etc. Datum apud Urbemveterem, v kalendas martii, anno III°. »

514 Orvieto, 21 février 1264.

Gaufridum, capellanum suum, praeceptorem domorum hospitalis s. Antonii Viennensis in Wasconia, Taurinensi praeficit ecclesiae. (Reg. 28, fol. 34 v°, ann III, n° 117; Potthast, 18805.)

« *Gaufrido, electo Taurinensi.* Apostolice dignitatis deposcit —. Bone siquidem memorie H., Taurinensi episcopo, professore ordinis fratrum Minorum, viam universe carnis ingresso, nos provisionem Taurinensis ecclesie sic vacantis, ut in ea commodius possemus instituere personam ydoneam, nobis specialiter duximus reservandam, et demum ad personam tuam directis oculis nostre mentis, te, tunc capellanum nostrum, preceptorem domorum Hospitalis s. Antonii Viennensis in Wasconia, fratrum nostrorum communicato consilio, eidem ecclesie in pastorem prefecimus de nostre plenitudine potestatis, tibique plenam ipsius ecclesie administrationem in spiritualibus et temporalibus, nullum tamen exinde in posterum ecclesia Mediolanensi, metropolitana loci, passura prejudicium, duximus committendam, spe nobis firma proposita quod, cum sis discretus et providus ac de religiosa vita, honestis moribus et scientia commendatus, dicta Taurinensis ecclesia per tue discretionis industriam, divina favente clementia, in statum salutis dirigi et in prosperis debeat ampliari. Rogamus itaque discretionem tuam et hortamur attente firmiter precipiendo mandantes quatinus [1] ipsam Taurinensem cum nostre gratia benedictionis accedens, —. Datum apud Urbemveterem, x kalendas martii, anno III°. »

In e. m. capitulo Taurinensi.

In e. m. clero civitatis et diocesis Taurinensium.

In e. m. populo civitatis et diocesis Taurinensium Laudis humane preconium [2] —.

515 Orvieto, 29 février 1264.

Episcopo Meldensi mandat nullos et irritos nuntiet processus a capitulo Remensi adversus O., s. Adriani diaconum cardinalem, Remensem archidiaconum, ejusque officiales editos, et canonicos magis culpabiles ad audientiam apostolicam citet. (Reg. 28, fol. 34 v°, ann. III, n° 118.)

« .. *episcopo Meldensi.* Capituli Remensis nova —. Nuper siquidem, cum dilectus filius .., cardinalis ipsius officialis in archidiaconatu Remensi, propter graves, ut dicebatur, et enormes excessus in familiares et subditos ejusdem cardinalis de dicti capituli mandato commissos, in terram ipsius capituli interdicti sententiam se diceret, justitia exigente, tulisse, nuntiis ejusdem capituli propter hoc ad nos et ipsum cardinalem recursum habentibus, idem cardinalis, innate sibi benivolentie ac sincere dilectionis, quam ad dictum capitulum et Remensem gerit ecclesiam prosecutor, injurie et excessus hujusmodi, quamquam graves, quamquam amaros, quasi omnino ipsius memoriam excessissent, benigna remissione preteriens, prefatam interdicti sententiam, ad nostram requisitionem, fecit cum multa benignitatis promptitudine relaxari. Certe, si dictum capitulum liberalem exhibitionem hujusmodi gratie quo debuit libramine

1. Ces derniers mots sont récrits sur un grattage.

2. Le préambule de cette lettre est en partie récrit sur un grattage et en partie ajouté dans la marge.

pensavisset, studere debuerat ut ipsam erga memoratum cardinalem et suos repensiva devotionis et gratitudinis compensaret, et non solum ad personam ipsius se devotum ostenderet, sed et ad jura non injuriosum, immo ad conservationem ipsorum, quantum in eo esset, conservatorem favorabilem exhiberet. Verum, idem capitulum, hujusmodi gratie immemor et ad illam se omnino reddens ingratum, immerita eam compensatione prosequitur et injusta proculdubio prosecutione, immo iniqua persecutione potius, sicut per eumdem cardinalem intelleximus, recompensat, eidem cardinali tam in se quam in suis injurias pro injuriarum remissione retribuens, et pro eo quod ipse cardinalis tam benigne a sui juris prosecutione destitit, ei multiplicia impedimenta in suorum jurium executione rependens. Cum enim idem cardinalis, sicut eo referente didicimus, esset in plena et pacifica possessione convocandi et tenendi synodum in civitate Remensi, prout ad eum, ratione archidiaconatus predicti, de antiqua et approbata et hactenus pacifice observata consuetudine, Remensi sede vacante, dicitur pertinere, ac dictus officialis et quidam alii familiares sui, sede ipsius, sicut adhuc est, destituta pastore, auctoritate ipsius, synodum convocassent memoratum, capitulum archiepiscopalis jurisdictionis exercitium ad se spectare ac eam exercere se asserens, cardinali predicto, immo nobis et ecclesie Romane in ipso, tanto et tam nobili ejusdem ecclesie membro, non deferens, officiali prefato inhibitione facta, ne synodum ipsam tenere vel decetero convocare presumeret, in cardinalem ipsum, quod etiam auditui est horrendum, officialem et familiares eosdem, si secus fieret, excommunicationis sententiam presumptione damnabili fulminare presumpsit, faciens nichilominus officialem et familiares predictos excommunicari publice, ac tamquam excommunicatos de choro predicte Remensis ecclesie per Gualterum de Bretis, ipsius ecclesie canonicum, ignominiose repelli, necnon et illos qui ad synodum predictam convenerant, equis et rebus aliis nequiter spoliari, eis quod contra ipsos procederent durius diversis comminando terroribus ac eos variis comminationibus deterrendo.

Porro solebat hactenus predicta nobilis Remensis ecclesia discretis remigare per hujus mundi fluctuosa remigibus. Solebat discretione gubernari magistra, dirigi magisterio rationis. Solebat, et adhuc creditur, viros habere scientia preditos, consilii maturitate conspicuos et morum gravitate maturos. Sed in hiis, si fulciuntur veritate narrata, impetus rationem absorbuit, sapientiam ipsius superbie ventus abstulisse videtur et prefatum capitulum in consiliorum suorum multitudine defecisse. Subit igitur ex hiis, nec immerito, nobis et cunctis audientibus multe admirationis occasio. Quis ergo non miretur viros providos, solitos circumspectione pollere, sic incircumspecte, sic improvide processisse? Quis non miretur tale collegium in tantam insolentiam convenisse ut in cardinalem auctoritate, immo temeritate propria sententiam fulminaret, nec ministerio deferens nec ministro, et ad sue confusionis cumulum, non attendens quod, si etiam in ipsum jurisdictionem haberet, juris tamen censura non patitur propter alterius procuratoris etiam delictum vel contumaciam, in alterum ferri sententiam vel alii penam infligi, per quam a sacramentorum communione insons et inscius excluditur. Nec in predictis excusat, sed accusat potius quod jurisdictione archiepiscopali se uti asserit, vacationis ejusdem Remensis ecclesie tempore, capitulum memoratum, cum, sicut idem capitulum non ignorare dicitur, dudum inter bone memorie T., Remensem archiepiscopum, et prefatum cardinalem, super certis invicem contendentes articulis, extiterit per sedem apostolicam ordinatum quod alter in alterius familiam jurisdictionem aliquam non haberet, et ordinatio hujusmodi, non obstante quod in ea prefati capituli non intervenit assensus, auctoritate sedis ejusdem confirmata et prorogata fuerit ad utriusque ipsorum cardinalis et archiepiscopi successores, sicut in litteris apostolicis super hujusmodi ordinatione confectis, inter cetera perspeximus contineri, propter quod premissum processum, immo excessum predicti capituli, attendentes omni carere robore firmitatis, illum necnon et predictam sententiam contra cardinalem, officialem et familiares predictos latam, irritos decernimus et inanes, et nichilominus eosdem processum et sententiam, ac quicquid ex eis secutum est, quatenus de facto processerunt, penitus revocamus, fraternitati tue mandantes quatinus sententiam et processum hujusmodi, ubi et quando expedire videris, per te vel per alium seu alios denuntians penitus esse nullos ac revocatos, quatenus processere de facto, prefato capitulo nichilominus districte precipias ut, absque difficultate aliqua, revocet per se ipsum quicquid in premissis dinoscitur attemptasse, inhibendo sibi districtius ne in injuriam cardinalis, officialis et familiarium predictorum similia decetero attemptare presumant. Contradictores etc. Non obstante si —. Ceterum, quia cordi nobis est, sicut et nostri debitum exposcit officii, subditorum errores doctrina corrigere ac excessus disciplina debita castigare, ut tanto exces-

sui capituli memorati condigne castigationis virga non desit, tam ipsum capitulum quam memoratum Gualterum, necnon et quatuor de canonicis Remensibus, quos magis in premissis intellexeris esse culpabiles, perentorie per te vel per alium citare procures, ut infra sex hebdomadas post citationem tuam, dictum capitulum per sufficientem et ydoneum procuratorem, plenum mandatum et specialiter de parendo nostris beneplacitis super premissis habentem, alii vero personaliter compareant coram nobis, recepturi pro meritis, et mandatis apostolicis parituri. Diem autem citationis et formam et quicquid inde feceris, nobis per tuas litteras harum seriem continentes, fideliter intimare procures. Datum apud Urbemveterem, II kalendas martii, anno III°. »

516 Orvieto, 5 mars 1254.

Bertrandum de Forojuliensi ecclesia ad Avenionensem transfert. (Reg. 28, fol. 35, anno III, n° 119.)

« *Bertrando, episcopo Avinionensi.* Sollicitudinis apostolice studium —. Sane dudum Avinionensi ecclesia pastoris solacio destituta, contigit in ea duas electiones, unam videlicet de dilecto filio Rostagno, preposito ipsius ecclesie, reliquam vero de magistro Johanne, Meldensi decano, in discordia celebrari. Licet autem predictus decanus electioni de se taliter celebrate, noluerit consentire, tamen electoribus ipsius se opponentibus preposito memorato, et prosequentibus ipsum negotium contra eum apud sedem apostolicam, ad cujus examen idem negotium extiterat per appellationem legitime devolutum, tandem idem prepositus, devota deliberatione considerans irreparabilia dampna, que verisimiliter ex hoc ipsi ecclesie contingere poterant, et nolens quod eadem ecclesia collaberetur, occasione sui, vel quevis incurreret detrimenta, jus, si quod sibi ex electione hujusmodi competebat, libenter in nostris manibus resignavit. Nos igitur, paterna volentes sollicitudine precavere, ne prefata ecclesia prolixioris dispendia vacationis incurrat, et cupientes ut ipsa ecclesia, utilis presidio munita pastoris, Deo propitio, relevetur a noxiis, et optatis proficiat incrementis, ad personam tuam, quam virtutibus insignitam, sincera in Domino caritate complectimur, apostolice dereximus considerationis intuitum, ipsam fore perutilem ad gerendum ejusdem ecclesie regimen arbitrantes. Ad hoc siquidem gratiosi fructus ex tuis provenientes operibus, maxime quia Forojuliensem ecclesiam in spiritualibus et temporalibus tuarum virtutum exercitio laudabiliter gubernasti, nos multipliciter induxerunt, cum preteritorum consideratio rationem probabilem soleat indicere de futuris. Hoc etiam sincerus, quo te prosequimur, suggessit affectus ut, quod in votis de tui honoris promotione gerimus, per operis evidentiam ostendamus. Hiis itaque digna meditatione pensatis, te, olim Forojuliensem episcopum, a vinculo, quo ecclesie Forojuliensi tenebaris, absolvimus, teque ad predictam Avinionensem ecclesiam transferrentes, illi de fratrum nostrorum consilio et apostolice plenitudine potestatis, te preficimus in episcopum et pastorem. Ideoque fraternitati tue in virtute obedientie per apostolica scripta firmiter precipiendo mandamus quatenus, provide pensans quod rem majoris laboris aggrediens, potiora tibi apud Deum premia comparabis et patebit latius tuorum claritas meritorum, absque difficultatis obstaculo, translationem hujusmodi de te factam, acceptes, sicque curam et administrationem predicte Avinionensis ecclesie prudenter et utiliter exequaris, quod ipsa tuo salubri ministerio prospere dirigatur et in spiritualibus et temporalibus augmentetur, tuque, velut pastor sollicitudine pervigil, commissum tibi gregem gubernare studioso regimine comproberis ac exinde nostram et prefate sedis gratiam uberius merearis. Datum apud Urbemveterem, III nonas martii, anno III°. »

In e. m. capitulo Avinionensi. Datum ut supra.
In e. m. clero civitatis et diocesis Avinionensium.
In e. m. populo Avinionensi.
In e. m. vassallis ecclesie Avinionensis.

517 Orvieto, 20 février 1264.

Elfinensi et Cloanfertensi episcopis et archidiacono Cloanfertensi mandat ut Johannem, Aladensem episcopum, qui, cum defectum natalium patitur, a sede apostolica obtinuerit licentiam cedendi regimini pastorali sed adhuc cedere praetermiserit, ad cedendum moneant et inducant. (Reg. 28, fol. 36, anno III, n° 120; Potthast 18806.)

« .. *Elfinensi et .. Cloanfertensi episcopis et .. archidiacono Cloanfertensi.* Insinuavit nobis venerabilis —. Datum apud Urbemveterem, x kalendas martii, anno III°. »

518 Orvieto, 13 janvier 1264.

Infrascriptis mandat ut certas pecuniarum summas nonnullis mercatoribus Florentinis, ecclesiae Romanae devotis, ab eorum debitoribus persolvi faciant. (Reg. 28, fol. 36, anno III, n° 121.)

« *Percivallo de Lavania, Bajocensi, et Raynerio de Florentia, Imolensi canonicis, capellanis nostris, Parisius commorantibus.* Dilecti filii Castra Gualfredi, Dulcis, Noctius, Gualterus et Buldro de Burgo, Hugettus et Spinellus Symonetti, Donatellus et Dulcis Octaviani, Hugo Monaldi, Johannes Bonajuti, Rusosus Bacarelli, Johannes Bujamontis et Ranuccinus Ardingi, cives et mercatores Florentini, nostri et ecclesie Romane devoti, nobis significare curarunt quod, licet ipsi et quidam ex eis, suo et sociorum suorum nomine, venerabili fratri nostro .. archiepiscopo Senonensi, et nonnullis suffraganeis ipsius, ac abbatibus, prioribus, conventibus et capitulis, communitatibus, comitibus, baronibus ac quibusdam aliis clericis et laicis civitatis et diocesis ac provincie Senonensium quasdam pecuniarum summas mutuarint, certis eis locis et terminis persolvendas, eisdem comitibus, baronibus, communitatibus et laicis se summittentibus super hoc jurisdictioni ecclesiastici judicis, necnon archiepiscopo, suffraganeis, abbatibus, prioribus, conventibus, capitulis, clericis et aliis omnibus supradictis constitutioni de duabus dietis edite in concilio generali, et multis et diversis exceptionibus ac quibusdam aliis renuntiantibus, prout in instrumentis et litteris inde confectis expresse ac plenius dicitur contineri, nondum tamen est eis de hujusmodi pecuniarum summis satisfactum, quamquam solutionum termini sint elapsi, propter quod dampna gravia et expensas se asserunt incurrisse. Quocirca mandamus quatenus vos vel alter vestrum, per vos vel alium seu alios, hujusmodi debitores, eorum veritate cognita de premissis, quod de dictis pecuniarum summis, in quibus tenentur eisdem, cum justis et moderatis expensis ac debita restauratione dampnorum, usuris omnino cessantibus, debitam eis satisfactionem, infra tres menses post monitionem vestram, prout exigunt litterarum et instrumentorum ipsorum justi et rationabiles tenores, impendant, ex parte nostra, monere et inducere studeatis. Quod si infra tempus hujusmodi, vestris non acquieverint monitis et inductionibus in hac parte, vos extunc in ipsorum debitorum et majorum de conventibus, capitulis et communitatibus prefatis personas excomunicationis, in conventus vero, capitula et communitates, que contumaciter monitis vestris duxerint resistendum, vos vel alter vestrum per vos vel per alium seu alios interdicti sententias promulgetis et faciatis excomunicatos hujusmodi ab aliis artius evitari. Si vero per mensem easdem sententias sustinuerint animo indurato, eas usque ad satisfactionem condignam, ubi et quando expedire videritis, pulsatis campanis et candelis accensis, faciatis sollempniter publicari, non obstantibus si dictis archiepiscopo, suffraganeis et aliis quibuscumque a sede apostolica sit indultum quod excomunicari, suspendi vel interdici seu extra suam provinciam vel diocesim aut alia certa loca ad judicium evocari non possint, per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, ac predicta constitutione de duabus dietis edita in concilio generali, dummodo ultra tertiam vel quartam aliquis extra suam diocesim, auctoritate presentium, ad judicium non trahatur, et illa quam felicis recordationis Innocentius papa, predecessor noster edidisse dinoscitur de aliquibus per generalem clausulam quibusdam aliis ultra quatuor ad judicium non trahendis, sive qualibet alia indulgentia predicte sedis per quam effectus presentium impediri valeat vel differri, proviso ut, quoad pontificali dignitate preditos, in processu, siquis fuerit contra eos habendus, gradus et modestia, juxta constitutionem felicis recordationis Alexandri pape, predecessoris nostri, omnino servetur, seu excommunicationis sententia in cives Florentinos ex certis causis generaliter promulgata, vel aliqua inhibitione per nos facta ne ipsis civibus de suis debitis debeat responderi, maxime cum, quantum ad supradictos mercatores, sententiam et inhibitionem hujusmodi duxerimus relaxandas. Datum apud Urbemveterem, idus januarii, anno tertio. »

In e. m .. abbati s. Genovefe Parisiensis et Percivallo de Lavania, cappellano nostro, canonico Bajocensi, Parisius commoranti, pro eisdem mercatoribus, contra .. archiepiscopum Remensem et nonnullos suffraganeos ipsius etc., ut in superiori per totum.

In e. m. eisdem pro dictis mercatoribus, contra .. archiepiscopum Rothomagensem, et nonnullos suffraganeos ipsius etc., ut in prima per totum.

In e. m. eisdem pro dictis mercatoribus, contra .. archiepiscopum Turonensem, et nonnullos suffraganeos ipsius etc., ut in prima per totum.

In e. m. eisdem pro dictis mercatoribus, contra .. archiepiscopum Bituricensem, et nonnullos suffraganeos ipsius etc., ut in prima per totum.

In e. m. pro eisdem mercatoribus .. decano et .. archidiacono Londoniensibus contra .. archiepiscopum Cantuariensem, et nonnullos suffraganeos ipsius etc., ut in prima per totum.

In e. m. pro eisdem mercatoribus Jacobo de Portu, thesaurario Syracusano, et Thome, canonico Fuliginati, in Anglia commorantibus, contra .. archiepiscopum Cantuariensem, et nonnullos suffraganeos ipsius, etc., ut prima per totum.

In e. m. pro eisdem mercatoribus Rufino de Tonengo, archidiacono Clivelandie, in ecclesia Eboracensi, et magistro Innocentio, in Anglia commoranti, capellanis nostris, contra .., archiepiscopum Eboracensem, et nonnullos suffraganeos ipsius etc., ut in prima per totum.

In e. m. pro eisdem mercatoribus Jacobo de Portu, thesaurario Syracusano, et Thome, canonico Fuliginati, in Anglia commorantibus, contra .. archiepiscopum Eboracensem, et nonnullos suffraganeos ipsius etc., ut in prima per totum.

In e. m. pro eisdem mercatoribus .. archiepiscopo Dublinensi, et Angelo, canonico ecclesie s. Marie de Frusinone, Verulane diocesis, in Ibernia commoranti, contra nonnullos suffraganeos ecclesie Dublinensis etc., ut in prima per totum

In e. m. eisdem pro dictis mercatoribus contra .. archiepiscopum Tuamensem, et nonnullos suffraganeos ipsius etc., ut in prima per totum.

In e. m. eisdem pro dictis mercatoribus contra .. archiepiscopum Cassellensem, et nonnullos suffraganeos ipsius etc., ut in prima per totum.

In e. m. eisdem predictis mercatoribus, contra .. archiepiscopum Armachanum, et nonnullos suffraganeos ipsius etc., ut in prima per totum.

In e. m... episcopo Sancti Andree, pro eisdem mercatoribus, contra nonnullos episcopos regni Scotie etc., ut in prima per totum.

In e. m... episcopo Magalonensi et .. priori s. Marie de Tabulis de Montepesulano, Magalonensis diocesis, pro eisdem mercatoribus contra .. archiepiscopum Narbonensem, et nonnullos suffraganeos ipsius etc., ut in prima per totum.

In e. m. eisdem pro dictis mercatoribus contra .. archiepiscopum Aquensem, et nonnullos suffraganeos ipsius etc., ut in prima per totum.

In e. m. eisdem pro dictis mercatoribus, contra .. archiepiscopum Arelatensem, et nonnullos suffraganeos ipsius etc., ut in prima per totum.

In e. m... episcopo et .. de Lara archidiacono Burgensibus, pro eisdem mercatoribus contra .. archiepiscopum Toletanum, et nonnullos suffraganeos ipsius etc., ut in prima per totum.

In e. m... episcopo, et Bernardo de Querceto, canonico Bononiensibus, pro eisdem mercatoribus, contra .. archiepiscopum Ravennatem, et nonnullos suffraganeos ipsius etc., ut in prima per totum.

In e. m. eisdem pro dictis mercatoribus contra .. archiepiscopum Mediolanensem, et nonnullos suffraganeos ipsius etc., ut in prima per totum.

In e. m... episcopo Fesulano et .. priori Sanctorum Apostolorum Florentinorum, pro eisdem mercatoribus, contra nonnullos episcopos Tuscie etc., ut in prima per totum.

In e. m. magistris Raynerio de Viterbio et Andree Spiliati, capellanis nostris, pro eisdem mercatoribus, contra nonnullos episcopos Romane provincie etc., ut in prima per totum.

519 Orvieto, 13 janvier 1264.

De solutione debitorum nonnullis mercatoribus Florentinis fienda. (Reg. 28, fol. 37, ann. III, n° 122).

« . . *abbati s. Genovefe, et magistro Johanni de Sermineto, capellano nostro, canonico Parisiensi.* Dilecti filii Aymericus Cose, Jacobus de Scala, Petrus et Lotterius Benincase, Jacobus Letta, Thomasius Spilliati, Hugo et Maynectus Spine, Cante Spina et Teglarius de Scala, Jacobus Aymerii dictus *Lapus*, Campana Francisci, Ruccus et Dricta Cambii, Raynerius Abbatis et Teglarius Amadoris, cives et mercatores Florentini, nostri et ecclesie Romane devoti, nobis significare curarunt quod, licet ipsi et quidam ex eis, suo et sociorum suorum nomine, venerabili fratri nostro .., archiepiscopo Remensi, et nonnullis suffraganeis ipsius, etc., prout habetur in littera Castre Gualfredi et sociorum suorum retro, folio primo, capitulo XXI°; usque duxerimus relaxandas. Datum apud Urbemveterem, idus januarii, anno tertio. »

In e. m. eisdem pro dictis mercatoribus, contra .. archiepiscopum Rothomagensem, et nonnullos suffraganeos ipsius, etc., ut in alia per totum.

In e. m. eisdem [pro dictis] mercatoribus, contra .. archiepiscopum Senonensem, et nonnullos suffraganeos ipsius, etc., ut in prima per totum.

In e. m. . . officiali Cantuariensi et . . decano ecclesie s. Marie de Arcubus Londoniensis, pro eisdem mercatoribus, contra . . archiepiscopum Cantuarien-

sem, et nonnullos suffraganeos ipsius, etc., ut in prima per totum.

In e. m. eisdem pro dictis mercatoribus, contra . . archiepiscopum Eboracensem, et nonnullos suffraganeos ipsius, etc., ut in prima per totum.

In e. m. eisdem pro dictis mercatoribus, contra nonnullos episcopos regni Scotie, etc., ut in prima per totum.

Orvieto, 1er février 1264.

In e. m. magistro Riccardo, notario, et Matheo de Asperino subdiacono et capellano nostris, pro dictis mercatoribus, contra nonnullos episcopos Romane provincie, etc., usque relaxandas. Datum apud Urbemveterem, kalendis februarii, anno III°.

Orvieto, 13 janvier 1264.

In e. m . . . abbati s. Marie et . . priori s. Petri Scaradii Florentini, pro eisdem mercatoribus, contra nonnullos episcopos Tuscie, etc., usque relaxandas. Datum apud Urbemveterem, idus januarii, anno III°. »

520 Orvieto, 13 janvier 1264.

De solutione debitorum nonnullis mercatoribus Florentinis fienda. (Reg. 28, fol. 37, ann. III, n° 123.)

« *Johanni de Sermineto, Parisiensi, et Jacobo de Tonengo, Belvacensi canonicis, capellanis nostris, Parisius commorantibus.* Dilecti filii Maynectus Rambertini, Raynaldus Uberti, Phylippus Radulphi, Jacobus, Franciscus et Frankettus, filii Rambertini, Cantius Symonetti, Guelfus Raynaldi, Rota et Bucca Ammannati, et Bonvicinus Nicolai, cives et mercatores Florentini, nostri et ecclesie Romane devoti, nobis significare curarunt quod, licet ipsi et quidam ex eis, suo et sociorum suorum nomine, venerabili fratri nostro . . , archiepiscopo Senonensi, et nonnullis suffraganeis ipsius, etc., prout habetur in littera Castre Galfredi et sociorum suorum, etc., usque relaxandas. Datum apud Urbemveterem, idus januarii, anno III°. »

In e. m. eisdem pro dictis mercatoribus, contra . . archiepiscopum Remensem, et nonnullos suffraganeos ipsius, etc., ut in superiori per totum.

In eumdem modum eisdem pro dictis mercatoribus, contra . . archiepiscopum Turonensem, et nonnullos suffraganeos ipsius, etc., ut in prima per totum.

Orvieto, 26 janvier 1264.

In eumdem modum eisdem, pro dictis mercatoribus, contra . . archiepiscopum Rothomagensem, et nonnullos suffraganeos ipsius, etc., usque relaxandas. Datum apud Urbemveterem, VII kalendas februarii, anno III°.

Orvieto, 13 janvier 1264.

In eumdem modum . . decano s. Stephani, et Vicedomino de Pisis, canonico Trecensi, pro eisdem mercatoribus, contra . . archiepiscopum Senonensem, et nonnullos suffraganeos ipsius, etc., usque relaxandas. Datum apud Urbemveterem idus januarii, anno III°.

Orvieto, 26 janvier 1264.

In eumdem modum . . episcopo Dumblanensi, pro dilectis filiis Maynetto, Jacobo, Francisco et Franketto Rembertini fratribus, Phylippo Radulphi, Matheo Bonfilioli, Bucca Ammannati et Bonvicino Nicolai, civibus et mercatoribus Florentinis, contra . . nonnullos episcopos regni Scotie, etc., ut in prima usque relaxandas. Datum apud Urbemveterem, VII kalendas februarii, anno III°.

In eumdem modum . . decano et . . officiali Londoniensibus, pro eisdem mercatoribus, contra . . archiepiscopum Eboracensem, et nonnullos suffraganeos ipsius, etc., ut in superiori per totum. Datum apud Urbemveterem, VII kalendas februarii, anno III°.

Orvieto, 13 janvier 1264.

In eumdem modum eisdem, pro dictis mercatoribus, contra .. archiepiscopum Cantuariensem, et nonnullos suffraganeos ipsius, etc., ut in prima usque relaxandas. Datum apud Urbemveterem, idus januarii, anno III°.

In eumdem modum . . episcopo et . . archipresbytero Bononiensibus, pro dilectis filiis Maynecto, Jacobo, Francisco et Franketto Rambertini fratribus, Uberto Raynaldi, Phylippo Radulphi et Franco Plebanelli, civibus et mercatoribus Florentinis, contra . . archiepiscopum Ravennatem, et nonnullos suffraganeos, etc., ut in prima. Datum apud Urbemveterem, idus januarii, anno III°.

In eumdem modum . . s. Stephani, et . . s. Petri Scaradii Florentini prioribus, pro dilectis filiis Maynetto, Jacobo, Francisco et Franketto Rambertini, fratribus, Franketto Bencivenni, Uberto Raynaldi, Phylippo Radulphi, Scolaio Radulphi et Dosio Uberti,

civibus et mercatoribus Florentinis, contra nonnullos episcopos provincie Tuscie, etc., ut in prima usque relaxandas. Datum apud Urbemveterem, idus januarii, anno III°.

In eumdem modum Jordano, Laudunensi, et Andree Spiliati Florentino canonicis, capellanis nostris, pro dilectis filiis Maynetto, Jacobo, Francisco et Franketto Rambertini fratribus, Phylippo Radulphi et Franco Plebanelli, civibus et mercatoribus Florentinis, etc., contra nonnullos episcopos Romane provincie, etc., ut in prima. Datum ut supra.

521 Orvieto, 6 février 1264.

De solutione debitorum nonnullis Senensibus mercatoribus fienda. (Reg. 28, fol. 37 v°, ann. III, n° 124.)

« . . *priori s. Egidii Parisiensis et . . decano ecclesie s. Stephani Trecensis.* Dilecti filii Bartholomeus et Aringherius Jacobi, ac Andreas Christofori, cives et mercatores Senenses, nostri et ecclesie Romane devoti, nobis significare curarunt quod, licet ipsi et quidam ex eis, suo et sociorum suorum nomine, venerabili fratri nostro . . archiepiscopo Senonensi, etc., prout habetur in littera Castre Gualfredi et sociorum suorum retro, folio II°, capitulo XXI° usque relaxandas. Datum apud Urbemveterem, VIII idus februarii, anno III°. »

In e. m. eisdem, pro dictis mercatoribus, contra . . electum Lugdunensem, et nonnullos suffraganeos ipsius, etc., ut in superiori per totum.

In eumdem modum . . priori s. Dyonisii de Nogento Rotrodi, Carnotensis diocesis, et . . decano s. Stephani Trecensis, pro dilectis filiis Scudacollo Jacobi, Canti Scudacolli et Torta Scudacolli, civibus et mercatoribus Senensibus, contra .. archiepiscopum Senonensem, et nonnullos suffraganeos ipsius, etc., ut in prima per totum.

In eumdem modum eisdem pro dilectis filiis Hugolino Rustici, Bonaventura Pacis, Neapoleo Boncontis, Nicolao Pacis, Hugolino Daynelli, civibus et mercatoribus Senensibus, contra . . archiepiscopum Senonensem, et nonnullos suffraganeos, etc., ut in prima per totum.

In eumdem modum . . abbati monasterii s. Martini Trecensis, et .. priori s. Martini de Campis Parisiensis, pro dilectis filiis Palmerio Guidi, Bacha et Ductio Raynerii, Hugone Guidi, Neri Stephani, Michaele Palmeri, Raynerio Jacobi, Deutaviva Phylippi et Johanne Jacobi, civibus et mercatoribus Senensibus, contra . . archiepiscopum Senonensem, et nonnullos suffraganeos ipsius, etc., ut in prima per totum.

In eumdem modum . . abbati s. Germani de Pratis Parisiensis, et . . officiali Trecensi, pro dilectis filiis Andrea Christofori, Mino Christofori et Testa Tebaldi, civibus et mercatoribus Senensibus, contra . . archiepiscopum Senonensem, et nonnullos suffraganeos, etc., ut in prima per totum.

Orvieto, 1er février 1264.

In eumdem modum . . abbati s. Martini Trecensis et . . priori de Cella in Bria, Meldensis diocesis, pro dilectis filiis Testa Tebaldi et Guidone Lucteringi ac Andrea Christofori, civibus et mercatoribus Senensibus, contra . . archiepiscopum Senonensem, et nonnullos suffraganeos ipsius, etc., usque relaxandas. Datum apud Urbemveterem, kalendis februarii, anno III°.

Orvieto, 3 février 1264.

In eumdem modum . . s. Martini Trecensis, et . . de Rabet, Meldensis diocesis, monasteriorum abbatibus, pro Jacobo Crescentii, Bonafatio et Bartholomeo Crescentii, Bonincuntro Guastelloni et Johanne Africantis, civibus et mercatoribus Senensibus, contra . . archiepiscopum Senonensem, et nonnullos suffraganeos ipsius, etc., usque relaxandas. Datum apud Urbemveterem, III nonas februarii, anno III°.

In eumdem modum . . priori s. Gervasii de Triangulo, Trecensis diocesis, et . . decano ecclesie s. Stephani Trecensis, pro Giliberto et Orlando Friderici, civibus et mercatoribus Senensibus, contra . . archiepiscopum Senonensem, et nonnullos suffraganeos ipsius, etc., ut in superiori proxima per totum.

Orvieto, 1er février 1264.

In eumdem modum . . s. Stephani Trecensis, et . . s. Marie de Brayo supra Secanam, Senonensis diocesis, ecclesiarum decanis, pro Ugolino et Gentile Ugolini Gentilis, fratribus, civibus et mercatoribus Senensibus, contra . . archiepiscopum Senonensem, et nonnullos suffraganeos ipsius, etc., usque relaxandas. Datum apud Urbemveterem, kalendis februarii, anno III°.

Orvieto, 5 février 1264.

In eumdem modum . . abbati s. Martini Trecensis, pro Ranerio Benachi, Salimbene Ranerii, Matheo

Ranerii, Guillelmo Ranerii, Renaldo Barbotti et Andrea Christofori, civibus et mercatoribus Senensibus, contra . . archiepiscopum Senonensem, et nonnullos suffraganeos ipsius, etc., usque relaxandas. Datum apud Urbemveterem, nonis februarii, anno III°.

In eumdem modum . . s. Germani de Pratis Parisiensis, et . . s. Martini Trecensis abbatibus, pro Jacobo Tavene, Tolomeo Incontrati dicto *Meo*, Testa Tebaldi, Viviano Detavive, Dietaviva Phylippi et Andrea Christofori, civibus et mercatoribus Senensibus, contra . . archiepiscopum Senonensem, et nonnullos suffraganeos ipsius, etc., ut in superiori proxima per totum.

In eumdem modum . . abbati de Mulemme, et . . priori s. Petri de Barro super Albam, Lingonensis diocesis, pro Tese Paganelli, Jacobo Tavene, Testa Tebaldi, Viviano Dietavive, Andrea Christofori, Bartholomeo et Arigerio Jacobi, civibus et mercatoribus Senensibus, contra . . electum Lugdunensem, et nonnullos suffraganeos ipsius, etc., usque relaxandas. Datum apud Urbemveterem, nonis febrnarii, anno III°.

Orvieto, 9 février 1264.

In eumdem modum . . archidiacono et . . decano ecclesie s. Stephani Trecensis, pro Palmerio Guidi et Guastella Mathei, civibus et mercatoribus Senensibus, contra . . electum Lugdunensem, et nonnullos suffraganeos ipsius, etc., usque relaxandas. Datum apud Urbemveterem, v idus februarii, anno III°.

In eumdem modum . . Cathalaunensi et . . Suessionensi officialibus, pro Sigherio Janni, Bindo et Jacobino Sigerii et Arigo Raynerii, civibus et mercatoribus Senensibus, contra . . archiepiscopum Remensem, et nonnullos suffraganeos ipsius, etc., ut in superiori proxima per totum.

Orvieto, 5 février 1264.

In eumdem modum eisdem, pro Jacoppo Janni, Grifo Jacoppi, Arigo Ranerii et Bindo Sigerii, civibus et mercatoribus Senensibus, contra .. archiepiscopum Remensem, et nonnullos suffraganeos ipsius, etc. Datum apud Urbemveterem, nonis februarii, anno III°.

In eumdem modum . . abbati s. Vedasti, et . . officiali Atrebatensi, pro Andrea Christofori, Testa Tebaldi, Mino Christofori, Viviano Detavive, Bartholomeo Jacobi, et Guillelmo Ranerii, civibus et mercatoribus Senensibus, contra . . archiepiscopum Remensem, et nonnullos suffraganeos ipsius, etc., ut in superiori proxima per totum.

Orvieto, 9 février 1264.

In eumdem modum . . abbati de Virziliaco, et . . priori s. Petri de Barro super Albam, Eduensis et Lingonensis diocesium, pro Bonincontro Guastellone, Johanne Africantis, Jacobo, Bonifatio et Bartholomeo Crescentii, civibus et mercatoribus Senensibus, contra . . electum Lugdunensem, et nonnullos suffraganeos ipsius, etc., usque relaxandas. Datum apud Urbemveterem, v idus februarii, anno III°.

Orvieto, 8 février 1264.

In eumdem modum . . abbati s. Martini Trecensis, et .. priori Celle in Bria, Meldensis diocesis, pro Testa Tebaldi et Guidone Lutteringi, civibus et mercatoribus Senensibus, contra . . archiepiscopum Senonensem, et nonnullos suffraganeos ipsius, etc., usque relaxandas. Datum apud Urbemveterem, vi idus februarii, anno III°.

Orvieto, 9 février 1264.

In eumdem modum . . decano ecclesie s. Stephani Trecensis, et . . officiali Parisiensi, pro Sighero Janni, Bindo et Jacobo Sigherii et Arigo Raynerii, civibus et mercatoribus Senensibus, contra . . archiepiscopum Senonensem, et nonnullos suffraganeos ipsius, etc., usque relaxandas. Datum apud Urbemveterem, v idus februarii, anno III°.

Orvieto, 5 février 1264.

In eumdem modum . . priori Roffensi, pro Johanne Salimbene, Matheo et Guillelmo Raynerii, Renaldo Johannelli, Hugolino Bonaventure et Renaldo Barboti, civibus et mercatoribus Senensibus, contra . . archiepiscopum Eboracensem, et nonnullos suffraganeos ipsius, etc., usque relaxandas. Datum apud Urbemveterem, nonis februarii, anno III°.

In eumdem modum, eidem, pro eisdem, contra . . archiepiscopum Cantuariensem, et nonnullos suffraganeos ipsius, etc., ut in superiori proxima per totum.

Orvieto, 13 janvier 1264.

In eumdem modum . . Mantuano et . . Paduano episcopis, pro Raynerio et Gabriele Rusticini, Arrigo Raynerii, Renaldo, Bernardino, Gualterio et Robbaconte Renaldini, civibus, et mercatoribus Senensibus, contra . . patriarcham Aquilegensem, et nonnullos suffraganeos ipsius, etc., usque relaxandas. Datum apud Urbemveterem, idus januarii, anno III°.

In eumdem modum . . Ferrariensi, et . . Tervisino episcopis, pro Renaldo, Bernardino, Gualterio et Robbaconte Renaldini, Raynerio et Gabriele Rusticini et Arigo Raynerii, civibus et mercatoribus Senensibus, contra . . patriarcham Aquilegensem, et nonnullos suffraganeos ipsius, etc., ut in superiori proxima per totum.

522 Orvieto, 13 mars 1264.

Auximanae ecclesiae episcopalem dignitatem restituit. (Reg. 28, fol. 38, ann. III, n° 125.)

« *Ad presentium notitiam et eternam memoriam futurorum.* Recti statera judicii equo tunc examine temperatur, cum digna virtutibus premia et congrua vitiis stipendia recompensat. Sic enim quibusque quod suum est, ex ordine reddente justitia, obsequiis videlicet gratiam et injuriis talionem, ad benemerendum lentos promovent exempla mercedum, et in delicta pronos interdum ab incentivo prave similitudinis metus cohibet ultionis. Olim siquidem erga cives Auximanos et incolas castri Recanatensis, Humanatensis diocesis, apostolica sedes, eorum mater et domina specialis, hujusmodi utens judicii equitate, quia iidem cives indevotionis et rebellionis assumpserant spiritum contra illam, civitatem eorum episcopali dignitate privavit ac eam cum tota diocesi sua ad castrum predictum, cujus tunc incole dicte sedis erant devoti, transtulit, civitatem ipsam et ecclesiam Auximanam venerabili fratri nostro . . episcopo et ecclesie Humanatensibus, in recompensationem dicti castri, quod Humanatensis diocesis tunc erat, in spiritualibus summittendo. Porro predicti cives indevotionis et rebellionis hujusmodi notam per humilem, promptam et devotam obedientiam et multa grataque obsequia modernis temporibus expiarunt. Nam pro tuendis ejusdem sedis juribus et honore ac patrie libertate pugnantes, gravia rerum dampna et personarum sustinuere pericula et quasi cotidie sustinent, illata eis ab ipsius sedis persecutoribus et filiis indevotis. Dicti vero incole, in sensum dati reprobum, Dei et ejusdem sedis reverentia et timore postpositis et ad rebellionis superbiam spiritu obfirmato, persecutori sedis ejusdem contra eam ipsiusque fideles dampnabiliter adherere presumunt; propter quod, tamquam accepti a prefata sede beneficii immemores et ingrati, reddiderunt facta sibi hujusmodi gratia se indignos meritoque privandos. Id itaque nos et fratres nostri provide attendentes et considerantes prudenter quod favorem devotio promeretur, quodque urgendi sunt impugnatores ecclesie condigne punctionis aculeis, ut, si existat possibile, a sua resiliant pravitate atque ad studium devotionis debite viteque laudabilis se convertant, predictum castrum et ipsius homines, propter indevotionem et ingratitudinem eorumdem, perpetuo, de ipsorum fratrum consilio et apostolice plenitudine potestatis, supradicta episcopali dignitate privavimus, eamque dignitatem, non obstantibus privatione ac summissione premissis, civitati eidem plenarie dicteque Auximane ecclesie suam diocesim integre, predictorum civium exigentibus meritis, restituimus, prout ea habuerant ab antiquo, civitatem ipsam et habitatores ejus et predictam Auximanam ecclesiam ab omni jurisdictione predictorum episcopi et ecclesie Humanatensium penitus eximendo. Nulli ergo nostre restitutionis et exemptionis etc. Datum apud Urbemveterem, III idus martii, anno III°. »

523 Orvieto, 13 mars 1264.

Benvenutum, capellanum apostolicum et archidiaconum Anconitanum, « litterali scientia praeditum, » ecclesiae Auximanae in episcopum praeficit. (Reg. 28, fol. 38 v°, n° 126.)

« *Benvenuto, electo Auximano.* Recti statera judicii —. Datum ut supra. »

In e. m. capitulo ecclesie Auximane.

In e. m. clero civitatis et diocesis Auximanarum. (Potthast 18825.)

In e. m. populo civitatis et diocesis Auximanarum.

524 Orvieto, 13 mars 1264.

De separatione Humanatensis et Auximanae ecclesiarum. (Reg. 28, fol. 38 v°, ann. III, n° 127.)

« *Ad presentium notitiam et eternam memoriam futurorum.* Recti statera judicii etc., ut in prima usque eximendo. Ne igitur prefati episcopus et ecclesia Humanatenses, per hoc quod ab omni eorum jurisdictione supradictos civitatem ipsiusque habitatores et ecclesiam Auximanam, ut premittitur, duximus penitus eximendos, se doleant in suis juribus sustinere jacturam, episcopalem juridictionem ac omnia jura, spiritualia et temporalia, que iidem episcopus et ecclesia

Humanatenses habere in predicto castro et ejus pertinentiis consueverant, ante quam ad illud episcopalis dignitas transferretur, eisdem episcopo et ecclesie Humanatensibus, de ipsorum fratrum consilio et potestate predicta, plenarie restituimus ; ita quod idem castrum et ejus homines de predicta diocesi Humanatensi omnimode, prout fuerant ab antiquo, existant. Nulli ergo nostre restitutionis etc. Datum apud Urbemveterem, III idus martii, anno III°. »

525 Orvieto, 27 septembre 1263.

Fratrem Johannem de Colopardo, monachum Cisterciensis ordinis, Bitectensi praeficit ecclesiae. (Reg. 28, fol. 38 v°, ann. III, n° 128.)

« *Fratri Johanni de Colopardo, monacho Cisterciensis ordinis, electo Bitectensi.* Debitum nostri requirit —. Sane Bitectensi ecclesia nuper per translationem venerabilis fratris nostri F., Terracinensis tunc Bitectensis episcopi, ad Terracinensem ecclesiam factam, pastoris solatio destituta, nos nolentes quod eadem ecclesia gravia, ex vacatione diutina, in spiritualibus et temporalibus subeat detrimenta, te, de cujus provida circumspectione ac providentia circumspecta laudabile nobis a fidedignis et bonis personis testimonium perhibetur, predicte Bitectensi ecclesie de apostolice potestatis plenitudine in episcopum prefecimus et pastorem, sperantes quod eadem ecclesia sub tuo regimine laudabilibus, auctore Domino, tam in spiritualibus quam temporalibus proficiet incrementis. Ideoque mandamus quatenus, impositum a Domino tibi onus prompta mente suscipiens, taliter, auctore Deo, predictam ecclesiam studeas gubernare, ut dignam de animabus tue cure commissis, possis Altissimo reddere rationem, nosque videntes nostrum circa te non fuisse judicium circumventum, providentiam tuam dignis in Domino laudibus attollamus; proviso ne in predictam Bitectensem ecclesiam per Manfredum, quondam principem Taventinum, seu per officiales aut fautores ipsius, seu de eorum mandato vel favore, per electionem vel postulationem aut alias quoquomodo te feceris aut passus fueris vel procuraris intrudi, seu ipsius ecclesie administrationem a predictis Manfredo vel officialibus aut fautoribus, seu ab alio quocumque receperis, sine predicte sedis mandato vel licentia speciali. Nos ergo, si hec vel horum aliquid fecisti jam vel in posterum feceris, provisionem hujusmodi nullius existere firmitatis, teque penis in nostro et felicis recordationis Alexandri pape, nostri predecessoris, processibus contra tales editis, decernimus subjacere. Datum apud Urbemveterem, III kalendas octobris, anno III°. »

In e. m. capitulo Bitectensi. Debitum nostri requirit officii etc. usque detrimenta subiret, dilectum filium fratrem Johannem de Colopardo, electum Bitectensem, tunc monachum monasterii de Marmossolio, Cisterciensis ordinis, virum utique litteratum, religione conspicuum, in spiritualibus et temporalibus circumspectum, predicte Bitectensi ecclesie in episcopum prefecimus et pastorem etc., usque incrementis. Ideoque universitati vestre mandamus quatinus eundem electum, dummodo in predicta ecclesia intrusus non fuerit per Manfredum, quondam principem Tarentinum, ejusque officiales et fautores, contra inhibitionem felicis recordationis Alexandri pape, nostri predecessoris, et nostram, tanquam patrem et pastorem animarum vestrarum devote suscipientes, obedientiam ei et reverentiam debitam impendatis, ipsius monitis et mandatis salubribus humiliter intendendo. Alioquin sententiam, quam idem rite tulerit in rebelles etc. Datum ut supra.

In e. m. clero civitatis et diocesis Bitectensium.

526 Orvieto, 27 septembre 1264.

Terracinensi, Signino et Fundano episcopis mandat ut fratri Johanni de Colopardo, electo Bitectensi, munus consecrationis impendant. (Reg. 28, fol. 39, ann. III, n° 129.)

« .. *Terracinensi,.. Signino, et .. Fundano episcopis.* Cum nos dilectum filium, fratrem Johannem de Colopardo, Cisterciensis ordinis, electum Bitectensem, ecclesie Bitectensi, tunc vacanti, de apostolice potestatis plenitudine, in episcopum prefecerimus et pastorem, fraternitati vestre mandamus quatinus eidem electo, dummodo in predicta ecclesia per Manfredum, quondam principem Tarentinum, seu per fautores aut officiales ipsius, aut eorum favore vel mandato, per electionem vel postulationem, aut alio quoquomodo se non fecerit nec passus fuerit vel procuraverit intrudi, seu administrationem ejusdem ecclesie receperit ab eisdem, auctoritate nostra consecrationis munus liberaliter impendatis. Nolumus autem quod ex hoc in posterum Barensi ecclesie, cui dicta Bitectensis metropolitico est jure subjecta, prejudicium generetur. Datum apud Urbemveterem, III kalendas octobris, anno III°. »

527 Orvieto, 13 mars 1264.

Reatino et Assisinati episcopis mandat ut hominibus Nursiae, Cassiae et Montis S. Martini castrorum, durante inter eos et cives Spoletanos discordia, tribuant ecclesiae sacramenta quae tantum per episcopum conferuntur. (Reg. 28, fol. 39, ann. III, n° 130; Potthast 18824).

« .. *Reatino et.. Assisinati episcopis.* Ob puritatem devotionis quam dilecti filii Nursie, Cassie et Montis sancti Martini castrorum universitates, Spoletane diocesis, ad Romanam ecclesiam habere noscuntur, veluti ejus filii speciales, eis per nostras litteras dicimur concessisse ut, cum ipsi pro defendendis ejusdem ecclesie juribus, civium Spoletanorum, tunc indevotorum ejusdem ecclesie, odium incurrissent, tali durante inter utrosque discordia, non tenerentur ad . . Spoletanum episcopum, pro recipiendis sacramentis ecclesiasticis, que tantum per episcopum conferuntur, aliquatenus se transferre, sed ea ab aliquo vicino episcopo, gratiam et communionem apostolice sedis habente, recipere valeant usque ad nostre beneplacitum voluntatis. Ideoque fraternitati vestre mandamus quatinus vos vel alter vestrum ad predicta loca, cum oportunum fuerit, vos personaliter transferentes, personis eorumdem, juxta prescriptam formam, sacramenta hujusmodi tribuatis. Datum apud Urbemveterem, III idus martii, anno III°. »

528 Orvieto, 13 mars 1263.

Hominibus castri Matricis, Spoletanae diocesis inhibet ne adversus universitates Nursiae, Cassiae et Montis S. Petri, indevotis ecclesiae Romanae, praesertim civibus Esculanis, auxilium praestent. (Reg. 28, fol. 39, ann. III, n° 131).

« *Universitati castri Matricis, Spoletane diocesis.* Cum dilecti filii Nursie, Cassie et Montis sancti Petri castrorum universitates, tanquam ecclesie Romane filii speciales, constanter in ejusdem devotionem persistant, nosque ipsos propter hoc favore apostolico prosequamur, universitatem vestram rogamus et hortamur attente vobis nichilominus, sub pena quingentarum marcarum argenti, per apostolica scripta districte precipiendo mandantes quatinus aliquibus indevotis ejusdem ecclesie et presertim civibus Esculanis, quamdiu in sua indevotione perstiterint, contra dictas universitates vel earum aliquam, nullum prebeatis consilium, auxilium vel favorem, nec aliquem eorumdem civium in potestatem vel rectorem interim aliquatenus assumatis, preces et preceptum apostolicum super hiis taliter impleturi, quod penam evitetis eandem, nosque devotionis vestre promptudinem commendare merito valeamus. Datum apud Urbemveterem, III idus martii, anno III°. »

529 Orvieto, 5 février 1264.

Archiepiscopo Burdegalensi officium visitationis et reformationis committit in cathedrali ecclesia aliisque secularibus ecclesiis et monasteriis diocesis Pampilonensis. (Reg. 28, fol. 39 v°, ann. III, n° 132.)

« .. *archiepiscopo Burdegalensi.* Ad audientiam, referente dilecto filio.., cantore Pampilonensi, nostram noveris pervenisse quod tam in cathedrali ordinis s. Augustini, quem tu ipse professus fuisti, quam aliis ecclesiis secularibus et monasteriis Pampilonensis civitatis et diocesis, multa contra regularem disciplinam et instituta canonica, in grave animarum periculum, per pravos et irrationabiles consuetudines observantur, et multa committuntur enormia, que limam ordinationis et correctionis exposcunt, . . diocesano, et . . metropolitano loci negligentibus prosequi super hoc que ad officium pertinent eorumdem. Cum igitur, secundum apostolum, instantia nostra cotidiana sit omnium ecclesiarum sollicitudo continua, nos, cupientes huic morbo salubre antitodum (*sic*) adhiberi, fraternitati tue, de qua plenam in Domino fiduciam gerimus, per apostolica scripta mandamus quatinus, si est ita, ad dictorum monasteriorum et ecclesiarum ordinationem et reformationem impendas, secundum datam tibi a Deo prudentiam, operam et sollicitudinem diligentem, ordinando, corrigendo et reformando in eis que ordinationis, correctionis et reformationis officio noveris indigere, ac contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Si qua vero in loci diocesano corrigenda vel reformanda reppereris, illa nobis per tuas clausas litteras studeas fideliter intimare, non obstantibus —. Nolumus autem per hoc tibi, ex nostra commissione prosequenti premissa, quicquam juris accrescere seu prefatis metropolitano ac diocesano prejudicium in posterum generari. Datum apud Urbemveterem, nonis februarii, anno III°. »

530 Orvieto, 4 mars 1264.

Fratrem Symonem de Clizone Macloviensi praeficit ecclesiae (Reg. 28, fol. 39 v°, ann. III, n° 133.)

« *Fratri Symoni de Clizone, electo Macloviensi.* De variis innumerisque —. Sane dudum Macloviensi ecclesia pastoris solacio destituta, contigit in ea duas electiones, unam videlicet de dilecto filio magistro Petro Bonjurno, capellano nostro, camerario venerabilis fratris nostri . . episcopi Tusculani, reliquam vero de G., archidiacono ipsius ecclesie, in discordia celebrari. Sed eodem magistro P. electioni de se facte non prestante consensum, et tandem prefato archidiacono jus, si quod sibi ex electione hujusmodi competebat, libere in nostris manibus resignante, nos ad dilectum filium . ., abbatem Clarevallis, Cisterciensis ordinis, virum utique multa bonitate conspicuum, dirigentes nostre considerationis intuitum, de ipso providimus ecclesie memorate. Cumque idem abbas ad nostram presentiam personaliter accessisset et ob certas causas exonerari per nos ab imposito suis humeris onere hujusmodi supplicasset, nos, devicti ejusdem instantia, ipsum ab ecclesie predicte regimine duximus absolvendum. Volentes igitur paterna sollicitudine precavere ne ipsa ecclesia prolixioris dispendia vacationis incurrat, et ad personam tuam, quam odor fame nobis reddit acceptam, cum habearis vir vite laudabilis et conservationis honeste, morum honestate decorus, discretionis maturitate conspicuus, preclarus, mitis et alias in spiritualibus et temporalibus circumspectus, specialis benivolentie dirigentes affectum, sperantes quoque quod virtutibus desursum tibi traditis, insignitus, eamdem ecclesiam salubri, dante Domino, regimine gubernabis, ipsaque utilis presidio munita pastoris, optatis affluet incrementis, te ipsi ecclesie de fratrum nostrorum consilio et apostolice plenitudine potestatis prefecimus in episcopum et pastorem. Ideoque discretioni tue per apostolica scripta in virtute obedientie firmiter precipiendo mandamus quatinus, impositum tibi onus a Domino, suscipiens reverenter, sic curam et administrationem ejusdem ecclesie diligenter geras et salubriter ac utiliter exequaris ut eadem ecclesia sub tua vigilantia votivis amplificetur commodis, et in omnibus, divina operante clementia, prospere dirigatur, tuque Dei, nostram et dicte sedis gratiam perinde, tanquam benedictionis et obedientie filius, uberius consequi merearis. Datum apud Urbemveterem, IIII nonas martii, anno tertio. »

In e. m. capitulo Macloviensi.
In e. m. populo Macloviensi.
In e. m. vassallis ecclesie Macloviensis.

531 Orvieto, 17 mars 1264.

Episcopo Aurelianensi et abbati s. Genovefae Parisiensis mandat quatinus Symonem de Clichone (*sic in* Reg.) Macloviensem electum, olim priorem fratrum Praedicatorum Parisiensium, quem praefecit eidem ecclesiae in episcopum, ut impositum sibi onus suscipiat sedulis exhortationibus inducant, cum ad id, si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compellendo. (Reg. 28, fol. 40, n° 134.)

« . . *episcopo Aurelianensi, et . . abbati s. Genovefe Parisiensis.* Macloviensi ecclesia pastoris —. Datum apud Urbemveterem, XVI kalendas aprilis, anno III°. »

532 Orvieto, 12 mars 1264.

Magistro Miloni mandat ut Napoleonem Orlandi et Ferrum Bencevereni, cives Senenses, in Francia commorantes, a sententia excommunicationis absolvat in cives Senenses prolata. (Reg. 28, fol. 40, ann. III, n° 135.)

« *Magistro Miloni, scriptori nostro, in Francia commoranti.* Ex parte Napoleonis Orlandi et Ferri Bencevereni, civium et mercatorum Senensium, in Francia commorantium, fuit nobis humiliter supplicatum ut, cum ipsi, postquam Senenses, concives eorum, occasione favoris prestiti Manfredo, quondam principi Tarentino, fuerint per sedem apostolicam excommunicationis sententia innodati, in civitate Senensi personaliter non steterint, eos ab hujusmodi sententia faceremus absolvi, maxime cum ipsi constanter in ecclesie devotione persistant et stare mandatis nostris et ipsius ecclesie offerant se paratos. Nos igitur, eorum supplicationibus annuentes, mandamus quatinus ipsos, per te vel per alium aut alios, absolvas ab hujusmodi sententia, juxta formam ecclesie consuetam, injuncto eis inter alia, quod eidem Manfredo vel ejus fautoribus non prestabunt de cetero contra dictam ecclesiam consilium, auxilium et favorem, publice vel occulte. Verum, quia debita civium Senensium in certis provinciis, sub certa forma, mandavimus detineri, non est nostre intentionis mandatum hujusmodi per hoc quoad eorum vel aliorum civium Senensium debita in aliquo revocare. Datum apud Urbemveterem, IIII idus martii, anno III°. »

533 Orvieto. 23 mars 1264.

De solutione debitorum certis mercatoribus Senensibus fienda. (Reg. 28, fol. 40, ann. III, n° 136.)

« . . *abbati, et .. priori s. Genovefe Parisiensis.* Dilecti filii Stephanus Marronis, Johannes, filius ejus, Johannes et Angelus Maronis, fratres, ac alii eorum socii, cives et mercatores Romani, nobis significare curarunt quod, licet ipsi et quidam ex eis, suo et sociorum suorum nomine, venerabili fratri nostro . . archiepiscopo Senonensi, et nonnullis suffraganeis ipsius, ac abbatibus, prioribus, conventibus et capitulis, communitatibus, comitibus, baronibus, militibus ac quibusdam aliis clericis et laicis civitatis et diocesis ac provincie Senonensis quasdam pecuniarum summas mutuarint, etc., prout habetur in littera Castre Gualfredi et sociorum suorum, capitulo CXXI°, etc. usque omnino servetur. Datum apud Urbemveterem, x kalendas aprilis, anno III°. »

In e. m. eisdem, pro dictis mercatoribus, contra .., archiepiscopum Bituricensem et nonnullos suffraganeos ipsius etc., ut in superiori per totum.

In e. m. eisdem, pro dictis mercatoribus, contra . . archiepiscopum Remensem, et nonnullos suffraganeos ipsius etc. Datum ut supra.

In e. m.. . abbati et priori s. Martini Trecensis, pro eisdem mercatoribus, contra . . archiepiscopum Bisuntinum, et nonnullos suffraganeos ipsius, etc., ut in prima per totum.

In e. m. . . officiali Andegavensi, pro eisdem mercatoribus, contra . . archiepiscopum Burdegalensem, et nonnullos suffraganeos ipsius etc., ut in prima per totum.

In. e. m. magistro Gottifrido et Johanni, canonicis ecclesie s. Symeonis Treverensis, contra . . electum Treverensem, et nonnullos suffraganeos ipsius etc., ut in prima per totum.

In e. m. Jordano Seniorilis Gerboradensis, et Petro Bobonis Tungrensis, Belvacensis et Leodiensis diocesium, ecclesiarum canonicis, Parisius commorantibus, pro dilecto filio Petro Angeli Romani de Sponsa et Romano Angeli, fratre ejus, civibus et mercatoribus Romanis, contra . . archiepiscopum Senonensem, et nonnullos suffraganeos ipsius etc., ut in prima usque tenetur. Datum apud Urbemveterem, v kalendas martii, anno III°.

In e. m. eisdem, pro dilectis filiis Johanne de Viola, Leonardo et Angelo, filiis ejus, civibus et mercatoribus Romanis, contra . . archiepiscopum Senonensem, et nonnullos suffraganeos ipsius etc., ut in prima usque omnino servetur. Datum apud Urbemveterem, xv kalendas aprilis, anno III°.

534 Orvieto, 23 mars 1264.

Dispensatio super defectu natalium. (Reg. 28, fol. 40 v°, ann. III, n° 137.)

« *Abbati s. Savini, Pisane diocesis.* Ex parte dilecti filii Salvii Bonacursi, bacilli (*sic*) de Pisis, fuit propositum coram nobis quod ipse conjugatus existens, duos filios, quorum unus Perictiolus, alter vero Matheus vocantur, genuit de soluta. Quare nobis humiliter supplicavit ut, cum de quondam . ., nata sua, quam ex Maria, legitima ejus uxore, suscepit, unus tantum filius remanserit, in cujus conceptione ac formatione tantus extitit nature defectus, quod, ob sui deformitatem corporis inde contractam, redditur aliis monstruosus, nec dictus S. fratres germanos aut alios propinquos legitimos per ascendentem vel descendentem lineam habeat, cum prefatis P. et M. super defectu natalium, quem patiuntur, dispensare misericorditer curaremus. Nos itaque, obtentu dilecti filii Clerici, juris civilis professoris, familiaris nostri, nobis pro ipsis humiliter supplicantis, ipsius S. precibus inclinati, mandamus quatinus, si est ita, cum eisdem P. et M., dummodo ad id predicte Marie assensus accedat, ut in bonis paternis tanquam heredes legitimi succedere valeant, hujusmodi non obstante defectu, auctoritate nostra dispensare procures; proviso quod nominato nepoti predicti Salvii, si eum supravivere post obitum Salvii ejusdem contingat, sufficienter de bonis ipsis necessaria, quamdiu vixerit, ministrentur; ita tamen quod, si dictus Salvius prolem habuerit ex uxore legitima, hujusmodi dispensatio nullius penitus sit momenti. Datum apud Urbemveterem, x kalendas aprilis, anno III°. »

535 Orvieto, 18 mars 1264.

Infrascriptis mandat ut electo Bambergensi, palleum per Ottonem, cellerarium S. Mariae Bambergensis, postulanti, palleum conferant ab eoque fidelitatis juramentum, ecclesiae Romanae nomine, recipiant. (Reg. 28, fol. 40 v°, ann. III, n° 138.)

« . . *s. Pauli in Lavent, s. Benedicti, et de Victoria Cisterciensis ordinum monasteriorum abbatibus, Salzeburgensis*

diocesis. Dilectus filius . . electus —. Datum apud Urbemveterem, xv kalendas aprilis, anno III°. »

536 Orvieto, 13 janvier 1264.

De solutione debitorum certis mercatoribus Florentinis fienda. (Reg. 28, fol. 40 v°, ann. III, n° 139.)

« . . *decano ecclesie s. Stephani Trecensis.* Dilecti filii Ildebrandinus, Franciscus, Phylippus et Hugolinus fratres, filii Benvenuti de Bene, cives et mercatores Florentini, nostri et ecclesie Romane devoti, nobis significare curarunt quod, licet ipsi et quidam ex eis venerabili fratri nostro . . , archiepiscopo Remensi, et nonnullis suffraganeis ipsius, ac abbatibus, prioribus, etc., prout habetur in littera Castre Gualfredi et sociorum suorum, capitulo cxxi°, etc., usque relaxandas. Datum apud Urbemveterem, idus januarii, anno III°. »

537 Orvieto, 2 octobre 1263.

Archiepiscopo Bituricensi declarat se privilegio exemptionis ecclesiae S. Hilarii Pictavensi concesso, paci per Gregorium papam IX inter episcopos Bituricensem et Burdegalensem factae, in aliquo derogari noluisse. (Reg. 28, fol. 41, ann. III, n° 140.)

« . . *archiepiscopo Bituricensi.* Dudum inter bone memorie, Johannem, episcopum Pictavensem, ex parte una, et . . thesaurarium, . . decanum et capitulum ecclesie s. Ylarii Pictavensis super subjectione, obedientia et reverentia et aliis juribus episcopalibus, que ad se idem episcopus in predicta ecclesia spectare dicebat, ex altera, questione suborta, et causa hujusmodi a tempore felicis recordationis Innocentii pape IIII, predecessoris nostri, usque ad tempora nostra protracta, nos tandem, partium compatientes laboribus et parcentes expensis, procuratoribus eorumdem partium consistentibus in nostra presentia seque super toto hujusmodi negotio nostre ordinationi ac provisioni nostroque beneplacito summittentibus, per pie nuper ordinationis et provisionis remedium, finem eidem cause duximus imponendum, prout in litteris nostris super hoc obtentis, plenius continetur. Verum, quia procurator tuus, dubitans ne tibi et ecclesie tue, per ordinationem et provisionem hujusmodi, aliquod ex eo potissime fieret prejudicium, quod in dicta ordinatione et provisione habetur expresse quod eadem ecclesia s. Ylarii ab omni dominio, potestate ac jurisdictione Pictavensis episcopi libera et exempta, et Romane ecclesie immediate subjecta remaneat, exemptionis et libertatis a nobis privilegio munienda, nobis humiliter supplicavit ut providere in hac parte tibi et ipsi ecclesie tue apostolica sollicitudine curaremus, nos tenore presentium declaramus quod nostre nequaquam intentionis extitit vel existit, per predicta verba vel alia in hujusmodi nostra ordinatione ac provisione contenta, seu per privilegium exemptionis et libertatis, quo dictam ecclesiam s. Ylarii muniendam fore decrevimus, ordinationi, compositioni, provisioni seu paci, olim per felicis recordationis Gregorium papam, predecessorem nostrum, inter bone memorie . . , Bituricensem, predecessorem tuum, et . . Burdegalensem episcopos facte, in aliquo derogari. Nulli ergo nostre declarationis, etc. Datum apud Urvemveterem, vi nonas octobris, anno III°. »

538 Orvieto, 17 mars 1264.

Infrascriptis indulget ut aliquis frater eorum ordinis coram aliquo saeculari judice conveniri non possit, occasione alicujus obligationis contractae in saeculo, ante ingressum ordinis supradicti. (Reg. 28, fol. 41, ann. III, n° 141.)

« . . *majori et fratribus Militie ordinis b. Marie Virginis gloriose Bononiensis.* Desideriis vestris in —. Datum apud Urbemveterem, xvi kalendas aprilis, anno III°. »

539 Orvieto, 15 mars 1264.

Episcopo Mantuano mandat ut, inquisitione praehabita, confirmet electionem fratris Grasedini in priorem ecclesiae SS. Marcellini et Petri Brixiensis, ordinis S. Marci Mantuani, electi, eique munus benedictionis impendi faciat. (Reg. 28, fol. 41, ann. III, n° 142.)

« . . *episcopo Mantuano.* Exhibita nobis dilectorum filiorum conventus ecclesie ss. Marcellini et Petri Brixiensis, ordinis s. Marci Mantuani, petitio continebat quod ecclesia ipsa, que per priorem consuevit hactenus gubernari, destituta priore, dicti conventus, die ad eligendum prefixa, dilecto filio . . , preposito ecclesie s. Petri in Oliveto Brixiensis, providendi eidem ecclesie ss. Marcellini et Petri, vice omnium, de priore ydoneo contulerunt unanimiter potestatem, promittentes eum in suum et ipsius ecclesie priorem

recipere, quem dictus prepositus de gremio prefate ecclesie ss. Marcellini et Petri vel aliunde in priorem deputaret eisdem. Porro, cum dictus prepositus, habens pre oculis solum Deum, dilectum filium fratrem Grasedinum, canonicum ecclesie s. Marci de Mantua, supradicti ordinis, ipsius ecclesie ss. Marcellini et Petri deputasset, potestate sibi tradita, in priorem, tandem dicti conventus id sponte et concorditer acceptarunt, dilecto filio .., priore s. Marci, super hoc suum assensum liberaliter exhibente. Quare, pro parte dictorum conventus humiliter petebatur a nobis ut, cum electus ipse dilectum filium M., Brixiensem electum, existentem apud sedem apostolicam, propter malitiam temporis commode adire nequeat, pro confirmationis et benedictionis munere obtinendo, providere super hoc paterna diligentia curaremus. Nos itaque, de assensu ipsius Brixiensis electi, fraternitati tue mandamus quatinus, de meritis persone dicti fratris G. ac provisionis hujusmodi diligentius inquisito, si provisionem ipsam inveneris de persona ydonea canonice celebratam, illam auctoritate nostra confirmans, facias eidem fratri G. a suis subditis obedientiam et reverentiam debitam exiberi ac munus benedictionis impendi; injuncto sibi nichilominus ut eidem electo Brixiensi, quamcito ad ecclesiam suam pervenerit, se presentet, ei juramentum fidelitatis solite prestiturus. Contradictores, etc. Datum apud Urbeveterem, idus martii, anno III°. »

540 Orvieto, 31 mars 1264.

Ordinationem prolatam a G., tituli S. Marci presbytero cardinale, in lite inter cives et mercatores Romanos, creditores ecclesiae Metensis, exorta, confirmat. (Reg. 28, fol. 41, anno III, n° 143.)

« *Civibus et mercatoribus Romanis, creditoribus ecclesie Metensis.* Licet ea que. — Exhibita nobis vestra petitio continebat quod dudum, inter bone memorie Jacobum, Metensem episcopum, ex parte una, et vos ac singulos vestrum super diversis pecuniarum summis, in quibus vos eundem episcopum et Metensem ecclesiam dicebatis fore vobis, ex causa mutui, obligatos, dampnis, expensis et interesse, ex altera, diversis questionibus suscitatis, tandem, cum super hiis coram bone memorie H., tituli s. Sabine presbytero, et P., s. Georgii ad Velum Aureum diacono cardinalibus, quos felicis recordationis Alexander papa, predecessor noster, deputaverat in questionibus hujusmodi partibus auditores, fuisset aliquandiu litigatum, in presentia ipsius predecessoris et fratrum suorum, inter singulos vestrum et dilectum filium Rogerum, decanum ecclesie s. Salvatoris Metensis, capellanum et procuratorem ejusdem episcopi, pro eo, a quo habebat ad componendum, transigendum et paciscendum super hiis vobiscum speciale mandatum, intervenerunt super premissis, mediantibus eisdem cardinalibus, quedam compositiones, in quibus idem procurator confessus extitit quasdam pecuniarum quantitates, quas petebatis ab eodem episcopo, queque simul accumulate, tredecim milium marcharum sterlingorum ascendebant summam, et recognovit idem procurator dictum episcopum ac eandem Metensem ecclesiam teneri vobis in hujusmodi quantitatibus, ac illas in utilitatem ipsius Metensis ecclesie fuisse conversas, promittens vobis inter alia, nomine ipsius episcopi et successorum suorum, in festo Omnium Sanctorum tunc proximo futuro, et deinceps in eodem festo tamdiu, singulis annis, solvere in Urbe mille marcas sterlingorum, videlicet cuilibet vestrum quantitatem, que ipsum de dictis mille marcis, pro rata quantitatis pecunie sibi debite, contingebat, quousque de hujusmodi summa tredecim milium marcarum sterlingorum, in qua episcopus et ecclesia Metensis, predicti vobis, ut predicitur, obligati erant, foret vobis plenarie satisfactum. Hujusmodi autem compositiones predicti cardinales, auctoritate ipsius predecessoris sibi ab eo in hac parte commissa, statuerunt, mandaverunt et preceperunt firmiter observari, ac eundem episcopum, si in statutis terminis, in solutione predictarum quantitatum pecunie, in quibus singulis vestrum tenebatur, cessaret, seu contra easdem compositiones faceret vel veniret, excommunicationis sententia innodarunt et nichilominus alias penas imposuerunt eidem, prout in instrumentis publicis inde confectis et munitis sigillis cardinalium eorumdem, plenius dicitur contineri; dictusque predecessor, quod super hoc ab eisdem cardinalibus factum extitit, ratum habens et firmum, id per suas litteras dicitur confirmasse. Sane dicto episcopo, qui de prefata summa tredecim milium marcarum, juxta tenores compositionum ipsarum, vobis, prout asseruistis in nostra presentia constituti, tria milia marcarum sterlingorum pro tribus annis persolvit, viam universe carnis ingresso, et dilecto filio Guillelmo, electo Metensi, ad regimen ipsius ecclesie Metensis assumpto, vos, asserentes quod per quatuor annos fuerat in solutione predictarum mille marcarum sterlingorum cessatum, ab eodem electo, tunc constituto apud sedem apostolicam, de quatuor

milibus marcarum sterlingorum, pro quatuor annis preteritis, necnon et dampnis et expensis ac interesse vobis satisfieri postulastis. Et licet, pro parte ipsius electi, excusationes varie fuissent proposite quare ad id non esset artandus, tamen, eodem electo apud sedem existente predictam, inter vos et ipsum, dilecto filio nostro G., tituli s. Marci presbytero cardinali, de mandato nostro, ad hoc prebente operam, diversi habiti sunt tractatus de facienda super predictis concordia inter partes, que in ipsius electi presentia non potuit provenire. Nos autem, post recessum ejusdem electi, volentes tam ipsius electi et prefate Metensis ecclesie quam vestre indempnitati consulere, ac ipsorum et vestris dispendiis et gravaminibus in hac parte paterna sollicitudine obviare, eidem cardinali, in fratrum nostrorum presentia, commisimus oraculo vive vocis, ut super hoc ordinaret, provideret, decerneret ac statueret, prout utilitati et paci partium videret melius expedire. Idem vero cardinalis, consideratis hujusmodi tractatibus et inspecta nichilominus voluntate predicti electi, quam de concordia tractando inter partes perpendit, auctoritate nostra quandam ordinationem, provisionem et statutum inter partes fecit easdem, in qua quidem ordinatione inter alia continetur quod, si predictus electus in aliquo terminorum ad hoc statutorum, cessaverit in toto vel in parte in solutione pecunie, quam in eo, juxta formam hujusmodi ordinationis, tenetur solvere, idem G. cardinalis predictum electum excommunicationis sententie ac omnibus penis et obligationibus quibuscumque, in quas debuisset incidere prefatus episcopus, si viveret et contra compositiones veniret predictas, subjaceret, decrevit. Predictum autem electum et successores ejus ad penas aliquas seu dampna, expensas vel quodcumque interesse, pro eo quod dictis quatuor annis fuit in predictarum mille marcarum solutione cessatum, teneri noluit, sed ipsos de vestra voluntate absolvit penitus ab eisdem. Voluit tamen ut prelibate compositiones, facte per predictos H. et P. cardinales, quo ad alia in ipsis contenta, in sua firmitate perdurent, prout in instrumento publico inde confecto, sigillato sigillo ipsius G. cardinalis, plenius continetur. Nos itaque, vestris supplicationibus inclinati, ordinationem, provisionem et statutum hujusmodi rata habentes et firma, ea auctoritate apostolica, de fratrum nostrorum consilio, confirmamus etc., usque communimus, tenorem ipsius instrumenti de verbo ad verbum presentibus inseri facientes; qui talis est :

« In nomine Domini amen. Dudum inter cives et mercatores Romanos, creditores ecclesie Metensis, et eorum singulos, ac bone memorie Jacobum, Metensem episcopum, super diversis pecuniarum summis, in quibus eundem episcopum et ipsam ecclesiam Metensem prefati mercatores sibi dicebant, ex causa mutui, obligatos, dampnis, expensis et interesse questionibus variis suscitatis, tandem, cum coram bone memorie H., tituli s. Sabine presbytero, et P., s. Georgi ad Velum Aureum diacono cardinalibus, quos felicis recordationis dominus Alexander papa quartus in questionibus hujusmodi deputaverat partibus auditores, fuisset aliquandiu litigatum, in presentia prelibati predecessoris et fratrum suorum, inter singulos predictorum mercatorum, et discretum virum Rogerum, decanum s. Salvatoris Metensis, capellanum et procuratorem ipsius episcopi, pro eo, a quo habebat ad componendum, transigendum et paciscendum super hiis cum prefatis mercatoribus speciale mandatum, intervenerunt super premissis compositiones quedam, mediantibus cardinalibus supradictis, in quibus idem procurator confessus est quasdam quantitates, quas dicti mercatores petebant ab eodem episcopo, que omnes accumulate ad summam tredecim milium marcarum sterlingorum, tredecim solidis et quatuor sterlingis computatis pro marca qualibet, ascendebant, et recognovit idem procurator dictum episcopum ac eandem ecclesiam Metensem mercatoribus supradictis in hujusmodi quantitatibus teneri, ac illas in utilitatem ipsius ecclesie fuisse conversas, promittens ipsis mercatoribus inter alia, nomine dicti episcopi et successorum suorum, in festo Omnium Sanctorum, tunc secundo futuro, et deinceps in eodem festo tamdiu, singulis annis, solvere in Urbe mille marcas bonorum, novorum et legalium sterlingorum, computandas modo predicto, videlicet cuilibet ipsorum quantitatem, que ipsum de dictis mille marcis, pro rata quantitatis sibi debite contingebat, quousque de hujusmodi summa tredecim milium marcarum sterlingorum, in qua, ut predicitur, eisdem mercatoribus obligati erant episcopus et ecclesia supradicta, foret plenarie satisfactum. Has quoque compositiones memorati cardinales, auctoritate prelibati predecessoris sibi ab eo in hac parte commissa, statuerunt, mandaverunt, preceperunt firmiter et inviolabiliter perpetuo observari, ac eundem episcopum, si in statutis terminis in predictarum quantitatum solutione cessaret seu contra easdem compositiones faceret vel veniret, excommunicationis sententia innodarunt, et alias penas nichilominus imposuerunt eidem, confectis, ut dicitur, super singulis quantitatibus, quas singuli mercatores petebant, singularibus publicis instrumentis et sigillis eorumdem

cardinalium sigillatis; dictusque predecessor quod super hoc ab eisdem cardinalibus factum extitit, ratum habens et firmum, id per suas litteras dicitur confirmasse. Sane, prefato episcopo, qui de summa predicta tredecim milium marcarum sterlingorum, juxta tenores compositionum ipsarum, eisdem mercatoribus, sicut coram nobis ipsi etiam asserebant, tria milia marcarum sterlingorum, pro tribus annis, in termino statuto persolvit, viam universe carnis ingresso, et venerabili in Christo patre domino Guillelmo, electo Metensi, ad eandem ecclesiam promoto, dicti mercatores asserentes quod per quatuor annos fuerat in solutione prefate pecunie, secundum earundem compositionum continentiam, facienda, cessatum, ab eodem electo, tunc apud sedem apostolicam constituto, de quatuor milibus marcarum sterlingorum, pro quatuor annis transactis, necnon et dampnis et expensis ac interesse sibi satisfieri postulabant. Et licet pro parte ipsius electi excusationes varie fuissent proposite, quare ad id non esset artandus, tamen, eodem electo adhuc constituto apud sedem eandem, inter ipsum et dictos mercatores, nobis G., tituli s. Marci presbytero cardinali, de mandato sanctissimi patris et domini nostri domini Urbani, divina providentia summi pontificis, ad hoc operam prebentibus, diversi fuerunt tractatus habiti de facienda super predictis concordia inter eos. Cumque, in ipsius electi presentia, inter ipsos hujusmodi provenire concordia nequivisset, post recessum ipsius, idem dominus noster, summus pontifex, volens tam ipsius electi et ecclesie prefate [1] quam predictorum mercatorum indempnitati consulere, ac eorum dispendiis et gravaminibus in hac parte paterna sollicitudine obviare, vive vocis oraculo, in presentia fratrum suorum et in consistorio, nobis commisit ut super hoc ordinare, providere, decernere ac statuere deberemus, prout utilitati et paci eorundem electi, ecclesie ac mercatorum videremus melius expedire.

« Nos igitur, consideratis tractatibus supradictis et inspecta nichilominus voluntate ipsius electi, quam, ut dictum est, inter eos de concordia tractando perpendimus, auctoritate prefati domini nostri providemus, ordinamus et statuimus, quod supradictos electum seu successores sui solvant in Urbe decem milia marcarum, que de predicta summa tredecim milium marcarum supersunt, usque ad decem annos computandos a festo Omnium Sanctorum ex nunc secundo venturo. In quo quidem secundo venturo festo, solvat in Urbe mille marcas assignandas, nomine ipsorum mercatorum,.. priori s. Sabine, qui pro tempore fuerit, et dividendas per ipsum priorem inter singulos predictos mercatores, pro rata quantitatis que, juxta tenores predictarum compositionum singulis debetur eorum; ita quod per assignationem factam memorato priori, prefatis ecclesie ac electo Metensi et successoribus, quoad quantitatem taliter assignatam, liberatio plena contingat, et deinceps singulis annis in eodem festo tantumdem simili modo assignandum et dividendum, donec de predictis decem milibus marcarum sterlingorum fuerit dictis mercatoribus plenarie satisfactum; ita etiam quod in qualibet solutione, fiat a singulis predictorum mercatorum vel procuratore ipsorum, plenum super hoc mandatum habente, refutatio eidem electo vel successoribus suis predictis de hiis que ipsis fuerint persoluta. Si vero predictus electus in aliquo termino cessaverit in toto vel in parte in solutione pecunie, quam in eo, juxta formam hujusmodi nostre ordinationis, tenetur solvere, ipsum excommunicationis sententie ac omnibus penis seu quibuscumque obligationibus, in quas debuisset incidere prefatus episcopus, si viveret, et contra compositiones veniret predictas, decernimus subjacere. Predictos autem electum et successores ad penas aliquas seu dampna, expensas vel quodcumque interesse, pro eo quod dictis quatuor annis fuit in solutione cessatum, teneri nolumus, sed ipsos absolvimus, de voluntate dictorum mercatorum, penitus ab eisdem. Volumus tamen ut prelibate compositiones facte per cardinales predictos, quoad alia in ipsis contenta, in suo robore perseverent. In cujus rei testimonium et certitudinem pleniorem, presens instrumentum fecimus nostri sigilli munimine communiri. Data, lecta et recitata in domo dicti domini cardinalis, sub anno Domini M° CC° LXIIII°, indictione VII^a, mense martii die quinta exeunte, pontificatus domini Urbani pape IIII anno tertio. Actum apud Urbemveterem, presentibus hiis testibus, videlicet domino Hugone, abbate de Blantiaco, domino Godefrido Ambianensi, capellano dicti domini cardinalis, domino Guillelmo de Pampilone, capellano ejusdem cardinalis, Nicolao, capellano s. Michaelis de Remis, magistro Renerio de Pissiaco, magistro Guillelmo, archidiacono de Caturco, Rogerio Mathei, canonico Florentino. Ego, Stephanus Juvenalis Mannetti, s. Romane ecclesie judex et notarius, quia predictis omnibus interfui, ea omnia de mandato dicti domini Guillelmi cardinalis, scripsi et in publicam formam redegi rogatus. »

1. Ce mot a été ajouté en marge.

Nulli ergo nostre confirmationis, etc. Datum apud Urbemveterem, II kalendas aprilis, anno tertio. »

In e. m. eisdem mercatoribus. Licet ea, etc., ut in superiori proxima usque anno tertio. Presentibus hiis testibus, etc., usque canonico Florentino, hoc excepto quod instrumentum confectum fuit per manum notarii infrascripti, cujus subscriptio talis est: Et ego, magister Gerardus Juncte Deocredi, publicus notarius predicti domini G., cardinalis, predictis interfui et de mandato ejusdem domini mei cardinalis, omnia et singula supradicta que per ipsum lecta et recitata fuerunt coram me ad hoc vocato, publice scripsi ideoque subscripsi et meo signo signavi. Nulli ergo, etc. Datum ut supra.

In e. m. eisdem. Licet ea, etc., usque perseverent. In hujus itaque rei evidentiam pleniorem, presens instrumentum, per infrascriptum notarium de mandato nostro scriptum, sigilli nostri fecimus appensione muniri. Data, acta, lecta et recitata apud Urbemveterem, in domo nostri, Guillelmi cardinalis predicti, sub anno, etc., usque canonico Florentino, vocatis et rogatis. Instrumentum vero predictum confectum fuit per manum ejusdem notarii, cujus subscriptio talis est: Et ego, Guillelmus Nicolai, auctoritate s. Romane ecclesie notarius ac prefati domini cardinalis scriba, predictis interfui, et, ut supra legitur, de mandato ipsius domini cardinalis, scripsi et in publicam formam redegi meoque signo signavi. Nulli ergo, etc. Datum ut supra. »

541 Orvieto, 31 mars 1264.

Abbati s. Gregorii et priori ecclesiae Lateranensis praedictae ordinationis executionem committit. (Reg. 28, fol. 42 v°, ann. III, n° 144.)

« *. . abbati s. Gregorii et . . priori ecclesie Lateranensis de Urbe.* Licet ea, que auctoritate nostra fiunt, etc., usque firmitatem. Exhibita nobis dilectorum filiorum civium et mercatorum Romanorum, creditorum ecclesie Metensis, petitio continebat quod dudum inter bone memorie Jacobum, Metensem episcopum, ex parte una, et cives ac mercatores Romanos, creditores Metensis ecclesie, ac singulos civium ipsorum, etc., usque perdurent, prout in instrumento publico inde confecto, sigillato sigillo ipsius G. cardinalis plenius continetur. Cum autem, predictorum civium supplicationibus inclinati, ordinationem, provisionem et statutum hujusmodi rata habentes et firma, ea auctoritate apostolica de fratrum nostrorum consilio duxerimus confirmanda, mandamus quatinus vos vel alter vestrum, per vos vel per alium aut alios, ordinationem, provisionem et statutum predicta executioni debite demandantes, contradictores, etc., usque compescendo, predictum electum, si forte in aliquo terminorum hujusmodi cessaverit in toto vel in parte in solutione pecunie, quam in eo, secundum tenorem predicte ordinationis, tenetur solvere, usque ad satisfactionem condignam, excommunicatum publice nuntietis et faciatis nuntiari ab aliis, et ab omnibus artius evitari. Non obstante si —. Datum ut supra. »

542 Orvieto, 27 mars 1264.

De solutione debitorum certis mercatoribus Romanis fienda. (Reg. 28, fol. 43, ann. III, n° 145.)

« *Jordano Seniorilis Gerboredensis, et Petro Bobonis, Tungrensis, Belvacensis et Leodiensis diocesium ecclesiarum canonicis, Parisius commorantibus.* Dilecti filii Petrus et Paulus Riccomanni, fratres, Romanus Angeli, Franciscus et Andreas, fratres, filii Petri Angeli Romani de Sponsa, cives et mercatores Romani, nostri et ecclesie Romane devoti, nobis significare curarunt quod, licet ipsi et quidam ex eis, suo et sociorum suorum nomine, venerabili fratri nostro . . , archiepiscopo Senonensi, et nonnullis suffraganeis ipsius, ac abbatibus, prioribus, conventibus et capitulis, communitatibus, comitibus, baronibus ac quibusdam aliis clericis et laicis civitatis et diocesis ac provincie Senonensis quasdam pecuniarum summas mutuarint, etc., prout habetur in littera Castre Gualfredi et sociorum suorum, capitulo CXXI°, etc., usque omnino servetur. Datum apud Urbemveterem, VI kalendas aprilis, anno tertio. »

In e. m. eisdem, pro dictis mercatoribus, contra . . archiepiscopum Remensem, et nonnullos suffraganeos ipsius, etc., ut in superiori per totum.

In e. m. . . cantori et Phylippo de Planci, canonico ecclesie Trecensis, pro eisdem mercatoribus, contra . . archiepiscopum Bisuntinum, et nonnullos suffraganeos ipsius, etc., ut in prima per totum.

Orvieto, 2 avril 1264.

In e. m. . . priori s. Bernardi, et Phylippo de Planci, canonico Trecensi, pro dilectis filiis Angelo Scarso,

filio quondam Jacobi Scarsi juvenis, et Angelo Johannis Judei, civibus et mercatoribus Romanis, contra . . archiepiscopum Senonensem, et nonnullos suffraganeos, etc., usque servetur. Datum apud Urbemveterem, IIII nonas aprilis, anno III°.

In e. m. . . priori s. Bernardi Trecensis, pro eisdem mercatoribus contra . . electum Lugdunensem, et nonnullos suffraganeos ipsius, etc., usque servetur. Datum ut supra.

In e. m. Petro Comitis, thesaurario Tripolitano, et Petro Inglibaldi, canonico ecclesie s. Marci de Urbe, Parisius commorantibus, pro eisdem mercatoribus, contra . . archiepiscopum Remensem, et nonnullos suffraganeos, etc. Datum ut supra.

Orvieto, 1er avril 1264.

In e. m. . . episcopo et . . cantori Nigripontensi, pro dilecto filio Petro Pelegrini, filio Mathei de Marco, cive et mercatore Romano, contra . . archiepiscopum Thebanum, et nonnullos suffraganeos, etc. Datum apud Urbemveterem, kalendis aprilis, anno III°.

In e. m. magistris Johanni de Trebis, archidiacono, et Berardo de Anagnia, cantori Corinthiensibus, pro dilectis filiis Jacobo et Nicolao, filiis quondam Nicolai Muti, Petro Catellini et Thomasio de Ritoldo, civibus et mercatoribus Romanis, contra . . archiepiscopum Patracensem, et nonnullos suffraganeos ipsius, etc. Datum ut supra.

Orvieto, 5 avril 1264.

In e. m. . . decano, et magistro Felici, canonico ecclesie s. Stephani Trecensis, pro dilectis filiis Sinibaldo, Matheo et Andrea Caputii sociis, civibus et mercatoribus Romanis, contra . . electum Lugdunensem, et nonnullos suffraganeos ipsius, etc. Datum apud Urbemveterem, nonis aprilis, anno III°.

Orvieto, 4 avril 1264.

In e. m. magistris Nicolao de Senis, capellano nostro, Parisiensis, et Jordano Signorilis, Gerboredensis, Belvacensis diocesis, ecclesiarum canonicis, pro dilectis filiis Petro et Angelo Caranzonis, civibus et mercatoribus Romanis, quod, licet ipsi et alter ex eis, suo et alterius nomine, venerabili fratri nostro . . archiepiscopo Senonensi, et nonnullis suffraganeis ipsius, etc., usque servetur. Datum apud Urbemveterem, II nonas aprilis, anno III°.

In e. m. eisdem, pro dictis mercatoribus, contra .. archiepiscopum Remensem, et nonnullos suffraganeos ipsius, etc. Datum ut supra. »

543 Orvieto, 3 avril 1264.

Infrascriptis mandat ut omnes excommunicationis vel alias sententias, in controversia inter capitulum Remense et O., s. Adriani diaconum cardinalem, Remensem archidiaconum, exorta, prolatas, cassas et irritas nuntiet certosque ecclesiae Remensis canonicos ad audientiam citet apostolicam. (Reg. 28, fol. 43, ann. III, n° 146.)

« . . *episcopo Meldensi, et magistro Symoni, canonico Vercellensi, Parisius commoranti.* Petitio dilecti filii nostri O., s. Adriani diaconi cardinalis, Remensis archidiaconi, continebat quod, cum . ., officialis suus in archidiaconatu Remensi, prout ad ipsum, ratione jurisdictionis ecclesiastice, quam in civitate et toto archidiaconatu suo Remensi obtinere dinoscitur, pertinet, bona Amaurici, filii Mileti dicti *Frosart*, clerici Remensis, pro eo quod dicebatur homicidium commisisse, saysiri fecisset, certis in illius domo propter hoc custodibus deputatis, Rogerus et Richerus, laici, apparitores capituli Remensis, qui pro saysiendis bonis eisdem, ex parte ipsius capituli, super hoc sibi jurisdictionem indebitam usurpantis, se illuc missos esse dicebant, in domum ipsam saysiendis bonis ipsis se temere intruserunt, ibidem, non absque violatione hujusmodi saysine ac perturbatione jurisdictionis prefati archidiaconi, cum dictis ejusdem officialis custodibus per injuriam remanentes. Unde, officialis ipse in eosdem apparitores, pro eo quod ab hujusmodi ejusdem capituli saysina desistere ac domum ipsam exire, in qua, ut predicitur, jurisdictionem dicti archidiaconi perturbabant et saysinam violabant eandem, diligenter moniti non curarunt, excommunicationis sententiam, auctoritate ipsius archidiaconi, prout ad eum, ratione predicte jurisdictionis, pertinet, exigente justitia, promulgavit, et eos hujusmodi sententiam indurato animo sustinentes, per rectores ecclesiarum Remensium fecit excommunicatos publice nuntiari. Cumque dicti rectores, sicut tenebantur, ad mandatum ejusdem officialis, in prefati Richeri dictam sententiam, eodem procurante capitulo, sustinentis denuntiationem persisterent, dictum capitulum eisdem rectoribus districte injunxit ut ab hujusmodi denuntiatione desisterent, et singuli eorum in suis ecclesiis nuntiarent predictam ipsius officialis sententiam non tenere nec a principio tenuisse, in eosdem rectores, si id omitterent, excommunicationis sententia promulgata. Iidem autem rectores coram predicto capitulo, in termino ad hoc eis statuto, proponentes quod volebant deliberare an in diversitate mandatorum hujusmodi, eidem capitulo super hoc obedire deberent, ter-

minum ad hoc competentem sibi dari per ipsum capitulum cum instantia petierunt. Et quia idem capitulum ipsos super hoc audire ac eis ad id assignare terminum denegavit, pro parte ipsorum rectorum fuit ad nostram audientiam appellatum; sed ipsum capitulum, tam propria, quam se interposuisse dicebant, quam eorumdem rectorum appellatione contempta, in rectores ipsos excommunicationis sententiam temeritate propria promulgavit, eosque fecit in ecclesiis Remensibus excommunicatos publice nuntiari, et tandem contra quondam Theobaldum, decanum christianitatis, et rectores s. Hylarii, s. Jacobi, s. Martini et s. Marie Magdalene ecclesiarum Remensium, in quibus ipsum capitulum se jus patronatus habere proponit, excogitans propter hoc nocendi calumpnias, ac ideo eis mendaciter perjurium, inobedientiam et vitium ingratitudinis et irregularitatem imponens, super hiis eos ad suam presentiam evocavit, et tam ipsum decanum ecclesia sua s. Petri Remensis, quam eosdem rectores ipsis suis ecclesiis, propter appellationem ab eis propter hoc legitime ad predictam sedem emissam, de facto privavit. Et pro eo quod iidem decanus et rectores, infra triduum, ab ipsis ecclesiis, innitentes appellationi, quam a privatione hujusmodi, et ei quam ante illam, ut predictum est, ad sedem ipsam emiserant, ad mandatum predicti capituli, minime recedebant, Symon de Claromonte, Egidius Burgensis et Johannes, frater ejus, Baldoinus de Sancto-Theodorico et quidam alii canonici Remenses, cum associata sibi multitudine armatorum, dicto capitulo mandante vel ratum habente, ipsas s. Petri, s. Hylarii, s. Jacobi, s. Martini et s. Marie Magdalene ecclesias et domos rectorum ipsorum, que erant in saysina et custodia dicti officialis, fractis earum portis et hostiis, violenter intrare ac clericos curie dicti archidiaconatus, pro saysina hujusmodi officialis ipsius servanda, de illius mandato existentes in illis, temere capere et, injectis in eos manibus, Dei timore postposito, temere violentis, turpiter pertractare, ac ipsas ecclesias et domos saysire, pro servanda quoque saysina hujusmodi canonicorum ipsorum, et pro celebrandis ibi divinis officiis certos custodes et capellanos inibi deputare temeritate propria presumpserunt. Licet autem officialis ipse in eosdem ipsius capituli capellanos et nuntios, in dictis ecclesiis constitutos, pro eo quod saysinam ejus predictam de ecclesiis et domibus ipsis factam, manifeste ac temere violabant, diligenter moniti desistere non curantes, excommunicationis sententiam, exigente justitia, promulgasset et ecclesias ipsas, donec ibi essent iidem capellani et nuntii, necnon totam terram sitam in archidiaconatu eodem, ad ipsum capitulum pertinentem, supposuisset ecclesiastico interdicto, prout ad eum, ratione jurisdictionis pertinet supradicte, tamen predicti canonici, mandante, sicut predicitur, vel ratum habente prefato capitulo, non solum ipsos suos nuntios et capellanos in eisdem ecclesiis remanere, et divina ibidem officia celebrari per eosdem capellanos, taliter excommunicatos, necnon in illarum cimiteriis mortuorum corpora per violentiam sepeliri fecerunt, verum etiam clericos curie archidiaconatus supradicti, pro eo solo quod eosdem canonicos et capellanos, quod ab hiis desisterent, ex parte dicti officialis monere curarunt, verberarunt acriter et ignominiose per civitatem Remensem cum gladiis et fustibus fugaverunt, saysiendo eorum domos et bona ibidem inventa, nequiter asportando; et capitulum ipsum hiis non contentum, in officialem predictum de facto excommunicationis sententiam temeritate propria per injuriam promulgavit, ac injunxit temere capellanis ipsis et rectoribus dicte terre ne interdictum hujusmodi observarent, quosdam ex eis ad illius violationem, per subtractionem bonorum suorum, nequiter compellendo, in alios, pro eo quod illud violare noluerunt, propter appellationem ad prefatam sedem legitime interjectam, excommunicationis sententiam promulgando, et ipsorum bona et ecclesias perperam saysiendo, et (quod est auditu detestabile) in memoratum decanum, post ejus obitum, pro eo quod dictam excommunicationis sententiam in prefatum Richerum, ab eodem officiali latam, dum vixit, noluit ad mandatum capituli revocare, necnon omnes qui exequiis ejus interfuerant et eum in lecto egritudinis visitarant, excommunicationis sententiam fulminavit. Unde, cum maxima pars Remensis populi, propter reverentiam, quam ad decanum ipsum, utpote virum clare opinionis et vite ac honeste conversationis, habebant, exequiis ejus interfuerint, et eum in sua egritudine visitarint, prefatum capitulum propter hoc et pro eo quod excommunicavit omnes parrochianos ecclesiarum taliter interdictarum, quia in ipsis sic interdictis, nolebant audire divina nec ecclesiastica, suscipere sacramenta, quasi totum populum Remensem vinculo excommunicationis reputat innodatum.

Et licet dictus cardinalis, ad instantiam nostram, prefatum interdictum ex benignitate fecerit relaxari, tamen predictum capitulum, eo magis in superbiam se erigens contra eum, non solum a prioribus injuriis desistere noluit, immo etiam adjecit prioribus graviores. Cum ergo, vacante sede Remensi, que tunc vacabat, ad solum ipsum archidiaconum et ejus officiales

pertineat, ut idem archidiaconus asserit, synodum convocare, predictum capitulum non solum celebrare synodum attemptavit, verum etiam in eosdem cardinalis officiales et nonnullos clericos curie supradicte, pro eo quod hujusmodi synodum convocarant et duas partes emendarum curie ipsius archidiaconi et synodaticorum denegaverunt eidem capitulo solvere, prout nec etiam tenebantur, ac quibusdam aliis confectis occasionibus, necnon in omnes primo qui ad synodum, et postmodum qui ad curiam ejusdem archidiaconi accederent vel appellarent ad illam, aut aliquod ipsius officialis exequerentur mandatum, seu quomodolibet obedirent eidem, excommunicationis sententiam fulminavit; et quosdam, pro eo quod ad ipsam curiam accedebant, capi fecit, et precepit suis prepositis ut omnes, qui ad illam accederent, personaliter caperent et carceri manciparent, et universos rectores et capellanos civitatis Remensis, pro eo quod quasdam excommunicationis sententias in quosdam canonicos Remenses pro violentiis manifestis illatis prefatis curie, officiali et familie predicti cardinalis, per conservatorem a sede predicta ipsi cardinali et ejus familie deputatum, rite prolatas, ad ejusdem conservatoris mandatum, humiliter publicabant, post apellationem ad sedem ipsam legitime interjectam, de facto similibus sententiis innodavit, et imposito eis quod erant falsarii, perjuri, ingrati et irregulares, propter hoc citarunt eosdem, et coram se ipsos, occasione hujusmodi, multipliciter inquietant.

Licet autem super aliquibus ex predictis capituli memorati excessibus, per alias nostras litteras mandaverimus certo modo procedi, quia tamen propter injurias et dampna gravia eidem cardinali et suis illata, que non intendimus sub dissimulatione transire, sicut accepimus, non solum in Remensi civitate, cum omnes de clero et populo civitatis ipsius hujusmodi sententiis dicantur involvi, verum etiam in convicinis partibus, gravia propter premissa sunt scandala suscitata, et propter periculum animarum, nos paterne sollicitudinis studio cupientes, per provisionis nostre remedium, obviare periculis que possent ex hiis spiritualiter et temporaliter evenire, ac intendentes tam ecclesie, cardinali et capitulo memoratis, quam predicte civitati Remensi ejusque incolis, sedatis jurgiis et contentionum occasione summota, de quietis et pacis commodo, auctore Domino, providere, universas excommunicationis, suspensionis, privationis et interdicti sententias contra quascumque personas ecclesiasticas vel seculares hinc inde quavis auctoritate, predictorum occasione, prolatas, penitus revocamus, relaxamus, annullamus et decernimus viribus omnino carere, predictum negotium et omnia ipsum contingentia in eum omnino statum, in quo erant ante contentionem, ratione saysine de bonis predicti Amaurici, facte, subortam, reservata tamen tam ipsi cardinali et suis, quam prefato capitulo et quibuslibet aliis super jure suo, dampnis, offensis et quibuscumque injuriis questione, reducentes de apostolice plenitudine potestatis. Ideoque mandamus quatinus vos vel alter vestrum, per vos vel alium seu alios, prefatas sententias revocatas et annullatas, ipsumque negotium ac omnia contingentia illud, ad prefatum statum reducta esse, ubi et quando expedire videritis, nuntiantes, et de facto negotium ipsum et illud contingentia ad statum reducentes eundem, ac inhibentes districtius ne aliqua partium vel quivis alius super premissis quicquam audeat innovare, decernentes quoque irritum et inane si secus a quoquam contigerit attemptari, ac super irregularitate, siquam aliqui contraxerunt hujusmodi ligati sententiis, se divinis officiis immiscendo, dispensantes auctoritate apostolica cum eisdem, capitulum supradictum necnon officialem et clericos ipsos ac specialiter predictos Symonem, Egidium, Johannem et Balduinum ex parte nostra, citare curetis, ut infra terminum peremptorium competentem, quem eis duxeritis prefigendum, predictus Symon, Egidius, Johannes et Baldoinus personaliter, capitulum vero et ceteri per procuratores ydoneos, cum pleno et sufficienti mandato ad respondendum in judicio quibuscumque, qui de ipsis super premissis voluerint deponere questionem, ac nostram super hiis ordinationem recipiendam et observandam, compareant coram nobis. Invocato, etc. Contradictores, etc. Diem autem citationis hujusmodi et quicquid super hoc duxeritis faciendum, nobis per vestras litteras tenorem presentium continentes, quantocius rescribatis. Datum apud Urbemveterem, III nonas aprilis, anno tertio. »

544 Orvieto, 4 avril 1264.

Jacobum, archiepiscopum Lundensem, hortatur, ut propter multa ab eo maligne et perverse facta, quae diligenter enumerantur. Lundensis ecclesiae regimini, infra octo dies post receptionem harum litterarum, in manibus prioris de Halmstadia, Lundensis diocesis, et subprioris fratrum Praedicatorum Lundensium sponte cedat. (Reg. 28, fol. 44 v°, ann. III, n° 147; Potthast 18849.)

« *Jacobo, archiepiscopo Lundensi.* Ad audientiam nos-

tram, fama clamante et clamore diffamante, pervenit quod Lundensis ecclesia, que olim spiritualium augmentatione bonorum et temporalium consueverat ubertate florere, ad illum jam miserabilem statum, tuis temporibus per tuam malitiam superbiamque, devenit quod, nisi per apostolice sedis consilium et auxilium celeriter succurratur, vix adicere poterit ut resurgat, cum in spiritualibus quasi omnino corruerit et in temporalibus ejus substantiis, quarum proventus, qui sex milia marcarum sterlingorum valere consueverant annuatim, centum marcas ad presens vix valere dicuntur, lesa enormiter et irreparabiliter, quodam modo sit collapsa. Fertur etiam quod, licet clare memorie Christoforo, regi Dacie, secundum morem et consuetudinem regni sui, ligium homagium feceris, et super Eucharistiam et lignum vere Crucis in qua salus nostra pependit, et alia sancta fidelitatis prestiteris juramentum; tu tamen, juramenti hujusmodi religione contempta, in crimen lese majestatis incidere non formidans, conspirationem contra eundem regem facere, teque cum potentibus eorumdem regis et regni hostibus, quos juvisti multotiens in expensis, confederare proditorie presumpsisti et, exercitu congregato, Andream, fratrem tuum, cum nobili viro Jurmaro, principe Ruianorum, ad insulam predicti regis, que vocatur *Borendholm*, sitam in Lundensi diosesi, sub tuis sumptibus destinasti, ubi circa ducentos de hominibus ipsius regis procurasti, sicut dicitur, crudeliter trucidari, talliando residuos ejusdem regis homines, ejusque castrum ibidem funditus destruendo et occupando ac detinendo adhuc occupatam eandem insulam violenter, in plurimorum scandalum et regie dignitatis prejudicium et gravamen; et tamquam ille qui, cum malefecerit, gloriatur, publice non vereris asserere quod de mandato tuo fuerint hec omnia perpetrata. Dicitur etiam quod, cum tu carissimum in Christo filium nostrum Ericum, illustrem [1] regem Dacie, predicti Christofori regis filium, cum ceteris ejusdem regni optimatibus et proceribus elegisses in regem, postmodum, contra homagium et juramentum fidelitatis, quod eidem prestiteras, temere veniens, hostiliter opposuisti te illi, dicendo ipsum non esse regem nec esse debere, ac nolendo ejus imponere capiti, prout ad te pertinet et pridem promiseras, regium diadema; et, ut promotionem ejus perniciosius impedires et ipsum a regni successione omnino excluderes, in grave ipsius regis et totius regni scandalum, statuisse ac per excommunicationis sententiam inhibuisse assereris, ne quis eum coronare aut coronationi ejus presumeret interesse; nec hiis contentus, in eundem Ericum, regem coronatum per illos qui hoc facere potuerunt, necnon et coronatores ipsius, post appellationem legitimam ab eis super hoc ad sedem apostolicam interjectam, excommunicationis de facto protulisti sententiam, et excommunicatos fecisti publice nuntiari. Cumque predictus Ericus et carissima in Christo filia nostra Margarita, illustris regina Dacie, mater sua, ac venerabilis frater noster.., Sleswicensis episcopus, fuissent ab eorum hostibus captivati, tu ad castrum, in quo iidem rex et episcopus sine vinculis tenebantur, te personaliter conferens, procurasti statim, quod te non decuit, quod dictus episcopus cathenis ferreis ligaretur, ac nobilem mulierem Mattildam, relictam quondam Abel, qui pro Datie rege se gessit, que diu ante in manibus venerabilis fratris nostri.., Otheniensis episcopi, votum perpetue castitatis emiserat, adeo circumvenire ac inducere non es veritus, quod illa, fracto et postposito continentie voto, ad quod observandum ejus corroborare animum debuisses, nobili viro.., duci Swetie, se matrimonialiter copulavit, quod non ob aliud procurasti, nisi ut ducem ipsum contra predictos regem et regnum Dacie provocares. Alia quoque innumera persecutiorum genera contra reginam, regem regnumque predicta, more tyrampni, attemptasti hactenus et attemptare non desinis, que longum esset singulariter enarrare, et per que non solum eorumdem regine, regis et regni, verum etiam indignationem Dei omnipotentis dinosceris incurrisse, et utinam persecutiones hujusmodi in caput tuum tantummodo, et non in exterminium predicte ecclesie, que gravi ruine propter hoc subjacet, redundarent.

Preterea, quasi parum tibi sufficeret quod terrenis regibus es molestus, apposuisti etiam esse gravis regi celesti, per quem reges regnant et principes principantur, dum orationi Dominice quam Christus ipse composuit, et symbolo, quod veneranda et provida antiquorum sanctorum patrum auctoritas, cum multa maturitate ac attentione, ad eruditionem et instructionem fidelium, compilavit et in quo etiam tota fidei catholice professio continetur, non es veritus quasdam correctiones, immo verius corruptiones apponere, et (quod est dampnabilius) sacerdotes tue diocesis, qui tunc ad synodum convenerunt, adjurare quod *Pater noster* et *Credo in unum Deum* secundum tuas correctiones reciperent, suosque parrochianos de hoc instruerent et docerent correctiones easdem; et quia dicti sacerdotes hoc facere penitus noluerunt,

1. Ajouté en marge.

dicentes quod in heresim populus laberetur, si fidelibus aliam fidem quam catholica tenet ecclesia, predicarent, tu dubitans ne id ad audientiam sedis apostolice perveniret, extorsisti ab eisdem sacerdotibus juramentum, quod numquam tantam tuam insolentiam alicui vel aliquibus revelarent; quod, si veritate fulcitur, non caret proculdubio scrupulo heretice pravitatis. Ad hec, qualiter nobis, apostolice sedi, obediens et devotus extiteris et existas, processus dampnabiles per te olim habiti in Burglanensis et Arusiensis ecclesiarum, tunc vacantium, negotiis, ad quarum alteram, videlicet Burglanensem, quondam Elavum, diversis et enormibus criminibus graviter diffamatum, contra decretum et mandatum ejusdem sedis, ad reliquam vero, Arusiensem videlicet, Arnfastum, manifestum predicti regis Erici adversarium, utpote qui patrem ipsius regis veneno dicitur peremisse, pendente apud eandem sedem electionis negotio de venerabili fratre nostro Thucone, Arusiensi episcopo, consecrasti de facto in episcopos, immo verius execrasti; necnon et contemptus notabiles fastusque superbi, quos circa dilectum filium, magistrum Geraldum, nuntium dicte sedis in Dacia, presumptuose nimis et dampnabiliter ostendisti; contumacia quoque detestabilis, in qua, citatus per eundem nuntium auctoritate nostra, ut personaliter ad presentiam nostram accederes, et per annum et amplius expectatus, contempnendo ad nos venire obstinata mente perduras, manifeste declarant. Et licet idem nuntius in te, tuis culpis exigentibus, excommunicationis sententiam rite auctoritate apostolica promulgarit, tu tamen excommunicationem hujusmodi vilipendens, pontificale officium exercere teque divinis officiis ireverenter ingerere non vereris, in anime tue periculum, plurimorum scandalum et ecclesiastice discipline contemptum. Hec et alia quamplura gravia et enormia commisisse hactenus et adhuc committere indesinenter assereris, que apostolice correctionis lima et debite animadversionis noscuntur indigere censura.

Nos igitur, cupientes finali ecclesie predicte ruine, prout tenemus, occurerre, et quantum in nobis est, exsolvere circa illam id, ad quod nos obligat jugum apostolice servitutis, licet a te, tanquam a villico diffamato, tue villicationis exigere rationem, cognita de his veritate, possemus, illius tamen sequentes exemplum, qui neminem vult perire, quoniam a te ipsius ecclesie panditur omne malum, fraternitatem tuam monemus, rogamus et hortamur attente, mandantes et caritative etiam consulentes ut, colligens causam tuam in sinu tuo, teque ipsum totum ante oculos tuos ponens, et dicte sedis circa te patientia non abutens, ampliorem memorate desolationem ecclesie ulterius non expectes, sed ipsius ecclesie tueque paci providens et quieti, ejus regimini, infra octo dies post receptionem presentium, in manibus.., prioris de Halmstadia, Lundensis diocesis, et.., supprioris fratrum Predicatorum Lundensium, quos ad te propter hoc specialiter mittimus et quibus etiam recipiendi cessionem hujusmodi ecclesie, vice nostra, plenam et liberam facultatem per alias nostras concedimus litteras, sponte cedas. Quoniam, si nostro in hac parte curaveris consilio et mandato parere, de nostra et dicte sedis misericordia, que consuevit obedientes et humiles in sue benedictionis dulcedine prevenire, aliquatenus non diffidas. Sed si elegeris predictam ecclesiam in hujusmodi tribulationibus amplius detinere nostrisque nullatenus super hoc adherere consiliis, nos, ne culpas tuas nostras facere videamur, dissimulare ulterius non poterimus quin ad indagandum et puniendum in te graviter excessus hujusmodi, exigente justitia, constanter, auctore Domino, procedamus, eidem ecclesie spiritualiter et temporaliter provisuri. Datum apud Urbemveterem, II nonas aprilis, anno III°. »

545 Orvieto, 4 avril 1264.

Infracriptis mandat moneant Jacobum, Lundensem archiepiscopum, ut infra octo dies post litterarum apostolicae sedis receptionem, regimini Lundensis ecclesiae in ipsorum manibus cedat. (Reg. 28, fol. 45 v°, ann. III, n° 148; Potthast 18850.)

« . . *priori de Halmstadia, Lundensis diocesis, et . . suppriori fratrum Predicatorum Lundensium.* Quoniam ad hoc nos omnipotens Dominus speculatores dedit domui Israel, ut annuntiantes populo scelera ejus, arguamus et increpemus in eo voce non trepida, que arguenda viderimus et etiam increpanda, ideo, quibusdam gravibus de venerabili fratre nostro Jacobo, Lundensi archiepiscopo, ad nostrum prolatis auditum, nos illa ponentes ante suos oculos per nostras clausas litteras seriatim, eundem archiepiscopum monendum duximus attentius et hortandum, per easdem ei dantes litteras in mandatis et caritative etiam consulentes, ut infra octo dies post litterarum ipsarum receptionem, regimini Lundensis ecclesie in vestris manibus sponte cedat. Quocirca, discretioni vestre per apostolica scripta in virtute obedientie districte precipiendo mandamus quatinus vos vel alter ves-

trum hujusmodi nostras clausas litteras, quas vobis lator presentium assignabit, eidem archiepiscopo presentantes, ipsum ex parte nostra moneatis et diligentius inducatis ut hujusmodi nostris salubribus consiliis, infra predictum terminum, acquiescat. Nos ergo recipiendi ab eodem archiepiscopo cessionem hujusmodi, vice nostra, plenam vobis concedimus auctoritate presentium facultatem. Volumus etiam ut eidem prenuntietis archiepiscopo, quod, si nostris monitis, mandatis et consiliis super hoc parere curaverit, de gratia et misericordia sedis apostolice, que obedientibus ejus beneplacitis sue dulcedinis ubera porrigit, non diffidat. Sed si elegerit perire potius quam parere, nos, ne culpas suas nostras facere videamur, dissimulare ulterius non poterimus quin ad indagandum et puniendum in eo graviter ejus excessus, exigente justitia, constanter, auctore Domino, procedamus. Taliter igitur hujusmodi nostrum preceptum adimplere curetis, non obstante indulgentia, qua fratribus vestri ordinis a predicta sede dicitur esse concessum, quod de causis seu negotiis, que ipsis a sede committuntur eadem, inviti cognoscere seque de illis intromittere minime teneantur, ut possitis a nobis de zelo prompte obedientie non immerito commendari. Vestrum autem in hac parte processum et quicquid idem archiepiscopus super hoc fecerit, nobis vestris litteris, harum seriem continentibus, fideliter intimetis. Datum ut supra. »

546 Orvieto, 8 mars 1264.

Archiepiscopo Coloniensi a juramento sibi in quadam turri captivo, vi Coloniensium civium imposito absolvit. (Reg. 28, fol. 45 v°, ann. III, n° 149; Potthast 18818).

« . . *archiepiscopo Coloniensi.* Coloniensium civium nimis effrenata, si relata veritate nituntur, temeritas non solum fidelitatis debitum, quo tibi et ecclesie Coloniensi tenentur, observantie cultura non colens, verum etiam reverentie filialis officium inofficiose preteriens et omnem prorsus legem abhorrens, ad nostrum delata nuper auditum, horroris materiam audientibus attulit et causam nimirum multe turbationis ingessit de presumptis in te per eos inaudite presumptionis excessibus, nobis et fratribus nostris patienti compatiendum suggerens, et in eos presertim excedentibus condolendum, quod ipsi, cum gravi animarum suarum periculo, se gravibus irretivere criminibus, ignominiose resperserunt perditionis infamia, et facies suas tante note ignominia repleverunt. Sicut ergo habet communis circa predicta relatio, cum tu in archiepiscopali Coloniensi palatio inopinati non previdens casus eventum, quem nullius eventurum hactenus exempli similitudo predixerat, cujusque tibi conjecturam nulla contra te civium ipsorum aperta turbatio seu quevis diffidatio vel tua erga ipsos demerita incedebant, more solito imminentibus tibi vacans negotiis morareris, cives ipsi et nonnulli sequaces eorum te, spiritualem patrem ipsorum et temporalem dominum, persequentes, spiritu concitati nequitie ac diabolico fervore commoti, Deique timore postposito et debite fidelitatis federe violato, in dictum palatium, licet multe immunitatis privilegio, ut dicitur, insignitum, invasione temeraria subito irruentes, in personam tuam sacrilegas manus injicere, teque ausu nefario capere, captumque ac contumeliis probrosis affectum, et probris contumeliosis illusum, veluti reum mortis deducere per plateas, et demum in quadam domo captivum, nobili viro . ., domino de Falkemberg, germano tuo, in augmentum sceleris, nichilominus captivato, tamdiu sub arta detinere custodia presumpserunt, donec prestitisti corporaliter juramentum, quod super hiis per te vel per alium querimoniam non deponeres contra eos, nec aliquid ipsis propterea gravamen inferres vel procurares inferri, quinimmo ad ipsorum absolutionem pro posse tuo fideliter laborares. Nos igitur, qui fratrum et coepiscoporum nostrorum offensas proprias reputamus, illatas tibi tam graves, tam atroces et enormes injurias non tam in tuum obprobrium, quam in illius contemptum cedere, qui evangelica veritate testante, se in suis ministris recipi testatur et sperni, nec minus in predicte Coloniensis ecclesiastice libertatis grande dispendium vergere non indigne pensantes, ac volentes propterea superinductum contra hec jusjurandi vinculum, quo te detentus in carcere, ut predicitur, obligasti, de apostolice dissolvere plenitudine potestatis, te, veris existentibus supradictis, ab hujusmodi juramento, quo tam grandi malefactorum astutia diceris obligatus, ut, eo non obstante, jus tuum super predictis prosequi libere valeas, sicut, hujusmodi juramento non prestito, id licite facere potuisses, nec propterea reatum perjurii seu quamvis infamie notam incurras, cum trahi non debeat ad coacte voluntatis obprobrium, quod illicita conditio necessitatis extorsit, auctoritate presentium duximus absolvendum. Datum apud Urbemveterem, VIII idus martii, anno III°. »

547 Orvieto, 8 mars 1264

Episcopos Leodiensem et Monasteriensem et comites Clevensem et Gellerensem ac plures alios qui circa liberationem archiepiscopi Coloniensis sollicitos Coloniae inpenderant labores, absolvit a praestitis pro eodem liberando juramentis. (Reg. 28, fol. 46, ann. III, nº 150; Potthast 18019.)

« . . *episcopo Leodiensi.* Coloniensium civium nimis effrenata, si relata veritate nituntur, temeritas non solum fidelitatis debitum, quo . . archiepiscopo et ecclesie Coloniensibus tenentur, cultura non colens etc. ut in superiori proxima, verbis competenter mutatis, usque captivato sub certa detinere custodia presumpserunt. Cumque hoc ad tuam notitiam pervenisset, tu ad eundem archiepiscopum, metropolitanum tuum, gerens debite compassionis affectum, te personaliter, sicut accepimus, Coloniam transtulisti, et ibi venerabili fratre nostro . ., Monasteriensi episcopo, ac nobilibus viris . ., Clevensi, et . ., Gellerensi comitibus, ac pluribus aliis convocatis, circa liberationem ejusdem archiepiscopi una cum eis sollicitos impendisti labores. Verum malefactorum durities ad eundem archiepiscopum liberandum, aliquibus persuasionibus molliri vel inclinari non potuit, donec archiepiscopus ipse prestitit corporaliter juramentum, quod super hiis, per se vel per alium, querelam non deponeret contra eos, nec ob id aliquod ipsis gravamen inferret vel procuraret inferri, quinimmo pro ipsorum absolutione fideliter laboraret. Te quoque nichilominus et episcopum ac nobiles predictos et alios oportuit, urgente hujusmodi necessitate, jurare quod, si prefatus archiepiscopus ea, que jurejurando promiserat, non servaret, vos contra ipsum eisdem civibus totis assistere viribus deberetis, vos ad id per patentes vestras litteras et cautiones alias obligando; ad quod prefatus dominus de Falkemberg se dicitur similiter obligasse. Nos igitur, qui fratrum et coepiscoporum nostrorum offensas etc., usque absolvendum. Unde, cum eidem archiepiscopo ad jus hujusmodi prosequendum, juxta prescriptam formam, procedere liceat, propter quod fore constat illicitum, si forsan tu et predicti episcopus et nobiles, pretextu juramenti, cautionum et obligationum super hoc prestitorum a vobis, assisteretis memoratis sacrilegis contra dictum archiepiscopum, jus hujusmodi prosequentem, nos, volentes memorate Coloniensi ecclesie specialiter ac vobis nichilominus salubri super hoc consilio providere, te ac episcopum et nobiles prefatos a predictis juramentis, per vos prestitis, ut eis necnon et cautionibus ac obligationibus antedictis, quas ex officii nostri debito cassamus et nullius decernimus existere firmitatis, nequaquam obstantibus, civibus memoratis contra dictum archiepiscopum assistere in premissis minime teneamini, presentium auctoritate duximus absolvendos, nichilominus tibi et eisdem episcopo ac nobilibus, sub pena excommunicationis, districtius inhibentes ne civibus ipsis in premissis quomodolibet assistere presumatis. Datum ut supra. »

548 Orvieto, 2 mai 1264.

Episcopo Syracusano mandat ut, inquisitione praehabita, electionem de fratre Marco in abbatem monasterii Graecorum s. Mariae de Carra factam, confirmet eidemque electo munus benedictionis impendat. (Reg. 28, fol. 46 vº, ann. III, nº 151.)

« . . *episcopo Syracusano.* Ex parte dilectorum filiorum conventus monasterii Grecorum s. Marie de Carra, ad nos et Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, Neocastrensis diocesis, fuit nobis humiliter supplicatum, ut, cum olim predicto monasterio pastoris solatio destituto, ipsi, vocatis omnibus qui voluerunt, debuerunt et potuerunt commode interesse, die ad eligendum prefixa, convenientes in unum, dilectum filium fratrem Marcum, ipsius monasterii monachum, virum utique, ut asserunt, tanto honori et oneri congruentem, in abbatem ipsius monasterii concorditer duxerint eligendum, confirmare electionem hujusmodi de benignitate solita curaremus. Nos igitur, attendentes quod ab olim per sedem apostolicam generaliter inhibitum extitit universis capitulis, collegiis et conventibus ecclesiarum cathedralium et monasteriorum exemptorum regni Sicilie, ne ad providendum ipsis ecclesiis et monasteriis, cum vacarent, procedere quoquomodo presumerent, sine ipsius sedis mandato et licentia speciali, faciente plenam et expressam de inhibitione hujusmodi mentionem, fraternitati tue mandamus quatenus electionem hujusmodi, utpote contra tenorem inhibitionis predicte presumptam, auctoritate nostra cassare et irritare, immo potius cassam et irritam nuntiare procures. Verum, quia, sicut intelleximus, idem monachus pro devotione, quam ad Romanam gerit ecclesiam, persecutiones multiplices pertulit, et alias homo bone vite ac honeste conversationis existit, quodque ipsi monasterio, si ei de ipso provisum fuerit, multa bona spiritualiter et temporaliter poterunt provenire, nos,

dilecti filii nostri R., s. Angeli diaconi cardinalis, precibus inclinati, volumus ut de hiis et ejus vita, scientia et meritis, solum Deum habens pre oculis, diligenter inquirens, si eum fore ydoneum ad regimen predicti monasterii et ecclesie prefate devotum esse compereris, ipsum auctoritate premissa dicto monasterio in abbatem preficias et pastorem, faciens ei a predicto conventu et aliis ipsius monasterii subditis obedientiam et reverentiam debitam exhiberi, tuque sibi munus benedictionis impendas. Contradictores etc. usque compescendo, recepturus ab eo postmodum, nostro et ecclesie Romane nomine, fidelitatis solite juramentum, juxta formam quam tibi sub bulla nostra mittimus interclusam —. Formam autem juramenti, quod ipse prestabit, de verbo ad verbum per ejus patentes litteras suo sigillo signatas, nobis per fidelem nuntium quamtocius destinare procures. Datum apud Urbemveterem, VI nonas maii, anno III°. »

549 Orvieto, 29 avril 1264.

Jacobum monasterio Cavensi in abbatem praeficit. (Reg. 28, fol. 46, ann. III, n° 152.)

« *Jacobo, abbati monasterii Cavensis, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis s. Benedicti, Salernitane diocesis.* Debitum officii nostri —. Sane monasterio Cavensi abbatis regimine destituto, dilectus filius Matheus, Salernitanus electus, auctoritate nostra sibi a nobis viva voce in hac parte commissa, te, tunc abbatem monasterii s. Benedicti Salernitani, ordinis s. Benedicti, a vinculo, quo ipsi monasterio s. Benedicti tenebaris, absolvens, prefecit te ipsi Cavensi monasterio in abbatem, prout in litteris inde confectis, sigillatis sigillo ipsius electi, plenius continetur. Nos itaque, tuis supplicationibus inclinati, quod super hoc ab eodem electo factum est, ratum et firmum habentes, id auctoritate apostolica duximus confirmandum. Quocirca, mandamus quatenus, humiliter suscipiens impositum a Domino tibi onus, ad predictum monasterium Cavense accedere non postponas, gerens sollicite curam ejus, gregem dominicum in illo tibi commissum, doctrina verbi et operis informando, ita quod predictum monasterium Cavense tue diligentie studio laudabilibus, in spiritualibus et temporalibus, auctore Domino, proficiat incrementis. Datum apud Urbemveterem, III kalendas maii, anno tertio. »

In e. m. .. priori et conventui monasterii Cavensis, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis s. Benedicti, Salernitane diocesis. Debitum etc —. Datum ut supra.

In e. m. universis vassallis monasterii Cavensis.

In e. m. . . episcopo Scalensi. Debitum etc. usque confirmandum. Quocirca mandamus quatinus eidem abbati facias a suis subditis obedientiam et reverentiam debitam exhiberi, recepturus ab eo, nostro et ecclesie Romane nomine, fidelitatis solite juramentum, juxta formam quam tibi sub bulla nostra mittimus interclusam. Formam autem juramenti, quod ipse prestabit, de verbo ad verbum per ejus patentes litteras etc., usque destinare procures. Datum ut supra. »

550 Orvieto, 26 février 1264.

Abbatibus de Bugiano et de Cantignano et plebano plebis de Lamavi, Lucanae diocesis, mandat faciant ut, cum commutatio inter episcopum Lucanum et monasterium Gattaiolae de monasterio de Ficeclo cum ecclesia s. Petri Majoris secuta non sit, monialibus Gattaiolae monasterium Ficeclense reddatur. (Reg. 28, fol. 46 v°, ann. III, n° 153; Potthast 18809.)

« *. . de Bugiano, et . . de Cantignano abbatibus, et . . plebano plebis de Lamavi, Lucane diocesis.* Insinuavit nobis venerabilis frater noster . ., Lucanus episcopus, quod, cum inter ipsum et dilectas in Christo filias . ., abbatissam, et conventum monasterii de Gattaiola, ordinis s. Damiani, Lucane diocesis, de monasterio de Ficeclo, eisdem abbatisse, et conventui ab apostolica sede, cujus juris proprietatisque erat, concesso, et ecclesia s. Petri Majoris, quedam commutatio facta fuisset, mediantibus dilectis filiis nostris R., s. Angeli, et O., s. Marie in Via lata diaconis cardinalibus, auctoritate felicis recordationis Alexandri pape, predecessoris nostri, essetque per predecessorem ipsum hujusmodi commutatio confirmata, quia, opponentibus se communi Lucano et parrochianis ejusdem ecclesie, ipsa commutatio plenum nequiverat sortiri effectum; idem predecessor prefato episcopo in virtute obedientie ac sub pena excommunicationis, et sub debito juramenti fidelitatis, quod idem episcopus, in sua consecratione, dicto predecessori et ecclesie Romane prestitit, dedit suis litteris districtius in preceptis ut, nisi dictus episcopus, infra tempus contentum in instrumento confecto super hujusmodi commutatione, quam ipse cum eisdem abbatissa et conventu super predicto monasterio de Ficeclo ejusque possessionibus contraxerat, procuraret et faceret cum effectu, quod dicta commutatio, secundum formam ipsius,

plenarie consummaretur, et predicte abbatissa et conventus plena. pacifica et expedita omnium eorum, que in commutatione ipsa eis obvenerant, sine contradictione dictorum communis et parrochianorum, possessione gauderent, dictus episcopus ex tunc dictum monasterium de Ficeclo, cum omnibus possessionibus, juribus et privilegiis, instrumentis ac pertinentiis suis, sine ulla diminutione vel subtractione ac difficultate, abbatisse et conventui restitueret supradictis, contractu commutationis ejusdem penitus dissoluto, ac ipsis monasterio de Ficeclo et ecclesia s. Petri in statum pristinum revocatis, certo ipsis super hoc executore concesso. Sane, cum prefatus episcopus, ob resistentiam communis et parrochianorum predictorum, non posset facere quod predicta commutatio, secundum formam ipsius, plane consummaretur, et quod prelibate abbatissa et conventus gauderent pacifica possessione illorum, que in predicta commutatione ipsis obvenerant et obvenire debebant, memorate abbatissa et conventus, attendentes quod non expediebat eis et predicto monasterio de Gattaiola habere predictam ecclesiam s. Petri, et quod nimis onerosum erat eis dicte ecclesie, propter clericorum et aliorum sumptus imminentes in divinis, et aliis deservire, hujusmodi commutationi et ordinationi, mediantibus predictis cardinalibus, facte, quantum ad ipsam ecclesiam pertinebat, renunciaverunt, et eandem ecclesiam ac jura ipsius, cum ambitu, atrio et cymiterio ejus, dicto episcopo pro episcopatu Lucano dederunt, tradiderunt et etiam concesserunt. Verum, cum in premissa commutatione actum fuerit, ut nisi redditus et proventus ipsius ecclesie quinquaginta modios bladi, vigintiquinque grani et totidem milii et fabarum proportionaliter, ac viginti currus vini et nonaginta libras olei annuatim valerent, sepefatus episcopus et successores sui, de mensa sua, eisdem abbatisse et conventui supplerent, annis singulis, quod de quantitatibus ipsis deesset, idem episcopus, antequam dicte abbatissa et conventus commutationi et ordinationi renuntiarent predictis, si infra certum tempus ipsis abbatisse et conventui dari non possent pacifice redditus predicte ecclesie s. Petri cum additamento predicto, de consensu sui capituli, ad exhibendum annuatim predictis abbatisse et conventui prelibatas quantitates grani, milii fabarum, vini et olei se obligavit; et eam percipiendam ab ipsis in certis locis et possessionibus episcopalis mense Lucane [1] assignavit eisdem [2], hac scilicet additione addita, si de voluntate, auctoritate et mandato Romani pontificis id procederet, et confirmationem ad hoc etiam adhiberet, prout in instrumentis publicis inde confectis, plenius dicitur contineri. Quare memoratus episcopus nobis humiliter supplicavit ut, cum post obligationem et assignationem hujusmodi, prefatam ecclesiam, que in spiritualibus et temporalibus fuisse deformata proponebatur, venerabili fratri nostro.., Botontino episcopo et dilecto filio Gualterotto, canonico Lucano, sicut idem episcopus asserit, commisserimus reformandam, qui eam de ydoneis personis satis utiliter et laudabiliter per divinam dicuntur gratiam reformasse ; ac obligatio et assignatio supradicte, in quibus Romani pontificis auctoritas vel consensus quovis modo non intervenerunt, in lesionem non modicam ecclesie Lucane ac mense predicte redundent, prout episcopus ipse dicit, providere super hiis paterna sollicitudine curaremus, indempnitati earumdem ecclesie Lucane ac mense oportuno remedio precavendo, presertim cum idem episcopus asserat se paratum dictum monasterium de Ficeclo, cum omnibus possessionibus, juribus et privilegiis, instrumentis ac pertinentiis suis, sine ulla diminutione, abbatisse et conventui restituere supradictis. Ideoque mandamus quatinus, si vobis constiterit de premissis, commutationem, obligationem et assignationem hujusmodi omnino dissolventes, episcopo restituente memoratis abbatisse et conventui omnia, que ad ipsum, occasione permutationis hujusmodi, obvenerunt, ab ipsis abbatissa et conventu omnia que ab ipso episcopo occasione humodi habuerunt, plenarie restitui faciatis, contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Non obstante si —. Quod si non omnes etc. Datum apud Urbemveterem, v kalendas martii, anno tertio. »

1. Ces 14 derniers mots ont été ajoutés en marge.
2. Ces deux mots sont récrits sur un grattage.

551 Orvieto, 13 avril 1264.

Episcopo Ultrasilvano mandat ut cum Stephano presbytero, qui laicum cultello vulneravit, ex quo ille diem clausit extremum, si aliud canonicum non obstet, dispenset ut in suis ordinibus ministrare possit et obtinere beneficium ecclesiasticum sine cura animarum. (Reg. 28, fol. 47, ann. III, n° 154 ; POTTHAST 18857.)

« .. *episcopo Ultrasilvano.* Accedens ad presentiam nostram Stephanus, presbyter, lator presentium, tue diocesis, nobis exposuit quod, cum quidam laicus, maligno ductus spiritu, armata manu ad hospitium

ejus accedens, eum occidere niteretur, idem presbyter ad defensionem suam quemdam cultellum, quem portabat ad latus, exerens, cum aliter non posset evadere, utebatur eo pro eodem laico terrendo comminatione, non ictu. Ipse vero laicus, ad ejusdem presbyteri mortem aspirans, se in cultellum ipsum impegit, sicque vulneratus ex illo diem clausit extremum; propter quod nobis humiliter supplicavit ut providere super hoc sibi misericorditer dignaremur. Quocirca, mandamus quatinus, inquisita super hoc diligentius et cognita plenius veritate, si rem inveneris taliter se habere, et quod dictus presbyter in necessitate hujusmodi culpa propria non ingessit, aliudque canonicum non obsistat, cum eodem presbytero quod, hoc non obstante, in suis ordinibus ministrare valeat et beneficium ecclesiasticum, quod curam animarum nullatenus habeat, obtinere auctoritate nostra dispenses, prout secundum Deum anime sue saluti videris expedire. Datum apud Urbemveterem, idus aprilis, anno III°. »

552 Orvieto, 2 mai 1264.

Infrascriptis donationem castri Carticeti destructi, per Petrum, s. Georgii ad Velum Aureum diaconum cardinalem, apostolicae sedis legatum, factam, confirmat. (Reg. 28, fol. 47 v°, ann. III, n° 155; Potthast 18869.)

« .. *potestati, consilio, et communi Callensibus, fidelibus nostris.* Attendentes fidei vestre constantiam, quam, adversitatis tempore, matri vestre Romane ecclesie, ut benedictionis filii, servavistis, digne utilitatibus vestris intendimus, et petitionibus benignum exhibemus auditum. Cum igitur, sicut asseritis, bone memorie P., sancti Georgii ad Velum Aureum diaconus cardinalis, apostolice sedis legatus, castrum Carticeti, quod pro eo quod ipsius incole, spiritu contra eandem ecclesiam rebellionis assumpto, vobis et aliis fidelibus ecclesie dampna gravia et molestias intulerant, destruxistis, vobis cum hominibus et pertinentiis suis duxerit concedendum, statuens ut illud a nemine de cetero refici valeat, ac a restitutione dampnorum, que ipsis irrogastis hominibus, vos absolvens, prout in ejus litteris confectis exinde, dicitur plenius contineri, nos, vestris supplicationibus inclinati, quod super hiis ab eodem cardinali provide factum est, ratum habentes et gratum, ad instar felicis recordationis Innocentii pape, predecessoris nostri, id auctoritate apostolica confirmamus etc, usque communimus. tenorem concessionis hujusmodi presentibus inseri facientes, qui talis est :

« Petrus, miseratione divina s. Georgii ad Velum Aureum diaconus cardinalis, apostolice sedis legatus, dilectis in Christo .. potestati, consilio et communi Callensibus, salutem in Domino. Meruit sinceritatis vestre devotio et fervor magne constantie, quam in presentis et preteriti conditione temporis habuistis circa ecclesiam et habetis, ut vestris petitionibus annuentes, favorabiliter incrementa vestra studeamus, in quibus honeste possumus, promovere. Cum itaque castrum Carticeti, hactenus in rebellione positum, vobis et aliis fidelibus graves molestias intulerit et jacturas vosque postmodum destruxistis illud, vestris inclinati precibus, castrum ipsum, cum hominibus et pertinentiis suis, communi vestro concedimus de gratia speciali, statuentes quod a nullo ulterius refici valeat, nec commune vestrum ipsum reficere teneatur, a dampnis datis in ipso castro vos auctoritate presentium nichilominus absolventes. In cujus rei testimonium, presentes litteras fecimus sigilli nostri munimine roborari. Datum apud Montem Ulmi, xii kalendas februarii, anno Domini M° CC° LI°. »

« Nulli ergo nostre confirmationis, etc., usque incursurum, presentibus donec in nostra et ejusdem ecclesie devotione duxeritis persistendum, tantummodo valituris. Datum apud Urbemveterem, vi nonas maii, anno tertio. »

553 Orvieto, 28 avril 1264.

Eisdem significat suae intentionis non extitisse privare eos episcopali dignitate sed tantum comminari eis, ut per hoc redirent ad devotionem ecclesiae, sed se nolle per privationem eis praejudicium generari. (Reg. 28, fol. 47, ann. III n° 156, Potthast 18861).

« *Eisdem.* Sedes apostolica interdum —. Sane petitio vestra nobis exibita continebat quod nos vobis, tunc adherentibus nuntiis Manfredi, quondam principis Tarentini, certum terminum peremptorium assignavimus, infra quem curaretis ad ipsius sedis mandata redire, alioquin vos et civitatem Callensem extunc episcopali privasse dicimur dignitate, litteris nostris super hujusmodi privatione confectis. Porro, licet postmodum redieritis, quia tamen in termino ipso non rediistis ad mandata sedis ejusdem, dubitatis ne per litteras predictas possit vobis in posterum prejudicium generari. Quare nobis humiliter supplicastis ut

providere vobis super hoc paterna sollicitudine curaremus. Cum autem nostre intentionis non extiterit privare vos vel civitatem ipsam hujusmodi dignitate sed tantum comminare vobis, ut per hoc rediretis ad devotionem ecclesie matris vestre, nolumus per privationem vel litteras predictas aliquod vobis prejudicium generari, quandiu duxeritis in devotione nostra et Romane ecclesie persistendum. Datum apud Urbemveterem, IIII kalendas maii, anno III°. »

554 Orvieto, 29 mai 1264.

Instrumentum confirmat quo, juxta mandatum apostolicum, Mathaeus, episcopus Salernitanus, Jacobum monasterio Cavensi in abbatem praefecit. (Reg. 28, fol. 47. ann. III, n° 157.)

« *Jacobo, abbati monasterii Cavensis, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis s. Benedicti, Salernitane diocesis.* Debitum officii nostri —. Sane monasterio Cavensi abbatis regimine destituto, dilectus filius Matheus, Salernitanus electus, auctoritate nostra sibi a nobis viva voce in hac parte commissa, te, tunc abbatem monasterii s. Benedicti Salernitani, ordinis s. Benedicti, a vinculo quo ipsi monasterio s. Benedicti tenebaris, absolvens, prefecit te ipsi Cavensi monasterio in abbatem, prout in litteris inde confectis, sigillatis sigillo ipsius electi, plenius continetur. Nos itaque, tuis supplicationibus inclinati, quod super hoc ab eodem electo factum est, ratum et firmum habentes, id auctoritate apostolica confirmamus etc. usque communimus. Tenorem litterarum ipsarum verbo de ad verbum presentibus inseri facientes, qui talis est :

« Matheus, permissione divina Salernitanus electus, provido et religioso viro fratri Jacobo, abbati monasterii Cavensis, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis s. Benedicti, Salernitane diocesis, salutem in Domino. Sanctissimus pater et dominus noster dominus Urbanus, divina providentia papa IIII, Cavense monasterium ecclesie Romane immediate subjectum, abbatis regimine destitutum, respiciens apostolice benignitatis intuitu, et cupiens eidem monasterio precavere, ne dispendia prolixioris vacationis incurrat, perhibito quoque sibi laudabili testimonio de vestre merito probitatis, absolvendi vos a vinculo, quo tenebamini monasterio s. Benedicti Salernitani, ordinis s. Benedicti, cujus presidebatis regimini, et transferrendi vos ad dictum Cavense monasterium ac eidem vos in abbatem preficiendi, si ad ipsius regimen ydoneus essetis et utilis, commisit nobis oraculo vive vocis plenariam potestatem. Nos igitur, provida consideratione pensantes quod olim dicti monasterii s. Benedicti regimini presidentes, sic ipsum regere prospere ac provide in omnibus dirigere studuistis, quod illud in spiritualibus et temporalibus multipliciter augmentastis, habentes etiam plenam de vestra probitate notitiam, cum sitis vir probate virtutis, morum honestate decorus, vir utique honeste conversationis et vite, sollicitudinis circumspectione preditus et alias diversis virtutibus insignitus, ac sperantes quod idem Cavense monasterium, per vestre circumspectionis industriam, salubria in utrisque, dante Dodomino suspiciet incrementa, prefati auctoritate domini specialiter nobis in hac parte commissa, vos a vinculo, quo tenebamini predicto monasterio s. Benedicti, absolvimus, et ad dictum monasterium Cavense transferimus, vosque nichilominus ipsi Cavensi monasterio in abbatem preficimus et pastorem. Ideoque discretioni vestre, qua fungimur auctoritate, mandamus quatinus impositum vobis onus devote suscipiens, sic laudabiliter curam ejusdem Cavensis monasterii gerere studeatis, quod vobis proficiatis per vite meritum et aliis per exemplum, ac sedes apostolica propter hoc personam vestram sui favoris gratia prosequi non immerito teneatur. Datum apud Urbemveterem, XVI kalendas maii, pontificatus domini Urbani pape IIII, anno tertio. »

Nulli ergo nostre confirmationis etc. Datum apud Urbemveterem, III kalendas maii, anno III°. »

555 Orvieto, 7 mai 1264.

Fratri Maurino, ordinis Minorum, inquisitori haereticae pravitatis in civitate Massiliensi, mandat ut processum contra Bernardum Cornutum haereticum habitum transmittat. (Reg. 28, fol. 48, ann. III, n° 158; Potthast 18895.)

« *Fratri Maurino, ordinis Minorum, inquisitori heretice pravitatis in civitate Massiliensi.* Guillelmus, dictus Cornutus, civis Massiliensis, in nostra proposuit presentia constitutus, quod, eo dudum ejecto a civitate Massiliensi pro devotione, quam habet ad dilectum filium nobilem virum Carolum, Andegavie ac Provincie comitem, tu ad inquirendum contra Bernardum Cornutum, patrem ipsius, super heretica pravitate procedens, tandem Bernardum ipsum, de consilio quorumdam inimicorum capitalium ipsius G., perpetuo carceri, confiscatis suis bonis omnibus, minus legitime con-

dempnasti. Nos igitur, de hujusmodi processu tuo certificari volentes, discretioni tue per apostolica scripta precipiendo mandamus quatinus totum processum contra eundem Bernardum habitum, in scriptis redactum, nominibus testium qui contra eum deposuerunt, aliquatenus non expressis, ad nos per fidelem nuntium sub tuo sigillo, sublata qualibet difficultate, transmittas; et si te ad inquisitionem contra eundem Guillelmum procedere forte contigerit, sic tuum studeas equitate ac justitia fulcire processum, ut idem processus nulla reprehensionis recipiat punctionem, nullamque Guillelmus justam habeat de te materiam conquerendi. Datum apud Urbemveterem, nonis maii, anno III°. »

556 Orvieto, 30 avril 1264.

Episcopo Aurelianensi et abbati s. Genovefae Parisiensis mandat ut a sententia excommunicationis absolvant certos mercatores Pistorienses, in partibus Galliae commorantes, eisque a suis debitoribus satisfactionem condignam exhiberi faciant. (Reg. 28, fol. 48, ann. III, n° 159.)

« . . *episcopo Aurelianensi et . . abbati s. Genovefe Parisiensis.* Quia cives Pistorienses, qui civitatem Pistoriensem hoc tempore detinent, contra civitatem Lucanam, sedis apostolice devotissimam, exercitum congregare, seque ad procedendum hostiliter contra illam accingere dicebantur, nos hujusmodi pravo ipsorum proposito, ex quo strages corporum et animarum pericula procedere poterant, apostolica sollicitudine obviare volentes, olim, in festo Ascensionis Dominice proximo preterito, eosdem cives Pistorienses, presente tunc fidelium congregatione catholica, manifeste monuimus ipsisque apostolica auctoritate districte precepimus ut, ab hujusmodi exercitus congregatione totaliter desistentes, contra predictam civitatem Lucanam ejusve territorium seu districtum hostiliter procedere nullatenus attemptarent; set infra sequens tunc festum beatorum apostolorum Petri et Pauli, quod pro peremptorio eis prefiximus termino, ab omni favore, quem impendunt Manfredo, quondam principi Tarentino, persecutori ecclesie manifesto, desistentes omnino, ad mandatum ecclesie humiliter et devote redirent; aperte quoque prediximus quod, si contra predictam civitatem Lucanam ejusve territorium seu districtum hostiliter procedere forte presumerent, vel nisi infra predictum terminum ab ejusdem Manfredi favore desisterent, et redirent ad mandatum ecclesie, ut est dictum, nos ad faciendum capi personas et bona ipsorum, ubicumque invenirentur, et alias etiam contra ipsos et civitatem ipsorum durius et asperius spiritualiter et temporaliter, prout videremus expediens, procedere curaremus. Verum, quia iidem cives Pistorienses, nec timentes Deum neque sedem apostolicam reverentes, ab hujusmodi congregatione exercitus nullatenus destiterunt; sed, eo congregato, processerunt hostiliter contra dictam civitatem Lucanam ejusque territorium et districtum, nec etiam infra hujusmodi terminum, recesserunt seu destiterunt a favore predicti Manfredi neque ad mandatum ecclesie sunt reversi, nos, volentes ut iidem cives Pistorienses, qui elegerunt perire potius quam parere, penam pro ipsorum presumptione et contumacia reportarent, eosdem cives in festo predictorum apostolorum, propter hujusmodi eorum presumptuosam contumaciam et contumacem presumptionem, excommunicationis et anathematis vinculo duximus innodandos, universis et singulis eorumdem civium debitoribus et omnibus de bonis eorum habentibus undecumque, et cujuscumque status, condicionis et dignitatis forent, astante tunc fideli populo, de fratrum nostrorum consilio, auctoritate apostolica, sub pena excommunicationis districtius inhibentes ne ipsis Pistoriensibus civibus aliqua de debitis et bonis hujusmodi in parte vel in toto restituerent, sine mandato nostro vel licentia speciali faciente plenam et expressam de inhibitione hujusmodi mentionem; sed illa tamquam arrestata tamdiu detinerent, donec super hujusmodi debitis et bonis duceremus eis aliud injungendum, non obstantibus aliquibus litteris apostolicis super eisdem bonis et debitis ad quoscumque judices impetratis vel in posterum impetrandis, nisi in eisdem impetrandis de hac inhibitione plena et expressa mentio haberetur. Manifeste insuper prediximus et aperte prenuntiavimus quod, nisi dicti cives usque ad festum Assumptionis beate Virginis proximo preteritum, quod eis pro peremptorio prefiximus termino, ab omni prorsus ejusdem Manfredi favore desisterent et ad mandatum ecclesie humiliter et devote redirent, nos extunc mandaremus venerabilibus fratribus nostris universis patriarchis, archiepiscopis et episcopis, ceterisque ecclesiarum prelatis, necnon principibus, ducibus, marchionibus, comitibus, baronibus ac potestatibus, capitaneis, consulibus, consiliis et communitatibus civitatum, castrorum aliorumque locorum ubilibet constitutis, ut personas eorundem Pistoriensium civium, quarum arrestationem tunc apostolica benignitate suspendimus, necnon et bona ipsorum in terris eorum dominio et jurisdictioni subjectis, existentia,

caperent et retinerent, donec eis nostrum intimaremus beneplacitum in hac parte; et nichilominus tam personas quam bona hujusmodi exponeremus libere tam ipsis quam ceteris fidelibus occupanda; et alias etiam ad duriora, graviora et asperiora contra ipsos et civitatem eorum spiritualiter et temporaliter, prout ipsorum protervia exigeret et videremus expediens, procedere curaremus. Sed dicti cives Pistorienses, nec infra nec post predictum festum Assumptionis ab ejusdem Manfredi favore desistere et redire ad mandata ecclesie super hiis, pro quibus excommunicati fuerant, curaverunt. Unde nos in octavis beati Martini proximo preteritis, presente fideli populo, ad quedam alia contra predictos cives Pistorienses duximus procedendum.

Sane Guido Bartholomei, civis et mercator Pistoriensis, reprobi sensus dampnata studia predictorum Pistoriensium prudentie meditationibus advertens, ea sano decrevit consilio declinare, ac eidem ecclesie in illo constanter adherere proposito, quo ipsa, pro defensione libertatis ecclesiastice ac pacifico statu fidelium illius, pervasoribus et hujusmodi perversoribus se opponit, et prestitit de parendo super predictis mandatis nostris et ipsius ecclesie juramentum, seque de observandis mandatis [1] hujusmodi et certis articulis, sub certis pena et forma, specialiter obligavit; promittens, sub pena mille marcarum sterlingorum se facturum et curaturum quod Matheus et Bartholomeus, fratres sui, filii dicti Bartholomei, et Cialdus, Fredus, Bertaccus et Degus fratres, filii quondam domini Raynerii Canzellarii, et Schiatta et Rinforzatus Pauli, fratres, et Melior Andree, sui socii et concives, mercatores Pistorienses, ad ecclesie mandata redibunt et prestabunt similia juramenta, se ad observationem mandatorum nostrorum et articulorum hujusmodi, sub pena mille marcarum sterlingorum, nobis et eidem ecclesie similiter obligando, prout in publico instrumento exinde confecto, plenius continetur, cujus tenorem vobis sub bulla nostra mittimus interclusum. Nos autem, qui more paterno in reditu filiorum, quos error a devotione subtraxerat, delectamur, aperuimus eis tam paterne gratie quam materne mansuetudinis amplum sinum, ac predicto Guidoni Bartholomei, qui tunc presens aderat, ab hujusmodi et universis excommunicationum et interdicti sententiis, quas apostolica sedes in cives Pistorienses et eorum terram propter premissa generaliter promulgavit, fecimus, juxta formam ecclesie, beneficium absolutionis impendi. Ideoque mandamus quatinus vos vel alter vestrum recipiatis a predictis Matheo, Bartholomino (*sic*), Cialdo, Fredo, Bertacco, Dego, Schiatta, Rinforzato et Meliore, in partibus Gallie commorantibus, de stando super premissis mandatis nostris et ecclesie juramentum, et nichilominus, nostro nomine, similem obligationem de mandatis nostris et articulis hujusmodi inviolabiliter observandis, eosque [1] deinde, juxta formam ecclesie, ab hujusmodi sententiis eadem auctoritate absolvere studeatis, facientes de hiis confici publicum instrumentum vel patentes litteras, autenticis sigillis munitas, illud vel illas nobis fideliter transmissuri. Quibus rite peractis, tam eosdem Matheum, Bartholominum, Cialdum, Fredum, Bertaccum, Degum, Schiattam, Rinforzatum et Meliorem, quam dictum Guidonem, per omnia loca, in quibus ipsi voluerint, per vos et per alios denuntietis a predictis sententiis absolutos et ad devotionem ipsius ecclesie rediisse, universis et singulis eorum debitoribus et omnibus de bonis ipsorum propriis vel communibus, quatenus contingunt eosdem, habentibus, undecumque et cujuscumque status et condicionis aut dignitatis existant, predicta auctoritate, mandando districtius ut, hujusmodi inhibitione ac processu nostris, quantum ad eos, nequaquam obstantibus, debita et bona ipsorum totaliter eis restituant; nec illa deinceps tamquam arrestata, occasione predicta, detinere presumant. Siqui autem hujusmodi denuntiationi et mandato nostris contradixerint, vos eos ut a tali prorsus contradictione desistant, monitis premissis, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compellatis. Datum apum Urbemveterem, II kalendas maii, anno III°. »

557 Orvieto, 29 avril 1264.

De absolutione a sententia excommunicationis certorum mercatorum Florentinorum in Provincia commorantium. (REG. 28, fol. 49, ann. III, n° 160.)

« . . *Avinionensi, et . . Carpentoratensi episcopis.* Olim in die Cene Domini, anno videlicet Nativitatis dominice M°CC°LXIII°, cives Florentini, qui civitatem Florentinam hoc tempore detinent, etc., ut continetur in littera Giani Bonaguide, mercatoris Florentini, folio quarto primi quaterni, capitulo XIII°, etc., usque apostolorum Petri et Pauli tunc proximo sequens, etc.,

1. Ce mot a été ajouté en marge.

1. Ces quatorze derniers mots ont été ajoutés en marge.

usque beate Virginis tunc proximo adveniens, quod pro peremptorio, etc., usque constanter, auctore Domino, procedere curaremus. Sed dicti cives Florentini, nec infra nec post dictum festum Assumptionis, ab ejusdem Manfredi favore desistere et ad mandatum ecclesie super hiis, pro quibus excommunicati fuerant, redire curarunt. Unde nos in octavis beati Martini proximo preteritis, presente fideli populo, ad quasdam monitiones et comminationes processimus contra ipsos, licet durius et asperius tunc potuissemus procedere, eorum protervia exigente. Sane Johannes Rossi, civis et mercator Florentinus, reprobi sensus dampnata studia, etc., usque se opponit, et prestitit de parendo super predictis, etc., usque promittens, sub pena quingentarum marcharum sterlingorum, se facturum et curaturum quod Catellus et Marus, fratres sui, et Rossus Conradi dicti *Cafagii*, nepos suus, socii sui, et Lapus Cursi, eorum discipulus, cives et mercatores Florentini, ad ecclesie mandata redibunt, etc., usque sub pena quingentarum marcharum sterlingorum, etc., usque amplum sinum, ac predicto Johanni, qui tunc presens aderat, etc., usque recipiatis a predictis Catello et Maro fratribus, Rosso et Lapo, in Provincia seu comitatu Provincie commorantibus, de stando super premissis, etc., usque : Quibus rite peractis, tam eosdem Catellum, Marum et Lapum, quam dictum Johannem, per omnia loca, in quibus ipsi voluerint, etc., usque de bonis ipsorum propriis vel communibus, quatenus contingunt eosdem, habentibus, etc., usque compellatis. Datum apud Urbemveterem, III kalendas maii, anno III°. »

558 Orvieto, 11 mai 1264.

Eisdem episcopis idem scribit pro Tedicio Marcoaldi, cive et mercatore Florentino, qui promisit, sub pena trecentarum marcarum sterlingorum, se facturum quod Arrigus, frater suus, socius et concivis, in comitatu Provinciae commorans, ad ecclesie mandata redibit. (Reg. 28, fol. 49, ann. III, n° 161.)

« *Eisdem episcopis.* Olim in die —. Datum apud Urbemveterem, v idus maii, anno III°. »

559 Orvieto, 11 mai 1264.

Eisdem episcopis idem scribit pro Rogero Leonis, cive et mercatore Florentino qui promisit, sub pena quingentarum marcarum sterlingorum, se facturum quod Feus, frater suus, filius dicti Leonis, suus socius et concivis, in comitatu Provinciae commorans, ad ecclesie mandata redibit. (Reg. 28, fol. 49, ann. III, n° 162.)

« *Eisdem episcopis.* Olim in die —. Datum apud Urbemveterem, v idus maii, anno III°. »

560 Orvieto, 11 mai 1264.

Lingonensi et Trecensi episcopis idem scribit pro Riccio Raynerii, cive et mercatore Florentino, qui promisit, sub pena quingentarum marcarum sterlingorum, se facturum quod Caccia, suus frater, filius dicti Raynerii, Andreas Guidonis, suus nepos, sui socii et concives, et Cione Cacciae et Cione Bonconti, discipuli eorumdem, Florentini mercatores, in partibus Galliae commorantes, ad ecclesiae mandata redibunt. (Reg. 28, fol. 49 v°, ann. III, n° 163.)

« . . *Lingonensi et . . Trecensi episcopis.* Olim in die —. Datum apud Urbemveterem, v idus maii, anno III°. »

561 Orvieto, 11 mai 1264.

Eisdem episcopis idem scribit pro Matheo Deomidiedi, cive et mercatore Florentino, qui promisit, sub pena quingentarum marcarum sterlingorum, se facturum quod Clarissimus de Alluodo, Jacobus, Falco, Alluodo fratres, filii dicti Clarissimi, Lapus Davanzati, socii sui, et Raynucius Brunacii, eorum discipulus, cives et mercatores Florentini, in partibus Galliae commorantes, ad ecclesiae mandata redibunt. (Reg. 28, fol. 49 v°, ann. III, n° 164.)

« *Eisdem.* Olim in die —. Datum ut in superiori. »

562 Orvieto, 28 mars 1264.

De solutione debitorum certis mercatoribus Romanis fienda. (Reg. 28, fol. 50, ann. III, n° 165.)

« *Nicolao Caputio, canonico Remensi, et Jordano, canonico ecclesie Gerboredensis, Belvacensis diocesis, Parisius commorantibus.* Dilecti filii Andreas et Jacobus Crescentii Nicolai, fratres, cives et mercatores Romani, nostri et ecclesie Romane devoti, nobis significare curarunt quod, licet ipsi, suo et Bartholomei Crescentii, fratris sui, nomine, venerabili fratri nostro . ., archiepiscopo Coloniensi, et nonnullis suffraganeis ipsius, ac abbatibus, prioribus, conventibus et capitulis, communitatibus, comitibus, baronibus, militibus ac quibusdam aliis clericis et laicis civitatis et diocesis ac provincie Coloniensis quasdam pecuniarum summas mutuarint, etc., prout habetur in littera Castre Gualfredi et sociorum suorum, capitulo CXXI°,

etc., usque omnino servetur. Datum apud Urbemveterem, v kalendas aprilis, anno tertio. »

In e. m. Petro Comitis, thesaurario Tripolitano, et Petro de Insula, canonico ecclesie s. Martini Turonensis, Parisius commorantibus, pro eisdem mercatoribus, contra . . , archiepiscopum Burdegalensem, et nonnullos suffraganeos ipsius, ac abbatibus (*sic*), prioribus (*sic*), etc., usque servetur. Datum ut supra.

563 Orvieto, 28 avril 1264.

Callenses ab omnibus bannis, poenis et condemnationibus in ipsos prolatis, dum Manfredo adhaerebant, absolvit. (Reg. 28, fol. 50, ann. III, n° 166.)

« . . *potestati, consilio et communi Callensibus.* More pii patris delinquentes filios odisse non possumus, sed eis misericorditer offensas remittimus, cum penituerint de commissis. Sane, licet aliquando adheseritis nuntiis Manfredi, quondam principis Tarentini, quia tamen, relicta sequela ipsorum, ad devotionem sedis apostolice rediistis, nos, vestris supplicationibus inclinati, omnia banna omnesque condempnationes et penas per nos vel felicis recordationis Alexandrum papam, predecessorem nostrum, aut per rectores Marchie Anconitane, sive quoscumque nuntios sedis ipsius vobis imposita, dum Manfredo adherebatis eidem, totaliter revocamus, vos a bannis, penis et condempnationibus hujusmodi penitus absolventes. Revocationem autem et absolutionem hujusmodi robur volumus dumtaxat habere, quamdiu in devotione nostra et ecclesie Romane duxeritis persistendum. Si vero (quod absit) ab hujusmodi devotione vos resilire contigerit, exnunc predictis et aliis bannis et penis, propter hoc vobis impositis et etiam imponendis, revocatione ac absolutione hujusmodi nequaquam obstantibus, vos ipso facto decernimus subjacere. Datum apud Urbemveterem, iiii kalendas maii, anno III°. »

564 Orvieto, 28 avril 1264.

Poenas et banna quae adversus Bellabrancam, quondam potestatem Callensem, tempore quo Manfredo adhaerebant, edixerat, revocata nuntiat. (Reg. 28, fol. 50, ann. III, n° 167.)

« *Manfredo, Veronensi electo, Marchie Anconitane rectori.* More pii patris —. Sane fuit ex parte dilectorum filiorum . . potestatis, consilii et communis Callensis civitatis nobis humiliter supplicatum ut omnia banna, et penas quascumque dilecto filio nobili viro Bellabrance, quondam potestati civitatis ejusdem, per te seu officiales tuos imposita, dum preesset ipsius regimini civitatis, que tunc adherebat Manfredo, quondam principi Tarentino, eidem nobili remitti, ac omnes processus contra dictum nobilem per te seu dictos officiales habitos, ac publicationem sive confiscationem factam de bonis ipsius nobilis revocari penitus, ac eundem nobilem a premissis mandaremus absolvi. Quia vero idem nobilis, dimissa sequela predicti Manfredi, rediit ad mandata apostolice sedis et favorem devotio promeretur, mandamus quatinus predicto nobili banna et penas hujusmodi remittas, processus, confiscationem et publicationem eosdem revoces, ac eum a predictis absolvas, remissione, revocatione et absolutione hujusmodi tantummodo valituris, quamdiu idem nobilis in devotione nostra et ecclesie Romane duxerit persistendum. Si vero nobilem eundem ab hujusmodi devotione resilire forte contigerit, ipsum exnunc predictis et aliis bannis et penis sibi propter hoc impositis et etiam imponendis, remissione, revocatione et absolutione hujusmodi nequaquam obstantibus, ipso facto decernimus subjacere. Datum ut supra. »

565 Orvieto, 13 mai 1264.

Praeposituram ecclesiae s. Audomari, Morinensis diocesis, magistro Adenulfo, capellano apostolico, confirmat. (Reg. 28, fol. 50, ann. III, n° 168.)

« *Magistro Adenulfo, capellano nostro, preposito ecclesie s. Audomari, Morinensis diocesis.* Hiis que fiunt —. Sane exposuisti nobis quod felicis recordationis Alexander papa, predecessor noster, personam tuam tam propriis quam antecessorum tuorum meritis sedi apostolice gratiosam, cupiens honorare, venerabili fratri nostro . . , episcopo Abrincensi, et dilecto filio . . , priori s. Eligii Parisiensis, suas direxit litteras inter cetera continentes ut ipsi vel eorum alter per se vel per alium seu alios tibi in regno Francie de prepositura vel archidiaconatu seu thesauraria vel alia ecclesiastica dignitate, si tunc vacabat vel quamprimum ad id se facultas offerret, ad cujuscumque collationem, electionem vel presentationem spectaret, cum cura vel sine cura, providere curarent, reservans idem predecessor hujusmodi preposituram vel archidiaconatum seu thesaurariam sive aliam ecclesiasticam

dignitatem apostolice donationi, tibi per dictos executores vel eorum alterum conferendam, ac decernens irritum et inane quicquid contra reservationem vel inhibitionem, que pro te fieret super hiis, a quocumque contingeret attemptari. Cujus auctoritate mandati, dictus episcopus . . decano et capitulo ecclesie s. Audomari hujusmodi mandatum notificans, auctoritate sedis ejusdem, inhiberi et denuntiari fecit eisdem ne, si prepositura ipsius ecclesie tunc vacaret vel quamprimum vacare contingeret, ad electionem vel postulationem seu quamlibet aliam nominationem procederent sive aliquem reciperent ad eandem, donec tibi fuisset juxta mandatum apostolicum de hujusmodi dignitate provisum. Idem quoque predecessor quod ab eodem episcopo vel subdelegato ipsius factum erat super hoc, ratum habens et gratum idque apostolica auctoritate confirmans et supplens omnem defectum, si quis in premissis habitus fuerat, de plenitudine potestatis, dilectis filiis .., abbati s. Dyonisii in Francia, et magistro Nicolao de Caprivilla, tunc archidiacono de Gazeio in ecclesia Lexoviensi, suis dedit postmodum litteris in mandatis ut, si hujusmodi prepositura vel alia dignitas ecclesiastica tunc vacaret vel quamprimum eam vacare contingeret, tibi vel tuo procuratori, tuo nomine, ipsi vel alter eorum per se vel per alium conferre curarent, teque in ipsius possessionem corporalem inducerent et tuerentur inductum, juxta priorum continentiam litterarum, contradictores, etc., usque compescendo, ac decernendo nichilominus irritum et inane, si secus de dignitate hujusmodi a quoquam contingeret attemptari. Demum vero, cum in Bajocensi ecclesia, in qua similis inhibitio facta fuerat, decanatus ipsius ecclesie vacavisset, dicti abbas et archidiaconus decanatum ipsum procuratori tuo. tuo nomine, assignarunt; et quamquam tu ipsum decanatum, salvo mandato apostolico, acceptasses, tamen idem predecessor in hoc tibi provisum non reputans ac te volens in alia dignitate decentius honorari, eisdem abbati et archidiacono suas litteras sub ea forma direxit, ut dignitatem vel personatum, si in aliqua illarum ecclesiarum, in quibus inhibitiones et reservationes pro te facte fuerant, quas idem predecessor ita voluit in suo vigore manere, ac si decanatum non acceptasses eundem, vel si tibi decanatus ipse non fuisset collatus, tunc vacaret vel quam primum vacare contingeret, tibi vel aliis, tuo nomine, conferentes, te in hujusmodi dignitatis possessionem inducerent et inductum per se vel per alium defensarent, juxta directarum predictis episcopo et priori continentiam litterarum, non obstantibus acceptatione et collatione decanatus ejusdem seu quibuslibet litteris apostolicis, propter acceptationem et collationem hujusmodi, impetratis vel etiam impetrandis, que de proprio tuo nomine ac de hujusmodi gratia tibi facta plenam et expressam non facerent mentionem. Porro, dicto predecessore viam universe carnis ingresso, quia tibi adhuc debita provisio non provenerat ex litteris supradictis, nos te, quem non minori affectione quam idem A. predecessor diligebamus, prosequi favorabiliter intendentes, ac per hoc tam processum ipsius episcopi Abricensis (*sic*) super hiis habitum, quam reservationem, decretum, approbationem et suppletionem ejusdem predecessoris rata habentes et firma eaque auctoritate apostolica confirmantes, eisdem abbati et archidiacono per litteras nostras mandavimus ut super hoc auctoritate nostra procederent, juxta directarum eis ipsius predecessoris continentiam litterarum; volentes tamdiu a te decanatum retineri predictum, donec tibi foret, juxta tenorem mandati apostolici, de hujusmodi prepositura vel dignitate provisum, et haberes liberam, expeditam et pacificam possessionem ipsius. Cumque postmodum prepositura ipsius ecclesie s. Audomari per mortem Johannis de Blesis, prepositi ejusdem ecclesie, vacavisset, memoratus abbas solus, prout ei competebat, ex beneficio hujusmodi litterarum, preposituram ipsam vacantem Matheo de Firmo, canonico ecclesie s. Martini de Campellis in Bria, procuratori tuo, vice ac nomine tuo, auctoritate litterarum ipsarum contulit, assignavit et eundem M. de ipsa, tuo nomine, per suum anulum investivit, prout in publico instrumento, ipsius abbatis sigillo munito, exinde confecto, plenius continetur. Nos igitur, tuis supplicationibus inclinati, quod ab eodem abbate super hoc factum est, ratum habentes et gratum, tibi preposituram eandem auctoritate apostolica de speciali gratia, ex certa scientia confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus, decernentes irritum et inane quicquid de prepositura eadem, propter hujusmodi collationem tibi factam de ipsa, per quoscumque, nostra vel alia quavis auctoritate, est vel fuerit attemptatum. Tenorem autem predicti instrumenti presentibus inseri fecimus, qui talis est :

« Universis presentes litteras inspecturis, M., miseratione divina beati Dyonisii in Francia, humilis abbas, salutem in Domino. Cum bone memorie dominus Alexander quondam papa IIII, cupiens discretum virum magistrum Adenulfum, capellanum suum, nepotem felicis recordationis G. pape, predecessoris ejus, ipsius capellani exigentibus meritis, ob gratam

memoriam predecessoris ejusdem, beneficiis ecclesiasticis et dignitatibus honorari, venerabili patri . . Abricensi, et . . priori s. Eligii Parisiensis, olim sub certa forma suis dederit litteris in mandatis, ut ipsi vel eorum alter per se vel per alium seu alios, eidem capellano in regno Francie de prepositura vel archidiaconatu aut thesauraria, vel alia ecclesiastica dignitate, si tunc vacabat vel quamprimum ad id se facultas offerret, auctoritate ipsius providere curarent, quam preposituram seu archidiaconatum vel aliam ecclesiasticam dignitatem idem dominus Alexander sedis apostolice donationi reservans, cappellano conferendam predicto, decrevit irritum et inane, si secus de ipsis contingeret attemptari. Idem episcopus per magistrum Andream de Cadomo, canonicum Abricensem, ad ecclesiam s. Audomari, Morinensis diocesis, personaliter accedentem, . . decano et capitulo ipsius ecclesie significare curavit se tale mandatum apostolicum recepisse et auctoritate apostolica inhiberi et denuntiari fecit eisdem ut, si prepositura ibidem tunc vacaret vel quamprimo (*sic*) vacare contingeret, ad electionem seu postulationem, substitutionem vel nominationem aliquam, motu proprio vel auctoritate sedis apostolice litterarum, nullatenus procederent ac etiam nemini traderent, nec ad dictam ecclesiam aliquem reciperent, donec secundum mandatum apostolicum dicto capellano provisum fuisset. Verum idem dominus Alexander papa, ipsius capellani precibus inclinatus, quod ab eodem episcopo vel subdelegato ejus super hoc factum erat, ratum habens et gratum, illudque apostolica auctoritate confirmans ac supplens omnem defectum de plenitudine potestatis, si quis habitus fuerat in premissis, nobis et venerabili viro magistro Nicolao de Caprivilla, tunc archidiacono de Gacheio in ecclesia Lexoviensi, suis postmodum dedit litteris in mandatis ut, si dicta prepositura vacaret vel quamprimum eam vacare contingeret, ipsi capellano vel procuratori suo, ejus nomine, conferre et assignare etiam curaremus, ipsumque in ejusdem possessionem induceremus et defenderemus inductum, juxta priorum continentiam litterarum, contradictores et rebelles per censuram ecclesiasticam compescendo, iterato decernens irritum et inane, si secus de hujusmodi dignitate a quoquam ipsius vel quavis auctoritate contingeret attemptari. Tandem, cum in ecclesia Bajocensi, in qua similis inhibitio facta fuerat, decanatus ipsius ecclesie vacavisset, quem de ipsius domini pape recusarat primitus voluntate, demum quorumdam amicorum suorum devictus instantia, salvo mandato apostolico, acceptavit eundem, et illum decanatum procuratori suo ejusque nomine assignare curavimus et conferre. Sed idem dominus Alexander papa, volens ipsum in alia dignitate honorari decentius, iterato nobis sua scripta direxit, inter cetera precipiendo mandans ut dignitatem vel personatum, si in aliqua alia ecclesiarum, in quibus inhibitiones et reservationes pro ipso facte fuerant, quas voluit in suo vigore manere ac si decanatum non acceptasset predictum, aut collatus non fuisset eidem, si tunc vacaret vel quamprimum vacare contingeret, ipsi capellano vel procuratori suo, ejus nomine, conferre et assignare auctoritate apostolica curaremus, ipsumque in ejusdem dignitatis vel personatus possessionem induceremus et defenderemus inductum. Postquam vero idem dominus Alexander in fata concessit, summus pontifex dominus Urbanus, qui modo presidet, tam processum dicti episcopi super predictis habitum, quam reservationem, decretum, approbationem et suppletionem dicti domini Alexandri, predecessoris sui, rata habens et firma, ea auctoritate apostolica confirmando, nobis per apostolica scripta mandavit ut super predictis, auctoritate sua, sine difficultate qualibet procederemus, juxta ejusdem predecessoris sui continentiam litterarum; volens quod idem capellanus decanatum predictum Bajocensem tamdiu retineret, donec sibi foret, juxta tenorem mandati apostolici, de hujusmodi dignitate provisum, et haberet liberam, expeditam et pacificam possessionem ejusdem, prout hec omnia tam in litteris domini Urbani, nunc summi pontificis, quam predecessoris sui plenius continentur. Et quia de novo per mortem quondam magistri Johannis de Blesis, prepositi predicte ecclesie s. Audomari, vacat in ecclesia ipsa prepositura ipsius, nos, juxta apostolicorum mandatorum tenorem, tibi, Matheo de Firmo, canonico de Campellis in Bria, procuratori dicti cappellani, nomine et vice ipsius magistri Adenulfi cappellani, dictam preposituram vacantem auctoritate apostolica conferimus et etiam assignamus, et te de ea, ejusdem cappellani nomine, per nostrum anulum presentialiter investimus, potestatem penes nos reservantes compescendi contradictores per censuram ecclesiasticam et rebelles. Datum anno Domini M°CC°LXIII°, die mercurii proxima post Ramos Palmarum. Presens autem scriptum fieri fecimus per Bonumamicum, clericum, auctoritate apostolica publicum notarium, qui de mandato nostro presens interfuit et scripsit, anno et die predictis; et predicta omnia in publicam formam redegit. Ego Bonusamicus, Bononiensis clericus, quondam Roberti filius, auctoritate apostolica publicus notarius, predictis

omnibus presens interfui, ut supra legitur, scripsi, precibus et mandato dicti domini abbatis, executoris a domino papa deputati, in hanc publicam formam redegi, complevi rogatus a dicto procuratore, me subscripsi et signum meum apposui, et predictus dominus abbas presenti publico instrumento sigillum suum apposuit. Interfuerunt testes presentes frater Gilo elemosinarius; frater Oddo de Parisius, cappellanus dicti domini abbatis; Johannes de Parisius, monachus dicti s. Dyonisii; Johannes de Stampis, canonicus Meldensis, ad hoc vocati et rogati, anno Domini [1] M.CC°LXIII°, dicta die mercurii post Ramos Palmarum, scilicet die xv^a^ exeunte mense aprili, indictione vi^a^, in monasterio dicti s. Dyonisii. »

Nulli ergo nostre confirmationis, etc. Datum apud Urbemveterem, iii idus maii, anno III°. »

566 Orvieto, 15 mai 1264.

Episcopo Meldensi et priori s. Dionysii de Strata mandat ut in corporalem possessionem praepositurae s. Audomari, Morinensis diocesis, mittant magistrum Adenulfum, capellanum apostolicum. (Reg. 28, fol. 51, ann. III, n° 169.)

« .. *episcopo Meldensi et .. priori s. Dyonisii de Strata, Parisiensis diocesis.* Dilectus filius magister —. Datum apud Urbemveterem, idus maii anno III°. »

567 Orvieto, 15 mai 1264.

Fratrem Symonem in abbatem monasterio s. Antimi, Clusinae diocesis, a J., ss. Cosmae et Damiani diacono cardinali, juxta mandatum apostolicum, praefecto, denuo confirmat. (Reg. 28, fol. 51, ann. III, n° 170.)

« *Symoni, abbati monasterii s. Antimi, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis s. Benedicti, Clusinensis diocesis.* Licet ea que —. Cum igitur olim, sicut ad auditum nostrum pervenerat, Gratia, tunc abbas monasterii tui s. Antimi, ex certis causis abbatiam ipsius monasterii resignare proponeret, nos dubitantes ne monasterium ipsum, dicto Gratia cedente, ad manus inimicorum ecclesie deveniret, ac cupientes ipsi monasterio utilem preesse pastorem et ecclesie predicte devotum, per cujus industriam idem monasterium, Deo propitio, posset regi et dirigi prospere, ac proficere salubribus incrementis, dilecto filio nostro, J., ss. Cosme et Damiani diacono cardinali, commisimus et injunximus oraculo vive vocis ut per se vel per alium, circa recipiendam ipsius abbatie resignationem ab abbate predicto et preficiendam aliquam personam ydoneam ipsi monasterio in abbatem, faceret libere quod sibi expediens videretur. Prefatus autem Gratia, personaliter ad apostolicam sedem accedens et asserens, in ipsius cardinalis presentia, quod, cum ipse non esset de illis partibus oriundus, non poterat ipsum monasterium defendere sicut oportebat, et quod alias ad dicti monasterii regimen inutilis habebatur, abbatiam ejusdem monasterii libere in dicti cardinalis manibus resignavit. Idem vero cardinalis, hujusmodi ab eo resignatione recepta, considerans tue merita probitatis et sperans quod per te ac tuos idem monasterium manuteneri poterat et defendi, et per circumpectionis industriam in spiritualibus augmentari, auctoritate nostra in hac parte sibi commissa, te, tunc monachum monasterii s. Michaelis de Podio-sancti-Donati Senensis, ordinis Vallis Umbrose, non obstante quod ipsius ordinis eras, maxime cum super hoc specialiter nos idem cardinalis attentos reddiderit, nosque plenam in hac parte sibi concesserimus potestatem, cum etiam ab abbate ipsius monasterii s. Michaelis consensus et licentia, prout expediebat, ad id per suas litteras haberentur, eidem monasterio s. Antimi in abbatem et pastorem prefecit. Demum vero dilectus filius B., prepositus Senensis, capellanus noster, auctoritate litterarum cardinalis ejusdem, te in ipsius monasterii s. Antimi ac pertinentiarum ejus corporalem possessionem induxit, fecitque tibi ab ejusdem monasterii monachis tanquam ipsorum abbati debitam obedientiam et reverentiam exhiberi, prout in litteris prefati cardinalis, suo sigillo munitis, et instrumento publico litterarum ipsarum de verbo ad verbum continente tenorem, inde confectis, plenius continetur. Nos itaque, tuis supplicationibus inclinati, quod super hiis factum est, ratum et firmum habentes, illud auctoritate apostolica confirmamus etc. usque communimus, tenorem ipsius instrumenti de verbo ad verbum presentibus inseri facientes, qui talis est :

« In nomine Domini nostri Jesu Christi. Amen. Anno Nativitatis ejusdem M°.CC°.LXIIII°, indictione vii^a^, mense aprilis die xxii°, pontificatus domini Urbani pape IIII anno tertio. Omnibus presens publicum instrumentum clareat inspecturis, quod in presentia mei Baldi, notarii atque judicis ordinarii, et testium subscriptorum ad hoc specialier vocatorum ac rogatorum, dominus Bernardus, prepositus Senensis,

1. Ces quatre derniers mots sont ajoutés en marge.

domini pape capellanus, auctoritate litterarum infrascriptarum, venerabilem patrem dominum Symonem, Dei gratia abbatem monasterii s. Antimi, ordinis s. Benedicti, Clusinensis diocesis, ad Romanam ecclesiam, ut dicitur, nullo medio pertinentis, in corporalem possessionem predicti monasterii s. Antimi cum omnibus suis juribus et pertinentiis induxit, ducendo ipsum ad altare ipsius monasterii, et dando ei in manibus suis pannos altaris ipsius, et ponendo ipsum in sede abbatis in choro, presentibus et acceptantibus atque volentibus donnis Benedicto, priore ecclesie de Prinquano, Jacobo, preposito ecclesie de Castronovo, Ranerio, plebano s. Antimi veteris, Nicolao, preposito ecclesie de Vignone, Bernardino, monachis dicti monasterii, et Lamberto clerico ipsius monasterii, et Lamberto, clerico ipsius monasterii, et presbytero Aldebrando, rectore ecclesie s. Marie de Turanerio, et Laurentio, preposito de Percena, et nullo ex ipsis contradicente, que quidem ecclesie subjecte sunt dicto monasterio et ad ipsum pertinentes. Tenor autem litterarum talis est :

« Jordanus, miseratione divina ss. Cosme et Da« miani diaconus cardinalis, discreto viro magistro « Bernardo, preposito Senensi, domini pape capellano, « salutem in Domino. Pervenit ad sanctissimum pa« trem, dominum nostrum, dominum Urbanum, divina « providentia papam IIII, quod vir religiosus Gratia, « tunc abbas monasterii s. Antimi, ad Romanam eccle« siam, ut dicitur, nullo medio pertinentis, ordinis « s. Benedicti, Clusinensis diocesis, ex certis causis « resignare abbatiam ipsius monasterii proponebat. « Unde ipse dominus, dubitans ne monasterium, dicto « Gratia cedente, ad manus inimicorum ipsius ecclesie « deveniret, et cupiens ipsi monasterio utilem preesse « pastorem et ecclesie Romane devotum per cujus in« dustriam idem monasterium, Deo propitio, posset « regi et dirigi prospere ac proficere salubribus incre« mentis, nobis commisit et injunxit oraculo vive vo« cis, ut per nos vel alium circa recipiendam ipsius « abbatie resignationem ab abbate predicto et prefi« ciendum aliquam personam ydoneam ipsi monas« terio in abbatem, faceremus libere quod expediens « videremur. Prefatus autem Gratia, personaliter ad « apostolicam sedem accedens et asserens quod, cum « ipse non esset de illis partibus oriundus, non po« terat monasterium ipsum defendere, sicut oporte« bat, et quod alias ad ejusdem regimen monasterii « inutilis habebatur, abbatiam ipsius monasterii libere « in nostris manibus resignavit. Nos igitur, hujusmodi « resignatione recepta, considerantes merita religiosi « viri fratris Symonis, abbatis predicti monasterii s. « Antimi, tunc monachi s. Michaelis de Podio-sancti« Donati Senensis, ordinis Vallis Umbrose, capellani « venerabilis domini Guillelmi, tituli s. Marci presby« teri cardinalis, de quibus nobis laudabile testimo« nium perhibetur, sperantes etiam quod per eundem « fratrem Symonem et suos idem monasterium manu« teneri poterit et defendi, ac per ejus circumspec« tionis industriam in spiritualibus et temporalibus « augmentari, auctoritate dicti domini nobis in hac « parte commissa, eundem fratrem Symonem, non « obstante quod est predicti ordinis Vallis Umbrose, « maxime cum super hoc reddiderimus attentum pre« dictum dominum nostrum et ipse nobis in hoc « plenam concesserit potestatem, cum etiam ab.. ab« bate dicti monasterii s. Michaelis consensus et licen« tia, prout expedit, in hac parte per suas litteras « habeantur, eidem monasterio s. Antimi in abbatem « prefecimus et pastorem. Ideoque discretioni tue, « qua fungimur auctoritate, mandamus quatinus eun« dem in ipsius monasterii s. Antimi corporalem « possessionem inducas per te vel per alium et de« fendas inductum, invocato ad hoc, si necesse fuerit, « auxilio brachii secularis, et eidem a conventu suo et « aliis ejus subditis obedientiam et reverentiam debi« tam facias exhiberi, et per aliquem vicinum episco« pum, gratiam et communionem apostolice sedis « habentem, munus sibi benedictionis impendi, con« tradictores et rebelles per censuram ecclesiasticam « compescendo, proviso quod idem episcopus, post« quam hujusmodi sibi munus impenderit, recipiat « ab ipso, ecclesie Romane nomine, fidelitatis solite « juramentum, juxta formam quam tibi sub sigillo « nostro transmittimus interclusam. Juramentum au« tem quod ipse prestabit, eidem domino nostro sub « sigillo suo studeat per proprium nuntium quanto« cius destinare. Datum apud Urbemveterem, XVI ka« lendas maii, pontificatus domini Urbani pape IIII « anno tertio. »

« Facta autem inductione et data possessione predictis monasterii prelibati, monachi predicti, prepositi, rector et clericus ecclesiarum dictarum prefato domino abbati obedientiam et reverentiam debitam prestiterunt, predicto rectore fidelitatem faciente per juramentum ab ipso prestitum. Actum in dicto monasterio, presentibus hiis testibus vocatis et rogatis, scilicet domino Benedicto, abbate s. Michaelis predicto, donno Griffolo, monacho ipsius abbatis, presbytero Gratia, rectore ecclesie de Martiano Senensis, dominis Rolando Bonsignoris, Bartholomeo Guidi,

Jacobo Ranuccino, Henrico Jacobi, Guidone Juncte, presbytero, Jacobo de Percena et Deotaviva Guidi. Ego Baldus, filius olim Cittonis Tancredi, sacrosancte Romane ecclesie auctoritate notarius atque judex ordinarius, predictis inductioni possessionis, obedientie et reverentie ac fidelitatis prestationi interfui, et predictas litteras domini cardinalis hic fideliter exemplari, et ea rogatus scripsi et in publicam formam redegi. »

Nulli ergo nostre confirmationis etc. Datum apud Urbemveterem, idus maii, anno III°. »

568 Orvieto, 15 mai 1264.

Conventui monasterii s. Antimi, Clusinae diocesis, significat se ipsis praefecisse fratrem Symonem mandatque eis ut eidem fratri debitam exhibeant obedientiam. (Reg. 28, fol. 52, ann. III, n° 171.)

« *Conventui monasterii s. Antimi, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis s. Benedicti, Clusinensis diocesis.* Licet ea que —. Datum apud Urbemveterem, idus maii, anno III°. »

In e. m. vassallis monasterii s. Antimi ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis s. Benedicti, Clusinensis diocesis.

569 Orvieto, 10 mai 1264.

Episcopo Esculano mandat faciat ut Roberto, nato quondam Munaldi, comitis Aprutini, qui cum uxore ac quatuor filiis cogatur extra regnum Siciliae exulare, ab ecclesiis suae diocesis in victu et vestitu usque ad triennium provideatur. (Reg. 28, fol. 53, ann. III, n° 172; Potthast 18902.)

« . . *episcopo Esculano.* Etsi passim sit quibuslibet indigentibus miserendum, ut misericordes existentes circa proximos, in retributione justorum misericordiam consequamur, erga illos tamen debet esse cura propensior et illis convenit affluentius subveniri, quorum verecundia natales prodit ingenuos et qui ex divitiis in egestatem et exilium, absque suo vitio, ceciderunt. Sane, dilectus filius nobilis vir Robertus, natus quondam Munaldi, comitis Aprutini, noster et ecclesie Romane devotus, exposuit coram nobis quod dictus comes, propter fidem et devotionem, quas ad Romanam gerebat ecclesiam, comitatu Aprutii per quondam Fr., Romanorum imperatorem, extitit spoliatus et extra Sicilie regnum ejectus; idemque Robertus fuit eadem ratione per eundem Fr. diro carceri mancipatus. Postmodum etiam quondam Corradus, natus ipsius Fr., quondam Raynaldum, germanum ejusdem Roberti, pro eo quod de mandato ecclesie capitaniam in Adria et comitatum Laureti receperat, capi fecit et tandem, propter ipsius ecclesie devotionem, suspendi; sicque dictus Robertus una cum uxore ac quatuor filiis suis cogitur extra regnum ipsum miserabiliter exulare. Gerentes igitur propter hoc circa personam ipsius Roberti pie compassionis affectum, ac digne volentes quod sua et suorum penuria per nostri favoris auxilium relevetur, mandamus quatinus eidem nobili vel procuratori suo, ejus nomine, pro se, uxore ac quatuor filiis suis in exilio constitutis, facias a monasteriis et ecclesiis tue civitatis et diocesis, exemptis et non exemptis, super provisione simili de mandato apostolico pro alio non gravatis, in victu et vestitu decenter per te vel per alium usque ad triennium provideri, non obstante si —. Datum apud Urbemveterem, vi idus maii, anno III°. »

570 Orvieto, 14 mai 1264.

De absolutione a sententia excommunicationis in Florentinos prolata, Lamberti dicti Tuctii Abbatis, mercatoris Florentini, in Gallia commorantis. (Reg. 28, fol. 53, ann. III, n° 173.)

« . . *Lingonensi et . . Trecensi episcopis.* Olim in die Cene Domini, anno videlicet Nativitatis dominice M°CC°LXIII°, cives Florentini qui civitatem Florentinam hoc tempore detinent, etc., ut continetur in littera Giani Bonaguide, mercatoris Florentini, folio IIII° primi quaterni, capitulo XIII°, etc., usque apostolorum Petri et Pauli tunc proximo sequens, etc., usque beate Virginis tunc proximo adveniens quod pro peremptorio, etc., usque constanter, auctore Domino, procedere curaremus. Sed dicti cives Florentini, nec infra nec post predictum festum Assumptionis, ab ejusdem Manfredi favore desistere et ad mandatum ecclesie super hiis, pro quibus excommunicati fuerant, redire curarunt. Unde nos in octavis beati Martini proximo preteritis, presente fideli populo, ad quasdam monitiones et comminationes processimus contra ipsos, licet durius et asperius tunc potuissemus procedere, eorum protervia exigente. Sane Lambertus dictus Tuctius Abbatis, civis et mercator Florentinus, reprobi sensus dampnata studio, etc., usque se opponit; sicque Jacobus clericus, natus dicti Abbatis, civis

Florentinus, frater et procurator ipsius Lamberti, in anima ejus, a quo habebat super hoc speciale mandatum, quod idem Lambertus parebit super predictis mandatis nostris et ipsius ecclesie, prestitit juramentum, ipsumque Lambertum de observandis mandatis hujusmodi et certis articulis, et de ratificandis hiis, que dictus procurator ejus nomine fecit, sub certis pena et forma specialiter obligavit, prout in instrumento publico inde confecto, etc., usque amplum sinum. Ideoque mandamus quatinus vos vel alter vestrum predictum Lambertum, qui in partibus Gallie commoratur, postquam ratificaverit factum dicti procuratoris, ab universis excommunicationum et interdicti sententiis, quas apostolica sedes in cives Florentinos et eorum terram propter premissa generaliter promulgavit, auctoritate nostra, juxta formam ecclesie, absolvere studeatis, facientes de hiis, etc., usque : Quibus rite peractis, eum per omnia loca in quibus ipse voluerit, etc., usque compellatis. Datum apud Urbemveterem, II idus maii, anno III°. »

571 Orvieto, 11 mai 1264.

Cunizam in abbatissam monasterio s. Mariae de Yspida, Paduanae diocesis, praeficit. (Reg. 28, fol. 53, ann. III, n° 174.)

« *Cunize, abbatisse monasterii s. Marie de Yspida, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis s. Benedicti, Paduane diocesis.* Licet ea que —. Sane monasterio s. Marie de Yspida abbatisse regimine destituto, conventus ipsius dilectis in Christo filiabus Rundine, priorisse, Marie ac Diambre, monialibus ejusdem monasterii, eligendi abbatissam de consilio dilectorum filiorum Bonjohannis, prioris Montis Crucis, et Egidii de Salarola, presbyteri, unanimiter et concorditer contulerunt plenam et liberam potestatem, promittentes se illam in abbatissam recipere et ei, tamquam abbatisse, obedientiam et reverentiam debitam exhibere, quam ipse, de consilio prioris et presbyteri predictorum, de gremio dicti monasterii vel aliunde ducerent eligendam. Predicte vero priorissa et moniales te, tunc monialem dicti monasterii, in ipsius abbatissam, de consilio eorundem prioris et presbyteri, concorditer elegerunt. Porro, presentato nobis hujusmodi electionis decreto, nos dilecto filio nostro S., tituli s. Martini presbytero cardinali, concessimus oraculo vive vocis plenariam potestatem ut confirmaret electionem ipsam, si eam inveniret de persona ydonea canonice celebratam. Alioquin, ea rite cassata, provideret de persona ydonea in abbatissam monasterio supradicto. Idem itaque cardinalis, viso decreto hujusmodi et inquisita de modo electionis et tuis meritis diligentius veritate, predictam electionem, quia invenit in forma ipsius fuisse peccatum, non persone tue sed electionis ipsius vitio, cassavit, justitia mediante. Postmodum autem, idem cardinalis, attendens quod tibi ad hoc merita suffragantur et quod moniales dicti monasterii dicte electioni de te celebrate unanimiter consenserunt, auctoritate sibi a nobis in hac parte concessa, prefecit te in abbatissam monasterio memorato, prout in instrumento publico inde confecto, sigillato sigillo ipsius cardinalis plenius continetur. Nos itaque, tuis supplicationibus inclinati, quod super hoc ab eodem cardinali factum est, ratum et firmum habentes, id auctoritate apostolica confirmamus, etc., usque communimus, tenorem ipsius instrumenti de verbo ad verbum presentibus inseri facientes, qui talis est :

« Symon, miseratione divina tituli s. Martini presbyter cardinalis, religiose mulieri Cunize, moniali monasterii s. Marie de Yspida, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis s. Benedicti, Paduane diocesis, salutem in Domino. Monasterio s. Marie de Yspida abbatisse regimine destituto, conventus ipsius religiosis mulieribus Rundine, priorisse, Marie et Diambre, monialibus ipsius monasterii, eligendi abbatissam de consilio dompni Bonjohannis, prioris Montis Crucis, et Egidii de Salarola, presbyteri, unanimiter et concorditer contulerunt plenam et liberam potestatem, promittentes se illam in abbatissam recipere et ei tamquam abbatisse obedientiam et reverentiam exhibere, quam ipse, de consilio prioris et presbyteri predictorum, de gremio dicti monasterii vel aliunde ducerent eligendam. Predicte vero priorissa et moniales vos, tunc monialem dicti monasterii, de consilio prioris et presbyteri predictorum, in abbatissam ipsius monasterii concorditer elegerunt. Sane, presentato sanctissimo patri domino Urbano, pape IIII, hujusmodi electionis decreto, idem dominus papa concessit nobis oraculo vive vocis plenariam potestatem, ut confirmaremus electionem ipsam, si eam inveniremus de persona ydonea canonice celebratam; alioquin, ea rite cassata, provideremus de persona ydonea in abbatissam monasterio supradicto. Nos itaque, viso decreto hujusmodi et inquisita de modo electionis et vestris meritis diligentius veritate, electionem eandem, quia in forma ipsius peccatum fuisse invenimus, non persone vestre sed electionis ipsius vitio, cassavimus, justitia exigente. Verum, attendentes

quod ad hoc vobis merita suffragantur, et quod moniales predicti monasterii dicte electioni de vobis celebrate, unanimiter consenserunt, auctoritate nobis ab eodem domino papa in hac parte concessa, prefecimus vos in abbatissam monasterio supradicto. In cujus rei testimonium presens publicum instrumentum exinde per manus Nicolai de Rocta [1], notarii, fieri fecimus et nostro sigillo muniri. Actum apud Urbemveterem, in aula dicti domini Symonis cardinalis, anno Domini M°CC°LXIIII°, mense maii, die VII^{a}, indictione VII^{a}, pontificatus domini Urbani pape IIII, anno tertio, coram me dicto Nicolao de Rocta notario, magistris Albertino, canonico Tervisino, Albertino, archipresbytero plebis de Sacco, Paduane diocesis, dompno Johanne, priore s. Marie Bethleemitane de Padua, Bartholomeo de Lingua de Vacca, de Padua, cappellanis dicti domini Symonis cardinalis, et aliis pluribus testibus ad hoc specialiter convocatis. Ego Nicolaus de Rocta, publicus sacrosancte Romane ecclesie auctoritate notarius, predictis omnibus interfui, et ea de mandato dicti domini Symonis cardinalis, scripsi et publicavi et publicata, una cum sigillo ejus presentibus appenso, consueto meo signo signavi. »

Nulli ergo nostre confirmationis, etc. Datum apud Urbemveterem, v idus maii, anno III°. »

572 — Orvieto, 11 mai 1264.

Conventui monasterii S. Mariae de Yspida nuntiat se eidem monasterio Cunizam in abbatissam praefecisse. (Reg. 28, fol. 53 v°, ann. III, n° 175.)

« *Conventui monasterii s. Marie de Yspida, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis s. Benedicti, Paduane diocesis.* Monasterio s. Marie —. Datum apud Urbemveterem, v idus maii, anno tertio. »

In e. m. . . archipresbytero Montissilicis, Paduane diocesis. Monasterio s. Marie de Yspida, ad Romanam ecclesiam, etc., usque confirmandum. Quocirca mandamus quatinus predictam abbatissam in possessionem abbatie prelibati monasterii, per te vel per alium, inducens et defendens inductam, facias ei munus benedictionis impendi et a suis subditis obedientiam et reverentiam debitam exiberi, recepturus ab ea postmodum, nostro et ecclesie Romane nomine, fidelitatis solite juramentum, juxta formam quam tibi sub bulla nostra mittimus interclusam. Formam autem juramenti quod ipsa prestabit, de verbo ad verbum per ejus patentes litteras, suo sigillo signatas, per proprium nuntium nobis quantocius studeas destinare. Datum ut supra. »

1. On peut lire aussi *Rocca*.

573 — Orvieto, 18 mai 1264.

Significat suae intentionis extitisse tantum spiritualia, non temporalia, acta per Philippum in ecclesia Metensi ratificare voluisse. (Reg. 28, fol. 54, ann. III, n° 176).

« *Ad futuram rei memoriam.* Metensi ecclesia pastoris solacio destituta et duabus in ipsa electionibus, una videlicet de dilecto filio Phylippo, tunc thesaurario, et alia de quondam Theobaldo, cantore ipsius ecclesie, in discordia celebratis, tandem hujusmodi negotium per appellationem ejusdem P. fuit ad sedem apostolicam legitime devolutum; quo in curia nostra pendente, dictus P., confisus quod idem cantor cesserat juri suo, electionem de se factam per.., Treverensem electum, loci metropolitanum, confirmari obtinuit et sibi ab eo munus consecrationis impendi, ac in pontificali officio diutius ministravit. Sed licet nos postmodum confirmationem hujusmodi ac quicquid esset inde secutum, utpote nec solum contra jura, verum etiam in predicte sedis injuriam, ubi causa hujusmodi agebatur, presumpta, duximus per nostras litteras, de fratrum nostrorum consilio, irritanda, quia tam idem P., demum ad presentiam nostram accedens, omne jus in hac parte sibi competens, in nostris manibus voluntarie resignavit, nos, ad vitandum animarum periculum et scandalum plurimorum, quicquid post confirmationem ipsius P., usque ad tempus quo ad ejus notitiam de revocatione hujusmodi potuit pervenire, factum fuerat per ipsum et per illos qui ejus vices gerebant, necnon absolutiones excommunicatorum, collationes et investituras ecclesiarum et beneficiorum ecclesiasticorum, sententias et processus causarum tam per.., officialem ipsius, quam per.., abbatem s. Vincentii Metensis pro ipso, et alia queque ad ecclesiasticam jurisdictionem spectantia, dummodo alias forent hec omnia rite acta, rata et firma esse voluimus, non obstante revocatione predicta vel si hujusmodi beneficia, post collationem ejusdem P. aliis essent auctoritate nostra collata et decrevimus universa et singula de speciali gratia firmitatem omnimodam obtinere, sicut hec in litteris nostris inde confectis, dicuntur plenius contineri. Verum, ne in ecclesia predicta que proponuntur per nos

ratificata fuisse dubium possit aliquod suboriri, tenore presentium declaramus quod, quicumque sit predictarum litterarum nostrarum tenor, nostre intentionis extitit et existit quod, per hujusmodi ratificationem et decretum, illa tantum que per eundem Phylippum circa spiritualia facta esse noscuntur, firma existant. Et nolumus nec etiam intendimus quod ratificatio et decretum eadem ad ea que sunt temporalia sive ad ea pertinent, aliquatenus se extendant, seu per prefatas litteras alicujus roboris obtineant firmitatem. Nulli ergo nostre declarationis et constitutionis etc. Datum apud Urbemveterem, xv kalendas junii, anno III° ».

574 Orvieto, 28 mai 1264.

Litterae quae testantur Circulum Olivieri, Perusinum et Florentinum civem, a sententia excommunicationis absolutum esse. (Reg. 28, fol. 54, ann. III, n° 177.)

« *Circulo Olivieri Circuli, Perusino et Florentino civi.* Licet olim felicis recordationis Alexander papa, predecessor noster, Manfredum, quondam principem Tarentinum, ecclesie Romane adversarium manifestum, cum omnibus adjutoribus et fautoribus suis excommunicationis vinculo innodasset, quia tamen cives Florentini, in turbatione pacis Tuscie ac in presumptuosa contrectatione jurium et bonorum Imperii Romani ei ausu nefario adheserunt, roborantes ex hoc in sua pertinacia eundem M., Patrimonii beati Petri perfidum et sacrilegum invasorem, seque per hoc predicte sententie laqueis involventes, nos more pii patris, qui offendentes filios, ut ab invio perditionis ad viam salutis redeant, nunc exorando, nunc comminando diligenter invitat, in festo Cene Domini proximo preterito, mercatoribus Florentinis de capiendis personis et occupandis ac detinendis rebus eorum et aliis penis infligendis eisdem, comminationes diversas fecimus, nisi ipsi usque ad festum Ascensionis Dominice, proximo futurum, ad mandatum ecclesie redire curarent. Quia vero tu, pro te ac fratribus tuis et filiis eorumdem, ad nostram presentiam humiliter accessisti, et de stando mandatis nostris et ipsius ecclesie prestito juramento, per venerabilem fratrem nostrum.., Ostiensem et Velletrensem episcopum, cui hoc oraculo vive vocis commisimus, meruisti absolutionis a supradictis excommunicationibus nec non debite reconciliationis beneficium obtinere, nos propter hoc, te penas dictarum comminationum incurrere nolumus eisque ligari, has nostras litteras tibi super hoc in testimonium concedentes. Datum apud Urbemveterem, v kalendas junii, anno III° ».

575 Orvieto, 18 mai 1264.

Capitulo Alatrinae ecclesiae, quae per mortem J. vacat, mandat quatenus sibi et ipsi ecclesiae provideant, infra unum mensem post receptionem praesentium, per electionem canonicam seu postulationem concordem, de persona idonea in pastorem. (Reg. 28, fol. 54 v°, ann. III, n° 178).

« *Capitulo Alatrino.* Quia ecclesia vestra —. Datum apud Urbemveterem, xv kalendas junii, anno III° ».

576 Orvieto, 11 mai 1264.

Dispensatio super matrimonio illicite contracto. (Reg. 28, fol. 54 v°, ann. III, n° 179.)

« .. *episcopo Abscerensi.* Licet matrimonii contractum —. Petitio dilectorum filiorum Chodomiri de Abscero, laici, et Desse, mulieris loci ejusdem, tue diocesis, nobis exhibita continebat quod ipsi, qui quarta sunt consanguinitatis convincti linea, matrimonium adinvicem contraxerunt et permanserunt jam per longi temporis spatium in eodem. Nos igitur, obtentu dilecti filii nobilis viri Laurentii Theopoli, nati quondam Jacobi Theopoli, ducis Venetorum, nobis super hoc humiliter supplicantis, precibus inclinati, fraternitati tue mandamus quatinus cum prefatis C. et Dessa auctoritate nostra dispenses ut, impedimento hujusmodi non obstante, in sic contracto matrimonio possint licite remanere, quodque proles eorum legitima censeatur. Datum apud Urbemveterem, v idus maii, anno III° ».

577 Orvieto, 13 mai 1264.

Trajectensi episcopo committit partes indicendi belli sacri contra Graecos schismaticos, qui ex captione Constantinopolitanae civitatis elati vento superbiae, ad terram principatus Achaiae depopulatrices manus extendunt. (Reg. 28, fol. 54 v°, ann. III, n° 180; Potthast 18909.)

« .. *episcopo Trajectensi.* Ad reparationem status Imperii Constantinopolitani quod multipliciter, peccatis exigentibus, dinoscitur esse collapsum, mentem nos-

tram convertimus et studia paterne sollicitudinis adhibemus, gerentes ad devotos illarum partium sedis apostolice filios benigne compassionis affectum, dum illos affligi conspicimus barbararum tyrampnide nationum. Sane Greci scismatici, ex captione Constantinopolitane civitatis elati vento superbie et ad impugnandum plus solito fideles illarum partium, vicinitatis oportunitate paratiores effecti, ad terram principatus Achaye depopulatrices manus extendunt, et ut ibidem in devotis ecclesie filiis extinguant penitus nomen matris, quamlibet partem principatus ejusdem continuis persecuntur insultibus, quamduris obsidionibus illius municipia et civitates angustant, et ibidem irremediabiliter omnem terre faciem cunctis ad usum generis humani nascentibus ex ipsa, denudant; tantumque jam inibi diminuerunt numerum fidelium populorum et tantum eos, qui residui sunt, predictis et aliis diversis afflictionibus attriverunt, quod vix aliqua superest fiducia seu spes, ut iidem, absque aliorum fidelium Christi succursu, diu valeant persequentium manus effugere, et terram illam vero Christi cultui conservare, prout hactenus per litteras prelatorum, principum et baronum illarum partium ac speciales nuntios ad apostolicam sedem exinde transmissos, nobis innotuit evidenter. Quum igitur ex hoc gravis imminet jactura periculi, nos, qui ex apostolice dignitatis gradu, universa mala quibus ubilibet atteritur fidelium numerus, providere cogimur, et eis quantum nobis ex alto permittitur, oportuna remedia providere, libenter opem et operam impertimur ut idem principatus ab imminenti peste, Deo propitio, liberetur. Ideoque fraternitatem tuam, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, rogamus et hortamur attente, tibi per apostolica scripta in remissionem peccaminum injungentes quatinus per Leodiensem et Trajectensem civitates et dioceses, per te, juxta datam a Deo tibi prudentiam, et alios etiam, in quorum ore non sit verbum Domini alligatum, proponens pro memorato Imperio efficaciter verbum Crucis, universos Christi fideles earumdem civitatum et diocesium salutaribus inducas monitis et efficacibus inductionibus exhorteris ut, assumpto de tuis et illorum, quibus id commiseris, manibus vivifice Crucis signo et posito cum Moyse gladio supra femur, in succursum predictorum fidelium ipsius Imperii utili acceleratione festinent, accincti ad ejus prelium, si opus fuerit, preliandum, qui coronam legitime certantibus repromittit. Nos ergo, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, auctoritate confisi, et illa, quam nobis, licet indignis, Deus ligandi atque solvendi contulit potestatem, omnibus, qui in succursum ejusdem Imperii personaliter accesserint, illam suorum peccaminum, de quibus corde contriti et ore confessi fuerint, veniam indulgemus, ipsosque illo privilegio illaque volumus immunitate gaudere, que Terre Sancte subvenientibus in generali concilio conceduntur. Datum apud Urbemveterem, III idus maii, anno III°. »

578 Orvieto, 13 mai 1264.

Simile mandatum datur episcopo Coronensi (Reg. 28, fol. 55, ann. III, n° 181; Potthast 18809.)

« .. *episcopo Coronensi.* Cupientes ut terra principatus Achaye ab imminenti schismaticorum peste, qui eam deprimunt immaniter et affligunt, Deo propitio, liberetur, quodque degentes in illa eo liberius se ad ejusdem terre defensionem exponant, quo per hoc majora premia se cognoverint adepturos, fraternitatem tuam, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, rogamus et hortamur attente tibi nichilominus per apostolica scripta in remissionem peccaminum injungentes quatenus Christi fideles in eadem terra morantes, per te, juxta datam a Deo tibi prudentiam, et alios, quos ad hoc ydoneos esse cognoveris, salutaribus inducas monitis et efficacibus inductionibus exhorteris ut terram ipsam ab hostium incursibus, de divino sperantes auxilio, quod presto est fideliter Dei bellum gerentibus, pro sua possibilitate defendant. Nos enim etc. usque potestate, illam eis suorum peccaminum etc. usque indulgemus, que transfretantibus in Terre Sancte subsidium in generali concilio sunt concessa. Datum ut supra. »

579 Orvieto, 13 mai 1264.

Ducem Burgundiae hortatur ut ad Imperium Orientale ecclesiae restituendum copias comparet. (Reg. 28, fol. 55, ann. III, n° 182; Potthast 18909.)

« *Nobili viro.., duci Burgundie.* Dum in gravem superni Patris offensam et dispendiosam apostolice sedis suorumque devotorum injuriam, scismaticorum Grecorum perfidiam elata cornua levasse conspicimus, et per eam terram principatus Achaye affligi continue vexationis angustiis et successivis dissidiis lacerari, multe sollicitudinis excitamur instantia ut, circa sta-

tum illius terre paternam considerationem habentes, vias et modos exquirere studeamus, quibus a filiorum alienorum dominio, immo potius exterminio, dicta terra, Deo propitio, liberetur. Ad quod eo ferventius nostra desideria sunt intenta, quo dilectum filium nobilem virum.., Achaye principem, tamquam virum catholicum Deo et ecclesie Romane devotum, majori affectione prosequimur, et quo ejusdem terre fideles athlete in devotione Dei et ipsius ecclesie constantius perseverant. Sperantes igitur quod tu, velut fidei orthodoxe zelator, habens timorem divini nominis et amorem, Dei causam libenter adjuves et in auxilium fidelium promptitudine magnanimitatis exurgas, nobilitatem tuam rogamus et hortamur attente, tibi nichilominus in remissionem peccaminum injungentes quatinus, provide pensans quod ex hoc gratum Deo sacrificium immolabis, si ad ipsius terre defensionem studia tua devota mente convertas, signum Crucis, in ejusdem terre subsidium, pro Christi reverentia suscipias, ut ob id humane laudis valeas extolli preconiis et in futuro retributionis eterne desiderabile premium magnitudo tua consequi mereatur. Ut autem ad hoc eo libentius te accingas, quo majorem tibi gratiam exinde noveris proventuram, nos, de omnipotentis Dei misericordia etc. usque potestate, si ad defendendum terram eandem personaliter te transferre contigerit, illam tuorum peccaminum, de quibus fueris contritus et ore confessus, veniam indulgemus, illoque te privilegio et illa volumus immunitate gaudere, que transfretantibus in Terre Sancte subsidium in generali concilio conceduntur. Datum apud Urbemveterem, III idus maii, anno III°. »

In e m .. episcopo Trajectensi. Dum gravem (*sic*) etc., ut in superiori proxima etc., usque signum Crucis in imperii Constantinopolitani subsidium etc., usque in finem, verbis competenter mutatis.

580 Orvieto, 30 avril 1264.

Capitulum Auximanum hortatur ut cum debita reverentia excipiat Benvenutum, in episcopum Auximanum electum. (Reg. 28, fol. 55, ann. III, n° 183.)

« *Capitulo Auximano.* Nuper civitati Auximane, promerentibus devotione ac fidei puritate, quibus ipsius cives erga Romanam ecclesiam, eorum dominam singularem, in instantis persecutionis procella, per inflexibilem constantiam claruerunt, episcopali per nos dignitate, qua, civium eorumdem culpis exigentibus, hactenus privata fuerat, restituta, ecclesie Auximane, post habitum diligentem cum fratribus nostris de ipsius ecclesie ordinatione tractatum, venerabilem fratrem nostrum Benvenutum, Auximanum episcopum, tunc capellanum nostrum et Anconitanum archidiaconum, nobis et eisdem fratribus probitatis sue meritis carum plurimum et acceptum, de ipsorum fratrum consilio et nostre plenitudine potestatis, in episcopum prefecimus et pastorem, firmam spem fiduciamque tenentes quod, per probatam et approbatam circumspectionis ipsius industriam, eadem Auximana ecclesia spiritualibus et temporalibus debeat proficere institutis, et in devotione ac fidei puritate predictis dictorum civium constantia roborari. Cum igitur eundem episcopum, cui de nostris manibus munus consecrationis impendimus, ad commissam sibi sepedictam ecclesiam cum gratie nostre plenitudine destinemus, universitati vestre mandamus quatinus honore condigno suscipientes eundem, sibi, tanquam patri et pastori animarum vestrarum, plene ac humiliter intendatis et impendatis eidem obedientiam debitam et devotam, ejus salutaria monita et mandata suscipiendo devote ac humiliter observando; ita quod exinde vestra possit devotio merito commendari. Alioquin sententiam quam etc. Datum apud Urbemveterem, II kalendas maii, anno III°. »

In e. m. clero civitatis et diocesis Auximanarum. Nuper civitati Auximane etc. ut in superiori usque in finem.

In e. m. populo civitatis et diocesis Auximanarum. Nuper civitati Auximane etc. usque intendatis ejus salutaria monita et mandata etc. usque commendari. Datum ut supra. »

581 Orvieto, 22 novembre 1263.

G., Sabinensi episcopo, in partibus Angliae, Walliae et Hiberniae plenae committit legationis officium. (Reg. 28, fol. 55, ann. III, n° 184.)

« *G., Sabinensi episcopo, in regno Anglie apostolice sedis legato.* Pater futuri seculi, princeps pacis, sui pretiosi aspersione sanguinis humanum genus reconcilians Deo Patri, et operatus misericorditer in medio terre salutem, tandem a suis discipulis discessurus, pacem dedit, pacem reliquit eisdem, ex ipso donationis tempore, donantis et recipientium qualitate, patenter

insinuans fore pretiosissimum donum pacis, utpote in ejus ortu prenuntiatum ab angelis bone voluntatis hominibus, et in ipsius de mundo discessu, ab eodem bonorum omnium largitore, suis carissimis, dum ejus destituerentur corporali presentia, quasi pro hereditatis censu relictum. Hoc est igitur donum felicissimum, per quod ipsi Deo, cujus in pace factus est locus, indissolubilis federis unione conjungimur. Hoc est donum gratissimum, cujus consilia ineuntes gaudia subsecuntur. Hoc est donum utilissimum, conservatio societatis humane, fugatis odiis, sedatis discordiis, opes augens, inopias relevans et prospera subministrans. Hoc quippe donum ipse idem Rex regum et Dominus dominantium, de cujus illud thesauro procedit, cujus data sunt optima, cujus sunt dona perfecta, volens suis subditis vicarie operationis ministerio conservare, ut eis mundi cursus suo pacifice ordine dirigatur, ipsius regimen sub regnorum distinctione disponens, primatum militantis ecclesie super gentes et regna constituit, in cujus eminenti specula positus ejusdem pacifici regis vicarius, commissas sibi vices implere satagens, gerat in domo Domini speculatoris officium, et prospectans undique, pervigilis more pastoris, ac singula, pro data sibi possibilitate, contemplans, que ad pacem sunt, commisso sibi gregi promoveat, scandalis per que salus animarum periculosissime impeditur, si qua senserit suboriri, sedandis intendat; sicque, quasi columba, olivam in ore deferat, ut Spiritum Sanctum in columba figurans, spiritualibus vacet operibus, et pacis signum in oliva pertendens, pacem predicet, ad pacem moneat et in pacis vinculo servari suggerat unitatem. Nos igitur qui, licet immeriti, vicibus hujusmodi fungimur, necessitas angit officii pro universo populo christiano, cujus curam gerimus, pacis cogitationes assidue cogitare, instando supplicationibus et orationibus supplicando, ut convertat ad eum Dominus vultum suum, eique pacis tranquilla concedat, et contra undosas tempestates pelagi mundi hujus, ne, cui presumus, naviculam fluctibus obruant, eorumdem discipulorum exemplo, Salvatorem omnium precibus excitare Jesum, ut imperet scismatum flatibus, cessentque procelle fluctuantium odiorum, ad id, prout possumus, operatrices manus nichilominus apponendo.

Sane, licet cunctis Christicolis ac Christicolarum singulis regionibus, Deo et apostolice sedis devotis, in hiis nostre sollicitudinis studium debeatur, nosque ad ipsos libenter possibilitatis nostre ministerium extendamus; tamen quanto carissimum in Christo filium nostrum . . regem, et carissimam in Christo filiam nostram .., reginam illustres et natos ipsorum, ac inclitum regnum Anglie, solitum ab olim multa devotione clarescere, in quo semper cultus orthodoxe fidei viguit, incrementa suscepit et libertas ecclesiastica munimentum, ac dilectos filios nobiles viros barones, magnates alios et ceteros incolas regni ejusdem, infra claustra pectoris in singularitate dilectionis habemus, tanto circa prosperum statum ipsorum fervor apostolici favoris exuberat, et ad tranquillitatem eorum totis nisibus procurandam, cum affectionis paterne plenitudine singularius cogitamus. Audito itaque surgentis fremitu tempestatis, qua regnum predictum hostis antiquus, pacis emulus et zizanie seminator, generali turbatione conquassat, particularibus nichilominus dissidiis in singulis quasi ejusdem regni partibus suscitatis, nos ad adhibendum circa predicta remedium, eo promptius exurgimus, eo vigilantius excitamur, quo ipsius regni fluctuatio, de cujus ingentem susciperemus tranquillitate letitiam, paternum animum durius inquietat. Moventur ergo patris in filiorum commotione precordia, et materna ecclesie viscera in suo (*sic*) devotorum collisione leduntur. In regno namque predicto adeo, sicut non solum fama referente, sed etiam fidedignorum relatione percepimus, valide commotionis horror invaluit et locum sibi dissentio, que detrimenta solet vastitatis inducere, vindicavit, quod predictis rege, regina eorumque natis, ex parte una, et baronibus ac nonnullis aliis ejusdem regni personis, tam ecclesiasticis quam secularibus, ex altera, abinvicem dissidentibus, et inter eos odii et rancoris igne succenso, regalis magnificentie culmini subditorum aversione detrahitur, a subditis domini affectus avertitur, mutuis hinc inde commodis deperit et totius regni periculis adaugetur. Dilatantur et amplius hujusmodi turbationis incommoda, cum, ipsius pretextu, contigerit aliquos ecclesiarum prelatos regni prefati, viros utique venerandos, necnon et alios clericos capi personaliter et captos bonisque propriis enormiter spoliatos carceri mancipari et squaloribus inedie carceralis affligi; quorum quidam adhuc detineri dicuntur, nonnullis ex eis liberationem suam redimere pro magna pecunie quantitate coactis. In conferendis quoque beneficiis ecclesiasticis regionis illius, exclusis illis, ad quos eorum spectat collatio, se ingerunt alieni, et tam circa institutionem et destitutionem clericorum, quam per alios diversos modos et casus, prefata ecclesiastica libertas infringitur et ipsius privilegio derogatur. Incidentibus insuper, occasione turbationis hujusmodi, variis et diversis aliis discriminosis casibus et detestandis excessibus in

regni dissidium memorati, propter quod non immerito accenditur zelus noster et ignis in nostre meditationis an(c)xietatibus exardescit, dumque cogitationibus profundis immergimur et laboriosis vigiliis fatigamur, querentes an(c)xie oportunum, in tante necessitatis articulo, remedium adhibere, licet desideremus interdum, quod cum honore Dei et ecclesie ac salubri statu fidelium nostrum possemus inibi exhibere presentiam, ut quo mente ferimur, ibi presentialiter existentes, divina fulti potentia, proprios per evidentiam operis explicaremus affectus, quia tamen id condicio nostra non patitur, quia ingruentium negotiorum varietas non permittit, ad te, ut fortem mittamus ad fortia et tuis robustis humeris onera grandia imponamus, nostre convertimus deliberationis intuitum et in tuarum consideratione virtutum, tibi a Domino ex (h)abundantia concessarum, de concedentis omnipotentia et immensa virtute sperando, nostre fluctuationis an(c)xietas spem quietis assumit. Cum enim, sicut experientie probatione didicimus, dederit tibi Dominus os et sapientiam linguamque adjecerit eruditam, ut scias quando debeas proferre sermonem, cum tuam sicut adipe et pinguedine repleverit animam, ut vigeat in te rectitudo judicii, consilii providentia rigiditasque censure, in adversitate securitas, in prosperitate devotio, in zelo sobrietas, in agendo strenuitas et in arduis experientia multipliciter approbata, speramus, nec immerito, quod actus tuos, illo dirigente qui novit, ac prava in directa et aspera in vias planas illo convertente qui potest, in predictis per tue circumspectionis industriam utili providentia et utilitate provida consuli poterit et utiliter subveniri. Et ideo, licet nos et fratres nostri tanti viri presentia, utpote nobis et ecclesie Romane pernecessaria, careamus inviti, tamen, cogente nos tam ingenti et inevitabili necessitate regni predicti et paterno affectu, quem ad idem regnum, regem, reginam, natos ipsorum, et ecclesiam Anglicanam, barones, magnates et incolas predictos gerimus, impellente, te, de cujus claris meritis plenam in Domino fiduciam obtinemus, ad regnum predictum, plene legationis officio tibi commisso inibi et in Wallia et Ybernia, ut evellas et destruas, dissipes et disperdas, edifices et plantes, sicut videris expedire, de predictorum fratrum consilio, destinamus. Quocirca fraternitatem tuam rogamus et hortamur attente mandantes quatinus injunctum tibi onus laboris hujusmodi devote suscipiens, illud sic sollicite, sic viriliter et laudabiliter, juxta datam tibi a Deo prudentiam, exequaris, quod de tuis laboribus, divina favente clementia, fructus sperati proveniant, quies et tranquillitas regi, regno ceterisque predictis tuo procurentur auxilio, et tue sollicitudinis studium palmam glorie, que causam Dei gerentibus pro retributione rependitur, mereatur. Datum apud Urbemveterem, x kalendas decembris, anno tertio. »

582 Orvieto, 22 novembre 1263.

Universis praelatis per regnum Angliae constitutis, mandat quatenus Guidonem, episcopum Sabinensem, benigne recipiant et ipsi, tanquam apostolicae sedis legato, humiliter intendant. (Reg. 28, fol. 56, nº 185; Potthast 18717.)

« *Universis archiepiscopis et episcopis, abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis, prepositis et aliis ecclesiarum prelatis per regnum Anglie constitutis.* Pater futuri seculi —. Datum ut supra. »

583 Orvieto, 12 décembre 1263.

Regem Angliae hortatur ut G., episcopum Sabinensem, in regno Angliae legatum destinatum, honorifice excipiat. (Reg. 28, fol. 56 vº, ann. III, nº 186.)

« . . *regi Anglie illustri.* Pater futuri seculi —. Datum apud Urbemveterem, II idus decembris, anno IIIº. »

In e. m. . . regine Anglie illustri.
In e. m. nobilibus viris comitibus ac baronibus regni Anglie.

584 Orvieto, 18 novembre 1263.

Eduardum hortatur ut Guidonem, episcopum Sabinensem, in partes Angliae legatum destinatum, honorifice excipiat. (Reg. 28, fol. 56 vº, ann. III, nº 187.)

« *Nobili viro Eduardo, primogenito carissimi in Christo filii nostri . . , regis Anglie illustris.* Infaustis rumoribus apud sedem apostolicam de regni Anglie turbatione diffusis, magna precordiis nostris anxietas et an(c)xia sollicitudo succrevit, excitans affectus nostros ab intimis, ut in tam incliti regni discrimine, oportunum curaremus remedium adhibere. Profundis itaque meditationibus laboriosisque vigiliis de carissimi in Christo filii nostri . . , regis, et carissime in Christo filie nostre . . , regine Anglie illustrium, parentum tuorum, tua et ipsius regni ac incolarum ejus quietem

pensantes, providimus ad partes illas aliquem de latere nostro destinare legatum, ut ibidem nostri partes officii per ejus ministerium impleamus. Propterea venerabilem fratrem nostrum . . , episcopum Sabinensem, virum utique laudabilium meritorum claritate conspicuum, eminentis dono scientie preditum, multis insignitum virtutibus et in magnis et arduis multipliciter approbatum, ad ipsum regnum, commisso sibi plene legationis officio, duximus de fratrum nostrorum consilio destinandum, sperantes in Domino quod per ipsius legati circumspectionem sollicitam et solertem industriam, circa prosperum eorumdem parentum tuorum statum et tuum, ac salubrem ejusdem regni reformationem, sanum et utile, divina favente clementia, consilium apponetur. Ideoque nobilitatem tuam rogamus et hortamur attente quatinus eundem legatum, immo potius personam nostram in ipso, tanquam devotionis filius, prosequens et honorans, sibi devote pareas et per omnia suis consiliis acquiescas; ita quod processus ejus feliciter, auctore Domino, dirigantur, et ex illis ad laudem divini nominis et statum dicti regni prosperum et tranquillum fructus optati valeant, juxta nostra desideria, provenire. Datum apud Urbemveterem, XIII kalendas decembris, anno III°. »

585 Orvieto. (sans date).

Symonem de Monteforti hortatur ut Guidonem, episcopum Sabinensem, in regnum Angliae legatum destinatum, promptis studiis honoret. (Reg. 28, fol. 56 v°, ann. III, n° 188.)

« *Nobili viro Symoni de Monteforti, comiti Leycestrie.* Infaustis rumoribus apud sedem apostolicam de regni Anglie turbatione diffusis, illud, nec mirum, nobis amaritudinis calicem propinavit, quod te nonnullorum assertio inter actores turbationis hujusmodi quasi principium computabat. Profecto, fili, moleste ferimus, et tu etiam temetipsum debes reprehensionis telo ferire, si tua in hac parte relatorum dictis culpa concordat. Nam cum tui progenitores, sicut de ipsis habet fama, laudabilis pacis zelatores extiterint et in populis dilexerint unitatem, satis notabiliter, immo dampnabiliter degenerare videris ab illis, si ab eorum vestigiis taliter declinares. Nos autem, qui ubique pacis commoda querimus et fomites extinguere nitimur odiorum, quique salutem fidelium plenis desideramus affectibus, profunda meditatione pensantes qualiter in tanto memorati regni discrimine possemus oportunum, Deo propitio, remedium adhibere, venerabilem fratrem nostrum . . , episcopum Sabinensem, etc., ut in superiori proxima usque industriam, circa salubrem ejusdem regni reformationem, sanum, divina favente clementia, consilium apponetur. Ideoque nobilitatem tuam rogamus et hortamur attente quatinus, ab eorundem progenitorum devotione non devians, sed ad salutem et fame conservationem nostris beneplacitis te conformans, eundem legatum, immo potius personam nostram in ipso, promptis studiis et plenis honores affectibus, suisque per omnia, circa predicta, mandatis et consiliis acquiescas; quinimmo ipsius beneplacita devota sollicitudine ac devotione sollicita prosequaris; ita quod processus ejus per tue circumspectionis auxilium feliciter, auctore Domino, dirigantur, et ex illis ad laudem divini nominis et statum dicti regni prosperum et tranquillum, fructus optati, juxta desideria nostra, proveniant, tueque fame integritas illibata servetur. Datum apud Urbemveterem (*sic*). »

586 Orvieto, 12 décembre 1263.

Regi Francorum significat se in partes Angliae, ad sedandas ejusdem regni turbationes, Guidonem, episcopum Sabinensem, legatum destinare. (Reg. 28, fol. 57, ann. III, n° 189.)

« . . *regi Francorum illustri.* Ubi primum apud nos rumor insonuit de suscitata in regno Anglie gravi turbatione diffusus, mentem nostram sollicitudo circumdedit, meditationibus pensabamus assiduis, intimis exquirebamus affectibus, ut, in tanti mole discriminis, apostolice providentie studium oportune provisionis remedio, auctore Domino, subveniret. Ad quod nos inter cetera, immo pre ceteris, occurrentia nostre considerationis obtutibus, animarum pericula, que inducere solent odia et dissensiones, urgebant. Sollicitabat instanter paterne pietatis affectus, quo, dum carissimum in Christo filium nostrum . . regem, et carissimam in Christo filiam nostram . . reginam illustres ac natos eorum, et predictum Anglie regnum in multa caritatis sinceritate prosequimur, de ipsorum vexationibus non sollicitari non possumus et eorum molestias non moleste sentire nequimus. Tue insuper excellentie consideratio, cui tanquam regis imitatori pacifici, omnium et specialiter predictorum regis et regni tranquillitatem et pacem cordi esse novimus et votivam, ad id quam plurimum inducebat, propter quod, licet expectantes aliquandiu expectavimus, ut per ipsum regem vel suos super circumstantiis turbationis ejusdem nuntio e(o)docti (*sic*)

vel litteris, ad ipsam sedandam efficacius intendere, ac salubrius possemus remedium adhibere, quia tamen nulla umquam, ex parte ipsorum, ad nos super hoc certitudo pervenit, nos, tuis et carissime in Christo filie nostre . . regine Francie illustris, uxoris tue, nuntiis et litteris, super hujusmodi negotii qualitate receptis, sequenti die ad partes illas legatum de nostro latere decrevimus destinandum, per cujus salubre ministerium circa illas nostri partes officii, juxta conceptum desiderium, Deo propitio, impleamus.

Sane, virum ad hoc secundum cor nostrum exquirentes ydoneum, ad venerabilem fratrem nostrum G., Sabinensem episcopum, quem Dominus erudivit sapientia, et multarum virtutum titulis insignivit, nostre dreximus deliberationis intuitum, ac ipsum, quem olim in minori officio constitutum, regie celsitudini familiariter adherentem, ipsius claris meritis tibi familiari experientia cognitis, gratum et acceptum in tuis conspectibus reddiderunt, nostris necessitatibus non parcentes, cum ipsius presentia, nobis et ecclesie Romane pernecessaria, non sine dispendio carere possimus, duximus cum plene legationis officio, commisso sibi tam in regno predicto quam in Wallia et Ybernia, destinandum. Quia vero meriti non minoris existit in Dei et ecclesie Romane devotione orthodoxe fidei populos conservare, quam ad ecclesiasticam unitatem reducere barbaras nationes, serenitatem regiam rogamus, monemus et hortamur attente, in remissionem tibi peccaminum suadentes, quatenus clementer attendens quantum regiam magnitudinem deceat memoratis regi, regine ac natis ipsorum, qui proxima tibi affinitate junguntur, in tante necessitatis articulo efficaci adesse presidio, ad prosperum et tranquillum ipsorum et totius predicti regni statum, juxta tue providentie magnitudinem, dexteram potentie regalis extendas et memoratum episcopum, apostolice sedis legatum, cui exhibitam honorificentiam nobis reputamus et dicte sedi etiam exhiberi, regio favore prosequens, eidem consilium et auxilium, in hiis precipue que ad felicem hujusmodi promotionem negotii pertinent, benignus impendas; ita quod, memorato rege ac suis ad reintegrationem status debiti restitutis, ecclesiastica libertas, que non sine divini nominis et religionis christiane contemptu, occasione turbationis hujusmodi, in partibus illis infringitur, illesa servetur, sepefato regno pax et tranquillitas, ut desideramus, obveniat, animarum pericula evitentur, ac tibi exinde laudis titulus apud homines et meritorum accrescat cumulus apud Deum. Datum apud Urbemveterem, II idus decembris, anno III°. »

587 Orvieto, 15 décembre 1263.

Reginam Francorum de legatione Guidonis certiorem facit eamque hortatur ut apud regem Francorum legato auxilium praestet. (Reg. 28, fol. 57 v°, ann. III, n° 190.)

« . . *regine Francorum illustri*. Ubi primum apud nos rumor insonuit, etc., ut in superiori proxima usque nequimus. Tue insuper devotionis cousideratio, cui regis, regine, natorum et regni predictorum tranquillitatem et pacem, etc., usque pervenit. Nos carissimi in Christo filii nostri . . regis Francorum illustris, viri tui, ac tuis nuntiis et litteris, etc., usque destinandum. Quocirca serenitatem tuam monemus, rogamus et hortamur attente quatinus, prudenter attendens quantum magnitudinem tuam deceat memoratis regi Anglie, regine sorori, ac natis ipsorum, nepotibus tuis, efficaci auxilio in articulo tante necessitatis adesse, prefatum episcopum, apostolice sedis legatum, immo potius nos in ipso benigne recipiens et tractans honorificentia debita, eidem in hiis precipue, que ad executionem commissorum in hac parte sue sollicitudini pertinent, in promptitudine devotionis presidia tui favoris impendas, apud nominatum regem Francie, virum tuum, nichilominus efficaciter insistendo ut, provide pensans quod meriti non minoris existit in Dei et ecclesie Romane devotione orthodoxe fidei populos conservare, quam ad ecclesiasticam unitatem reducere barbaras nationes, ad prosperum et tranquillum predictorum regis, regine, natorum et totius regni Anglie statum, juxta suam providentiam, dexteram potentie regalis extendat, ita quod eisdem rege Anglie, regina, natis et regno ad reintegrationem status debiti restitutis, etc., usque servetur, ipsis regi Anglie, regine, natis et regno pax et tranquillitas, etc., usque apud Deum. Ceterum, tue magnitudinis sinceritas non miretur, si prelibatus legatus, post injunctum sibi legationis officium, moram aliquandiu traxit in curia; ipsum etenim non solum occupatio arduorum negotiorum imminentium nobis et fratribus nostris exegit, sed etiam diligens multorum preparatio necessariorum ad negotium sibi commissum indixit. Datum apud Urbemveterem, XVIII kalendas januarii, anno III°. »

588 Orvieto, 17 novembre 1263.

G., episcopo Sabinensi, apostolicae sedis legato, in legationis negotiis vices suas committit. (Reg. 28, fol. 57 v°, ann. III, n° 191.)

« *G., episcopo Sabinensi, apostolice sedis legato.* Magna tue circumspectionis industria, que in altis et arduis quid expediat quidve deceat, longe lateque circumspicit, nos inducit ut tibi, in quo secure quiescimus, que grandis sunt admodum ponderis, committamus. Unde cum te, pro urgentibus et arduis negotiis, ad regnum Anglie, tam inibi quam etiam in Wallia et Ybernia commisso tibi plene legationis officio, destinemus, volentes ut eadem negotia eo utilius et efficacius prosequaris, quo majori per nos fueris auctoritate munitus, si aliqua tibi, circa ipsorum negotiorum prosecutionem, occurrant, que directionem seu promotionem eorundem respiciant et ad que ipsius legationis officium se forsitan non extendat, in hiis fraternitati tue, de cujus discretionis maturitate plene confidimus, committimus auctoritate presentium vices nostras. Datum apud Urbemveterem, x kalendas decembris, anno III°. »

589 Orvieto, 17 novembre 1264.

Eidem concedit facultatem puniendi archiepiscopos, episcopos et quoslibet alios quarumlibet ecclesiarum, domorum et monasteriorum, tam exemptorum quam non exemptorum, praelatos, conventus, capitula sive collegia et quascumque personas ecclesiasticas ipsius legationis, qui ipsi circa eadem officium et negotia parere neglexerint, ac ipsos archiepiscopos ceterasque personas ecclesiasticas a spiritualium et temporalium administratione suspensos, ad apostolicam sedem mittendi et hoc eis injungendi sub pena depositionis quam, si ipsi non paruerint, eo ipso incurrant, vel privandi eos praelaturis, personatibus, dignitatibus et beneficiis quae obtinent. (Reg. 28, fol. 57 v°, ann. III, n° 192.)

« *Eidem episcopo.* Cum te ad —. Datum ut supra. »

590 Orvieto, 17 novembre 1263.

Eidem concedit potestatem convocandi ad suam praesentiam principes ac ecclesiarum praelatos et alios quoscumque fideles quorumlibet regnorum et provinciarum, quandocumque promotioni dicti negotii viderit expedire, et injungendi quae utilia ipsi negotio fore putaverit, ac invocandi eorum auxilium contra quascumque personas ecclesiasticas et seculares ipsius suae legationis, et alias adhaerentes eisdem, que ipsi non paruerint vel ipsum impedire presumpserint in negotio supradicto, compellendi quoque, monitione praemissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, principes, praelatos et fideles eosdem ad impendendum ipsi hujusmodi auxilium. (Reg. 28, fol. 57 v°, ann. III, n° 193).

« *Eidem episcopo.* Cum te ad —. Datum ut supra. »

591 Orvieto, 1er décembre 1264.

Eidem, quia forte ad explicationem officii et negotiorum ipsi commissorum expediet ut aliquas personas ipsius suae legationis moneat super aliquo, vel ad praesentiam ipsius citet, si commode infra fines legationis ipsius id nequiverit provenire, concedit facultatem proponendi citra mare, convocatis clero et populo, publicae citationis edicta et faciendi monitiones publicas, ita ut personae hujusmodi coram ipsum, infra terminum ab ipso praefigendum eisdem, compareant et ipsius monitionibus parere procurent: proviso quod citationes et monitiones hujusmodi fiant in locis sollemnibus. (Reg. 28, fol. 58, ann. III, n° 194.)

« *Eidem episcopo.* Cum te ad —. Datum apud Urbemveterem, kalendis decembris, anno III°. »

592 Orvieto, 1er décembre 1264.

Eidem concedit facultatem relaxandi omnia juramenta a rege et regina Angliae ac Eduardo et Eadmundo, eorum filiis, et quibuscumque aliis personis, ecclesiasticis et secularibus, occasione hujusmodi discordiae, praestita, et specialiter illud quod regina et filii praedicti de redeundo ad regnum ipsum praestitisse dicuntur. (Reg. 28, fol. 58, ann. III, n° 195.)

« *Eidem episcopo.* Cum te ad —. Datum ut supra. »

593 Orvieto, 24 novembre 1264.

Eidem concedit facultatem exercendi libere per ipsum vel per alium aut alios censuram ecclesiasticam in archiepiscopos et episcopos ac in cathedralium et aliarum ecclesiarum, domorum et monasteriorum, tam exemptorum quam non exemptorum, praelatos et clericos, conventus et capitula, necnon comites, barones et nobiles, potestates, rectores, balivos, consilia, communia, universitates et populos locorum quorumlibet ipsius legationis, et quascumque personas ecclesiasticas et saeculares, publicas et privatas, et terras ipsorum ejusdem legationis, cum viderit expedire. (Reg. 28, fol. 58, ann. III, n° 196.)

« *Eidem episcopo.* Cum hostis humani —. Datum apud Urbemveterem, VIII kalendas decembris, anno tertio. »

594 Orvieto, 1er décembre 1263.

Eidem concedit facultatem relaxandi, juxta formam ecclesiae, quascumque suspensionis, excommunicationis et interdicti sententias, si quas existentes in terris legationis ipsi commissae, incurrerunt hactenus vel incurrent, durante ipsa legatione, occasione turbationis in regno Angliae exortae, necnon remittendi liberaliter quibuscumque personis omnes injurias et offensas, si quas ecclesiae Romanae, praetextu turbationis hujusmodi, intulerunt, ac ipsas personas in gratiam sedis apostolicae admittendi ; congregandi quoque exercitum et procedendi hostiliter contra omnes illos qui ipsi pertinaces et rebelles in eodem negotio fuerint, et alias spiritualiter et temporaliter ac in eos censuram ecclesiasticam exercendi. (Reg. 28, fol. 59, ann. III, n° 197.)

« *Eidem episcopo.* Cum hostis humani —. Datum ut supra. »

595 Orvieto, 22 novembre 1263.

Nonnulla mandantur legato ut in regno Angliae turbationes sedentur. (Reg. 28, fol. 58 v°, ann. III, n° 198.)

« *Eidem episcopo.* Ex injuncto nobis —. Intellecto igitur quod hostis humani generis, pacis emulus et zizanie seminator, gravem dissensionem in regno Anglie suscitarat, ex qua ipsius regni fidelibus gravia corporum et animarum dispendia imminere noscuntur, nos, felicem ipsius regni statum plenis desideriis affectantes, te, quem Dominus erudivit sapientia et virtutibus insignivit, ad partes illas, pro sedanda dissensione hujusmodi, tanquam pacis angelum, commisso tibi plene legationis officio, destinamus. Propterea, cupientes ut ipsum negotium, summotis impedimentis quibuslibet, prosperum, Deo propitio, consequatur effectum, mandamus quatinus venerabiles fratres nostros archiepiscopos et alios universos et singulos ecclesiarum prelatos, ac nobiles viros, comites, barones et alios quoscumque clericos et laicos regni ejusdem moneas et inducas, ut carissimo in Christo filio nostro .. regi Anglie illustri, efficaciter intendentes, fidelitatis juramenta ei, ut tenentur, exhibeant, ac alia omnia que consueverunt ab ipsis Anglie regibus exhiberi. Omnes conjurationes, confederationes, colligationes et societates factas ab eis dissolvant penitus et abjurent statuta super hiis edita non observent, etiam si de illis observandis, tam ipsi quam idem rex et carissima in Christo filia nostra .. regina Anglie illustris, ac nobiles viri, nati eorum, prestiterint juramenta, ad quorum observationem ipsos decrevimus non teneri, eosdem prelatos et clericos per suspensionis sententiam, ab officio, dignitatibus, honoribus et beneficiis, comites vero, barones et laicos predictos, per privationem feudorum et omnium bonorum que a quibuscumque ecclesiis predicti regni et aliis detinent, et alias spiritualiter et temporaliter, prout expedire videris, ad id, appellatione postposita, compellendo. Ceterum, prelatis in quos forte hujusmodi suspensionis sententiam duxeris promulgandam, districte precipias, ut infra competentem terminum, quem eis ad hoc peremptorie duxeris prefigendum, personaliter compareant coram nobis, depositionis vel aliam sententiam, prout expedire viderimus, recepturi. Eisdem quoque prelatis denunties, quod si non venerint in termino eis statuto, procedetur nichilominus contra ipsos, eorum absentia non obstante. Datum apud Urbemveterem, x kalendas decembris, anno III°. »

596 Orvieto, 27 novembre 1263.

Eidem mandat quatenus, si rebellionem archiepiscoporum et aliorum praelatorum ecclesiarum ac comitum, baronum et aliorum regni Angliae requirere viderit, contra illos, qui ipsi vel regi Angliae rebelles fuerint, per ipsum vel per alios regulares et seculares, praedicet verbum Crucis et eam volentibus recipere largiatur, « illis qui in propriis laboribus et expensis in subsidium dicti regis et in favorem predicti negotii, et eis qui in propriis personis, sed in alienis expensis, ac illis qui in expensis suis, mittentes ydoneos bellatores contra rebelles hujusmodi auxilium dederint, illam suorum veniam delictorum, de quibus veraciter corde contriti et ore confessi fuerint, quae Terrae Sanctae succurrentibus in generali concilio est concessa; » ceterum commutandi omnia vota et, si urgenti necessitati negotii viderit expedire, etiam Hierosolymitana in hujusmodi subsidium concedit potestatem. (Reg. 28, fol. 59 v°, ann. III, n° 199; Potthast 18725.)

« *Eidem episcopo.* Ex injuncto nobis —. Datum apud Urbemveterem, v kalendas decembris, anno III°. »

597 Orvieto, 22 novembre 1263.

Eidem mandat quatenus universos et singulos ecclesiarum praelatos ac comites, barones et alios quoscumque clericos et laicos regni Angliae moneat et inducat ut ipsi omnes civitates, munitiones, terras et villas omniaque castra, bona et jura regi Angliae dimittant libera et quieta, ipsumque suo dominio suaque potestate libere uti permittant, eosdem prae-

latos et clericos per suspensionis sententiam, comites vero, barones et laicos praedictos per privationem feudorum et omnium bonorum quae a quibuscumque ecclesiis praedicti regni et aliis detinent, et alios spiritualiter et temporaliter ad id, appellatione postposita, compellendo ; ceterum clericos, fratres, filios et nepotes comitum et baronum et aliorum, qui super hiis ipsi rebelles fuerint, privet omnibus beneficiis ecclesiasticis et honoribus quae ab ecclesiis obtinent. (Reg. 28, fol. 59 v°, ann. III, n° 200.)

« *Eidem episcopo.* Ex injuncto nobis —. Datum apud Urbemveterem, x kalendas decembris, anno III°. »

598 Orvieto, 27 novembre 1263.

Eidem concedit potestatem compellendi, monitione praemissa, Theutonicos et alios qui Anglicis, ipsi in hoc negotio rebellibus, praestare praesumpserint auxilium vel favorem, quod ab hujusmodi praesumptione desistant, per excommunicationis in personas et in terras eorum interdicti sententias. (Reg. 28, fol. 59, ann. III, n° 201.)

« *Eidem episcopo.* Ex injuncto nobis —. Datum apud Urbemveterem, v kalendas decembris, anno III°. »

599 Orvieto, 27 novembre 1263.

Archiepiscopo Coloniensi et ejus suffraganeis mandat quatenus, si qua G., episcopus Sabinensis et sedis apostolicae legatus, occasione Theutonicorum et aliorum quorumlibet, qui Anglicis contra ipsum vel regem Angliae praestare praesumpserint auxilium et favorem, ipsis duxerit injungendum, ipsi universi et singuli eidem in hac parte obedire studeant. (Reg. 28, fol. 59, ann. III, n° 202.)

« .. *archiepiscopo Coloniensi et ejus suffraganeis.* Ex injuncto nobis —. Datum ut supra. »

In e. m. episcopis provincie Treverensis.

600 Orvieto, 19 décembre 1263.

G., episcopo Sabinensi, apostolicae sedis legato, concedit potestatem privandi clericos saeculares ipsius legationis, quibus sedes apostolica in multis se liberalem exhibuit, et quos inobedientes forsan invenerit in hiis quae spectare viderit ad ipsius legationis officium. (Reg. 28, fol. 59, ann. III, n° 203.)

« *G., episcopo Sabinensi, apostolice sedis legato.* Cum te ad —. Datum apud Urbemveterem, xiiii kalendas januarii, anno tertio. »

601 Orvieto, 27 novembre 1263.

Eidem concedit potestatem exercendi censuram ecclesiasticam in omnes illos qui in eundo, stando aut redeundo, circa ipsum vel ipsius familiam injuriosi exstiterint, si injuriatores ipsi, ab ipso moniti, de injuria illata ipsi et dictae familiae non satisfecerint competenter, et in loca, in quibus injuria hujusmodi facta fuerit, si tamen eorumdem locorum domini, qui laici fuerint, requisiti, neglexerint facere ipsi vel dictae familiae hujusmodi satisfactionem impendi. (Reg. 28, fol. 59 v°, ann. III, n° 204.)

« *Eidem episcopo.* Cum te ad —. Datum apud Urbemveterem, v kalendas decembris, anno III°. »

602 Orvieto, 13 décembre 1263.

Declarat quod suae intentionis ac voluntatis existit quod, hiis que ipsi, ratione legationis, competunt, in nullo penitus derogetur, sed vult quod illa plenarie ac libere exequatur. (Reg. 28, fol. 59 v°, ann. III, n° 205.)

« *Eidem episcopo.* Pro sedanda discordia —. Datum apud Urbemveterem, idus decembris, anno III°. »

603 Orvieto, 30 novembre 1263.

Eidem concedit ut, si fuerit partes Angliae ingressus et ex aliquo postmodum eventu illas egredi ipsum forte contigerit, possit semel et iterum et quotiens opportunum fuerit, regredi ad easdem, et tam intra ipsas quam extra legationis officium et cetera ipsi commissa, quantum ad negotia partium praedictarum, libere in omnibus exercere. (Reg. 28, fol. 59 v°, ann. III, n° 206.)

« *Eidem episcopo.* Cum te ad —. Datum apud Urbemveterem, ii kalendas decembris, anno III°. »

604 Orvieto, 30 novembre 1263.

Eidem concedit ut, si accessum ipsius ad partes Angliae impediri quovis modo contigerit, possit nihilominus extra ipsas legationis officium et quaecumque ipsi sunt vel fuerint commissa, libere in omnibus exercere. (Reg. 28, fol. 59, ann. III, n° 207.)

« *Eidem episcopo.* Cum te ad —. Datum ut supra. »

605 Orvieto, 1er décembre 1263.

Vult ut, sedata etiam discordia hujusmodi, tam ipsum legationis officium quam super omnibus aliis ipsi legato facta commissio tamdiu durent donec de illis partibus per sedem apostolicam idem episcopus fuerit revocatus. (Reg. 28, fol. 59 v°, ann. III, n° 208.)

« *Eidem episcopo.* Cum te ad —. Datum apud Urbemveterem, kalendis decembris, anno III°. »

606 Orvieto, 1er décembre 1263.

Vult ut, sedata etiam discordia, tam ipsum legationis officium quam super omnibus aliis quae ad gratias aliquibus faciendas vel ad potestatem in certis casibus dispensandi pertinent, per apostolicas litteras ipsi legato facta commissio, tamdiu durent donec de illis partibus idem episcopus per sedem apostolicam fuerit revocatus. (Reg. 28, fol. 59 v°, ann. III, n° 209.)

« *Eidem episcopo.* Cum te ad —. Datum ut supra. »

607 Orvieto, 22 novembre 1263.

Eidem concedit potestatem privandi quoslibet religiosos cujuscumque ordinis, qui super hiis quae spectant ad ipsius legationis officium et aliis ipsi commissis, ab ipso moniti, plenarie ipsi parere contempserint. (Reg. 28, fol. 59 v°, ann. III, n° 210.)

« *Eidem episcopo.* Cum te ad —. Datum apud Urbemveterem, x kalendas decembris, anno III°. »

608 Orvieto, 27 novembre 1263.)

Eidem concedit facultatem injungendi fratribus Praedicatorum et Minorum ac aliorum ordinum ubilibet constitutis quaecumque prosecutioni officii vel utilitati negotiorum ipsi commissorum viderit expedire, ac contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendi. (Reg. 28, fol. 59, v°, ann. III, n° 211.)

« *Eidem episcopo.* Cum te ad —. Datum apud Urbemveterem, v kalendas decembris, anno tertio. »

609 Orvieto, 19 mars 1264.

Eidem concedit ut omnibus vere poenitentibus et confessis, qui ad Crucis praedicationem ipsius accesserint, centum dies de injunctis ipsis poenitentiis valeat relaxare. (Reg. 28, fol. 69, ann. III, n° 211 *bis*.)

« *Eidem episcopo.* Cum te ad —. Datum apud Urbemveterem, XIII kalendas aprilis, anno III°. »

610 Orvieto, 13 décembre 1263.

Eidem concedit facultatem concedendi illis quibus hujusmodi Crucis negotium duxerit committendum, quod ipsi omnibus vere poenitentibus et confessis, qui ad eorum praedicationem accesserint, quadraginta dies de injunctis ipsis poenitentiis relaxare valeant. (Reg. 28, fol. 60, ann. III, n° 212.)

« *Eidem episcopo.* Commisso tibi legationis —. Datum apud Urbemveterem, idus decembris, anno III°. »

611 Orvieto, 13 décembre 1263.

Eidem concedit ut in magnis colloquiis et congregationibus quae, occasione praedictorum negotiorum, pro quibus ipsum ad partes Angliae mittit, tam infra legationis ipsius fines quam extra fieri contigerit, et in festis solemnibus, in missarum solemniis ac in translationibus sanctorum, omnibus vere poenitentibus et confessis, qui ad colloquia, congregationes, solemnia et translationes hujusmodi accesserint, unum annum et quadraginta dies de injunctis ipsis poenitentiis valeat relaxare. (Reg. 28, fol. 60, ann. III, n° 213.)

« *Eidem episcopo.* Cum te ad —. Datum ut supra. »

612 Orvieto, 22 novembre 1263.

Eidem concedit ut, quotiescumque ipsum proponere contigerit verbum Dei, consecrare altaria vel ecclesias aut moniales benedicere, omnibus vere poenitentibus et confessis, qui ad ipsius praedicationem accesserint, centum dies, ad illos vero qui in consecrationibus et benedictionibus hujusmodi praesentes fuerint, unum annum et quadraginta dies de injunctis ipsis pœnitentiis valeat relaxare. (Reg. 28, fol. 60, ann. III, n° 214.)

« *Eidem episcopo.* Cum te ad —. Datum apud Urbemveterem, x kalendas decembris, anno III°. »

613 Orvieto, 13 décembre 1263.

Eidem concedit ut omnibus vere poenitentibus et confessis

qui ad fabricas ecclesiarum partium Angliae manum porrexerint adjutricem, quadraginta dies de injunctis ipsis poenitentiis valeat relaxare. (Reg. 28, fol. 60, ann. III, n° 215.)

« *Eidem episcopo.* Cum te ad —. Datum apud Urbemveterem, idus decembris, anno tertio. »

614 Orvieto, 22 novembre 1263.

Eidem concedit facultatem dispensandi cum tribus clericis ipsius legationis defectum natalium patientibus, quod eorum quilibet, hujusmodi non obstante defectu, possit in susceptis ministrare ordinibus, promoveri ad superiores et obtinere dignitatem episcopalem, si cum ad illam alias canonice contigerit evocari, et si non sint iidem clerici de adulterio vel incestu seu regularibus procreati sed bonae conversationis et vitae. (Reg. 28, fol. 60, ann. III, n° 216.)

« *Eidem episcopo.* Cum te ad —. Datum apud Urbemveterem, x kalendas decembris, anno III°. »

615 Orvieto, 24 novembre 1263.

Eidem concedit facultatem dispensandi cum clericis partium Angliae, Walliae et Hiberniae defectum natalium patientibus, quod eorum quilibet possit in susceptis ministrare ordinibus, promoveri ad superiores et ecclesiasticum beneficium, personatum vel dignitatem, episcopali dumtaxat excepta, etiam si curam habeat animarum, dummodo non sint de adulterio vel incestu seu regularibus procreati; ita tamen quod iidem clerici ad ordines statutis temporibus se faciant promoveri et personaliter resideant in eisdem. (Reg. 28, fol. 60 ann. III, n° 217.)

« *G., episcopo Sabinensi, apostolice sedis legato.* Cum te ad —. Datum apud Urbemveterem, viii kalendas decembris, anno tertio. »

616 Orvieto, 26 novembre 1263.

Eidem concedit facultatem dispensandi cum religiosis personis, cujuscumque ordinis, defectum natalium patientibus, quod eorum quaelibet possit ad omnes ordines promoveri, dummodo non sint de adulterio vel incestu seu regularibus procreati, ad dignitates et administrationes sui ordinis dumtaxat assumi. (Reg. 28, fol. 60 v°, ann. III, n° 218.)

« *Eidem episcopo.* Virtutum merita manere —. Datum apud Urbemveterem, vi kalendas decembris, anno III°. »

617 Orvieto, 26 novembre 1263.

Eidem concedit ut cum quibuslibet religiosis personis ipsius legationis, cujuscumque sint ordinis, quae, dato aliquo pro acquirendis vel recepto pro exhibendis locis in monasteriis, commiserunt vel commiserint, legatione durante, simoniacam pravitatem, possit dispensare. (Reg. 28, fol. 60 v°, ann. III, n° 219.)

« *Eidem episcopo.* Cum te ad —. Datum ut supra. »

618 Orvieto, 26 novembre 1263.

Eidem concedit facultatem dispensandi cum ecclesiarum praelatis et personis ecclesiasticis suae legationis super irregularitate quam contraxerunt vel contraxerint, legatione durante, ferendo in alios, contra constitutionem Innocentii quarti, excommunicationis sententiam sine scriptis et non abstinendo a divinis juxta tenorem constitutionis ipsius. (Reg. 28, fol. 60 v°, ann. III, n° 220.)

« *Eidem episcopo.* Cum te ad —. Datum apud Urbemveterem, vi kalendas decembris, anno III°. »

619 Orvieto, 26 novembre 1263.

Eidem concedit facultatem dispensandi cum personis ecclesiasticis, religiosis et saecularibus suae legationis, super irregularitate quam contraxerunt vel contraxerint, legatione durante, ex eo quod excommunicatae receperunt ordines et ministrarunt in ipsis, aut excommunicationis, suspensionis vel interdicti sententiis innodatae, divina officia celebrarunt, postquam ab hujusmodi sententiis rite fuerint absolutae, injuncta eis pro modo culpae pœnitentia competenti. (Reg. 28, fol. 60 v°, ann. III, n° 221.)

« *Eidem episcopo.* Cum te ad —. Datum apud Urbemveterem, vi kalendas decembris, anno III°. »

620 Orvieto, 26 novembre 1263.

Eidem concedit facultatem absolvendi ab eadem sententia eos qui Gregorii papae quaedam statuta in nonnullis monasteriis servanda, contempserint, et dispensandi cum ipsis super irregularitate, si quam contraxerint sic ligati se divinis officiis immiscendo, injuncta ei propter hoc poenitentia. (Reg. 28, fol. 61, ann. III, n° 222).

« *Eidem episcopo.* Cum te ad —. Datum ut supra. »

621 Orvieto, 22 novembre 1263.

Eidem, quia « in terris suae legationis, nonnulli per judices a sede apostolica delegatos, subdegatos ab eis, sunt excommunicationis sententiis innodati, a quibus commode absolvi non possunt, pro eo quod aliqui judicum ipsorum, quibus in hoc alii non succedunt, viam sunt universae carnis ingressi, quorum vero copia de facili haberi non potest, aliquorum etiam jurisdictio expiravit », concedit facultatem absolvendi eos ab hujusmodi excommunicationis sententiis, prius ab eis satisfactione impensa super his pro quibus hujusmodi sententiae sunt prolatae. (Reg. 28, fol. 61, anno. III, n° 223).

« *Eidem episcopo.* Ad audientiam nostram —. Datum apud Urbemveterem, x kalendas decembris, anno III°. »

622 Orvieto, 22 novembre 1263.

Eidem concedit facultatem dispensandi cum decem personis idoneis, quod eorum quaelibet in terris suae legationis possit plura beneficia ecclesiastica, etiam curam animarum habentia, personatus vel dignitates, si ei canonice offerantur, licite recipere ac retinere. (Reg. 28, fol. 61, ann. III, n° 224.)

« *Eidem episcopo.* Tuam volentes honorare —. Datum ut supra. »

623 Orvieto, 22 novembre 1263.

Eidem concedit facultatem concedendi licentiam nobilibus mulieribus quod earum quaelibet cum decenti comitiva mulierum, semel in anno, durante legatione, possint monasteria quorumcumque ordinum ejusdem legationis, causa devotionis, intrare, dummodo eaedem nobiles in monasteriis aliquorum religiosorum non pernoctent. (Reg. 28, fol. 61, ann. III, n° 225).

« *Eidem episcopo.* Consuevit interdum apostolica —. Datum ut supra. »

624 Orvieto, 22 novembre 1263.

Eidem concedit facultatem dispensandi cum quatuor personis nobilibus attinentibus sibi ad invicem quarto consanguinitatis vel affinitatis gradu, quod possint insimul matrimonia contrahere. (Reg. 28, fol. 61, ann. III, n° 226).

« *Eidem episcopo.* Sedis apostolice circumspecta —. Datum apud Urbemveterem, x kalendas decembris, anno III°. »

625 Orvieto, 24 novembre 1263.

Eidem concedit facultatem providendi quinque personis idoneis in ecclesiis suae legationis cathedralibus et aliis de beneficiis ecclesiasticis, praebendis, personatibus et dignitatibus, cum cura et sine cura, et faciendi personas ipsas in ecclesiis, in quibus eis provisum exstiterit, si collegiatae fuerint, in canonicos seu clericos recipi, necnon et contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendi. (Reg. 28, fol. 61, ann. III, n° 127).

« *Eidem episcopo.* Cum te ad —. Datum apud Urbemveterem, viii kalendis decembris, anno III°. »

626 Orvieto, 22 novembre 1263.

Eidem concedit facultatem faciendi recipi clericos suos in ecclesiis tam cathedralibus quam aliis suae legationis et aliarum partium, si ad id illorum, ad quos collatio praebendarum in eisdem ecclesiis pertinet, accedat assensus, in canonicos, ac providendi eis de praebendis, et contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendi. (Reg. 28, fol. 61 v°, ann. III, n° 228).

« *Eidem episcopo.* Tuam volentes honorare —. Datum apud Urbemveterem, x kalendas decembris, anno III°. »

627 Orvieto, 23 novembre 1263.

Eidem concedit facultatem conferendi personis idoneis beneficia cum cura vel sine cura, dignitates et personatus clericorum suorum qui in comitatu vel servitio suo erunt, clericis ipsis, postquam de curia, ratione legationis ipsius, iter arripuerit, cedentibus vel decedentibus, antequam redeat ad eamdem, et faciendi personas ipsas ad beneficia hujusmodi, si in ecclesiis collegiatis fuerint, in canonicos recipi, necnon contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendi. (Reg. 28, fol. 61 v°, ann. III, n° 229).

« *Eidem episcopo.* Cum te ad —. Datum Urbemveterem, viiii kalendas decembris, anno III°. »

628 Orvieto, 23 novembre 1263.

Eidem concedit facultatem faciendi recipi unam personam idoneam in Narbonensi et aliam in Aniciensi ecclesiis in canonicos, ac providendi eis de praebendis, necnon contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendi. (Reg. 28, fol. 61 v°, ann. II, n° 230).

« *Eidem episcopo.* Tuam volentes honorare —. Datum apud Urbemveterem, VIII kalendas decembris, anno III°. »

629 Orvieto, 24 novembre 1263.

Eidem indulget ut clerici sui, qui secum moram traxerint vel alibi, de mandato suo, pro hujusmodi negotiis laboraverint, proventus beneficiorum, dignitatum, personatuum suorum, cotidianis distributionibus dumtaxat exceptis, cum ea integritate percipere valeant, cum qua illos perciperent si personaliter in ecclesiis, in quibus beneficia, dignitates et personatus ipsi obtinerent, residerent. (Reg. 28, fol. 62, ann. III, n° 231).

« *Eidem episcopo.* Cum te ad —. Datum Urbemveterem, VIII kalendas decembris, anno III°. »

630 Orvieto, 24 novembre 1263.

Eidem mandat quatenus hujusmodi proventus dictis clericis faciat integre ministrari. (Reg. 28, fol. 62, ann. III, n° 232).

« *Eidem episcopo.* Cum te ad —. Datum ut supra. »

631 Orvieto, 20 mai 1264.

Symoni, tituli s. Martini presbytero cardinali, rectoriam confert ducatus Spoletani, Marchiae Anconitanae et Massae Trabariae nonnullarumque diocesium per Umbriam constitutarum. (Reg. 28, fol. 62 v°, ann III, n° 233; Potthast 18917)

« *Symoni, tituli sancti Martini presbitero cardinali, apostolice sedis nuntio.* Exequentes apostolice servitutis officium, licet nobis immeritis, Domino disponente, commissum, ab oculis nostris, prout nobis ex alto conceditur, sompnum torporis excutimus, eosque in circuitu vigiliis levamus assiduis, ut quid agi ad solicitam commissi nobis gregis curam expediat intuentes, circa prosperum statum ejus partes intente solicitudinis impendamus. Illud autem mentem nostram specialiter excitat, circa illud precipue intentio et desideria nostra versantur ut, cum sanctam Romanam ecclesiam, matrem gentium, inclitam Christi sponsam, a persequentibus eam gravissimis injuriis conspiciamus affligi, variis contumeliis affici et enormibus collidi jacturis, noctes ducentes insompnes nec diebus otia indulgentes, studiosam demus operam et operosum studium adhibere curemus ad eandem ecclesiam ac fideles ejus filios, qui materne persecutionis incommoda sentiunt, quique cum illa dolores et angustias partiunter, ab imminentibus fluctuationibus tempestatum, Deo propitio, liberandos. Verum, incumbente nobis varietate negotiorum innumera, et contra Petri naviculam, cujus, prout Domino placuit, gubernacula gerimus, persecutionis undique invalescente procella, licet in partes varias mentis solicitudine distrahamur, quia tamen nequimus ubilibet nostram presentiam exhibere, quia non possumus fines humane possibilitatis excedere, ut simul in diversis partibus existendo, potestatem nobis a Domino traditam, presentialiter exequamur, ad instar illius qui exercens commisse sibi legationis officium in regione peccantium, in universum mundum discipulos quos elegerat, destinavit, suum per hoc instruendo vicarium, ut ejus exemplo, nonnumquam alios in partem solicitudinis adducet ubi officii sui debitum exolvere prohibet absentia corporalis, illos, ad onera nostra comportanda, nobiscum fiducialiter advocamus quos ad hoc speramus, experientia de ipsorum experta industria nos instruente, perutiles et de quorum traditis a Domino sibi virtutibus plenam fiduciam obtinemus. Cum autem in arduis majorem curam adhiberi conveniat, personas ad illorum prosecutionem eligimus potiores, ut secundum cor nostrum salubriter et utiliter, Deo previo, dirigantur.

Ad personam itaque tuam dirigentes apostolice considerationis intuitum et virtutes quibus eam virtutum Dominus insignivit, considerantes, ut convenit, firma spe fiduciaque tenemus quod actus tuos, illo dirigente qui potest, et iter prosperum faciente qui novit, sollicitudinis tue ministerio erunt prava in directa et aspera convertentur in plana; ideoque, de tua sinceritate plenam in Domino fiduciam obtinentes, rectoriam ducatus Spoletani et Marchie Anconitane et Masse Trabarie ac Perusine, Castellane, Tudertine, Narniensis, Interamnensis et Reatine civitatum et diocesium earumque districtuum, tam in spiritualibus quam in temporalibus, tibi, presentium auctoritate, committimus, concedendo tibi liberam potestatem exercendi quicquid honori ecclesie Romane et utilitati fidelium ibidem existentium expedire noveris in utrisque; ac nichilominus in ducatu, marchia, civitatibus, diocesibus et districtibus predictis, Romaniola quoque, Gradensi et Aquilegensi patriarchatibus, illis civitatibus ac earum diocesibus et districtibus exceptis que sunt de provincia Lombardie, circumspectioni tue plene legationis officium duximus committendum, ut, juxta datam tibi a Deo prudentiam,

evellas et dissipes, edifices et plantes, sicut videris. Ideoque mandamus quatenus hujusmodi legationis et rectorie onus devote recipiens et patienter supportare procurans, sic laudabiliter rectoriam et officium predicta studeas exercere, quod Deum exinde magis tibi propitium et nos fortius tuis utilitatibus sentias obligatos. Nos enim sententias et penas quas spiritualiter et temporaliter in rebelles ducatus, marchie, civitatum et diocesium ac districtuum predictorum, ac sententias quas in alios rebelles legationis tibi commisse tuleris, ratas habebimus et faciemus, auctore Domino, inviolabiliter observari. Datum apud Urbemveterem, XIII kalendas junii, anno III°. »

632 Orvieto, 20 mai 1264.

Infrascriptos monet de rectoria cardinali presbytero tituli s. Martini commissa. (Reg. 28, fol. 62, ann. III, n° 234.)

« *Aquilegensi et Gradensi patriarchis ac Ravennati archiepiscopo et eorum suffraganeis, illis exceptis qui sunt de provincia Lombardie, necnon Romaniole, Marchie Anconitane, Masse Trabarie et ducatus Spoletani, ac Perusino, Castellano, Tudertino, Narniensi, Interamnensi et Reatino episcopis, ac dilectis filiis abbatibus et prioribus, prepositis, archidiaconis, plebanis, archipresbiteris et aliis ecclesiarum prelatis et clericis, fratribus quoque domorum Militie Templi et hospitalium sancti Johannis et s. Marie Theutonicorum Jerosolimitanorum, ceterisque religiosis, tam exemptis quam non exemptis, per Aquilegensem et Gradensem patriarchatus et provinciam Ravennatem, illis exceptis qui de Lombardia existunt, necnon Romaniolam, Marchiam et ducatum predictos, ac Perusinam, Castellanam, Tudertinam, Narniensem, Interamnensem, et Reatinam civitates et dioceses constitutis.* Exequentes apostolice servitutis officium etc., ut in superiori proxima usque dirigant. Ad personam itaque dilecti filii nostri Simonis, tituli sancti Martini presbiteri cardinalis, apostolice sedis legati, dirigentes etc., verbis competenter mutatis, usque : Ideoque de ipsius cardinalis sinceritate plenam in Domino fiduciam obtinentes, rectoriam ducatus Spoletani, etc. usque temporalibus eidem cardinali auctoritate litterarum nostrarum, commissimus, concedendo eidem cardinali liberam potestatem etc. usque expedire viderit in utrisque, ac nichilominus in ducatu etc. usque de provincia Lombardie, sibi plene legationis officium duximus committendum, ut, juxta datam sibi a Deo prudentiam, evellat et dissipet, edificet et plantet, sicut viderit expedire. Quocirca universitatem vestram rogamus, monemus et hortamur attente mandantes quatenus eundem cardinalem, tanquam legatum apostolice sedis, benigne recipientes et honorifice pertractantes, impendatis ei consilium, auxilium et favorem, ac ipsius monitis et mandatis salutaribus devote ac humiliter intendatis. Alioquin, sententiam quam ipse tulerit in rebelles, ratam habebimus et faciemus, auctore Domino, inviolabiliter observari. Datum ut supra. »

633 Orvieto, 20 mai 1264.

S., tituli s. Martini presbytero cardinali, mandat verbum Crucis proponi faciat adversus Manfredum, ecclesiae hostem manifestum. (Reg. 28, fol. 62, ann. III, n° 235.)

« *S., tituli sancti Martini presbytero cardinali, apostolice sedis legato.* Solebat hactenus mater ecclesia, materne compassionis affectu Terre Sancte compatiens, ut ipsam in qua pro redemptione humani generis Redemptor noster crucis patibulum et mortis subiit passionem, de manibus inimicorum Crucifixi redimeret, ad crucis vexillum contra hostes fidei assumendum, fidelium mentes profundis excitare clamoribus et exhortationibus sedulis invitare. Clamabat ancxia, considerationis obtutibus eminus inimicos aspiciens, ancxiebatur quasi parturiens, persecutionem populi christiani sentiens e longinquo. Nunc autem in eo graviori ancxietate posita, quo gravius infestos dire persecutionis cominus sentit aculeos et infestatur dirius e vicino, de propria liberatione sollicita, vocem tanto profundioris clamoris exaltat, tantoque amariores solitis molestias depromere cogitur in auribus filiorum, quanto extimare potest amarius debetque ferre molestius per degeneres filios, quos sibi per regenerationis lavacrum generaverat, impeti, quam per eos quos adhuc paganorum cecitate detentos, unitati ejusdem ecclesie unda baptismatis non univit. Ecce jam nullum fere angulum orbis latet qualiter ille iniquitatis filius et perditionis alumpnus, Manfredus, quondam princeps Tarentinus, quamquam christiano videatur censeri nomine, a christiana tamen religione, vita et moribus dissidens, se ab illa probat omnimodis alienum. Hic namque omnium beneficiorum immemor, que tempore felicis recordationis Innocentii pape, predecessoris nostri, eadem in ipsum multiplicavit ecclesia, principatum Tarentinum et alia multa et magna, quibus se ipse per ingratitudines varias indi-

gnum postmodo reddi[di]t, eidem liberaliter concedendo, contra eandem ecclesiam, associatis sibi Sarracenis Lucerie, insurrexit. Et post occupationem regni Sicilie, quod est sedis apostolice speciale, post quamplurimos magnates et alios devotos sedis ipsius afflictos exilio, nonnullos horribilibus et clandestinis insidiis morti traditos, plures etiam sevis et apertis debachationibus interemptos, aliasque atroces et enormes injurias eidem ecclesie irrogatas, ad Marchiam Anconitanam, que sedis ejusdem specialis existit, manus occupatrices extendens, claves diutius contempsit et adhuc contempnit ecclesie, in contemptum ipsarum diversis tam a felicis recordationis A. papa, predecessore nostro, quam a nobis excommunicationis sententiis innodatus, sibi, quod heretice pravitatis suspicione non caret, faciens celebrari divina, propter quod etiam specialiter a nobis similis sententie mucrone percussus et citatus ut se super suspicione hujusmodi purgaturus, ad presentiam nostram accederet, comparere contumaciter non curavit. Sed suis perversis actibus adjiciens perversiora cotidie, novissime non solum in predictam Marchiam, sed et in Patrimonium beati Petri in Tuscia suos satellites, tam Theutonicos quam abhominabiles Sarracenos et alios iniquitatis sue ministros, immisit, sicque nos undique circumsepire nititur et jam pro viribus circumsepsit, ut nec per mare, ad hoc etiam inibi navigio deputato, nec per terram alicui ad nos securus aditus pateat vel a nobis reditus concedatur, ad id nichilominus marchionem Pelavicinum, perfidum ipsius persecutorem ecclesie, ac alios suos complices excitando, ut, dum ad nos et eandem ecclesiam, magistram veri dogmatis et catholice fidei ac tutricem ecclesiastice libertatis, non potest recursus haberi, hereses pullulent, heretici, sine cujusquam repressionis obice, undique suos errores disseminent et venena diffundant, impune libertas eadem conculcetur.

Attendant itaque devoti ejusdem ecclesie filii, attendant et videant exterminium fidei et matris considerent necessitates extremas, immo ut filii vicem maternam doleant et eidem celeri subventione succurrant, nec dissimulent amplius tam graves matris injurias, sed graviter tantis ipsius provocentur offensis! Accendatur velut ignis zelus omnium ad vindictam! Proh pudor! patietur christiana devotio Agarenos, quos ipsa, ejusdem matris ecclesie commotionibus excitata, solet in ultimis quasi terre finibus persequi, nunc eandem matrem ecclesiam in suis visceribus tam crudeliter persequentes! Facti sunt hostes matris in capite, et deerit suffragium filiorum? Matrem inimicus circumdedit, mandavit adversus eam in ipsius circuitu hostes ejus, qui eam lacessunt, injuriis dampnis afficiunt et ad ipsius internecem elaborant, et in auxilium filii non exurgent? Absit, ut in hac causa fidei sibi ipsis fideles deficiant. Absit ut Christi negotium, qui est ejusdem caput et sponsus ecclesie, christicole derelinquant. Licet autem satis verisimiliter sperare possemus quod, si hujus persecutionis incommoda et detrimentum fidei, que per eam multipliciter impugnatur, Christi fideles attendant, ad resistendum tam perversis conatibus se potius ingerent, quam invitari cujusquam suffragio commotionis expectent, quia tamen nostris affectibus insidet multaque necessitas exigit contra imminentes persecutorum impetus accelerare remedia, nos, de illius immensa virtute sperantes, qui potens est de lapidibus Abrahe filios suscitare, quique vocem virtutis tribuit voci sue, per diversas orbis provincias verbum Crucis fidelibus decrevimus proponendum, ipsosque mandavimus ejusdem salutifero signaculo insigniri.

Cum igitur tibi plene legationis officium in diversis partibus duxerimus committendum, discretionem tuam rogamus, monemus, et hortamur attente quatenus per omnes civitates et loca tue legationi commissa, tam per te, quam per prelatos et viros religiosos, cujuscunque sint ordinis, ac alios quos ad hoc ydoneos esse cognoveris, proponens, juxta datam tibi a Deo prudentiam, et proponi faciens Christi fidelibus verbum Crucis, eos contra prefatum Manfredum et Sarracenos, ceterosque ipsius complices, tanquam contra ipsius hostes fidei, signum vivifice Crucis assumant, absque tarditate in nostrum et ejusdem ecclesie adjutorium processuri, sedulis monitis et studiosis inductionibus exhorteris. Nos enim, de omnipotentis misericordia et beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, auctoritate confisi, et illa quam nobis, licet indignis, Deus ligandi atque solvendi contulit potestate, omnibus qui contra illos efficax in personis vel bonis juvamen impenderint, illam suorum peccaminum de quibus corde contriti et ore confessi fuerint, veniam indulgemus, ipsosque illo privilegio eaque volumus immunitate gaudere, que Terre Sancte subvenientibus in generali concilio conceduntur. Datum ut supra. »

Orvieto, 19 mai 1264.

In eundem modum .. patriarche Aquilegensi. Datum apud Urbemveterem, xiii kalendas junii, anno III°.

In eundem modum . . patriarche Gradensi et . .

archiepiscopo Ravennati ac singulis episcopis legationis predicti cardinalis. »

634 Orvieto, 21 mai 1264.

Eidem legato concedit facultatem, ut commissa sibi officia exequi possit, injungendi fratribus Praedicatorum et Minorum ac aliorum ordinum quaecumque negotia. (Reg. 28, fol. 63 v°, ann. III, n° 236; Potthast, n° 18918.)

« *S., tituli s. Martini presbitero cardinali, apostolice sedis legato.* Cum te ad —. Datum apud Urbemveterem, xii kalendas junii, anno III°. »

635 Orvieto, 21 mai 1264.

Eidem concedit facultatem « relaxandi, secundum formam ecclesie, omnes excomunicationum et interdicti sententias in quascunque personas, civitates et loca sue legationis » per papam aut ejus praedecessores, Romanos pontifices, prolatas, « necnon et revocandi omnes inhibitiones factas de non celebrandis electionibus seu provisionibus de prelatis in ecclesiis ejusdem legationis minime faciendis. » (Reg. 28, fol. 63 v°, ann. III, n° 237.)

« *Eidem cardinali.* Cum te ad —. Datum ut supra. »

636 Orvieto, 21 mai 1264.

Eidem concedit facultatem mitigandi et remittendi in toto vel ex parte pœnas et banna quaelibet imposita rebellibus et indevotis, in partibus ejusdem legationis. (Reg. 28, fol. 63 v°, ann. III, n° 238.)

« *Eidem cardinali.* Cum te ad —. Datum ut supra. »

637 Orvieto, 21 mai 1264.

Legationis officium Huguitioni in Romaniola et Massa Trabaria olim commissum revocat. (Reg. 28, fol. 63 v°, ann. III, n° 239.)

« *Eidem cardinali.* Licet olim dilecto filio Huguitioni, dicto *Marchioni*, capellano nostro, in Romaniola et Massa Trabaria legationis officium duxerimus committendum, volentes tamen ut in premissis et aliis provinciis quas tue legationi commisimus, nullus sit alius apostolice sedis, tua legatione durante, legatus, commissum eidem capellano officium hujusmodi per quascunque litteras sub quacunque forma verborum auctoritate presentium revocamus. Datum ut supra. »

638 Orvieto, 21 mai 1264.

Eidem cardinali concedit facultatem exigendi a monasteriis et ecclesiis tam provinciae Lombardiae quam ejus legationis, exemptis et non exemptis, censum ecclesiae Romanae debitum. (Reg. 28, fol. 63 v°, ann. III, n° 240.)

« *Eidem cardinali.* Cum te ad —. Datum apud Urbemveterem, xii kalendas junii, anno III°. »

639 Orvieto, 21 mai 1264.

Eidem concedit facultatem permittendi Bonaevoluntati Theutonico, Guillelmo de Rocca Contratae ac Simoni de Caesis, ordinis Minorum, ut ad Cistercienses transeant, « qui a ex eo sibi sentiunt ejusdem ordinis fratres infestos quod in obsequiis Manfredi, electi Veronensis, quondam rectoris Anconitanae Marchiae, morabantur. » (Reg. 28, fol. 64, ann. III, n° 241; Potthast, n° 18919.)

« *Eidem cardinali.* Cum, sicut accepimus —. Datum ut supra. »

640 Orvieto, 3 juin 1264.

Civitatem et diocesim Urbinates in legationis eidem cardinali concessae partibus inclusas esse declarat. (Reg. 28, fol. 64, ann. III, n° 242.)

« *Eidem cardinali.* Cum te ad —. Datum apud Urbemveterem, iii nonas junii, anno III°. »

641 Orvieto, 3 juin 1264.

Ut eidem legato provisiones facile solvantur, omnes provisiones annuas et subventiones impositas praelatis in ejusdem legationis partibus revocat. (Reg. 28, fol. 64, ann. III, n° 243.

« *Eidem cardinali.* Cum te ad —. Datum apud Urbemveterem, iii nonas junii, anno III°. »

642 Orvieto, 3 juin 1264.

Eidem concedit facultatem cum clericis dispensandi pro defectu natalium. (Reg. 28, fol. 64, ann. III, n° 245.)

« *Eidem cardinali.* Cum te ad —. Datum ut supra. »

643 Orvieto, 3 juin 1264.

Eidem concedit facultatem judicatus et tabellionatus officia conferendi. (Reg. 28, fol. 64, ann. III, n° 245.)

« *Eidem cardinali.* Cum te ad —. Datum ut supra. »

644 Orvieto, 13 mai 1264.

Nonnullas edicit ordinationes de decanatus dignitate in ecclesia Laudunensi et de hospitali s. Mariae Laudunensis. (Reg. 28, fol. 64, ann. III, n° 246.)

« *Ad futuram rei memoriam.* Dudum in ecclesia Laudunensi archidiaconatus functi officio et in ea diutius conversati, diutina experientia docente didicimus quod eadem ecclesia ex proprii decani presentia in spiritualibus et temporalibus salutaria potest incrementa suscipere, ac gravem de ipsius absentia in utrisque sustinere jacturam. Proinde siquidem, volentes ecclesie ejusdem utilitati salubriter providere, apostolica auctoritate decernimus dilectum filium magistrum Helyam de Caturco decanum, si non est in sacerdotis ordine constitutus, a die quo a Laudunensi capitulo receptus fuerit in decanum, et successores suos, decanos ipsius ecclesie, si sacerdotes non fuerint, a die electionis celebrate, vel provisionis alias facte de ipsis, infra annum teneri ad susceptionem hujusmodi sacerdotalis ordinis et ad continuam residentiam in eadem ecclesia faciendam. Super quibus a memorato decano, et cum electiones de ipsis successoribus celebrandas confirmari aut aliter de ipso decanatu alicui providere contigerit, ab eisdem successoribus prestandum decernimus corporaliter juramentum. Et ne de cetero ad quem spectet cura capituli et animarum canonicorum, capellanorum, familie canonicorum, fratrum, sororum, familie et pauperum hospitalis ecclesie memorate dubium oriatur, eadem auctoritate declaramus atque statuimus ad decanum et successores ipsos curam hujusmodi pertinere, illam dicto decano committentes, ac decernentes predictis successoribus decanis per Laudunenses episcopos, qui pro tempore fuerint, post confirmationem seu provisionem hujusmodi, committendam. Presentium insuper tenore statuimus ut, quoties in Hospitali beate Marie Laudunensis, magistrum, per dictos decanum et capitulum, sicut fieri consuevit, vel presbyterum in ecclesia sancti Remigii ad portam creari continget, cura fratrum, sororum, familie ac pauperum predictorum eidem magistro, familie vero canonicorum que de choro non fuerit, presbitero a prefatis decano et successoribus perpetuis temporibus committatur. Ordinamus insuper et premissa auctoritate precipimus ut idem capitulum illam deinceps circa creationem dicti magistri hospitalis prefati adhibere diligentiam, talemque studeant in eodem Hospitali creare magistrum quod de cetero non mutetur annis singulis, sicut fiebat olim, non sine animarum periculo et gravi forsan dispendio hospitalis ejusdem. Ut autem residentie hujusmodi et alia onera decanatus a dicto decano levius sub alicujus commodi compensatione portentur, sibi et successoribus predictis eadem auctoritate concedimus, ut iidem in predicta ecclesia residentes, omnes redditus et proventus beneficiorum ecclesiasticorum, que idem decanus habet ad presens, vel ipse aut dicti successores in ecclesiis quibuscumque habuerint in futurum, cum ea integritate percipere valeant, cotidianis distributionibus dumtaxat exceptis, cum qua eosdem perciperent si in ecclesiis in quibus beneficia ipsa consistunt, residentiam facerent personalem. Adicimus etiam et auctoritate predicta statuimus quod decanus et successores predicti, distributionum prefate Laudunensis ecclesie, in casibus in quibus consueverunt percipere simplicem, duplicem percipiant perpetuo portionem quodque, duobus mensibus singulis annis, liceat eis extra dictam Laudunensem ecclesiam, ad prosecutionem negotiorum suorum, moram facere, et tunc nichilominus de distributionibus percipiant antedictis. Tempus autem aliud quo decanum et successores eosdem, pro predictorum episcoporum vel capituli negotiis, de capituli ejusdem licentia, contingет abesse, in residentia hujusmodi computetur, et decanus distributiones ipsius ecclesie habeat supradictas. Non obstantibus —. Datum apud Urbemveterem, III idus maii, anno III°. »

645 Orvieto, 24 mai 1264.

Episcopo Camerinensi mandat ut episcopo Humanati ecclesiam s. Flaviani Racanatensis in perpetuum conferat et assignet. (Reg. 28, fol. 64 v°, ann. III, n° 247 ; Potthast 18926.)

« .. *episcopo Camerinensi.* Apostolice dignitatis officium —. Sane, licet apostolica sedes civitatem Auximanam pro eo quod se tunc eidem sedi reddiderat indevotam, dudum episcopali dignitate privasset et dignitatem hujusmodi transtulisset ad castrum Racanatense, diocesis Humanatis, nos tamen postmodum, attendentes quod idem castrum pristine sinceritatis et fidelitatis insignia derelinquens, se convertit ad fraudis turpitudinem et hostilitatis horrorem, devotos ecclesie multipliciter persequendo, dictaque civitas multe spiritum devotionis assumens, et constanter ac intrepide, pro tuenda ecclesiastica libertate, se in conspectu sedis ejusdem dignam constituit speciali gratia et honore, prefatum castrum supradicta episcopali dignitate, justitia suadente, privavimus, et statuentes quod esset de prefata diocesi, sicut prius, dignitatem ipsam civitati predicte restituimus, ut eam in premisse sue devotionis multitudine firmam et stabilem cunctis futuris temporibus redderemus. Quia vero, sicut venerabilis frater noster.. episcopus Humanas, exposuit coram nobis, tempore quo castrum ipsum dignitatem eandem habebat, ecclesia sancti Flaviani Racanatensis et nonnulla alia bona sita in territorio ipsius castri, eidem dignitati per dictam sedem concessa fuerunt, prefatus episcopus humiliter petebat a nobis, ut cum ecclesia sua Humanas, pretextu translationis de dignitate ipsa olim ad castrum facte predictum, ad gravem inopiam sit deducta, eandem ecclesiam sancti Flaviani et bona premissa sibi et mense sue concedere in perpetuum de benignitate apostolica curaremus. Nos itaque, paupertati ejusdem episcopi paterno compatientes affectu, fraternitati tue mandamus quatinus si quod de concessione ipsius ecclesie sancti Flaviani et bonorum ipsorum facta dicte dignitati, et inopia ejusdem episcopi proponitur, veritate fulcitur, jamdictam ecclesiam sancti Flaviani et bona predicta eidem episcopo et mense in perpetuum per te vel per alium, auctoritate nostra conferas et assignes. Contradictores etc. Non obstante —. Datum apud Urbemveterem, VIII kalendas junii, anno III°. »

646 Orvieto, 2 juin 1264.

Fredericum de Fronte, canonicum ecclesiae Iporiensis, ejusdem ecclesiae procuratorem in spiritualibus et temporalibus constituit. (Reg. 28, fol. 65, ann. III, n° 248.)

« *Frederico de Fronte, canonico et procuratori ecclesie Iporiensis.* Inter alias sollicitudines —. Sane Iporiensi ecclesia episcopi solatio destituta, dilectus filius .. archipresbyter et capitulum ejusdem ecclesie convenientes in unum, Spiritus Sancti gratia invocata, te, patientem defectum in ordinibus, canonice et concorditer postulasse dicuntur in episcopum et pastorem, cujus postulationem venerabilis frater noster, .. Mediolanensis archiepiscopus metropolitanus, presentatam sibi, de facto, cum de jure non posset, admisit, sicque tu, tali pretextu, administrationi dicte ecclesie te in spiritualibus et temporalibus ingessisti. Nos autem, attendentes quod id eidem archiepiscopo non licebat, quod super hoc per eum factum extitit, cassum et irritum nuntiamus et nullius existere firmitatis. Verum, nolentes quod eadem ecclesia sine gubernatore diutius remaneret, et considerantes quod predicta ecclesie per industriam tuam, cum sis, prout accepimus, in spiritualibus et temporalibus laudabiliter circumspectus, in utrisque feliciter gubernari poterit et a suis injuriatoribus defensari, te de apostolice potestatis plenitudine, procuratorem prefate ecclesie constituimus et ordinamus auctoritate presentium usque ad nostre beneplacitum voluntatis, tibi administrationem bonorum ipsius ecclesie in spiritualibus et temporalibus plene ac libere committendo —. Datum apud Urbemveterem, IIII nonas junii, anno III°. »

In e. m. archipresbitero et capitulo Iporiensibus.
In e. m. clero Iporiensium civitatis et diocesis.
In e. m. populo Iporensium civitatis et diocesis.
In e. m. universis vassallis ecclesie Iporiensis.

647 Orvieto, 2 juin 1264.

Riccardum, Lincolniensem episcopum, contumacem suspendit. (Reg. 28, fol. 65, ann. III, n° 249.)

« *Ad futuram rei memoriam.* Olim de Riccardo, Lincolniensi episcopo, frequenter a fidedignis personis nonnulla fuerunt nobis insinuata sinistra, que molesta erant eo amplius cordi nostro, quo magis obnubilabant pulchritudinem fame sue. Accepimus enim quod, eo dissimulante ac permittente, immo etiam ad hoc prestante suis verbis, ut dicitur, incentivum, fuerant in Anglia, non sine multa sedis apostolice contumelia, in nuntiis officialium sedis ipsius quedam homicidia perpetrata, quodque idem episcopus eidem sedi non deferens, sed ipsam irreverenter aspernans, concepit in votis, sicut opere patenter ostendit, apostolica non solum preterire mandata, verum etiam ea tam

in sua civitate ac diocesi quam alibi per regnum Angliae totis conatibus impedire, se officialibus nostris et precipue quibusdam notariis ac ceteris curialibus indifferenter in suis opponendo pensionibus, et eos in obtentis etiam beneficiis molestando; nec hiis contentus, ad fratres nostros, sancte Romane ecclesie cardinales, debitam non gerens reverentiam, aliquos ex eis in se, nonnullos etiam in suis, pro sue voluntatis libito, graviter offendere minime verebatur, alia nichilominus committendo, que pudori parcentes ipsius, pretermisimus in nostris litteris annotare. Et licet felicis recordationis Alexander papa, predecessor noster, hujusmodi ejusdem episcopi insolentiis, que suis frequenter inculcabantur auribus, intellectis, ipsum auctoritate apostolica citari fecerit, ut coram eo, recepturus pro meritis, personaliter compareret, nos tamen, postquam cervicibus nostris fuit apostolice jugum servitutis impositum, sperantes quod idem episcopus ad cor rediens, abstineret a talibus, suumque ab hujusmodi ejusdem sedis suorumque officialium persecutionibus animum cohiberet, ac volentes ex hoc solita sibi benignitate deferre, ipsum tunc a citatione hujusmodi et necessitate veniendi propter hoc ad sedem eandem de speciali gratia duximus absolvendum. Sed quia idem episcopus ipsius clementia sedis abutens, mala postmodum malis adjicere, injurias cumulare injuriis et offensas offensis non est veritus inculcare, nos, intendentes ipsum super premissis presentialiter alloqui, eumque de talibus, prout congruebat officio nostro, corrigere, ac perquirere specialiter quo ductus spiritu. sic se in dicte sedis et suorum ingerebat offensas, et in contumelias erigebat, dilecto filio . . cantori Messanensi, capellano nostro, et Jacobo de Portu, thesaurario Syracusano, nostris sub certa forma dedimus litteris in mandatis, ut dictum episcopum ipsi vel eorum alter per se vel alium seu alios peremptorie citare curarent, quod infra tres menses post citationem eorum, personaliter apostolico se conspectui presentaret, suam, si posset, innocentiam purgaturus, aut pariturus mandatis nostris, tam super satisfactione predictorum quam super aliis, sicut expediens videremur. Verum idem episcopus, tanquam ille qui conscientie sue judicium reformidans, libenter se subtrahit a memorate sedis oculis, quorum nequit radios intueri, citatus legitime in prefixo sibi termino, et post etiam diutius expectatus, coram nobis personaliter comparere contempsit. Misit verumtamen quendam suum procuratorem qui in excusationem sue absentie quedam proposuit, in nostra et fratrum nostrorum presentia constitutus. Nos autem ea que idem procurator proposuit, frivola reputantes ac decernentes, de predictorum fratrum consilio, eundem episcopum merito existere contumacem, episcopum ipsum, quem nolumus de sua contumacia gloriari, ab officio apostolica auctoritate suspendimus, volentes et precipientes ut nichilominus sic suspensus personaliter compareat coram nobis, ac statuentes quod, nisi infra tres menses postquam iterato citatus fuerit per illum vel illos cui vel quibus hoc duxerimus committendum, nostro se conspectui presentaverit, eo ipso sit a temporalium administratione suspensus, et alias adversus eum, prout ejus protervia et excessus quos hactenus commisit, exegerint et expedire viderimus, auctore Domino, procedemus. Datum apud Urbemveterem, III nonas junii, anno III°.

648 Orvieto, 4 juin 1264.

Officiali Roffensi et magistro Jacobo de Portu, thesaurario Syracusano, mandat citent episcopum Lincolniensem ut infra tres menses apostolico conspectui se repraesentet. (Reg. 28, fol. 65 v°, ann. III, n° 250.)

« . . *officiali Roffensi et magistro Jacobo de Portu, thesaurario Syracusano*. Olim de Riccardo —. Datum apud Urbemveterem, II nonas junii, anno III°. »

649 Orvieto, 29 mai 1264.

Processus contra Colonienses, in ipsorum archiepiscopum rebelles. (Reg. 28, fol. 63 v°, ann. III, n° 251.)

« *Ad certitudinem presentium et memoriam futurorum*. Magistrorum, civium, et fraternitatum nec non scabinorum, judicum et civium Coloniensium nimis effrenata temeritas non solum fidelitatis debitum, quo . . archiepiscopo et ecclesie Coloniensibus tenentur, observantie cultura non colens, verum etiam reverentie filialis affectum in officio se preteriens, et omnem prorsus legem rationis abhorrens, multe nobis causam turbationis ingessit. Cum enim predictus archiepiscopus in archiepiscopali Coloniensi palatio inopinati non previdens casus eventum, quem eventurum nullius hactenus exempli similitudo predixerat, cujusque sibi conjecturam nulla contra ipsum predictorum magistrorum, scabinorum, judicum et civium manifesta turbatio seu quevis diffidatio vel ejus erga ipsos demerita indicabant, more solito imminentibus sibi vacans negotiis moraretur, magistri, scabini, judices

et cives predicti et nonnulli sequaces eorum archiepiscopum ipsum, spiritualem utique patrem eorum, et temporalem dominum, persequentes, spiritu nequitie ac diabolico furore commoti, Dei timore postposito et debite fidelitatis federe violato, in dictum palatium, licet multe immunitatis privilegio insignitum, invasione temeraria subito irruentes, in personam ejusdem archiepiscopi sacrilegas manus injicere, ipsumque ausu nefario capere, captumque ac contumeliis probrosis affectum et probris contumeliosis illusum, veluti reum mortis, deducere per plateas civitatis Coloniensis, demum in quadam domo captivum, nobili viro .. domino de Falkemborch, germano suo, in augmentum patrati sceleris, nichilominus captivato, tamdiu detinere sub arta custodia presumpserunt, donec idem archiepiscopus prestitit corporaliter juramentum, quod super hiis per se vel per alium querimoniam non deponeret contra eos, nec aliquod eis propter ea gravamen inferret vel procuraret inferri, quin immo ad obtinendam ipsorum absolutionem, pro posse suo, fideliter laboraret; et donec etiam venerabiles fratres nostri .. Leodiensis et .. Monasteriensis episcopi, predicti archiepiscopi suffraganei, ac nobiles viri .. Clevensis et .. Guelrensis comites, ac plures alii, eisdem civibus nolentibus aliter archiepiscopum ipsum dimittere, necessitate urgente, tactis sacrosanctis evangeliis, juraverunt quod, si prefatus archiepiscopus ea que jurejurando promiserat, non servaret, ipsi contra eum eisdem totis viribus assisterent, se ad id per suas patentes litteras et cautiones alias obligando. Nos igitur, qui fratrum et coepiscoporum nostrorum offensas proprias reputamus, illatas eidem archiepiscopo tam graves, tam atroces et enormes injurias, non tam in ipsius archiepiscopi obprobrium, quam in illius qui, evangelica veritate testante, se in suis ministris recipi testatur et sperni, nec minus in predicte Coloniensis ecclesie ac ecclesiastice libertatis grande dispendium vergere non indigne pensantes, et considerantes quod hec adeo sunt notoria quod nulla possunt tergiversatione celari, quia predicti magistri, scabini, judices, et cives ac sequaces eorum in canonem propter hoc late sententie inciderunt, ipsos, presente hoc fideli populo, declaramus et denuntiamus vinculo excommunicationis astrictos, manifeste monentes eosdem, ut usque ad festum beati Michaelis proximo venturum, quem pro peremptorio eis termino prefigimus satisfaciant plenarie ipsi archiepiscopo pro premissis, et nichilominus per procuratores sufficientes et idoneos compareant coram nobis, satisfacturi plenarie nobis et ecclesie de tanta injuria et violentia in persona dicti archiepiscopi facta ecclesie ac ecclesiastice libertati, ac nostris super hiis mandatis et beneplacitis humiliter parituri. Quod si hec non fecerint, nos ipsos decernimus excommunicationis sententie quam in eos exnunc proferimus, subjacere, et predictam civitatem manere extunc ecclesiastico suppositam interdicto. Ad hoc predictos archiepiscopum et episcopos ac nobiles et alios a predictis juramentis, ut, eis necnon et cautionibus et obligationibus antedictis, quas ex officio nostro cassamus, evacuamus et irritamus ac nullius decernimus existere firmitatis, nequaquam obstantibus, dictus archiepiscopus jus suum super predictis prosequi libere valeat, sicut hujusmodi juramento non prestito, id licite facere potuisset, ac episcopi et nobiles aliique predicti memoratis sacrilegis contra dictum archiepiscopum assistere minime teneantur, apostolica auctoritate absolvimus et decernimus absolutos, ita quod propterea reatum perjurii seu quamvis infamie notam predicti archiepiscopus, episcopi, nobiles et alii non incurrant et nichilominus episcopis, nobilibus aliisque predictis, sub pena excommunicationis, districtius inhibemus, ne dictis sacrilegis in premissis assistere quoquo modo presumant. Actum apud Urbemveterem, IIII kalendas junii, in die videlicet Ascensionis dominice, anno III°. »

650 Orvieto, 1er janvier 1264.

Episcopo Sabinensi visitationis et correctionis officium in ecclesia de Appamiis, Tholosanae diocesis, committit. (Reg. 28, fol. 66, ann. III, n° 252.)

« .. *episcopo Sabinensi.* Inter alias sollicitudines —. Sane ad audientiam nostram pervenit quod ecclesia de Appamiis, ordinis sancti Augustini, Tholosane diocesis, propter malitiam et incuriam canonicorum ipsius, committentium multa enormia que limam correctionis exposcunt, in temporalibus et spiritualibus non modicum est collapsa. Nos itaque, de circumspectionis tue prudentia gerentes in Domino fiduciam pleniorem, mandamus quatinus per te vel per alium aut alios corrigas et reformes ibidem circa personas ipsius ecclesie auctoritate nostra, persona abbatis ejusdem monasterii cum tuus (*sic*) in curia Romana commorans procurator existat, dumtaxat excepta, que correctionis et reformationis officio noveris indigere. Non obstante —. Contradictores, etc. Invocato, etc. Datum apud Urbemveterem, kalendis januarii, anno III°. »

651 Orvieto, 28 mai 1264.

Mandat ut nullus, cujuscumque professionis vel ordinis, fratres fugitivos Militiae Calatravensis recipere vel retinere praesumat, donec de bonis eorum Militiae plenarie fuerit satisfactum. (Reg. 28, fol. 66, ann. III, n° 253.)

« . . *magistro et fratribus domus militie Calatravensis, Cisterciensis ordinis, Toletane diocesis.* Meritis vestre religionis —. Sane, sicut petitio vestra nobis exhibita continebat, contingit interdum quod nonnulli fratres domus vestre, ordinem vestrum, quem sollempniter professi fuerant, levitate animi exeuntes, equitaturas, pecuniam et alia plura bona domus ejusdem secum nequiter asportare, et aliquandiu per seculum evagari dampnabiliter non verentur, et tandem ad sedem apostolicam accedentes et confingentes causas rationabiles propter quas se asserunt non posse in eisdem domo ac ordine salubriter commorari, a sede ipsa sub tali figmento quandoque licentiam obtinent, ut in aliis ordinibus admittantur; ex quo accidit quod, dum hujusmodi fugitivi fratres in aliis recipiuntur ordinibus, vos omnino amittitis equitaturas, pecuniam et bona hujusmodi que illi taliter asportarunt. Quare, pro parte vestra humiliter petebatur a nobis ut providere super hoc paterna sollicitudine curaremus. Nos itaque, obtentu venerabilis fratris nostri J., Portuensis episcopi, vestri ordinis professoris, qui pro vobis apostolicam gratiam imploravit, vestris supplicationibus annuentes, ut nullus, cujuscunque professionis vel ordinis, fratres hujusmodi fugitivos recipere aut retinere presumat, donec de equitaturis, pecunia et bonis eisdem, que ipsos, tempore quo transiverint ad alios ordines, secum habere, et ad loca in quibus debent admitti, devenire contigerit, vobis fuerit plenarie satisfactum, auctoritate presentium districtius inhibemus. Nulli ergo nostre inhibitionis, etc. Datum apud Urbemveterem, v kalendas junii, anno III°. »

652 Orvieto, 13 juin 1264.

De absolutione excommunicationis domicellorum de S. Eustachio Romanorum. (Reg. 28, fol. 66 v°, ann. III, n° 254.)

« . . *archipresbytero sancti Eustachii de Urbe.* Dudum nobiles viros Alkerutium, Angelum, Johannem et Lucam de Sancto-Eustachio, cives Romani, pro eo quod ipsi castrum Buchiniani situm in Sabinia et ad monasterium Farfense pertinens pleno jure, violenter occupaverant, et de mandato nostro pluries et diligenter moniti super hoc, castrum ipsum restituere ac de dampnis et injuriis eidem monasterio illatis ab eis, satisfacere contumaciter non curarunt, anathematis mucrone feriendos duximus in predicatione sollempni. Sed quia iidem, sicut accepimus, ad cor, faciente Domino, redeuntes, jam restituerunt castrum ipsum dicto monasterio, et de hiis omnibus sanari desiderant per ecclesie medicinam, mandamus quatinus, si est ita, tam ipsis nobilibus quam eorum in hac parte fautoribus, ad gremium ecclesie matris sue humiliter redeuntibus, et plenam ac debitam super hiis satisfactionem prestantibus monasterio supradicto, auctoritate nostra, juxta formam ecclesie, munus absolutionis impendas, injungens eis quod de jure fuerit injungendum. Datum apud Urbemveterem, idus junii, anno III°. »

653 Orvieto, 9 juin 1264.

Infrascriptis declarat quod nunquam tenebuntur domos reficere vel damna certorum habitatorum castri Saxiferrati, ecclesiae Romanae proditorum, resarcire. (Reg. 28, fol. 66 v°, ann. III, n° 255.)

« . . *potestati* . ., *capitaneo et communi Saxiferrati, Nucerine diocesis.* Pro sinceritatis et constantie vestre meritis compensanda sunt vobis ab apostolica sede premia benivolentie specialis, ita quod per ipsius favorem, possitis, Deo propitio, prosperitatis augmenta consequi, et nullis indigne dispendiis aggravari, maxime tunc temporis quando aliqui ejusdem ecclesie proditores, vos illa de causa molestiis afficere nituntur, quia ipsorum culpa dampnabilis per vos, ad predicte mandatum ecclesie, punita cernitur extitisse. Sane petitio vestra nobis exhibita continebat quod cum nobiles viri Fildismundus de Castaneo, Guillelmucius Uffreducii, Petrus et Bonaventura Mercatantis, Ventura Petri, Johannes Inge, Ajazolus Radiconis, Favarellus de Podio, Carpinellus Judex, Bovetellus, Aldebrandinus, Gentilucius, natus nobilis viri Severi, et nonnulli alii olim habitatores castri Saxiferrati, manifesti Romane ecclesie proditores, spiritu ad rebellionis nequitiam obfirmato, persecutoribus ipsius ecclesie presumpsissent temerarie adherere, vobisque, in ejusdem ecclesie devotione manentibus, dampna gravia irrogassent, vos tandem, ad mandatum dilecti filii M., Veronensis electi, olim Anconitane Marchie ac ducatus Spoletani rectoris, domos proditorum ipsorum funditus diruistis. Ut itaque dictis proditoribus omnis occasio vos impetendi super hoc in posterum

subtrahatur, nos vestris devotis supplicationibus annuentes, ut, veris existentibus supradictis, vos vel aliqui vestrum, quamdiu in devotione apostolice sedis manseritis, eisdem proditoribus ac suis heredibus vel ipsorum alicui domos ipsas reficere vel dampna, que propter demolitionem illarum se incurrisse proponunt, restituere minime teneamini, universitati vestre, auctoritate presentium indulgemus. Nulli ergo nostre concessionis, etc. Datum apud Urbemveterem, v idus junii, anno III°. »

654 Orvieto, 26 mai 1264.

Episcopo Atrebatensi mandat informet de falsis sanctorum Richerii et Vigoris reliquiis, ab universitate hominum villae s. Richerii solemniter ostensis. (Reg. 28, fol. 66 v°, ann. III, n° 256.)

« . . *episcopo Atrebatensi.* Ne glorientur reprobi —. Significantibus siquidem dilectis filiis . . abbate et conventu monasterii sancti Richerii in Pontivo, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, Ambianensis diocesis, cum multo dolore cordis audivimus et narramus, quod, cum ipsi de antiqua et approbata consuetudine ac hactenus pacifice observata, corpora sanctorum Richerii et Vigoris in duabus capsis, ac caput et brachium ipsius sancti Vigoris que in monasterio habentur eodem, in duobus vasis argenteis per villam sancti Richerii processionaliter, annis singulis, secunda feria post Pentecosten, faciant deportari, ac post deportationem hujusmodi dicta corpora caput et brachium, circumcincta pannis deauratis et cortinis, in ecclesia dicti monasterii per certos dies in honorificentia et reverentia debitis conserventur, universitas hominum dicte ville, ad certum indicium pravitatis heretice, que ipsorum mentes dampnabiliter presumitur infecisse, quandam capsam exprimentem similitudinem capse in qua predictum corpus sancti Richerii est reconditum, et quoddam brachium ligneum mentiens brachium supradictum, a quibusdam laicis indutis superpelliceis, predicta feria, quasi processionaliter, aqua per eos benedicta quin potius maledicta, per dictam villam deferri nequiter procurarunt et ante dictam capsam depositam in certo loco dicte ville, duos homines ipsius, qui adinvicem sibi inimicari fingebantur, venire, prout cum eis condixerant, facientes, exclamarunt : « senex sancte Richeri, non transibis ultra, donec hos discordantes ad concordiam revocabis! » et post clamorem hujusmodi, dictis duobus in signum pacis inter eos reformate sese osculantibus, dixerunt ipsi ac alii astantes, quod in reformatione pacis illorum fuerat dicta capsa ficticia miraculum operata, nec hiis contenti homines ville predicte, quandam mensam erigentes detestanda vesania in altare, illamque ornantes cortinis, predictam capsam fictitiam, brachium ligneum ac equorum ossa que reliquias mentiebantur sanctorum, mense supposuerunt eidem et oblationes a peregrinis et viatoribus non sunt veriti petere ac recipere, sub nomine corporis sancti Richerii supradicti, insistendo ante dictam mensam ornatam magnis luminaribus, duabus noctibus, vigiliis, choreis et aliis inhonestis, et per biduum etiam hujusmodi contumeliis vacaverunt, . . majore et scabinis dicte ville presentibus, consentientibus et ad hoc dantibus consilium, auxilium et favorem, in grave Dei et sanctorum predictorum contumeliam, et in eorundem abbatis et conventus obprobrium et honestatis ecclesiastice detrimentum. Verum, cum super hujusmodi perversitatis excessu, illius discipline sit exercenda severitas, per quam et cauti fiant humiles et deliquisse peniteat pestilentes, sicque devotis det solacium quod vindictam viderint impiorum, fraternitati tue mandamus quatinus, si tibi de plano et sine strepitu judicii constiterit de predictis, tam supradictos reprobos et iniquos, qui actores tam horridi sceleris extiterunt, quam eos qui superpelliceis ipsis induti, predictam capsam fictitiam et brachium ligneum taliter deferre, ac illos qui predictorum ossa equorum nominate mense imponere presumpserunt, et dictos majorem et scabinos qui, cum possent, non curarunt, prout ad eos pertinet, tam manifesto facinori obviare, et dictos duos homines ac alios etiam quos hujusmodi sceleris inveneris esse participes, quod dictis abbati et conventui de injuria tam enormi plenariam satisfactionem impendant, et alias humiliter penitentiam illam adimpleant, quas de aliquorum religiosorum et aliorum prudentum virorum consilio eis duxeris imponendas, monitione praemissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, previa ratione compellas. Proviso ne in universitatem predictam excomunicationis, etc., usque speciale. Quod si forte in eos excomunicationis sententiam ferri contigerit, et ipsi eam per unum mensem animo sustinuerint indurato, tu eam extunc, singulis diebus dominicis et festivis, pulsatis campanis et candelis accensis, usque ad satisfactionem condignam, in locis in quibus videris expedire, sollempniter publicari facias et illos ab omnibus artius evitari. Invocato con-

tra eos, si protervia eorum exegerit, auxilio brachii secularis. Datum apud Urbemveterem, VII kalendas junii, anno III°. »

655 Orvieto, 2 juin 1264.

Infrascriptis mandat inquirant de electione abbatis s. Salvatoris Papiensis eamque, si rite facta fuerit, confirment. (Reg. 28, fol. 67, ann. III, n° 247.)

« . . *abbati sancti Petro* (sic) *in Celo Aureo, et . . priori fratrum Predicatorum Papiensium.* Exhibita nobis dilectorum filiorum conventus monachorum monasterii sancti Salvatoris Papiensis, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, petitio continebat quod, monasterio ipso abbatis regimine destituto, ipsi, prout moris est, convenientes in unum, Spiritus Sancti gratia invocata, dilectum filium Lanfrancum, priorem ejusdem monasterii, virum, ut asserunt, providum et discretum, ac in spiritualibus et temporalibus circumspectum, in abbatem prefati monasterii canonice et concorditer elegerunt, nobis tandem per specialem nuntium humiliter supplicantes ut, cum rectis dispositionibus nichil debeat difficultatis afferri, et propter paupertatem ipsius monasterii dictus electus nequeat commode apostolicam sedem adire pro confirmationis et benedictionis munere obtinendo, providere super hoc misericorditer curaremus. Quocirca mandamus quatinus, si vobis constiterit prefatum monasterium ad nos et dictam ecclesiam Romanam nullo medio pertinere, inquisita de modo electionis, studiis eligentium et electi meritis diligenter veritate, si electionem ipsam inveneritis de persona ydonea canonice celebratam, eam auctoritate apostolica confirmantes, faciatis eidem electo a suis subditis obedientiam et reverentiam debitam exhiberi ac munus benedictionis impendi, recepturi ab eo postmodum, pro nobis et Romana ecclesia, fidelitatis solite juramentum, juxta formam quam sub bulla nostra vobis mittimus interclusam. Alioquin, electione ipsa rite cassata, faciatis dicto monasterio de persona ydonea per electionem canonicam provideri. Contradictores, etc. Formam autem juramenti quod ipse prestabit, de verbo ad verbum nobis per ejusdem patentes litteras suo sigillo signatas, per proprium nuntium procuretis quantocius destinare. Non obstante indulgentia qua tibi, fili prior Predicatorum, vel fratribus tui ordinis a sede apostolica dicitur esse concessum, quod de negotiis inviti cognoscere minime teneamini, que vobis a sede committuntur eadem. Datum apud Urbemveterem, IIII nonas junii, anno tertio. »

656 Orvieto, 13 juin 1264.

Infrascriptis mandat relaxent sequestrum praebendarum et beneficiorum quae in Anglia et Francia obtinet Leonardus, nepos quondam Johannis, s. Mariae in Cosmedin diaconi cardinalis, S. R. E. cancellarii. (Reg. 28, fol. 67 v°, ann. III, n° 258.)

« .. *archiepiscopo Eboracensi et magistro Thomasio, canonico Fuliginati in Anglia commoranti.* Licet olim, ex certa causa, prebendas seu fructus prebendarum et beneficiorum que Leonardus, nepos bone memorie Johannis, sancte Marie in Cosmidin diaconi cardinalis, sancte Romane ecclesie cancellarii, Eboracensis, Laudunensis et Trecensis ecclesiarum canonicus, in eisdem et aliis ecclesiis Anglie ac Francie regnorum obtinet, dicamur per vos sequestrari mandasse et in sequestro teneri, tamen, cum jam sit illa causa summota, volumus et presentium vobis auctoritate mandamus quatenus, sequestro hujusmodi penitus relaxato, dilecto filio Oddoni, rectori ecclesie sancti Andree infra Ortos de Urbe, curatori Leonardi predicti vel ejus procuratori, dicti L. nomine, de fructibus ex dictis prebendis perceptis sequestratis, per vos vel alios, de mandato nostro, plenarie respondere curetis. Alioquin, dilectis filiis magistris Ade de Filibi, subdecano ecclesie beate Marie de Straffordia, Conventrensis diocesis, et Johanni de Tribiliano, canonico ecclesie sancte Christine Anagnine, damus nostris litteris in mandatis ut ipsi vel eorum alter, per se vel alium seu alios, vos et quoslibet alios detentores prebendarum et fructuum predictorum ad id, auctoritate nostra, appellatione remota, compellant. Datum apud Urbemveterem, idus junii, anno III°. »

« In e. m. scribitur illis. »

657 Orvieto, 26 mai 1264.

Quod cancellarii Parisienses, quum regere in theologica facultate inceperint, consuetum juramentum de bachallariis in facultate licentiandis eamdem, praestare teneantur. (Reg. 28, fol. 67 v°, ann. III, n° 259.)

« *Magistris regentibus Parisiensibus in theologica facultate.* Ex parte vestra fuit propositum coram nobis

quod per sedem apostolicam est statutum, ut magistri, postquam licentiati fuerint in theologica facultate, antequam in ipsa regere incipiant, prestent corporaliter juramentum de perhibendo fidele testimonium de bachallariis in facultate licentiandis eadem. Sane, magistro Stephano, cancellario Parisiensi, incipiente regere in facultate predicta, vos attente monuistis eundem, ut hujusmodi juramentum prestari ab aliis consuetum, exhibere curaret, ita tamen quod ipse, dum esset cancellarius Parisiensis, ad perhibendum testimonium minime teneretur. Verum, predictus cancellarius in sua inceptione dictum prestare noluit juramentum, pretendens quod licentiare bachallarios pertinet ad eundem, propterea quod prestare tale juramentum aliquatenus non tenetur. Ceterum, vobis asserentibus ipsum pro magistro, donec hujusmodi juramentum prestiterit, in vestrum consortium et ad tractatus vestri Collegii nullatenus admittendum, ipsoque cancellario se ad hec nichilominus ingerente, theologie studium civitatis Parisiensis, in quo exinde grave scandalum est exortum, propter hoc multipliciter impeditur. Nos itaque, qui ampliationem ipsius studii plurimum affectamus, volentes super hoc illud remedium adhibere per quod, hujusmodi scandalo et impedimento summotis, in plene quietis atque vigoris statu idem studium, divina favente clementia, valeat conservari, volumus et auctoritate presentium declaramus, quod prelibatus cancellarius et successores sui cancellarii Parisienses, qui regere in facultate inceperint supradicta, juxta predictum statutum prestare teneantur hujusmodi juramentum, ita tamen quod ad perhibendum tale testimonium, quandiu cancellarii Parisienses fuerint, minime teneantur. Datum apud Urbemveterem, VII kalendas junii, anno III°. »

658 Orvieto, 12 juin 1264.

De provisione praebendarum in ecclesia Nivellensi, Leodiensis diocesis. (Reg. 28, fol. 67 v°, ann. III, n° 260.)

« . . *abbatisse secularis ecclesie Nivellensis, Leodiensis diocesis.* Licet apostolica sedes in provisionibus clericorum ex benignitate solita se frequenter exhibeat liberalem, suo tamen semper reservat affectui ut hii dumtaxat ex eis hujusmodi consequantur gratiam, quibus ad id congrua merita suffragantur. Cum itaque, sicut exhibita nobis tua petitio continebat, in ecclesia Nivellensi septuagenarius prebendarum numerus habeatur, quarum ad tuam collationem spectantium quadraginta consueverunt nobilibus virginibus ecclesie canonicabus ejusdem, triginta vero ipsius canonicis secularibus assignari, et propter hujusmodi canonicas, in ecclesia prefata deceat admitti personas, que vite munditiam et morum diligant honestatem, nos, tuis justis desideriis annuentes, auctoritate tibi presentium indulgemus, ut nulli persone de incontinentia publice diffamate, in prebendis vel aliis beneficiis ipsius ecclesie valeat provideri per litteras apostolice sedis seu legatorum ejus impetratas, per quas plenum jus non sit alicui acquisitum, seu etiam impetrandas, que de indulto hujusmodi plenam et expressam non fecerint mentionem. Nulli ergo concessionis, etc. Datum apud Urbemveterem, II idus junii, anno III°. »

659 Orvieto, 30 mai 1264.

De subsidio impendendo per clerum Parmensis, Reginae et Mutinensis civitatum et diocesium societati s. Hilarii. (Reg. 28, fol. 68, ann. III, n° 261.)

« . . *abbati monasterii sancti Johannis Parmensis.* Inter ceteras sollicitudines —. Unde, cum in partibus Lombardie nonnulli quos peccata sua demerserunt in cecitatis abyssum, postposita Dei reverentia, fidem et libertatem hujusmodi deprimere moliantur, et congregatio illorum qui societas sancti Hylarii Parmensis vulgariter nominantur, se, ad defendendas in partibus illis fidem et libertatem easdem, sicut accepimus, prudenter accinxerint et accingant, ac propter hoc oportuerit et oporteat eos, sicut asserunt, magna subire onera expensarum, nos eorum in hac parte propositum favoribus apostolicis prosequentes, mandamus quatenus eis a clero Parmensis, Regine et Mutinensis civitatum et diocesium in subsidium expensarum hujusmodi annuatim usque ad triennium in centum libris Imperialium per te vel per alium seu alios auctoritate nostra facias provideri, imponendo singulis onus juxta proprias facultates, et contradictores, etc., usque compescendo. Non obstante si —. Datum apud Urbemveterem, III kalendas junii, anno III°. »

660 Orvieto, 1er juin 1264.

Abbati de Mataplana mandat ut, inquisitione praehabita, electionem abbatis s. Mariae de Truanos confirmet. (Reg. 28, fol. 68, ann. III, n° 262.)

« . . *abbati monasterii de Mataplana, Cisterciensis ordinis, Palentine diocesis.* Dilecti filii conventus monasterii sancte Marie de Truanos, ad Romanam ecclesiam, ut dicitur, nullo medio pertinentis, ordinis sancti Augustini, Legionensis diocesis, sua nobis petitione monstrarunt quod, monasterio ipso abbatis regimine destituto, ipsi, prout moris est, convenientes in unum, Spiritus Sancti gratia invocata, dilectum filium Petrum Alfonsi, canonicum ipsius monasterii, virum utique religiosum, providum et discretum ac in spirituali bus et temporalibus circumspectum, in eorum abbatem canonice ac concorditer elegerunt. Quare dicti conventus humiliter supplicarunt ut, cum rectis dispositionibus nichil debeat difficultatis afferri, dictum monasterium tanta prematur sarcina paupertatis, quod duo electi ante ipsum P., non obtenta confirmatione, cum propter expensarum defectum non possent apostolicam sedem adire, pro confirmationis ac benedictionis munere obtinendis, diem extremum clauserint, confirmari et benedici eundem P. in illis partibus mandaremus. Quocirca, mandamus quatinus, si constat monasterium ipsum hujusmodi paupertate gravari et ad nos nullo medio pertinere, inquisita de modo electionis, studiis eligentium et electi meritis diligentius veritate, predictam electionem, si eam inveneris de persona ydonea canonice celebratam, auctoritate nostra confirmes, faciens eidem electo munus benedictionis impendi et a suis subditis obedientiam et reverentiam sibi debitam exhiberi. Recepturus ab eo postmodum et prefate ecclesie nomine fidelitatis solite juramentum, quod ipse prestabit, juxta formam quam tibi sub bulla nostra mittimus interclusam. Formam autem juramenti quod ipse prestabit, de verbo ad verbum nobis per ejusdem patentes litteras suo sigillo signatas, quantocius destinare procures. Alioquin, eadem electione rite cassata, facias eidem monasterio de persona ydonea per electionem canonicam provideri. Contradictores, etc. Datum apud Urbemveterem, kalendis junii, anno III°. »

661 Orvieto, 2 juillet 1264.

Litterae testimoniales quibus declaratur infrascriptos a sententia absolutionis absolutos esse. (Reg. 28, fol. 68, ann. III, n° 263.)

« *Gerardino, Lapo, Brunellino, Arricho et Consilio fratribus, filiis quondam Oliverii Circuli, et Viero, nato quondem Turrisani Oliverii Circuli, et Doce, filio quondam Pucci Oliverii Circuli, Florentinis et Perusinis civibus.* Licet olim felicis recordationis Alexander papa, predecessor noster, Manfredum, quondam principem Tarentinum, ecclesie Romane adversarium manifestum, cum omnibus adjutoribus et fautoribus suis excommunicationis vinculo innodasset, quia tamen cives Florentini in turbatione pacis Tuscie ac in presumptuosa contrectatione jurium et bonorum Imperii Romani, ei ausu nefario adheserunt, roborantes ex hoc in sua pertinacia eundem M., Patrimonii beati Petri perfidum et sacrilegum invasorem, seque per hoc predicte sententie laqueis involventes, nos, more pii patris qui offendentes filios, ut ab invio perditionis ad viam salutis redeant, nunc exorando, nunc comminando diligenter invitat, in die Cene Domini et in festo etiam Ascensionis Dominice proximo preteritis, mercatoribus Florentinis de capiendis personis et occupandis ac detinendis rebus eorum et aliis penis infligendis eisdem, comminationes diversas fecimus, nisi ipsi usque ad certos terminos ad mandatum ecclesie redire curarent. Quia vero vos per procuratorem ydoneum ad hoc specialiter constitutum, infra ultimum terminorum ipsorum, de stando mandatis nostris et ipsius ecclesie prestito juramento, per venerabilem fratrem nostrum .. Ostiensem et Velletrensem episcopum, cui hoc oraculo vive vocis commisimus, meruistis absolutionis a supradictis excommunicationibus necnon debite reconciliationis beneficium obtinere, nos propter hoc vos penas dictarum comminationum incurrere nolumus eisque ligari, has nostras litteras vobis super hoc in testimonium concedentes. Datum apud Urbemveterem, vi nonas julii, anno III°. »

662 Orvieto, 29 juin 1264.

Petrum, in abbatem monasterii s. Ysidori Legionensis per viam compromissi a P., abbate de Saltu novali, Cisterciensis diocesis, Legionensis diocesis, et P. Felicis ac N. Johannis, ejusdem monasterii canonicis, electum, confirmat, faciendo ei ab episcopo Tusculano munus consecrationis impendi. (Reg. 28, fol. 68 v°, ann. III, n° 264.)

« *Petro, abbati monasterii s. Ysidori Legionensis, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis s. Augustini.* Nuper monasterio Sancti —. Datum apud Urbemveterem, iii kalendas julii, anno III°. »

In e. m. conventui monasterii s. Ysidori Legionensis, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis s. Augustini.

663 Orvieto, 3 juillet 1264.

De controversia inter Perusinos et Assisinates, occasione nati et nepotum quondam Fortisbracchii exorta. (Reg. 28, fol. 68 v°, ann. III, n° 265.)

« .. *episcopo Aversano, vicario in ducatu Spoletano dilecti filii nostri S., tituli sancti Martini presbyteri cardinalis, apostolice sedis legati, Marchie Anconitane et ducatus ejusdem rectoris.* Ex parte dilectorum filiorum.. potestatis, .. capitanei, consilii et communis Asisinatum fuit propositum coram nobis quod, Paulo nato, Tudino, Leonardo et Raynaldo, nepotibus quondam Fortisbrachii, laicis Perusine et Asisinatis diocesium, falso asserentibus quod idem commune ipsis in castro Saxirubei et pertinentiis suis, circa fructus et proventus eorum, dampna intulerint et jacturas, fructus et proventus hujusmodi occupando, consules mercatorum civitatis Perusine predictum commune laicis ipsis in mille libris parvorum usualis monete occasione hujusmodi, pretextu cujusdam statuti ejusdem civitatis, de facto, cum de jure nequiverint, condempnarunt, iidem etiam consules seu nobilis vir Petrus Parentii, civis Romanus, tunc potestas predicte civitatis Perusine, eisdem laicis capiendi de rebus vel de bonis ipsius communis et civium Asisinatium usque ad quantitatem hujusmodi licentiam concesserunt. Et licet, occasione pignorationum que sunt a jure penitus interdicte, per abusionem interdum inter aliquas communantias bona duntaxat mobilia, quod est etiam improbandum, consueverint occupari, tamen consules ipsi sive predictus Petrus potestas eosdem laicos in tenutam et possessionem corporalem omnium possessionum et terrarum quos cives Asisinates in ducatu Spoletano, infra certos confines, obtinent, prout asseritur, fecerunt induci pro sue libito voluntatis; sed predicti cives Asisinates, hoc non obstante, fuerunt in tenuta et possessione terrarum et possessionum hujusmodi et existunt. Quia vero in collectione fructuum et proventuum terrarum et possessionum predictarum possent in illis partibus multa pericula provenire, nos, hujusmodi periculis obviare volentes, fraternitati tue mandamus quatenus fructus et proventus predictos, presertim cum ad hoc predictorum civium qui in tenuta et possessione terrarum et possessionum earumdem existunt, prout superius est expressum, accedat assensus, auctoritate nostra colligi facias et conserves, donec causa super hoc exorta inter partes fuerit terminata, inhibito.. potestati, .. capitaneo, consilio et communi Perusinis ut super hoc nichil innovare presumant. Contradictores etc. Datum apud Urbemveterem, v nonas julii, anno III°. »

664 Orvieto, 20 juin 1264.

Infrascriptis mandat ut nonnullas depositiones recipiant in causa electionis in discordia celebratae archiepiscopi Toletani. (Reg. 28, fol. 69 v°, ann. III, n° 266.)

« *Magistro Petro Pascasii Burgensi, Petro de Bayona Guadalfaiarensi in Toletana, et Roderico Roderici de Campis in Palentina ecclesiis archidiaconis.* Dilectus filius magister Martinus, decanus Burgensis, canonicus ecclesie Toletane, exposuit coram nobis quod, ecclesia Toletana pastoris solacio destituta, due electiones, videlicet de ipso una et alia de Armengoto, archidiacono in eadem ecclesia, fuerunt in ea in discordia celebrate. Sane, hujus negotio ad sedem apostolicam legitime devoluto, nos in eo venerabilem fratrem nostrum .. Tusculanum episcopum, dedimus partibus auditorem. Verum, quia, lite in nostra presentia legitime contestata factisque coram eodem episcopo positionibus et responsionibus subsecutis ac formatis articulis, non potuit apud eandem sedem de ipsius negotii meritis plene liquere, receptionem testium in causam hujusmodi vobis per nostras litteras duximus committendam. Licet autem inter electores utriusque partis dumtaxat huc usque sit causa hujusmodi agitata, quia tamen idem decanus causam ipsam intendit prosequi, si electores sui a prosecutione cause desisterent supradicte, mandamus quatenus, si electores suos ab ipsius cause prosecutione desistere forte contigerit, vos vel duo vestrum testes quos predictos decanus super articulis, pro parte illorum qui eum elegerunt, transmissis, producere voluerint, juxta tenorem litterarum hujusmodi, infra terminos in eis statutos, prudenter recipere ac secundum interrogatoria partis adverse diligenter examinare curetis, depositiones omnium predictorum testium fideliter in scriptis redactas, cum articulis et interrogatoriis predictis, sub sigillis vestris, ad nostram presentiam transmissuri, prefixo partibus duorum mensium termino peremptorio competenti, quo per se vel per procuratores idoneos, nostro se conspectui representent, justam, dante Domino, sententiam recepturi. Ceterum, quia ordinavimus quod si electores alterius partium ipsarum defecerint in probatione illorum que in personas electorum objecerunt ipsorum, ecclesiasticis beneficiis que obtinent perpetuo sint privati, id ad decanum extendimus supradictum; ita quod, si

eum contra dictum archidiaconum testes producere, ac in probatione objectorum in personam ipsius deficere contigerit, beneficiis ecclesiasticis in perpetuum sit privatus. Datum apud Urbemveterem, XII kalendas julii, anno III°. »

665 Orvieto, 4 juin 1264.

Infrascriptis mandat inquirant de gestis abbatis Bermetensis. (REG. 28, fol. 69, ann. III, n° 267).

« .. *priori sancti Andree Vercellensis, et... Casenove de Prato Ticini, ac.. sancti Albini de Mortaria, Papiensis diocesis, ecclesiarum prepositis, sancti Augustini et Humiliatorum ordinum.* Sua nobis dilecti filii.. prior et conventus monasterii Bermetensis, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, Papiensis diocesis, petitione monstrarunt quod, licet monasterium ipsum florere in spiritualibus ac habundare in temporalibus consueverit ab antiquo, nunc tamen per malitiam et incuriam .. abbatis ejusdem monasterii collapsum est miserabiliter in utrisque; nam dictus abbas immemor prestiti juramenti quo tenetur non alienare bona ipsius monasterii, Romano pontifice inconsulto, possessiones, redditus et alia bona ejusdem temeritate propria distrahere ac alienare presumit, aliasque sic in prefati monasterii bonis prodigaliter debachatur, quod, nisi per sedem apostolicam maturius succuratur eidem, vix aut nunquam adjiciet ut resurgat, maxime cum tot alia jam ibidem enormia committantur, quod ea non solum divine majestatis offendunt oculos, sed hominibus grave pariunt scandalum et horrorem. Quare, pro parte dictorum prioris et conventus humiliter petebatur a nobis ut subvenire super hoc eidem monasterio paterna diligentia curaremus. Nos igitur, cupientes predictum monasterium in statum debitum reformari, mandamus quatinus ad monasterium ipsum personaliter accedentes et habentes pre oculis solum Deum, si vobis constiterit abbatem eundem super hiis infamia publica laborare, inquiratis super eis diligentius veritatem, et, si res inveneritis ita esse, corrigatis et reformetis ibidem, tam in capite quam in membris, que correctionis et reformationis officio noveritis indigere, contradictores etc. Si vero predictum abbatem inveneritis talia commisisse, que amotionem ipsius a regimine prefati monasterii exposcere videantur, aliaque in monasterio ipso corrigenda inveneritis aut reformanda, que de levi corrigi aut etiam reformari nequeant per vos ipsos, illa nobis fideliter rescribatis, ut super hiis per nos salubre remedium apponatur, prefixo eidem abbati termino peremptorio competenti, quo personaliter compareat coram nobis, pro meritis recepturus. Attentius provisuri ne ad inquirendum super premissis aut corrigendum seu reformandum in prefato monasterio procedere aliquatenus presumatis, nisi utilitati sepefati monasterii ac saluti degentium in eodem videritis expedire. Quod si non omnes etc. Datum apud Urbemveterem, II nonas junii, anno III°. »

666 Orvieto, 25 juin 1264.

Episcopo Maginensi mandat ut abbatissae monasterii Senatoris Papiensis, ordinis s. Benedicti, munus benedictionis impendat. (REG. 28, fol. 69 v°, ann. III, n° 268; POTTHAST 18957.)

« .. *episcopo Maginensi, Papiae commoranti.* Ex parte dilectarum in Christo filiarum Felicis, abbatisse, et conventus monasterii Senatoris Papiensis, ordinis s. Benedicti, fuit nobis humiliter supplicatum ut, cum .. Papiensis episcopus, pro eo quod ipse, auctoritate venerabilis fratris nostri .. archiepiscopi Turritani, et dilecti filii magistri Guale, notarii nostri, quondam sedis apostolicae legatorum, esset, suadente justitia, vinculo excommunicationis astrictus, et in civitate Papiensi excommunicatus publice nuntiatus, eidem abbatisse benedictionis munus, quod adhuc non recepit, non possit impendere, sibi mandaremus hujusmodi munus impendi. Quocirca, mandamus quatenus, si est ita, predicte abbatisse, auctoritate nostra, predictum munus impendas. Nolumus tamen quod per hoc possit eidem episcopo vel ecclesie Papiensi in posterum aliquod prejudicium generari. Datum apud Urbemveterem, VII kalendas julii, anno III°. »

667 Orvieto, 20 juin 1264.

Dispensatio super residentia personali conceditur clericis qui cum comite Vindocinensi transfretaverint. (REG. 28, fol. 69 v°, ann. III, n° 269.)

« *Nobili viro Borchardo, comiti Vindocinensi crucesignato, Carnotensis diocesis.* Dignum est ut —. Datum apud Urbemveterem, XII kalendas julii, anno III°. »

668 Orvieto, 20 juin 1264.

Quod clerici cum eodem comite transfretantes non teneantur ad praestandum aliquas subventiones impositas vel imponendas ecclesiis vel clericis pro Terrae Sanctae succursu. (Reg. 28, fol. 69 v°, ann. III, n° 270.)

« *Eidem.* Dignum est, etc., —. Datum ut supra. »

669 Orvieto, 20 juin 1264.

Eidem concedit facultatem quingentas libras tur. expendendi in subsidium Terrae Sanctae. (Reg. 28, fol. 69 v°, ann. III, n° 271.)

« *Eidem.* Ex parte tua fuit propositum coram nobis quod quondam progenitores tui et . . uxor tua quandam pecunie summam, videlicet quingentas libras turonensium in pios usus, non expressis aliquibus personis vel locis, per manus tuas erogari mandarunt in ultima voluntate. Nos itaque attendentes quod in pios exhibentur usus que in Terre Sancte subsidium expenduntur, tuis supplicationibus inclinati, expendendi hujusmodi pecuniam in hujusmodi subsidium, ad quod, signo vivifice crucis assumpto, viriliter, prout asseritur, te accingis, liberam tibi concedimus auctoritate presentium, facultatem. Datum ut supra. »

670 Orvieto, 1er juillet 1264.

Infrascriptis mandat compellant fratres Praedicatores et Minores ad testimonium de gestis Ruthenensis episcopi perhibendum. (Reg. 28, fol. 69 v°, ann. III, n° 272.)

« . . *episcopo Biterrensi, et* . . *cantori Nivernensi, et magistro Henrico de Virziliaco, canonico Autisiodorensi.* Olim inquisitionis negotium contra venerabilem fratrem nostrum . . Ruthenensem episcopum, super diversis criminibus vobis, sub certa forma, per nostras litteras duximus committendum, compellendi personas religiosas, cujuscunque ordinis vel religionis, ad perhibendum testimonium veritati, non obstantibus quibuscunque indulgentia vel privilegio ipsis vel eorum ordini concessis a sede apostolica, sub quacunque forma verborum, concessa vobis plena et libera facultate. Verum, quia creditur per fratres Minorum et Predicatorum ordinum, hujusmodi crimina posse probari, compellendi per censuram ecclesiasticam, juxta tenorem predictarum litterarum, fratres predictorum Minorum et Predicatorum ordinum ad perhibendum in eodem negotio testimonium veritati, non obstante — (concedimus facultatem.) Datum apud Urbemveterem, kalendis julii, anno III°. »

671 Orvieto, 1er juillet 1264.

Eisdem mandat ut expensas, in processu episcopi Ruthenensis sibi necessarias, de bonis ejusdem ecclesiae Ruthenensis ad eumdem episcopum pertinentibus, sibi faciant ministrari. (Reg. 28, fol. 70, ann. III, n° 273.)

« *Eisdem.* Cum inquisitionis negotium contra venerabilem fratrem nostrum .. Ruthenensem episcopum, super diversis criminibus vobis sub certa forma per nostras litteras duxerimus committendum, et nolimus propter expensarum defectum quod processus ipsius negotii retardetur, mandamus quatinus expensas vobis ad hoc necessarias et rationabiles, de bonis ecclesie Ruthenensis ad episcopum ipsum spectantibus, faciatis vobis congrue ministrari. Contradictores, etc. Non obstante —. Quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse, tu, frater episcope, cum eorum altero, etc. Invocato, etc. Datum ut supra. »

672 Orvieto, 5 juillet 1264.

Comitem Blesensem hortatur ut signum Crucis assumat. (Reg. 28, fol. 70, ann. III, n° 274.)

« *Nobili viro . . comiti Blesensi.* Habens mentem sincere devotionis ad Deum et ipsum devote reverens tanquam proprium Creatorem, curas vigiles et intenta studia, sicut accepimus ferventer impendis circa Crucis negotium promovendum; de quo sedes apostolica grandi jocunditate letatur, et in te, quem inspicit virum fidei zelatorem, magne suscipit delectationis augmentum. Nos quoque, fili karissime, inter ceteras sollicitudines quibus assidue premimur, ad hoc dirigimus animum, et in eo precipue intentio nostra versatur, ut ipsum Crucis negotium in quo causa Christi specialiter agitur, divina clementia cooperante, proficiat et feliciter dirigatur. Dum enim attendimus et sedula meditatione pensamus, quod Terra Sancta, quam ipse Christus in proprium sibi patrimonium preelegit, et in qua Regem regum, Redemptorem nostrum, Virgo puerpera genuit, quamque idem Unigenitus Dei filius Dominus Jhesus Christus per sue conversationis presentiam illustravit, alienigenarum pedibus teritur, et ab eis tam in Christi quam chris-

tianitatis obprobrium occupatur, viscera nostra turbantur ab intimis, et multiplices angustias cum doloris acerbitate sentimus. Sperantes igitur et pro certo tenentes, quod tu eidem terre compatiens, ad defendendum ipsum Christum, quem fede Sarracenice nationes iterato crucifigere moliuntur, volontarius et promptus exurgas, quasi te tui contingat injuria Redemptoris, nobilitatem tuam rogamus et hortamur attente, in remissionem tibi peccaminum injungentes quatinus in illius nomine, qui bellum suum gerentibus dexteram superne virtutis extendit, quique sibi servientibus rependit incomparabile premium, signum Crucis in dicte terre subsidium letanter assumas, et te ad celerem succursum ejus potenter et prudenter accingas, ut eadem terra, tuo et aliorum fidelium presidiis adjuta, respiret, et expientur exinde abhominationes talium nationum, tuque propter hoc plenitudinem divine gratie et tandem ineffabilis diadema glorie, quo Christi pugiles decorantur, consequi merearis. Datum apud Urbemveterem, III nonas julii, anno tertio. »

673 Orvieto, 11 mai 1264.

Bernardo, praeposito Senensi, mandat ut certos clericos Senenses ad audientiam apostolicam evocet. (Reg. 28, fol. 70, ann. III, n° 275.)

« *Bernardo, preposito Senensi.* Venerabilis frater noster . . episcopus Senensis, nobis insinuare curavit, quod Hugo Raynerii, Ventura Beringarii, Raynerius Alexandri, Christoforus Raynaldi, Guido Raynutii de Tholomeis et nonnulli alii clerici partium illarum, defectum in ordinibus, etate ac scientia patientes, et alias vita moribusque minus idonei, diversa ecclesiastica beneficia in civitate ac diocesi Senensi consistentia, cum cura et sine cura, per diversas apostolicas litteras, nullam facientes de hujusmodi defectibus mentionem, quas iidem clerici ad executores eis propitios, sive ad personas alias eis favorabiles impetrarunt, sibi procurarunt de novo conferri eaque, hujusmodi collationum pretextu, detinent, in animarum suarum dispendium et scandalum plurimorum. Quare memoratus episcopus nobis humiliter supplicavit, ut, cum eisdem beneficiis, ex hujusmodi detentione ipsorum, varia spiritualiter et temporaliter immineant detrimenta, et prefati clerici satis nostre curie sint vicini, eos ad ipsam curiam evocari, ut de idoneitate aut insufficentia illorum quo ad obtinenda hujusmodi beneficia, ibidem constare valeat, faceremus. Eorundem igitur clericorum providere saluti ac beneficiorum ipsorum obviare in hac parte dispendiis intendentes, mandamus quatinus prefatos clericos, ex parte nostra, peremptorie citare procures, ut infra mensem post citationem tuam, cum predictis litteris propter hoc personaliter compareant coram nobis, apostolicis super hoc beneplacitis parituri. Eis insuper denuntiando publice, quod si ad nostram in dicto termino presentiam non accesserint, nos in hujusmodi negotio nichilominus procedemus, prout putaverimus expedire. Diem autem citationis et formam et quicquid inde feceris, per tuas litteras harum seriem continentes, nobis fideliter intimare procures. Datum apud Urbemveterem, V idus maii, anno III°. »

674 Orvieto, 8 juillet 1264.

G. monasterio s. Johannis Angeliacensis, Xanctonensis diocesis, in abbatem præficit. (Reg. 28, fol. 70 v°, ann. III, n° 276.)

« *G., abbati monasterii sancti Johannis Angeliacensis, ordinis sancti Benedicti, Xantonensis diocesis, cappellano nostro.* Sollicitudinis apostolice studium —. Sane monasterio sancti Johannis Angeliacensis, ordinis sancti Benedicti, solacio destituto pastoris, contigit in ipso duas electiones, unam videlicet de . . elemosinario ipsius monasterii, reliquam vero de fratre Hugone, priore de Neriaco, dicti monasterii monachis, in discordia celebrari, ac nichilominus venerabili fratre nostro . . Xantonensi episcopo, loci diocesano, asserente ad se per lapsum temporis, ea vice, fore provisionem ejusdem monasterii devolutam, et intendente, ut dicebatur, ex officio suo providere ipsi monasterio de abbate, pro parte dictorum electorum ab eodem episcopo, ne contra electiones easdem aliquid attemptaret, fuit ad sedem apostolicam appellatum. Memoratus vero episcopus eidem monasterio de . . camberlengo, constituto in itinere accedendi ad predictam sedem, causa dicte appellationis prosequende, providit. Procuratoribus igitur electorum eorundem, et prefati camberlengi apud sedem constitutis eandem, inter eos coram dilecto filio nostro O., Sancti Adriani diacono cardinale, quem felicis recordationis Alexander papa, predecessor noster, super hoc deputaverat auditorem, extitit diutius litigatum. Verum, eodem negotio diversis anfractibus litis implicito, et variis hinc inde factis allegationibus non sui expedi-

tionem celerem, sed prolixas et dispendiosas dilationes potius indicere prefati procuratores conspicientes et ipsum monasterium ex hoc nonnullis discriminibus subjacere, et intendentes ejusdem monasterii, cui devoto compatiebantur affectu, vitare dispendia, nostroque se arbitrio supponentes, omne jus siquod prefatis elemosinario, priori et camberlengo ex electionibus et provisione hujusmodi competebat, libere ac totaliter in nostris manibus posuerunt. Nos autem de prefati monasterii prospero statu et utili provisione solliciti, ne dispendia prolixioris vacationis incurrat, cum fratribus nostris deliberatione prehabita, ipsi monasterio de persona ydonea per apostolice diligentie studium decrevimus providendum. Attendentes itaque famam laudabilem, probatam religionem et alias in administratione expertam tue devotionis industriam, de cujus meritis nos et fratres eosdem experientia familiaris instruxit, ad personam tuam mentem nostram convertimus, et provida meditatione pensantes, quod sic eam superna clementia dono scientie, maturitate consilii multisque virtutibus insignivit, quod per ipsam dictum monasterium poterit salubriter gubernari, te a vinculo quo tenebaris monasterio Lesatensi, ordinis sancti Benedicti, cujus regimini presidebas, penitus absoluto, ad prefatum monasterium sancti Johannis Angeliacensis apostolica te auctoritate transferimus, et ipsi monasterio de predictorum consilio fratrum ac nostre plenitudine potestatis, te in abbatem prefecimus et pastorem, sperantes —. Datum apud Urbemveterem, VIII idus julii, anno tertio. »

In eundem modum conventui monasterii sancti Johannis Angeliacensis, ordinis sancti Benedicti, Xantonensis diocesis.

In eundem modum universis vassallis monasterii sancti Johannis Angeliacensis, ordinis sancti Benedicti, Xantonensis diocesis.

675 Orvieto, 5 juillet 1264.

Potestati Reatino mandat ut omnia bona, quae in districtu Reatino Boncontus de Pendentia possidet, ad manus suas recipiat. (Reg. 28, fol. 71, ann. III, n° 277.)

« *Nobili viro . . potestati Reatino.* Ad audientiam nostram noveris pervenisse quod Boncontus de Pendentia, qui Pactensem ecclesiam, in qua per Manfredum, quondam principem Tarentinum, persecutorem Romane ecclesie manifestum, se procuravit intrudi, detinet occupatam, in anime sue periculum, grave venerabilis fratris nostri . . Pactensis episcopi, prejudicium, et ipsius Romane ecclesie injuriam et contemptum, magnas et amplas possessiones in tenimento civitatis Reatine ac ejus districtu emit de proventibus Pactensis ecclesie supradicte, ac ad civitatem eandem frequenter accedens ibique pro sue voluntatis libito publice commorans, nonnullos in ea perversos tractatus cum quibusdam Reatinis civibus, velut homo pestilens et publicus fautor persecutoris ejusdem, haberi presumit cotidie, et alia inibi occulte pro viribus committere non veretur, que redundare possent in subversionem civitatis ejusdem ac Romane ecclesie non modicum detrimentum. Cum igitur indecens prorsus existat ut eodem Bonconto, presertim inter ecclesie Romane devotos, in bonis prefate Pactensis ecclesie debachante, prefatus Pactensis episcopus, qui ob devotionem quam ad eandem Romanam habet ecclesiam, a sua ecclesia exulare compellitur, non habeat unde valeat sustentari, nobilitatem tuam rogandam duximus attentius et hortandam, mandantes quatinus omnia bona, tam mobilia quam immobilia, que prefatus B. in prefatis tenimento ac districtu taliter acquisivisse dinoscitur, ad manus tuas, nomine predictorum episcopi et ecclesie Pactensis, recipias, ipsaque tandiu teneas, donec de ipsis aliter duxerimus disponendum, taliter autem super hoc preces et mandatum nostrum adimpleas, quod nos devotionem tuam dignis exinde in Domino laudibus merito commendemus. Datum apud Urbemveterem, III nonas julii, anno III°. »

676 Orvieto, 5 juillet 1264.

Eidem mandat quatenus caute ac studiose procuret quod praefatum Boncontum personaliter capiat ipsumque tamdiu captum detineat donec mandatum aliud apostolicum acceperit. (Reg. 28, fol. 71, n° 278.)

« *Eidem.* Ad audientiam nostram —. Datum ut supra. »

677 Orvieto, 5 juillet 1264.

Consilio et communi Reatinis, sub debito fidelitatis et pœna quingentarum marcarum argenti, mandat quatenus in praedicto negotio potestati Reatino auxilium impendant. (Reg. 28, fol. 71, n° 279.)

« *Consilio et communi Reatinis, fidelibus nostris.* Ad audientiam nostram —. Datum ut supra. »

In e. m. . . episcopo Reatino.

678 Orvieto, 5 juillet 1264.

Fratrem Crescentium de Cavis, ordinis Praedicatorum, Alatrinae in episcopum praeficit ecclesiae. (Reg. 28, fol. 71, ann. III, n° 280.)

« *Fratri Crescentio de Cavis, ordinis Predicatorum, electo Alatrino.* Exultat et letatur —. Sane Alatrina ecclesia solacio destituta pastoris, dilecti filii capitulum ejusdem, vocatis omnibus qui voluerunt, debuerunt et potuerunt commode interesse, pro futuri substitutione pastoris, ut moris est, convenientes in unum, post diversos tractatus super hoc habitos, in dilectum filium nostrum G., sancti Georgii ad Velum Aureum diaconum cardinalem, unanimiter et concorditer compromisisse dicuntur, illum in suum episcopum recipere promittentes, quem idem cardinalis preficeret ecclesie memorate. Idem vero cardinalis, hujusmodi compromisso recepto, dataque sibi a nobis licentia providendi hac vice ipsi ecclesie de pastore, ad personam tuam dirigens sue considerationis intuitum, ac provida meditatione considerans, quod, cum sis vir industrius, dono scientie preditus, honestate morum et religionis decore conspicuus multaque sollicitudine circumspectus, et ad regimen ipsius ecclesie possis esse in spiritualibus et temporalibus utilis ac multipliciter fructuosus, tam ex predicta licentia quam ex potestate hujusmodi compromissi, te ipsi ecclesie prefecit in episcopum et pastorem, sperans quod eadem ecclesia, per tue circumspectionis industriam, in utrisque laudabilia, dante Domino, suscipiet incrementa, prout in litteris inde confectis, dicti cardinalis sigillo munitis, plenius continetur. Nos itaque, de tuis meritis plenam in Domino fiduciam obtinentes, quod ab eodem cardinali factum est in hac parte, ratum et firmum habentes, illud auctoritate apostolica confirmamus, etc., usque communimus, discretioni tue per apostolica scripta mandantes quatinus impositum tibi onus devote suscipiens, sic curam ejusdem ecclesie laudabiliter gerere studeas, quod tibi per vite meritum et aliis proficias per exemplum, nosque personam tuam exinde apostolici favoris gratia prosequi non immerito teneamur.

Tenorem autem dictarum litterarum de verbo ad verbum presentibus inseri fecimus, qui talis est :

« Gottefridus, miseratione divina Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconus cardinalis, religioso viro et amico karissimo fratri Crescentio de Cavis, de ordine Predicatorum, salutem et sinceram in Domino caritatem. Nuper Alatrina ecclesia solatio destituta pastoris, discreti viri capitulum ejusdem ecclesie, vocatis omnibus qui debuerunt, voluerunt et potuerunt commode interesse pro futuri substitutione pastoris, ut moris est, convenientes in unum, post diversos tractatus, in nos compromiserunt, illum in suum episcopum recipere promittentes, quem nos ipsi ecclesie preficere curaremus. Nos igitur, hujusmodi compromisso recepto, et sanctissimo patre domino nostro, domino Urbano, divina providentia papa IIII°, providendi hac vice ipsi ecclesie de pastore nobis vive vocis oraculo licentiam largiente, ad personam vestram convertentes oculos mentis nostre, provida etiam meditatione pensantes, quod, cum sitis vir industrius, dono scientie preditus, honestate morum et religionis decore conspicuus, multaque sollicitudine circumspectus, et ad regimen ipsius ecclesie possitis esse in spiritualibus et temporalibus utilis et multipliciter fructuosus, tam ex predicta licentia et auctoritate nobis a prefato domino nostro exhibita, quam potestate hujusmodi compromissi, vos ecclesie prefate preficimus in episcopum et pastorem, sperantes quod eadem ecclesia per vestre circumspectionis studium in spiritualibus et temporalibus laudabilia, dante Domino, suscipiet incrementa. Datum apud Urbemveterem, VIII kalendas julii, pontificatus domini Urbani pape IIII[i], anno III°. »

Nulli ergo nostre confirmationis, etc. Datum apud Urbemveterem, III nonas julii, anno III°. »

679 Orvieto, 4 juillet 1264.

Capitulo Alatrino mandat quatenus fratrem Crescentium de Cavis, ordinis Praedicatorum, in episcopum accipiant. (Reg. 28, fol. 71 v°, ann. III, n° 281.)

« *Capitulo Alatrino.* Exultat et letatur —. Datum apud Urbemveterem, IIII nonas julii, anno III°. »

In e. m. clero civitatis et diocesis Alatrinarum.

In e. m. . . potestati, consilio et communi Alatrinis.

Orvieto, 6 juillet 1264.

In e. m. . . episcopo Anagnino. Alatrina ecclesia solacio —. Ideoque mandamus [quatenus] eidem electo, ad requisitionem suam, ascitis tibi duobus vel tribus vicinis episcopis, munus consecrationis impendas,

recepturus ab eo, nostro et ecclesie Romane nomine, fidelitatis solite juramentum, juxta formam quam tibi sub bulla nostra mittimus interclusam. Formam autem juramenti quod ipse prestabit, de verbo ad verbum, etc., usque procures. Datum apud Urbemveterem, II nonas julii, anno III°. »

680 Orvieto, 27 juin 1264.

Magistrum Delacora in ecclesia Veronensi vicarium ab electo Veronensi constitutum, confirmat. (Reg. 28, fol. 71 v°, ann. III, n° 272.)

« *Magistro Delacora, vicario .. Veronensis electi.* Dilectus filius M. — . Datum apud Urbemveterem, V kalendas julii, anno III°. »

681 Orvieto, 2 juillet 1264.

Electo Capuano mandat ut in ecclesiis s. Johannis sita in territorio castri Montis-s.-Johannis et s. Mariae de Gallinario, Verulanae et Soranae diocesium, instituat clericos ab Aymone de Aquino, earumdem ecclesiarum patrono, praesentatos. (Reg. 28, fol. 71 v°, ann. III, n° 283.)

« .. *electo Capuano.* Merita devotionis dilecti filii nostri Aymonis de Aquino, sancti Johannis, site in territorio castri Montis-sancti-Johannis, et sancte Marie de Gallinario ecclesiarum patroni, Verulane et Sorane diocesium, nos inducunt ut ipsum et suos, tanquam speciales ecclesie Romane filios et devotos, dignis prosequamur honoribus et favoribus apostolicis attollamus. De tua itaque circumspectione plenam in Domino fiduciam obtinentes, ac intendentes eidem nobili gratiam facere specialem, mandamus quatenus aliquos idoneos clericos quos idem nobilis, una cum aliis earumdem ecclesiarum patronis, qui ad presens voluerunt et potuerunt, dummodo sint ejusdem ecclesie Romane devoti, dictos clericos presentare, tibi hac vice ad easdem sancti Johannis et sancte Marie ecclesias nunc vacantes, ut dicitur, duxerit presentandos, admittas, et ipsos, auctoritate nostra, instituas in eisdem. Contradictores etc. Ita tamen quod iidem clerici ad omnes ordines quod requiret onus earumdem ecclesiarum, se faciant statutis temporibus promoveri, et in eisdem ecclesiis residentiam faciant personalem. Volumus autem quod venerabilibus fratribus nostris, Verulano et Sorano episcopis, per hoc in posterum nullum quo ad premissa prejudicium generetur. Datum apud Urbemveterem, VI nonas julii anno III°. »

682 Orvieto, 20 juin 1264.

Episcopo Massiliensi mandat ut, inquisitione praehabita, commutationem ecclesiarum ab archiepiscopo et capitulo Aquensibus factam, auctoritate apostolica confirmet. (Reg. 28, fol. 72, ann. III, n° 284.)

« .. *episcopo Massiliensi.* Significavit nobis venerabilis frater noster .. Aquensis archiepiscopus, quod ecclesiam sancti Petri extra muros civitatis Aquensis, ad suam collationem, et ecclesiam sancte Reparate de Podio, Aquensis diocesis, ad dilectorum filiorum .. prepositi et capituli Aquensium mensam spectantes, cum omnibus juribus et pertinentiis suis, adjunctis ipsi ecclesie sancti Petri per eundem archiepiscopum quibusdam decimis et redditibus, ad ejus mensam spectantibus, iidem archiepiscopus et capitulum ad invicem, pro utriusque partis utilitate, deliberatione provida commutarunt, prout in publico instrumento confecto exinde, predictorum archiepiscopi, prepositi et capituli sigillato sigillis plenius dicitur contineri. Quare petebatur a nobis ut commutationem hujusmodi apostolico roborari munimine curaremus. De tua itaque circumspectione plenam in Domino fiduciam obtinentes, mandamus quatinus, vocatis qui fuerint evocandi, si tibi, inquisita super hoc plenius veritate, constiterit quod predicta commutatio sit absque pravitate provide facta et utrique parti utilis, ipsam, prout justum fuerit, auctoritate nostra confirmes. Contradictores etc. Datum apud Urbemveterem, XII kalendas julii, anno III°. »

683 Orvieto, 24 juin 1264.

Simoni, tituli S. Martini presbytero cardinali, mandat ut condemnationes pecuniarias per Manfredum, Veronensem electum, in ducatu Spoletano et Anconitana Marchia factas, exigat et colligat. (Reg. 28, fol. 72, ann. III, n° 285; Potthast 18954.)

« *S., tituli sancti Martini presbytero cardinali, apostolice sedis legato.* Cum dilectus filius Manfredus, Veronensis electus, olim ante captionem suam, pro ministrandis stipendiis quibusdam militibus quos secum in servitio ecclesie retinebat, et pro aliis etiam suis necessariis, quingentarum librarum Ravennatium debitum

contraxisse, idemque multas condempnationes pecuniarias per se suosque vicarios in ducatu Spoletano et Anconitana Marchia, dum eorum preesset regimini, fecisse noscatur, volumus et presentium tibi auctoritate mandamus, quatinus condempnationes hujusmodi exigi et colligi faciens, contradictores districtione qua convenit, appellatione postposita, compescendo, tantum de condempnationibus ipsis, et specialiter de illis que facte sunt in castro Montisfalconis, Spoletane diocesis, procuratoribus ipsius electi assignes vel facias assignari quantum sufficiat ad solutionem debiti supradicti, mandatum nostrum taliter impleturus, ut devotionis tue promptitudinem possimus exinde merito commendare. Datum apud Urbemveterem, viii kalendas julii, anno III°. »

684 Orvieto, 17 juillet 1264.

Abbatem Clarevallensem, durante processu reformationis ordinis Cisterciensis, a solutione expensarum ab abbate Cisterciensi vel ei adhaerentibus fiendarum, eximit. (Reg. 28, fol. 72, ann. III, n° 286.)

« .. *abbati Clarevallensi, ordinis Cisterciensis.* Nuper ad reformationem Cisterciensis ordinis, quem multorum relatione didicimus in pluribus deformatum, sollicitudinis nostre studium convertentes, venerabili fratri nostro . . episcopo Trecensi, suisque collegis super reformatione hujusmodi facienda, sub certa forma direximus scripta nostra. Verum, sicut fidedignorum assertione recepimus,.. abbas Cisterciensis, cum sibi adherentibus non veritus patenter ostendere sibi processum reformationis ejusdem — nostrumque in hoc beneplacitum displicere, sed molestam ferens reformationem eandem et illam diversis modis impediens, prosequentes ipsam persequitur, et tibi potissime, qui religionis zelator et ordinis, ad predictam reformationem, tanquam filius benedictionis intendis, tuoque monasterio ac ceteris in hoc tibi adherentibus exhibet multipliciter se molestum, non solum ipsum monasterium et officiales ipsius ac predictos tibi adherentes per inordinatos gravando processus, set et in personam tuam struendo, prout fertur, insidias, ut, si facultas suis adesset ausibus, in eam injuriose captionis manus iniceret, sperans quod, te taliter hujusmodi negotii prosecutioni subtracto, nullus de cetero idem negotium prosequi attemptaret. Verisimiliter insuper dubitatur, quod idem abbas conceptum contra te ac predictos adherentes prosequendo rancorem, te ac ipsos vestraque monasteria in expensis et aliis, captata, si poterit, occasione, gravabit. Ne igitur idem abbas te et adherentes eosdem, per hec et similia gravamina cogat a tam sancti piique negotii prosecutione desistere, devotioni tue ut, durante memorato negotio reformationis ejusdem, contribuere in aliquibus expensis ab eodem abbate Cisterciensi vel ei adherentibus factis aut faciendis, nisi pro urgenti necessitate, ac evidenti utilitate ipsius ordinis, ac de totius vel majoris partis ipsius communi consensu et voluntate processerit, minime teneamini, et ad id compelli aliquatenus non possitis, auctoritate presentium indulgemus, non obstantibus aliquibus consuetudinibus seu statutis prefati ordinis, juramento, confirmatione apostolica vel quacunque alia firmitate vallatis. Nos enim omnes suspensionis, excommunicationis, interdicti seu privationis sententias et quoslibet alios processus, si quos contra hujusmodi indulti nostri tenorem a quoquam promulgari contigerit, decernimus irritos et inanes. Nulli ergo nostre concessionis etc. Datum apud Urbemveterem, xvi kalendas augusti, anno III°. »

685 Orvieto, 17 juillet 1264.

Eidem indulget ut, durante praedictae reformationis negotio, tam ipse quam praedicti adhaerentes ad proximum generale capitulum Cisterciensis ordinis seu alias Cistercium vel ad alia loca ipsi et eisdem adhaerentibus suspecta, accedere minime teneantur. (Reg. 28, fol. 272 v°, ann. III, n° 286.)

« *Eidem.* Nuper ad reformationem —, ut in superiori usque in finem. »

686 Orvieto, 14 juillet 1264.

Institutionem duorum capellanorum, in ecclesia Ebroicensi ab episcopo Albanensi factam, confirmat. (Reg. 28, fol. 72 v°, ann. III, n° 288.)

« *Episcopo Albanensi.* Operis evidentia declarante —. Sane tu, attente considerans honoris multitudinem et gratiarum diversimodam largitatem, quibus Ebroicensis ecclesia personam tuam, dum ejus regimini prefuit, sicut asseris, honoravit, ac propter hoc illa volens exquirere de quibus, ad gloriam divini nominis et anime tue salutem, possit ecclesie prefate honor et utilitas provenire, auctoritate nostra quam venerabili fratri nostro .. episcopo Tusculano, nomine tuo,

antequam ab eadem ecclesia ad Albanensem translatus fuisses, primo, et post translationem hujusmodi tibi oraculo vive vocis, episcopo ipso presente, concessimus, diligenti quoque deliberatione prehabita, ordinasti quod, in eadem Ebroicensi ecclesia, per te, hac vice, ac deinceps per Ebroicensem episcopum qui pro tempore fuerit, duo instituantur presbiteri qui continue inibi residere et horis interesse canonicis, ac in altari gloriose Marie Virginis, quod in capite ipsius ecclesie, post chorum videlicet ejus, situm est, alter dictorum presbyterorum in honorem ipsius Virginis gloriose, ac alius pro defunctis celebrare, diebus singulis, teneantur, certo redditu annuo utrique presbiterorum ipsorum in decimis novalium, quas per munificentiam carissimi in Christo filii nostri L., regis Francorum illustris, ac etiam per tuam industriam, dum adhuc regimini ejusdem Ebroicensis ecclesie presideres, in nemoribus vallis Redolii, Ebroicensis diocesis acquisivisse te asseris, deputato; adjectis super hoc certis conditionibus et statutis salubribus ac honestis, prout in patentibus litteris tuis confectis exinde tuoque sigillo munitis, plenius continetur. Nos itaque, tuis supplicationibus inclinati, quod a te super premissis factum est, ratum et firmum habentes, id auctoritate apostolica confirmamus etc. utque communimus.

Tenorem autem litterarum ipsarum de verbo ad verbum presentibus fecimus annotari, qui talis est :

« Universis presentes litteras inspecturis, R., miseratione divina Albanensis episcopus, salutem in Domino sempiternam. Effusa circa nos supra meritum divine beneficia pietatis corde humili meditantes, ac sedulo considerantes affectu honoris multitudinem et gratiarum diversimodam largitatem quibus veneranda Ebroicensis ecclesia personam nostram, dum suo regimini prefuimus, honoravit, studemus illa cogitare mente vigili ac exquirere animo gratulanti, de quibus, ad gloriam divini nominis et anime nostre salutem, possit eidem ecclesie honor et utilitas provenire. Hinc est quod nos, auctoritate sanctissimi patris domini Urbani pape IIII[1], quam ipse venerabili patri domino .. episcopo Tusculano, antequam ab ecclesia predicta translati essemus ad ecclesiam Albanensem, nomine nostro, tradidit, et nobis oraculo vice vocis, post translationem hujusmodi, ipso domino Tusculano presente, diligenti quoque deliberatione prehabita, ordinamus quod in ipsa Ebroicensi ecclesia per nos, hac vice, ac deinceps per Ebroicensem episcopum qui pro tempore fuerit, duo instituantur presbyteri, qui continue inibi residere et horis interesse canonicis, ac eorum alter in honorem Virginis gloriose, et alius pro defunctis in altari ejusdem beate Virginis, quod in capite ecclesie memorate retro chorum situm esse dinoscitur, celebrare diebus singulis teneantur. Uterque vero presbyterorum ipsorum duodecim libras turonensium annuatim habebit, sibi per eundem episcopum de fructibus decimarum novalium quas per munificentiam serenissimi domini L., regis Francorum illustris, et nostram industriam acquisivimus, quando predicte curam ecclesie gerebamus, in nemoribus de Valle Redolii, Ebroicensis diocesis, a quadraginta annis et citra redactis et redigendis in posterum ad culturam, annis singulis, in terminis qui ad hoc statuti fuerint, persolvendos. Preterea .. perpetuo vicario parrochialis ecclesie de Monte-aureo sex libras turonensium, et .. vicario perpetuo parrochialis ecclesie de Haya Male-herbe quatuor libras ejusdem monete de fructibus dictorum novalium, si tantum ultra predictas viginti quatuor libras fructus ipsi se possint extendere, alioquin de nostro proprio, quandiu vixerimus, quod exinde defuerit, per tantum temporis suppleri volumus, donec iidem fructus usque ad valorem annuum predictarum viginti quatuor et decem librarum excrescant, duximus deputandas, reservantes nobis, vita comite et divina clementia suffragante, ordinare processu temporis de supercrescentibus fructibus triginta quatuor libras novalium predictorum, prout viderimus expedire. Porro, quotiens dictos presbyteros vel alterum eorumdem cedere contigerit, supradictus episcopus, loco cedentium vel decedentium aut cedentis vel decedentis, alium aut alios substituat, qui hujusmodi missarum sollempnia sciant, velint et valeant, juxta premissam ordinationem nostram, cotidie celebrare. Presbiteri vero hujusmodi suo proprio juramento in institutione firmabunt, quod in eadem ecclesia omnibus horis canonicis, vel saltem matutinis, majori missa et vesperis personaliter intererunt, nisi forsan propter infirmitatem vel aliam causam sufficientem, honestam et necessariam, per quam legitime super hoc excusari valeant, fuerint impediti. Quod si forte, vacante episcopali sede ipsius ecclesie, dicti presbiteri vel eorum alter cesserint vel decesserint quoquomodo, decanus et capitulum ejusdem ecclesie supplebunt super hiis vices episcopi, ea vice. Si autem loca presbyterorum ipsorum, seu locus alterius ipsorum per utriusque vel unius ex eis mortem seu cessionem vacaverint, et idem episcopus a tempore quo sibi de tali vacatione constiterit, negligens aut remissus fuerit ultra mensem, quod absit, hujusmodi substitutio illa vice

ad dictos decanum et capitulum devolvatur. Premissa quoque omnia et singula perpetuis futuris temporibus, sub anathematis pena, observari volumus et mandamus. In cujus rei testimonium, presentes litteras nostri sigilli munimine duximus roborandas. Actum apud Urbemveterem, anno Domini M°CC°LXIIII°, indictione VII^a^, III kalendas julii, pontificatus predicti domini Urbani pape anno III°. »

Nulli ergo nostre confirmationis etc. Datum apud Urbemveterem, II idus julii, anno III°. »

687 Orvieto, 15 juillet 1264.

Fratrem Walterum, dictum de Calabria, de ordine Praedicatorum, Gabulensi praeficit ecclesie. (Reg. 28, fol. 73, ann. III, n° 289.)

« *Fratri Waltero, dicto de Calabria, de ordine Predicatorum.* Rationis oculis intuentes —. Datum apud Urbemveterem, idus julii, anno tertio. »

In e. m. clero diocesis et civitatis Gabulensium.

In e. m. populo Gabulensium civitatis et diocesis.

688 Orvieto, 17 juillet 1264.

Infrascriptis mandat quatenus bona civium civitatum et castrorum Tusciae in ecclesiam rebellium, arrestari et detineri faciant. (Reg. 28, fol. 73, ann. III, n° 290.)

« *Argumento, abbati monasterii de Ripolis, Florentine diocesis, et Huguitioni, priori Sancte Cecilie Florentine.* Cum Florentia et quedam alie civitates et castra Tuscie, tanquam in malo penitus destinata, ad nostra et ecclesie Romane mandata, excommunicationis in personas et in civitates ac castra predicta interdicti propter hoc prolatis sententiis, damnabiliter vilipensis, redire contempnant, nos volentes ut qui spirituales penas dinoscuntur habere contemptui, temporali saltem districtione cogantur ab invio resilire, mandamus quatinus vos vel alter vestrum per vos vel alium seu alios bona mercatorum civitatum et castrorum eorumdem, qui nondum ad mandata hujusmodi redierunt, quique in civitatibus Tuscie vel Lombardie, Romandiole, Marchie Anconitane et Tervisine ac presertim Bononie vel Venetiis aut alibi commorantur, arrestari et detineri, auctoritate nostra omnimode faciatis, detinendo penitus donec aliud super hiis duxerimus disponendum. In illos autem qui contradictores extiterint aut rebelles, exercere censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, procuretis; invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Datum apud Urbemveterem, XVI kalendas augusti, anno III°. »

689 Orvieto, 18 juillet 1264.

Eisdem mandat ut mercatores civitatum Tusciae, qui mandatis apostolicis parere parati sunt, jubeat ad civitatem Assisinatem se transferre ibique morari. (Reg. 28, fol. 73 v°, ann. III, n° 291.)

« *Eisdem.* Cum nonnulli mercatores Florentini, Pistorienses, de Prato, sancto Miniato, Podio Bonizi ac aliis civitatibus et locis Tuscie de parendo mandatis apostolicis se astrinxerint juramento, et alias nobis, juxta nostrum beneplacitum, dederint cautiones, nos provida consideratione pensantes, quod si predicti mercatores in locis permanserint ecclesie Romane devotis, liberalius poterunt nostris et apostolice sedis obsecundare preceptis, volumus et presentium vobis auctoritate firmiter precipiendo mandamus quatinus mercatoribus eisdem, sub debito prestiti juramenti et pena quam ab eis exigere volumus ex parte nostra, per vos vel alios injungatis, ut infra quindecim dies post preceptum vestrum, de terris suis cum propriis familiis penitus exeuntes, ad civitatem Asssinatem se transferant, ibidem quamdiu de nostra voluntate processerit, continuo moraturi. Quicquid autem inde feceritis, nobis vestris litteris intimetis, ut super hiis provideamus sicut extiterit providendum. Datum apud Urbemveterem, XV kalendas augusti, anno III°. »

690 Orvieto, 6 juillet 1264.

Comiti Blesensi certas concedit pecuniarum summas Terrae Sanctae subsidio deputandas. (Reg. 28, fol. 73 v°, ann. III, n° 292.)

« *Nobili viro Johanni de Castellione, comiti Blesensi.* Cum te per alias nostras litteras exhortationibus apostolicis inducamus ut, tanquam fidelis athleta Christi, assumas Crucis signaculum in subsidium Terre sancte, volentes ut ipsum negotium eo libentius amplectaris quo per sedem apostolicam majori gratia te senseris preveniri, omnia legata, promissa, relicta et

redemptiones votorum crucesignatorum eidem terre subsidio in terra tua provenientia, per triennium, presentium tibi auctoritate concedimus. si jam assumpsisti crucis signaculum vel te crucesignari contingat hoc tempore in subsidium dicte terre; ita tamen quod per venerabilem fratrem nostrum . . Turonensem archiepiscopum, quem ad hoc duximus deputandum, colligantur et deponantur in aliquo tuto loco, et cum iter arripueris transmarinum, tibi sine difficultate qualibet assignentur, in ipsius prosecutione negotii, juxta tuam providentiam expendenda, dummodo legata, promissa, relicta et redemptiones hujusmodi per sedem apostolicam in predicta terra tua alii vel aliis minime sint concessa. Verum, quia de plenitudine devotionis dilecte in Christo filie nobilis mulieris Aelidis, comitisse Blesensis, uxoris tue, plenam in Domino fiduciam obtinemus, volumus quod ipsa, si jam assumpserit vel contigerit eam assumere similiter signum crucis, tertiam partem legatorum, promissorum, relictorum et redemptionum hujusmodi cum integritate percipiat expendendam in eodem negotio sicut viderit expedire. Datum apud Urbemveterem, II nonas julii, anno III°. »

691 Orvieto, 7 juillet 1264.

Archiepiscopo Turonensi praedictorum committit executionem indultorum. (Reg. 28, fol. 73 v°, n° 293.)

« . . *Turonensi archiepiscopo*. Cum dilectum filium —. Datum apud Urbemveterem, nonis julii, anno III°. »

692 Orvieto, 23 juillet 1264.

Wibergensi et Arusiensi episcopis mandat ut magistrum Johannem de Hethe, regis et reginae Daciae capellanum, Burglanensi ecclesiae in episcopum praeficiant ac ipsum, cum archiepiscopus Lundensis vinculo excommunicationis sit adstrictus, promoveant ad ordines et consacrent, salvo ceterum jure Lundensis ecclesiae. (Reg. 28, fol. 74, ann. III, n° 294; Potthast 18991.)

« . . *Wibergensi et . . Arusiensi episcopis*. Rationis oculis intuentes —. Sane ad audientiam nostram pervenit quod Burglanensis ecclesia tanto tempore jam vacavit, quod ad sedem apostolicam est ipsius provisio, secundum generalis statuta concilii, legitime devoluta. Nos itaque, nolentes eandem ecclesiam diutius sine presule remanere, ne longe vacationis dispendia patiatur, sed ei de tali persona providere volentes, cujus studio et providentia laudabilibus circa spiritualia et temporalia possit, auctore Domino, proficere incrementis, fraternitati vestre de qua in Domino obtinemus fiduciam, per apostolica scripta mandamus quatinus, si quod de vacatione ipsius ecclesie proponitur, veritate fulcitur, dilectum filium magistrum Johannem de Hethe, carissimi in Christo filii nostri . . regis, et . . carissime in Christo filie nostre . . regine Dacie illustrium capellanum, in quo regis et regine predictorum cupimus honorare personas, si, consideratis diligenter circumstantiis universis, vobis constiterit quod idem magister Johannes, suffragantibus sibi vite, scientie ac laudabilis conversationis meritis, tanto congruat oneri et honori, vos vel alter vestrum preficiatis eidem ecclesie Burglanensi auctoritate nostra in episcopum et pastorem, ac ipsum, quia .. Lundensis archiepiscopus, loci metropolitanus, prout asseritur, auctoritate apostolica vinculo est excommunicationis astrictus, alter vestrum statutis temporibus promoveat ad ordines, et, convocatis duobus vel tribus episcopis, ei munus consecrationis impendat, faciens sibi a suis subditis obedientiam et reverentiam debitam exhiberi. Non obstante si —. Contradictores —. Nos enim decernimus irritum et inane quicquid contra hujusmodi mandati nostri tenorem a quoquam contigerit attemptari. Nolumus autem quod per hoc Lundensi ecclesie aliquod in posterum prejudicium generetur. Datum apud Urbemveterem, x kalendas augusti, anno III°. »

693 Orvieto, 26 juillet 1264.

Episcopo Trecensi mandat ut certos mercatores Pistorienses, recepto prius ab eis juramento de parendo mandatis ecclesiae, a sententia excommunicationis absolvat. (Reg. 28, fol. 74, ann. III, n° 295.)

« . . *episcopo Trecensi*. Licet nos dudum in festo Ascensionis Dominice jam secundo preterito, presente maxima caterva fidelium, perfidos cives Pistorienses, qui civitatem Pistoriensem tunc et etiam hoc tempore detinentes, persequi devotos ecclesie ac Manfredo, quondam principi Tarentino, persecutori ejusdem ecclesie, cum suis fautoribus, tam per nos quam per felicis recordationis Alexandrum papam, predecessorem nostrum, diversis excommunicationum sententiis innodato, presumebant et adhuc presumunt manifeste favere, monuerimus eisque auctoritate apostolica

districte preceperimus ut a persecutione devotorum ipsorum et hujusmodi favore ipsius Manfredi desisterent et ad mandatum ecclesie, infra certum terminum peremptorium eis prefixum, redire curarent, quibusdam comminationibus, videlicet quod personas et bona ipsorum, ubicunque invenirentur, capi faceremus, et alias contra ipsos et civitatem eandem durius et asperius, spiritualiter et temporaliter, procedere curaremus, adjectis, quia tamen iidem cives, spiritu ad proterviam obfirmato, ab hujusmodi persecutione et favore contumaciter desistere et redire ad mandatum ipsius ecclesie, infra hujusmodi terminum, non curarunt, eos, propter ipsorum presumptuosam contumaciam et contumacem presumptionem hujusmodi manifestam, excomunicationis et anathematis vinculo duximus innodandos, universis et singulis eorundem civium debitoribus et omnibus de bonis eorum habentibus, undecunque et cujuscunque status, conditionis, et dignitatis forent, astante tunc fideli populo, de fratrum nostrorum consilio, auctoritate apostolica, sub pena excomunicationis, districtius inhibentes ne ipsis Pistoriensibus civibus aliqua de bonis et debitis hujusmodi, in parte vel in toto, restituerent, sine mandato nostro vel licentia speciali faciente plenam et expressam de inhibitione hujusmodi mentionem, sed illa tanquam arrestata tandiu detinerent, donec super hujusmodi debitis et bonis duceremus eis aliud injungendum, non obstantibus aliquibus litteris apostolicis super eisdem bonis et debitis ad quoscunque judices impetratas (*sic*) vel in posterum impetrandis, nisi in eisdem impetrandis de hac inhibitione plena et expressa mentio haberetur. Manifeste insuper predixi-mus et aperte pronuntiavimus quod, nisi dicti cives Pistorienses usque ad festum Assumptionis beate Virginis proximo preteritum, quod eis pro peremptorio prefiximus termino, ab omni prorsus ejusdem Manfredi favore desisterent, et ad mandatum ecclesie humiliter et devote redirent, nos extunc mandaremus venerabilibus fratribus nostris universis patriarchis, archiepiscopis et episcopis ceterisque ecclesiarum prelatis, necnon principibus, ducibus, marchionibus, comitibus, baronibus ac potestatibus, capitaneis, consulibus, consiliis, et communitatibus civitatum, castrorum, aliorumque locorum ubilibet constitutis, ut personas eorundem Pistoriensium civium, quarum arrestationem apostolica tunc benignitate suspendimus, necnon et bona ipsorum in terris eorum dominio et jurisdictioni subjectis existentia, caperent et detinerent, donec eis nostrum intimaremus beneplacitum in hac parte; et nichilominus tam personas quam bona hujusmodi exponeremus libere tam ipsis quam ceteris fidelibus occupanda et alias etiam ad duriora, graviora et asperiora contra ipsos et civitatem eorum spiritualiter et temporaliter, prout ipsorum protervia exigeret et videremus expediens, procedere curaremus. Sed dicti cives Pistorienses, nec infra nec post idem festum Assumptionis, ab ejusdem Manfredi favore desistere et redire ad mandatum ecclesie super hiis pro quibus excomunicati fuerant, redire curarunt. Unde nos in octavis beati Martini proximo preteritis, et postmodum in die Cene et festo Ascensionis Domini proximo jam transactis, presente fideli populo, ad quasdam monitiones et comminationes processimus contra ipsos, licet durius et asperius tunc potuissemus procedere, eorum protervia exigente.

Sane Justus Lanfranci, civis et mercator Pistoriensis, reprobi sensus dampnata studia predictorum Pistoriensium prudenti meditatione advertens, ea sano decrevit consilio declinare, ac eidem ecclesie in illo constanter adherere proposito, quo ipsa pro defensione libertatis ecclesiastice ac pacifico statu fidelium illius perversoribus se opposuit, sicque idem Justus prestitit de parendo super predictis mandatis nostris et ipsius ecclesie juramentum, seque de observandis mandatis hujusmodi et certis articulis, sub certis pena et forma, specialiter obligavit, promittens, sub pena duorum milium marcarum sterlingorum, se facturum et curaturum quod Bonus Johannes Gerardutii, Ventura Acursi, Pannochia Lanfranci, Maynectus Clari, Bene Guidonis, Pistoriense Jacobi, Fredericus Riccardini, Bartholomeus filius dicti Frederici, Picchio et Turdo Inghilberti fratres, Bonatus Luchecti, Pandolinus Symonis, Nicolaus Ligi, Johannes Gerardini dictus Vanni, Bartholominus Melioris, Barone Cristiani, Hugolinus Baldecti, Sinibaldus Jacobi, Ciamfinus Polonis, Baldus Lanfranchini, Johannes Jacobi dictus Banni, Clarentinus Anselmi, Andreas et Pepo Bufercini fratres, Mergulliese Braccii, Bucca Angelerii, Guidaloste Justi, Gerardinus et Bracciolus Bonini fratres, Johannes Gualandesci, Forese Baldi, Baldus Benencase, Baldectus Cacciadraghi, Bartholomeus Raynelini, Jacobus Foresi, Buoso Bonavie et Phylippus Johannis, socii sui, cives et mercatores Pistorienses, infra certum terminum, ad ecclesie mandata redibunt, et prestabunt similia juramenta, se ad observationem mandatorum nostrorum et articulorum hujusmodi sub pena duum milium marcarum sterlingorum nobis et eidem ecclesie similiter obligando, prout in publico instrumento exinde confecto, plenius continetur, cujus tenorem tibi sub bulla nostra mitti-

mus interclusum. Nos autem, — aperuimus eis tam paterne gratie quam materne mansuetudinis amplum sinum, ac predicto Justo Lanfranci qui tunc presens aderat, ab hujusmodi et universis excomunicationum ac interdicti sententiis, quas apostolica sedes in cives Pistorienses, et eorum terram propter premissa generaliter promulgavit, fecimus juxta formam ecclesie beneficium absolutionis impendi. Ideoque mandamus quatinus recipias a predictis Bonojohanne, Ventura, Pannochia, Maynecto, Bene, Pistoriense, Frederico, Bartholomeo Frederici, Picchio, Turdo, Bonato, Pandolino, Nicolao, Johanne, Bartholomeo Melioris, Barone, Hugolino, Sinibaldo, Ciamfino, Baldo, Johanne, Clarentino, Andrea, Pepone, Mergulliese, Bucha, Guidaloste, Gerardino, Brachiolo, Johanne, Forese, Baldo, Baldecto, Bartholomeo, Jacobo, Buosso et Phylippo, in partibus Gallie commorantibus, de stando super premissis mandatis nostris et ecclesie juramentum, et nichilominus, nostro nomine, similem obligationem de mandatis nostris et articulis hujusmodi inviolabiliter observandis, eosque deinde, juxta formam ecclesie, ab hujusmodi sententiis eadem auctoritate absolvere studeas, faciendo de hiis confici publicum instrumentum vel patentes litteras autenticis sigillis munitas, illud vel illas nobis fideliter transmissurus. Quibus rite peractis, tam Bonum Johannem, et alios mercatores predictos, quam Justum eundem per omnia loca in quibus ipsi voluerint, per te et per alios denunties a predictis sententiis absolutos, et ad devotionem ipsius ecclesie rediisse, universis et singulis eorum debitoribus et omnibus de bonis ipsorum propriis vel communibus, quatenus contingunt eosdem, habentibus, undecumque, cujuscumque status, condicionis, et dignitatis existant, districtius auctoritate predicta mandando, ut debita et bona ipsorum totaliter eis restituant, nec illa deinceps tanquam arrestata occasione predicta detinere presumant. Non obstantibus nostris inhibitionibus et processibus supradictis, vel si terminus in instrumento prefato contentus, infra quem idem Justus predictos suos socios facere ad mandatum nostrum et ecclesie redire promisit, quando presentes nostre littere ad te pervenient, forsitan sit elapsus, maxime cum ipse, sicut asserit, super hoc culpabilis non existat, dummodo ex nunc infra tres menses immediate sequentes, quod in hac parte promisit, studeat adimplere. Datum apud Urbemveterem, VII kalendas augusti, anno III°. »

694 Orvieto, 20 juin 1264.

Comiti Vindocinensi qui signum Crucis assumpsit, nonnulla concedit pecuniaria subsidia. (Reg. 28, fol. 75, ann. III, n° 296.)

« *Nobili viro Borchardo, comiti Vindocinensi, Carnotensis diocesis.* Zelus fidei et sincere devotionis affectus quem ad Deum habere dinosceris, te induxisse noscuntur, quod signum vivifice crucis in terre sancte subsidium assumpsisti, proponens tecum decentem comitivam ducere bellatorum. Ut autem, juxta tui animi desiderium, facilius et efficacius exequi valeas votum tuum, in subsidium expensarum quas propter hoc es facturus, auctoritate tibi presentium indulgemus, ut decimam omnium reddituum ecclesiarum et monasteriorum, tam exemptorum quam non exemptorum, ac redemptiones votorum crucesignatorum terre tue, et legata facta in subsidium Terre Sancte, in eadem terra tua pro dicte terre sancte succursu, possis percipere, nisi per nos alii sint concessa. Nulli ergo nostre concessionis, etc. Datum apud Urbemveterem, XII kalendas julii, anno III°. »

695 Orvieto, 29 juin 1264.

Episcopo Cenomanensi praedicti committit executionem indulti. (Reg. 28 fol. 75, n° 297.)

« . . *episcopo Cenomanensi.* Zelus fidei et —. Datum ut supra. »

696 Orvieto, 14 juillet 1264.

Duo millia et quingentas libras tur. assignat comiti Vindocinensi. (Reg. 28, fol. 75, ann. III, n° 298.)

« *Eidem.* Intelleximus quondam Johannem dictum *Paevel*, archidiaconum Vallis-Virie in ecclesia Constantiensi, et quondam Gaufridum de Poenceio, militem consanguineum dilecti filii nobilis viri Borchardi, comitis Vindocinensis, Carnotensis diocesis, quasdam in testamento suo reliquisse generaliter pecuniarum summas pro animarum suarum remedio expendendas in subsidium Terre sancte. Cum igitur dictus comes, zelo fidei et devotionis accensus, signo vivifice Crucis assumpto, cum decenti comitiva bellatorum proponat, sicut accepimus, in ipsius terre subsidium proficisci, nos, eidem comiti pro ejusdem terre succursu providere volentes de pecuniis ipsis usque ad quantitatem

duorum milium et quingentarum librarum turonensium, si tantum in hujusmodi legatis existat, nec ipsa sint uni vel pluribus personis a nobis concessa, fraternitati tue mandamus quatinus quantitatem eandem ad manus tuas recipiens, ipsam tunc demum prefato comiti assignare procures, expendendam per eum in subsidium dicte terre, quando idem comes in primo generali passagio iter arripuerit transmarinum. Contradictores, etc. Datum apud Urbemveterem, II idus julii, anno III°. »

697 Orvieto, 4 août 1264.

Eis mandat cassam et irritam nuntient electionem abbatissae monasterii S. Patriciae Neapolitanae. (Reg. 28, fol. 75, ann. III, n° 299.)

« *Bernardo Carazulo, diacono, et fratri Afrano de ordine Predicatorum Neapolitanis.* Licet apostolica sedes universis capitulis, collegiis et conventibus ecclesiarum, tam cathedralium quam aliarum, ac monasteriorum, exemptorum et non exemptorum, regni Sicilie duxerit inhibendum, ne, si ecclesias vel monasteria ipsa vacare contigerit, ad electionem, postulationem seu nominationem procedant, ac decreverit irritum et inane quicquid contra inhibitionem hujusmodi fuerit attemptatum, tamen, sicut accepimus, vacante nuper monasterio sancte Patricie Neapolitane, ordinis sancti Benedicti, per obitum Setelgaite abbatisse ipsius monasterii, conventus ejusdem Sicam, monialem dicti monasterii, in earum abbatissam, contra inhibitionem et decretum hujusmodi, de facto eligere presumpserunt. Nos itaque attendentes quod hujusmodi electio, utpote contra inhibitionem et decretum predicta, de facto presumpta, nulla est ipso jure, mandamus quatinus vos vel alter vestrum predictam electionem et quicquid ex ea secutum est, auctoritate nostra denuntietis viribus omnino carere, ac nullius existere firmitatis. Contradictores, etc. Datum apud Urbemveterem, II nonas augusti, anno III°. »

698 Orvieto, 4 août 1264.

Magistro Dalfinati de Neapoli mandat quatenus monasterio s. Patriciae Neapolitanae de aliqua abbatissa idonea de gremio ipsius monasterii vel aliunde provideat. (Reg. 28, fol. 75, ann. III, n° 300.)

« *Magistro Dalfinati de Neapoli, capellano nostro.* Licet apostolica sedes —. Datum ut supra. »

699 Orvieto 9 août 1264.

Gualterum, abbatem s. Michaelis. Virdunensis diocesis, de excessibus suis arguit (Reg. 28, fol. 75 v°, ann. III. n° 301.)

« *Gualtero abbati monasterii sancti Michaelis, ordinis sancti Benedicti, Virdunensis diocesis.* Nobis redundat in —. Sane significantibus dilectis filiis Nicholao cantore, Lamberto et Joffrido, monachis monasterii tui, ad audientiam nostram pervenit, quod tu quosdam prioratus ipsius monasterii, in quibus consueverat per monachos dicti monasterii deserviri, et quosdam redditus ad predictum monasterium pertinentes, quibusdam personis secularibus ad vitam ipsorum concessisti, recepta propter hoc ab eis quadam pecunie quantitate. Priores quoque prioratuum conventualium eidem monasterio pleno jure subjectorum, quorum electio ad conventum dicti monasterii pertinet, a prioratibus amoves, sine causa rationabili, pro tue libito voluntatis, et alios de facto ponis ibidem. Anchero quoque, fratri tuo uxorato, in minoribus ordinibus constituto, annuum redditum centum librarum fortium, pertinentem ad predictum monasterium, et quatuor prebendas monachales percipiendas ab eo singulis diebus in predicto monasterio, contulisti qui, ex concessione tua, in cimiterio dicti monasterii quandam domum contiguam muris ecclesie monasterii predicti construxit, et, fracto muro ipsius ecclesie, personas et aliquando inhonestas in dictum monasterium, juxta suum libitum, introducit. Plura quoque in predicto monasterio, in quo nulla observatur hospitalitas, committuntur enormia que limam correctionis exposcunt, te negligente prosequi que competunt observantie regulari. Quid plura? predictum monasterium per tuam et ipsius Ancheri, de cujus consilio regeris, irrequisito et spreto consilio dicti conventus, malitiam et incuriam ad tantam desolationem devenit, quod, nisi per celere remedium sedis apostolice succuratur eidem, incurreret irreparabile detrimentum. Et licet cantor, Lambertus et Joffridus predicti te caritative monuerint ut super hiis te corrigeres et actus tuos in melius reformares, tu tamen hoc facere neglexisti, propter quod ipsi ad sedem appellantes eandem, ad sedem ipsam personaliter accesserunt, nobis humiliter supplicantes, ut super hoc adhibere salubre remedium paterna sollicitudine curaremus. Quia vero, inter alias sollicitudines, quibus assidue premimur, cogitare nos convenit ut ecclesie in statu tranquillo et prospero conserventur, ita quod, extirpatis exinde vitiis et plantatis virtutibus, in spiritualibus salutaria suscipiant incre-

menta, discretionem tuam rogamus et hortamur attente mandantes, quatinus, si est ita, super hiis taliter te corrigere et actus tuos in melius studeas reformare, quod super premissis providere aliter non cogamur. Nos enim scire te volumus quod, si ulterius ad nos de te super premissis vel aliis querela pervenerit, super hoc limam provisionis apostolice apponemus. Ceterum cantorem, Lambertum et Joffridum predictos, eo pretextu quod ipsi nobis statum tuum et predicti monasterii nuntiarunt, in aliquo non aggraves nec molestes, sed ipsos potius, cum prefati monasterii zelari videantur commodum et honorem, sincera tractes in Domino caritate. Datum apud Urbemveterem, v idus augusti, anno III° ».

700 Orvieto, 1er août 1264.

Ut per totam Hispaniam, sicut alii metropolitani, crucem dominicam deferri faciat ei indulget. (Reg. 28, fol. 75 v°, ann. III, n° 302.)

« *R., archiepiscopo Ispalensi.* Ex relatione multorum didicimus quod quilibet archiepiscopus Ispanie non solum per suam provinciam, verum etiam per totam Ispaniam, dum equitat, crucem dominicam facit sollempniter coram se de consuetudine antiqua portari, et licet hoc tibi forsitan sicut illis credas eodem jure licere, id tamen petivisti a nobis specialiter tibi concedi. Nos itaque, tuis et carissimi in Christo filii nostri . . illustris regis Castelle ac Legionis, supplicationibus inclinati, fraternitati tue presentium auctoritate concedimus, ut per totam Ispaniam, sicut ceteri metropolitani ejusdem, crucem ipsam coram te, secundum hujusmodi consuetudinem, deferri facias sine juris prejudicio alieni. Nulli ergo nostre concessionis etc. Datum apud Urbemveterem, kalendis augusti, anno tertio. »

701 Orvieto, 3 août 1264.

De absolutione nonnullorum mercatorum Florentinorum. (Reg. 28, fol. 76, ann. III, n° 303.)

« *.. abbati sancte Genovefe Parisiensis, et Percivallo de Lavania, canonico Baiocensi, cappellano nostro.* Olim in die Cene Domini, anno videlicet Nativitatis dominice M°CC°LXIII°, cives Florentini qui civitatem Florentinam hoc tempore detinent etc. ut continetur in littera Gianni Bonaguide mercatoris Florentini, folio quarto primi quaterni capitulo XIII usque Apostolorum Petri et Pauli tunc proximo subsequens etc. usque civitatem Lucanam, tunc sedis apostolice devotissimam, etc. usque ad festum Assumptionis beate Virginis tunc proximo adveniens, quod pro peremptorio etc. usque constanter, auctore Domino, procedere curaremus. Sed dicti cives Florentini, nec infra nec post dictum festum Assumptionis, ab ejusdem Manfredi favore desistere et ad mandatum ecclesie super hiis pro quibus excommunicati fuerant, redire curarunt. Unde nos, in octavis beati Martini proximo preteritis, presente fideli populo, ad quasdam monitiones, et comminationes processimus contra ipsos, licet durius et asperius tunc potuissemus procedere, eorum protervia exigente. Sane Bardus quondam Lamberti Frascobaldi, civis et mercator Florentinus, reprobi sensus dampnata studia etc. usque se opponit, et prestitit de parendo super predictis etc. usque promittentes sub pena duorum milium marcharum sterlingorum, se facturum et curaturum quod Jacobus, frater suus, filius dicti Lamberti, Coppus Joseppi, Corbolinus Bencii, sui socii, Melliorellus Allioni, Raynerius Joseppi, Bardus Jacobi de Bruna, Ristorinus Spilliati, Michael Johannis, Corsinus Lotherii Burgi, Jacobus Arnaldi, Jacobus Amadoris, Andreas Gerardi, Schiatta Raynerii Jamboni, discipuli sui, cives et mercatores Florentini, ad ecclesie mandata redibunt etc. usque sub pena duorum milium marcharum sterlingorum etc. usque amplum sinum, ac predicto Bardo Lamberti, qui tunc presens aderat, etc. usque recipiatis a predictis Jacobo Lamberti, Coppo, Corbolino, Meliorello, Raynerio, Bardo Jacobi, Ristorino, Michaele, Cursino, Jacobo Arnaldi, Jacobo Amadoris, Andrea et Schiatta, in partibus Gallic commorantibus, de stando super premissis etc. usque : Quibus rite peractis, tam eosdem Jacobum Lamberti, Coppum, Corbolinum, Meliorellum, Bardum Jacobi, Ristorinum, Michaelem, Cursinum, Jacobum Arnaldi, Jacobum Amadoris, Andream et Schiattam, quam dictum Bardum Lamberti per omnia loca in quibus ipsi voluerint etc. usque rediisse. Datum apud Urbemveterem, III nonas augusti, anno III° ».

702 Orvieto, 30 juillet 1264.

De absolutione nonnullorum mercatorum Pistoriensium. (Reg. 28, fol. 76, ann. III, n° 304.)

« *.. episcopo Parisiensi.* Licet nos dudum in festo Ascensionis dominice jam secundo preterito, presente

maxima caterva fidelium, perfidos cives Pistorienses, qui civitatem Pistoriensem tunc et etiam hoc tempore detinent etc. ut continetur in littera Justi Lanfranchi retro folio II° capitulo CCLXXXXV, usque : Sane dilectus filius Egidius Donosdei, civis et mercator Pistoriensis, reprobi sensus dampnata studia etc. usque se opponit, tandem prestitit de parendo super predictis etc. usque promittens sub pena mille marcharum sterlingorum se facturum et curaturum, quod Melior Pelegrini, Accursus Lesii, Bonadies Henrigetti Bonadiei fratres, Pecora Novanterii, Stancollus dictus *Collus*, et Meo domini Raynuzini fratres, Matheus Thomasini, et Bindus Armaleonis, socii sui, cives et mercatores Pistorienses, infra certum terminum ad ecclesie mandata redibunt etc. usque sub pena mille marcarum sterlingorum etc. usque amplum sinum, ac predicto Egidio Donosdei, qui tunc presens aderat, etc. usque recipias a predictis Meliore, Accursio, Bonadie fratribus, Pecora, Stancollo et Meo fratribus, Matheo et Bindo, in partibus Gallie morantibus, de stando super premissis etc. usque : Quibus rite peractis, tam Meliorem et alios mercatores predictos, quam eundem Egidium per omnia loca in quibus ipsi voluerint etc. usque adimplere. Datum apud Urbemveterem, III kalendas augusti, anno III°. »

703 Orvieto, 30 juillet 1264.

De absolutione nonnullorum mercatorum Pistoriensium. (Reg. 28, fol. 76; ann. III, n° 305.)

« .. *episcopo Parisiensi.* Licet nos dudum in festo Ascensionis dominice jam secundo preterito, presente maxima caterva fidelium, perfidos cives Pistorienses qui civitatem Pistoriensem tunc et etiam hoc tempore detinent, etc., ut continetur in littera Justi Lanfranchi retro folio II° capitulo CCLXXXXV usque : Sane Bandinus Ammannati, civis et mercator Pistoriensis, reprobi sensus dampnata studia etc. usque se opponens, prestitit de parendo super predictis etc. usque promittens sub pena duorum millium marcharum sterlingorum, se facturum et curaturum quod Bartholomeus, frater suus, filius dicti Ammannati, Framericus Baldeti, Fuccius Soffredi, Forese Jacobi, Corradutius Jacobi, Sarracenus Jacobi et Conte Montancolli, socii sui, cives et mercatores Pistorienses, infra certum terminum ad ecclesie mandata redibunt etc. usque sub pena duum milium marcharum sterlingorum etc. usque amplum sinum ac predicto Bandino Ammannati qui tunc presens aderat etc. usque recipias a predictis Bartholomeo, Framerico, Fuccio, Forese, Corraducio, Sarraceno et Conte, in partibus Gallie morantibus, de stando super premissis etc. usque : Quibus rite peractis, tam Bartholomeum et mercatores predictos, quam Bandinum eundem per omnia loca in quibus ipsi voluerint etc. usque adimplere. Datum ut supra. »

704 Orvieto, 1er août 1264.

Aculeum monasterio Lesatensi in abbatem praeficit. (Reg. 28, fol. 76 v°, ann. III, n° 306.)

« *Aculeo, abbati monasterii Lesatensis, Cluniacensis ordinis, Tholosane diocesis.* Rationis oculis[1] intuentes —. Sane dilecto filio Geraldo, nunc monasterii sancti Johannis Angeliacensis, Xantonensis diocesis, et quondam Lesatensis monasterii abbate, de ipso monasterio Lesatensi ad regimen ejusdem monasterii sancti Johannis translato, et eodem monasterio Lesatensi, Cluniacensis ordinis, per hujusmodi translationem vacante, nos, nolentes ut predictum monasterium Lesatense sine abbate diutius remaneret, sed ei de tali persona cujus studio et providentia laudabilibus circa spiritualia et temporalia possit, auctore Domino, proficere incrementis, providere volentes, te, tunc camerarium prioratus sancti Saturnini de Portu, ejusdem ordinis, Uticensis diocesis, de cujus providentia et circumspectione plene confidimus, predicto monasterio Lesatensi, de fratrum nostrorum consilio et apostolice plenitudine potestatis, prefecimus in abbatem, firma concepta fiducia, quod eidem monasterio Lesatensi per tuum ministerium, Deo propitio, desiderata provenient incrementa. Quocirca mandamus quatinus humiliter suscipiens impositum a Domino tibi onus —. Datum apud Urbemveterem, kalendis augusti, anno III° ».

In eundem modum .. priori et conventui monasterii Lesatensis, Cluniacensis ordinis, Tholosane diocesis.

705 Orvieto, 15 juillet 1264.

Episcopo Gurcensi mandat ut, inquisitione praehabita, munus benedictionis impendat abbati electo monasterii Olziacen-

1. Ce mot est répété.

sis, ordinis s. Benedicti, Salzeburgensis diocesis. (Reg. 28, fol. 76 v°, ann. III, n° 307.)

« .. *episcopo Gurcensi.* Exhibita nobis dilectorum filiorum conventus monasterii Olziacensis, ordinis sancti Benedicti, Salzeburgensis diocesis, petitio continebat quod, monasterio ipso abbatis regimine destituto, ipsi convenientes in unum, prout moris est, Spiritus Sancti gratia invocata, dilectum filium Ditmarum, monachum ejusdem monasterii, capellanum dilecti filii nostri S., tituli sancti Martini presbiteri cardinalis, virum, ut asserunt, providum ac honestum ac in spiritualibus et temporalibus circumspectum, in abbatem suum canonice ac concorditer elegerunt, nobis humiliter supplicantes ut, cum archiepiscopus Salzeburgensis, cui monasterium ipsum subest, utpote auctoritate sedis apostolice vinculo excommunicationis astrictus, confirmare hujusmodi electionem ac eidem electo impendere munus benedictionis non possit, confirmari electionem ipsam et benedici dictum electum per alium mandaremus. De tua igitur circumspectione plenam in Domino fiduciam obtinentes, fraternitati tue mandamus quatenus, inquisita de modo electionis, studiis eligentium et electi meritis diligentius veritate, si dictam electionem inveneris de persona idonea canonice celebratam, illam hac vice auctoritate nostra confirmans, prefato electo munus benedictionis impendas et facias sibi a subditis suis obedientiam et reverentiam debitam exhiberi. Contradictores etc. usque compescendo, archiepiscopi et ecclesie Salzeburgensis super hoc in posterum jure salvo. Datum apud Urbemveterem, idus julii, anno tercio. »

706 Orvieto, 30 juillet 1264.

Adelinum monasterio Wiceburgensi in abbatem praeficit. (Reg. 28, fol. 76 v°, anno III, n° 308.)

« *Adelino, abbati monasterii Wiceburgensis, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, Spirensis diocesis.* Rationis oculis intuentes —. Sane, monasterio Wiceburgensi abbatis regimine destituto, major et sanior pars conventus ipsius monasteri te, tunc decanum ejusdem, eligit in abbatem monasterii supradicti, et reliqua pars postmodum hujusmodi electioni consensit. Presentato itaque nobis hujusmodi electionis decreto, nos electionem ipsam non persone tue vitio sed quia fuerat in forma peccatum, infirmavimus, justitia suadente. Demum vero, intellecto quod per tuam industriam predictum monasterium poterat in spiritualibus et temporalibus salubriter gubernari, te de fratrum nostrorum consilio et apostolice plenitudine potestatis, prefecimus predicto monasterio in abbatem. Datum apud Urbemveterem, III kalendas augusti, anno III°. »

In e. m. conventui monasterii Wiceburgensis, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis S. Benedicti, Spirensis diocesis.

In e. m. universis vassallis monasterii Wiceburgensis, ad Romanam ecclesiam etc.

707 Orvieto, 22 juin 1264.

Magistro Gregorio de Neapoli decanatum Baiocensem confert aliasque addit de eodem decanatu ordinationes. (Reg. 28, fol. 77, ann. III, n° 309.)

« *Magistro Gregorio de Neapoli, decano Baiocensi, cappellano nostro.* Clara probitatis tue —. Vacante igitur decanatu Baiocensis ecclesie per resignationem dilecti filii magistri Adenulfi, cappellani nostri, nepotis felicis recordationis G. pape, predecessoris nostri, qui decanatum obtinebat eundem, nos diligentius attendentes, quod tu a primevo etatis tue tempore, obsequiis ejusdem ecclesie deputatus, adolescentie tue annos continue in Gallicanis partibus peregisti, quodque lingua et moribus adeo Gallicis te conformas, quod potes merito non Italicus sed Gallicus potius reputari, ac volentes te, quantumcumque tua cara nobis presentia careamus inviti, in predicte ecclesie firmamento tanquam sydus collocare, ut et tibi per tue vite meritum et aliis proficias per exemplum, predictum decanatum cum omnibus juribus, jurisdictionibus et pertinentiis suis, apostolica tibi auctoritate conferimus, tibique de illo liberaliter providemus, investientes te per nostrum annulum presentialiter de eodem ac decernentes irritum et inane quicquid de decanatu ipso, quem ante hujusmodi ejus vacationem donationi apostolice duximus reservandum, per capitulum ipsius ecclesie vel per quemcumque alium seu alios, apostolica vel quacunque alia auctoritate attemptatum est, vel in posterum contigerii attemptari. Non obstantibus —. Verumtamen, volentes utilitati predicte Baiocensis ecclesie salubriter providere, apostolica auctoritate statuimus ut tu et successores tui decani Baiocenses, si sacerdotes non fuerint, a die quo a Baiocensi capitulo recepti fueritis in deca-

nos, infra annum teneamini ad susceptionem hujusmodi sacerdotalis ordinis, et ad continuam residentiam in eadem ecclesia faciendam. Super quibus a te in nostra presentia jusjurandum recepimus et ab eisdem successoribus, cum in decanos recipientur, simile prestari volumus corporaliter juramentum. Et ne de cetero ad quem spectet cura capituli et animarum canonicorum, cappellanorum et aliorum clericorum ecclesie Baiocensis dubium oriatur, eadem auctoritate declaramus ad decanum Baiocensem, qui pro tempore fuerit, curam hujusmodi pertinere. Ut autem residentie hujusmodi et alia onera decanatus a te et successoribus ipsis levius sub alicujus commodi compensatione portentur, tibi et successoribus ipsis eadem auctoritate concedimus, ut in predicto Baiocensi ecclesia residentes, omnes redditus et proventus beneficiorum ecclesiasticorum que tu habes ad presens, vel tu aut dicti successores in ecclesiis quibuscunque habueritis in futurum, cum ea integritate percipere valeatis, distributionibus cotidianis dumtaxat exceptis, cum qua perciperetis eosdem, si in ecclesiis in quibus beneficia ipsa consistunt, personalem residentiam faceretis. Adicimus etiam quod tibi et successoribus predictis duobus mensibus singulis annis liceat extra dictam Baiocensem ecclesiam, ad prosecutionem negotiorum vestrorum libere commorari, de cotidianis distributionibus ipsius ecclesie nichilominus tunc temporis percepturi. Tempus autem aliud quo te et successores eosdem pro episcopi vel capituli Baiocensium negotiis, de capituli ejusdem licentia, continget abesse, in predicta residentia computetur, et tunc hujusmodi distributiones ipsius ecclesie habeatis. Non obstantibus. — Datum apud Urbemveterem, x kalendas julii, anno III°. »

708 Orvieto, 25 juin 1264.

Episcopo Sagiensi et decano Lexoviensi mandat quatenus magistrum Gregorium de Neapoli in ecclesia Baiocensi in decanum recipi faciant. (Reg. 28, fol. 67 v°, ann. III, n° 310.)

« .. *episcopo Sagiensi et .. decano Lexoviensi.* Clara probitatis merita —. Datum apud Urbemveterem, vii kalendas julii, anno tertio. »

709 Orvieto, 23 juillet 1264.

De absolutione eorum qui ab usurariis diversis nonnullas pecuniarum summas acceperunt ut ipsos in terris suis usuras permitterent exercere. (Reg. 28, fol. 77 v°, ann. III, n° 11.)

« .. *archiepiscopo Tyrensi.* Ad audientiam nostram pervenit quod nonnulli ecclesiarum prelati et clerici, barones, nobiles et alii de ultramontanis partibus in quibus predicationem verbi Crucis et Terre Sancte negotium tibi duximus committendam, receperunt nonnullas pecuniarum summas ab usurariis diversis ut ipsos in terris suis usuras permitterent exercere. Nos itaque ipsorum saluti super hoc providere volentes, fraternitati tue absolvendi per te ac alios prelatos, clericos, barones, nobiles et alios predictos peccato quod ex receptione pecuniarum hujusmodi incurrerunt, dummodo ipsi pecunias hujusmodi tibi exhibeant, convertendas per te, de consilio carissimi in Christo filii nostri .. regis Francorum illustris, in subsidium dicte terre, plenam et liberam concedimus auctoritate presentium facultatem. Datum apud Urbemveterem, x kalendas augusti, anno III°. »

710 Orvieto, 23 août 1264.

De solutione obventionum, legatorum et relictorum Terrae Sanctae subsidio deputandorum. (Reg. 28, fol. 78, ann. III, n° 312.)

« .. *archiepiscopo Tarantasiensi.* Ad audientiam nostram pervenit quod nonnulli, in comitatu Provincie ac in Lugdunensi, Viennensi, Bisuntina, Tarantasiensi, Aquensi et Arelatensi civitatibus, diocesibus et provinciis capituli, quorum certam non potes habere notitiam, obventiones, legata et relicta Terre Sancte subsidio detinere presumunt, in ipsius terre dispendium et suarum periculum animarum. Cum autem predicationem verbi Crucis et ejusdem negotium in comitatu, civitatibus, diocesibus et provinciis predictis tibi duxerimus committendam, mandamus quatinus detentores obventionum, legatorum et relictorum hujusmodi per te ac alios in ecclesiis et in predicationibus coram populo generaliter moneas, ut infra unius mensis spatium post monitionem hujusmodi, premissa tibi studeant exhibere; alioquin in eos, nisi infra alium competentem terminum quem eis peremptorie duxeris prefigendum, obventiones, legata et relicta predicta tibi curaverint exhibere, generalem excomunicationis sententiam feras, faciens eam usque ad satisfactionem condignam ubi et quando expedire videris, sollempniter publicari. Datum apud Urbemveterem, x kalendas septembris, anno III°. »

711 Orvieto, 16 août 1264.

Episcopo Herbipolensi mandat ut Fridericum de Husen, presbyterum fratrem hospitalis s. Mariae Theutonicorum, Culmensi ecclesiae praeficiat in episcopum. (Reg. 28, fol. 78, ann. III, n° 313; Potthast 19000.)

« .. *episcopo Herbipolensi.* Significarunt nobis olim dilecti filii canonici ecclesie Culmensis, quod eadem ecclesia pastoris solatio destituta, ipsi vota sua in dilectum filium Fridericum de Husen, presbiterum fratrem Hospitalis sancte Marie Theuthonicorum, virum utique de honestate morum, litterarum scientia et circumspecta providentia commendatum, unanimiter et concorditer direxerunt, secura concepta fiducia quod eadem ecclesia per ipsius fratris industriam, fratrum Hospitalis ejusdem favore assiduo fulciendam, in spiritualibus et temporalibus deberet multipliciter prosperari. Propter quod eisdem canonicis ac dilecto filio .. magistro Hospitalis predicti, cum propter viarum pericula, securus ad presentiam venerabilis fratris nostri .. Rigensis archiepiscopi, loci metropolitani, tunc in remotis agentis, non posset accessus haberi, a nobis per suas litteras postulantibus ut memoratum fratrem eidem ecclesie preficeremus in episcopum et pastorem, nos tandem, dictorum magistri et canonicorum devotis supplicationibus annuentes, ac ipsius magistri honorare personam et tam ejus quam dictorum canonicorum intuitu, volentes eidem fratri gratiam facere specialem, prefato archiepiscopo dedimus sub certa forma per nostras litteras in mandatis, ut dicto magistro et ipsius Hospitalis fratribus et canonicis memoratis se, pro apostolice sedis et nostra reverentia, super hoc reddens affabilem et benignum ac etiam precavens sollicitius, ne prefata ecclesia, pretextu vacationis diutine, incurreret aliqua detrimenta, nominatum fratrem F., si tanto congrueret oneri et honori, omni occasione et dilatatione postposita, ecclesie supradicte per aliquem de suffraganeis suis vel aliis convicinis episcopis, si personaliter ipse id de facili non posset efficere, in longinquis, prout dicebatur, partibus constitutus, in episcopum et pastorem preficeret ac ei, ascitis duobus vel tribus episcopis, munus consecrationis impendi, necnon obedientiam et reverentiam debitam sibi a suis subditis faceret exhiberi. Contradictores etc. Nos autem nichilominus extunc per dictas nostras litteras decrevimus irritum et inane, si secus de Culmensi episcopatu contingeret attemptari. Porro prefatus archiepiscopus, pro parte dictorum magistri, canonicorum et fratrum super hoc humiliter requisitus, quod in hac parte sibi mandavimus, pro sue voluntatis libito, efficere hactenus non curavit, predicta ecclesia propter hoc ac etiam pretextu vacationis diutine gravia et diversa discrimina sustinente. Quare supradictus magister per suas speciales litteras a nobis humiliter postulavit ut providere super hoc de benignitate apostolica curaremus. Nos itaque, sicut olim sic et modo, personam ejusdem magistri in hac parte honorare volentes, maxime cum prefati canonici, sicut asseritur, quo ad eundem fratrem F. super hoc in voto pristino perseverent, mandamus quatinus, si premissis veritas suffragatur, in hujusmodi negotio, juxta formam per dictas litteras nostras traditam archiepiscopo memorato procedens, nominatum fratrem F. eidem ecclesie auctoritate nostra preficias in episcopum et pastorem et, ascitis duobus vel tribus convicinis episcopis, munus consecrationis impendens eidem, facias sibi a suis subditis obedientiam et reverentiam debitam exhiberi. Contradictores eadem auctoritate etc. usque compescendo. Postmodum vero ab ipso recipias, nomine prefati archiepiscopi, fidelitatis solite juramentum. Non obstante si aliquibus a sede apostolica sit indultum, quod suspendi vel interdici aut excommunicari non possint, sive aliqua indulgentia sedis ejusdem, per quam executio mandati nostri super hiis impediri valeat vel differri, etc de qua in nostris litteris fieri debeat mentio specialis. Ita quod ex hoc Rigensi ecclesie in posterum prejudicium nullum fiat. Datum apud Urbemveterem, XVII kalendas septembris, anno III°. »

712 Orvieto, 26 août 1264.

Processum de imperio Romano inter Alphonsum, regem Castellae, et Riccardum, comitem Cornubiae, litigato, ad annum a festo b. Andreae apostoli computandum, prorogat. (Reg. 28, fol. 78 v°, ann. III, n° 314.)

« *Ad futuram rei memoriam.* Inter carissimos in Christo filios nostros A., regem Castelle ac Legionis illustrem, et Riccardum in Romanorum reges per electiones varias in discordia celebratas, electos, super obtinenda Imperii dignitate, inimicus homo contentionis materiam suscitavit. Et licet, tam tempore felicis recordationis Alexandri pape, predecessoris nostri, quam nostro, ad sedandam contentionem ipsam, sedis apostolice circumspecta provisio diversos exquisierit modos et vias, et propterea voluntatem in hoc nichilominus partium expresse litigare se nolle dicentium prosequendo, distulerit inter eas judicis

partes assumere, quia tamen id, juxta ipsius sedis desideria, provenire non potuit, tandem procuratores memorati regis Castelle, in nostra et fratrum nostrorum constituti presentia, inter cetera cum instantia postularunt ipsi regi consuetum favorem et debitam in hujusmodi negotio justitiam exhiberi. Procuratores vero memorati Riccardi simili petitione ac nonnullis aliis premissis, que putabant sue intentioni congruere, obtulerunt, ejus nomine, se paratos, quantum mandati quod ab eodem R. habebant, se vires extenderent, ecclesie Romane ac nostrum subire judicium, si quis forsitan appareret qui eum super premissis vellet impetere aut aliquid proponere per quod posset ei prejudicium generari. Nos autem eorumdem electorum concordiam, tanquam toti mundo perutilem nobisque ac ipsius ecclesie Romane votivam, et pacificam predicti ordinationem Imperii multo desiderantes affectu, deliberavimus sic petitioni exhibende justitie, ad quam partium instantia nos cogebat, annuere, quod tractatus concordie, ad quos nostra suspirabat et adhuc suspirat intentio, nequaquam deserere videremus. Et ideo ad eosdem electos nuntios nostros qui eos ad pacis unitatem inducerent, duximus destinandos, ac ipsos nichilominus, de predictorum fratrum consilio, per eosdem nuntios citari fecimus, ut secundo die mensis maii proximo preteriti, apostolico conspectui se per procuratores ydoneos presentarent, qui eorum conscientie conscii, legitimum et plenum mandatum ab ipsis haberent, ad pacis tractatum, si Dominus concederet, ineundum, et ad procedendum in ipso negotio, prout honori ecclesie ac pensata talis et tanti condicione negotii expedire sine offensa justitie videremus, sicut in litteris nostris super citationibus confectis hujusmodi plenius continetur. Adveniente vero termino memorato et pro eodem R. nemine comparente cum sufficienti mandato ad ea que in premisso continentur citationis edicto, venerabilis frater noster Martinus, Legionensis episcopus, et dilecti filii magistri Johannes Alfonsi, cappellanus noster, archidiaconus Compostellanus, et Radulfus de Podio-Bonizi comparentes pro eodem rege, ac sub sigillo ipsius litteras exhibentes, per quas tam eorum singuli quam venerabilis frater noster G., Silvensis episcopus, procuratores, actores, negotiorum gestores ab ipso rege constituuntur et ordinantur in solidum, ita quod non sit condicio melior occupantis, ad petendum a nobis Imperii coronam, quam idem rex sibi debitam asserit, et ad agendum, respondendum, defendendum et tractandum jura sua Imperii ac omnia factum ipsum contingentia, et quicquid honori ejusdem regis expedire viderent, sive in ordinario sive in extraordinario judicio ageretur, inter alia petierunt prefatum regem ad suscipiendum de nostris manibus Imperii diadema vocari, et juxta petitiones alias porrectas ab ipsis et in nostra et eorum fratrum presentia repetitas, in negotio predicto procedi, adverse partis absentia non obstante, presertim cum nichil ab ipsa peterent sed ad exauditionem petitionis sue nostrum officium implorarent. Verum, dilecti filii magistri Guillelmus, Roffensis archidiaconus, et Guillelmus de Corneria cappellani nostri, et Robertus de Baro, qui alias pro eodem Riccardo hujusmodi negotium fuerant prosecuti, quibusdam exhibitis pro ipso excusatoriis litteris, ejusdem Riccardi absentiam, cujus causas, videlicet turbationem regni Anglie ac alias, dicebant esse notorias, excusantes, allegabant, eo absente ac taliter impedito, non esse in predicto negotio procedendum. Licet enim ab ipso nichil per partem alteram peteretur, illud tamen petebatur, quod non poterat sine prejudicio juris ipsius, quod eundem Riccardum plenum in Imperio habere dicebant, quin potius sine illius extinctione concedi. Unde, cum hujusmodi petitio ipsum contingat et principaliter jus ipsius impugnet, illius discussio ejusdem Riccardi presentiam per se vel per alium sufficientem ac plene instructum ad tantum negotium, quod, eodem electo taliter impedito, fieri non poterat, proculdubio exigebat, propter quod dicebant in eodem negotio non debere, ac petebant nullo modo, ipso sic absente, procedi. Nos autem, hiis et aliis que fuerunt hinc inde proposita, plenius intellectis et cum eisdem fratribus nostris plena deliberatione discussis, licet invenerimus pervenisse ad utramque partem premisse nostre citationis edictum, tamen et circumstantias tanti negotii et totius orbis turbationes multiplices, que non solum partes easdem, sed et nos ac ecclesiam Romanam circumstrepunt, attendentes, ac illam sequentes juris censuram, qua humanum esse censetur propter casus fortuitos dilationes accipi, deliberavimus cum fratribus nostris in presenti negotio processum nostrum quo ad ea que premissa citatio continet, ad presens ex premissis et aliis justis causis et evidentibus sustinendum. Et ideo, juribus partium et ipso negotio in omnibus et per omnia in eo statu in quo nunc sunt, omnino manentibus, terminum usque ad annum computandum a festo beati Andree apostoli venturo proximo, prorogamus —. Datum apud Urbemveterem, vi kalendas septembris, anno III°. »

713 Orvieto, 28 août 1264.

Episcopo Constantiensi committit officium visitationis et reformationis in monasterio Burchaugensi. (Reg. 28, fol. 79, ann. III, n° 315.)

« . . *episcopo Constantiensi*. Locis que divino —. Ex parte siquidem dilectarum in Christo filiarum . . abbatisse, . . cellararie, Guerdrudis et Gertrudis monialium, B., prebendarii monasterii Burchaugensis, ordinis sancti Benedicti, ac . . plebani loci ejusdem, tue diocesis, fuit propositum coram nobis quod, licet monasterium ipsum florere in spiritualibus et habundare in temporalibus consueverit ab antiquo, propter malitiam tamen temporis, malignorum incursus et dissolutiones quarundam monialium ejusdem, que fuerunt pro tempore, ad tantam desolationem dinoscitur devenisse, ut in eo, in quo quinquaginta moniales et quamque plures divinis laudibus insistebant, non nisi predicte et quatuor alie moniales juvencule, que, peccatis exigentibus, nimium sunt lascive, remansisse noscantur, sicque dictum monasterium adeo in utrisque miserabiliter est collapsum quod, bonis ejus omnino fere deperditis seu distractis, spes aliqua ut resurgere per se ipsum valeat, non remansit. Quare abbatissa et alii supradicti humiliter postulari fecerunt a nobis, ut monasterium ipsum de aliis personis religiosis, et specialiter de dilectis filiis fratribus Hospitalis sancte Marie Theutonicorum qui, regulari observantie piisque intenti operibus, tali potentia in illis partibus sunt muniti, quod idem monasterium per eos creditur posse in statum exurgere salutarem, paterna sollicitudine reformari ac illud uniri eisdem, ita quod, predictis et omnibus personis ipsius monasterii ad presens in eo degentibus, dum vixerint, vite necessaria ministrare teneantur, congruenter faceremus. Quia vero nobis non constitit de premissis, fraternitati tue, de qua in Domino plenam obtinemus fiduciam quod in procurandis hujusmodi locorum tibi subjectorum profectibus sis oportuno tempore studiosus, per apostolica scripta mandamus quatinus personaliter ad locum accedens, et habens pre oculis solum Deum, si res inveneris ita esse, circa correctionem personarum hujusmodi et reformationem ipsius monasterii de proprio suo ordine faciendam, libere officii tui debitum exequaris. Quod si forte dictum monasterium de ordine suo reformari non possit, tu que super hiis feceris et inveneris, nobis per tuas litteras fideliter intimare procures, ut per nos, dante Domino, illud apponatur consilium quod in hac parte fuerit oportunum. Datum apud Urbemveterem, v kalendas septembris, anno III°. »

714 Orvieto, 2 septembre 1264.

Gregorio mandat ut Adotam, abbatem monasterii de Insula, Vulteranae diocesis, ad audientiam apostolicam citet. (Reg. 28, fol. 79, ann. III, n° 316.)

« *Gregorio, plebano plebis de Marmoracia, Senensis diocesis*. Nuper ad nostrum pervenit auditum quod Adota, qui pro abbate monasterii de Insula, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, diocesis Vulterane, se gerit, ad tantum devenit mentis excessum, quod juramentum fidelitatis Jordano, fautori et tunc Manfredi, quondam principis Tarentini, persecutoris ecclesie, capitaneo seu nuntio in terris Tuscie sibi adherentibus, ausu temerario prestitit, et ab hominibus de Cortino, vassallis prefati monasterii, juramentum simile prestari dampnabiliter procuravit. Idem quoque Adota illiteratus et insufficiens seu minus ydoneus ad regimen monasterii supradicti prorsus existens, bona ipsius monasterii adeo dilapidat enormiter et consumit, ut, nisi per sedem apostolicam maturius monasterio succurratur eidem, vix aut nunquam adiciet ut resurgat. Cum igitur nostri appositione consilii super hoc deceat salubriter provideri, nos, de tua circumspectione confisi, mandamus quatinus, si tibi constiterit eundem Adotam super premissis aut aliquibus premissorum infamia publica laborare, ipsum auctoritate nostra per te vel per alium peremptorie citare procures, ut infra quindecim dies post citationem tuam, personaliter compareat coram nobis, pro meritis recepturus. Quicquid autem inde feceris et inveneris, ac diem citationis et formam nobis per tuas litteras tenorem presentium continentes, exponere fideliter non ommittas. Datum apud Urbemveterem, IIII nonas septembris, anno III°. »

INCIPIT REGESTUM LITTERARUM CURIALIUM

DOMINI URBANI PAPE QUARTI, ANNI TERTII

715 Orvieto, 8 septembre 1263.

De legatis in pios usus a clericis regni Franciae factis, certis personis vel locis quibus pecuniae vel res ipsae dari debeant, non expressis. (Reg. 28, fol. 80, curiales ann. III, n° 1.)

« *Episcopo Aurelianensi.* Intelleximus quod nonnulli clerici regni Francie, tam in dignitatibus constituti quam alii, condentes de bonis ad eos, ratione ecclesiarum in quibus beneficiati fuerant, et personarum suarum spectantibus, in ultimis voluntatibus testamenta, pecunias et res alias eorum in usus pios erogari mandarunt, certis personis vel locis, quibus pecunie vel res ipse dari debeant, non expressis. Volentes igitur ne legata ipsa inutiliter distribui valeant et per hoc saluti animarum dictorum clericorum, pro qua ipsi eadem legata fecisse noscuntur, salubriter providere, fraternitati tue mandamus quatinus, super sic relictis et etiam de cetero relinquendis inquirens per te vel alium sollicite veritatem, omnia sic indistincte relicta et etiam relinquenda de cetero per clericos dicti regni, cum convenientia executorum ipsarum ultimarum voluntatum, deponi facias apud aliquam sacram edem, ibique custodiri fideliter et integraliter conservari, in pios usus, pro animarum clericorum ipsorum salute, juxta dispositionem sedis apostolice, que super hoc pie ac provide vigilare disponit, annuente Domino, convertenda. Contradictores, etc. Non obstante —. Nos enim, attendentes quot et quantis insultibus et angustiis infidelium nationum magis solito artari dinoscitur Terra sancta, et quam periculose nonnullis christianis populis vicinatur rabies trucium Tartarorum, quam dura quoque non solum Romane sed etiam generali ecclesie immineant pericula, et undique comminentur adversa, que de subsidiis ecclesiasticis precipua remedia oportune liberationis expectant, ac considerantes quod ex ipsis legatis vix melius possunt adimpleri predictorum clericorum ultime voluntates et animabus eorum utilius provideri, quam si de talibus legatis aliqua predictis populis, ecclesiis et terre subsidia ministrentur, nostrum in hac parte propositum de fonte pie compassionis, quam apostolica sedes habet ad subditos, progrediens, sano aliquorum non credimus adversari judicio, sed omnium mentibus pietatis virtute pollentibus complacere. Quid autem, quantum et a quibus de predictis haberi, et ubi illud deponi contigerit, per tuas litteras, tenorem continentes presentium, quantocius nobis scribas; presentibus post quinquennium minime valituris. Datum apud Urbemveterem, vi idus septembris, anno tertio. »

716 Orvieto, 11 septembre 1263.

Fratri Florasio mandat ut Crassum, civem Tudertinum, qui pro capitaneo civitatis Reatinae se gerat, jussa pontificia contemnentem et alia contra ecclesiam Romanam machinantem, excommunicet et ab officio deturbet. (Reg. 28, fol. 80, curiales ann. III, n° 2; Potthast 18645.)

« *Fratri Florasio, ordinis Minorum, capellano nostro.* Quia omnes fere civitates, cunctaque castra et alia loca Patrimonii beati Petri in Tuscia et ducatus Spoletani ac quamplures alie terre Romane ecclesie cognitionem causarum appellationum, que ad sedem apostolicam et rectores, quos in eisdem patrimonio, ducatu et terris eadem ecclesia preficit specialiter, plene pertinet, usurpare sibique vendicare presumpserant,

in ipsius sedis prejudicium manifestum, constituendo sibi capitaneos seu sgravatores aut priores, ad quos causas appellationum hujusmodi faciebant devolvi, et quedam iniqua edendo statuta contra illos qui ad predictam sedem seu prefatos rectores pro quibusvis accedebant causis et super quibuscumque gravaminibus aut injuriis appellabant, nos, volentes eidem sedi contra enervationem hujusmodi sue jurisdictionis, non deferendo in hoc aliquibus, apostolica sollicitudine providere, olim in festo Dedicationis basilice principis apostolorum de Urbe proximo preterito, astante tunc fideli populo, universis capitaneis, prioribus, sgravatoribus et aliis talibus, quorumque nomine censerentur, auctoritate apostolica firmiter duximus inhibendum, ne a kalendis mensis januarii tunc proximo subsequentis, de hujusmodi appellationum causis cognoscere, seque de illis intromittere quoquomodo presumerent, et, si secus forte presumerent, eo ipso se noscerent excommunicationis sententie, quam in ipsos extunc protulimus, subjacere, suisque officiis totaliter perpetuoque privatos, ita quod nullis umquam futuris temporibus possent ad hujusmodi vel ad alia quecumque officia, in terris ejusdem ecclesie, reassumi, et si secus presumptum foret, esset vacuum, irritum et inane.

Sed Crassus, civis Tudertinus, qui pro capitaneo Reatine civitatis se gerit, hujusmodi processum nostrum dampnabiliter parvipendens, contra tenorem processus ejusdem, citra predictas kalendas, de hujusmodi appellationum causis in eadem civitate cognoscere seque de illis intromittere non expavit. Et licet dilecti filii . . potestas et consilium civitatis ejusdem, ei duxerint inhibendum ne contra predicti processus nostri tenorem facere quomodolibet attemptaret, nichilominus tamen ipse, qui manifestus fautor dicitur Manfredi, quondam principis Tarentini, persecutoris ecclesie manifesti, ad hoc ut scandalum in ipsius Manfredi favorem in predicta poneret civitate, per vocem preconis fecit publice in eadem civitate clamari, pro sue libito voluntatis, ut cum ipse intendat appellationum causas audire, ac illas, non obstantibus hujusmodi processu nostro et impedimentis quibuslibet, terminare, omnes appellationum cause, quas a predicto potestate interponi contigerit, ad suam audientiam perferantur. Quamplura quoque alia in eadem civitate contra honorem et fidelitatem Romane ecclesie, prout intelleximus, machinatur. Cum igitur eadem civitas in devotione ac fidelitate ipsius ecclesie adeo firmiter et constanter sub temporum diversitate permanserit, quod nulle tribulationum aque ipsius erga eandem ecclesiam potuerunt extinguere caritatem, nos, nullatenus sustinere volentes ut fermento alicujus malitie ipsius civitatis puritas corrumpatur, discretioni tue mandamus quatinus ad predictam civitatem te personaliter conferens, si, inquisita de plano et absque judicii strepitu diligentius veritate, d'ctum Crassum citra predictas kalendas de hujusmodi appellationum causis inveneris cognovisse seque intromisisse de illis, convocato consilio et populo Reatinis, denunties ipsum, juxta tenorem predicti processus nostri, excommunicationis sententie subjacere, suoque officio totaliter perpetuoque privatum, ita quod, nullis unquam futuris temporibus, ad hujusmodi vel alia quecumque officia in terris ejusdem ecclesie valeat reassumi. Precipias etiam predictis potestati, consilio et populo, sub pena mille marcarum argenti, ut eidem Crasso tamquam eorum capitaneo non intendant, ipsumque infra octo dies post preceptum hujusmodi, de Reatina prorsus ejiciant civitate, ad predictum vel aliud quodcumque officium nullis unquam inibi futuris temporibus resumendum. Contradictores autem, siqui super hoc fuerint, vel rebelles, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compescas. Datum apud Urbemveterem, III idus septembris, anno tertio. »

717 Orvieto, 8 septembre 1263.

Magistro Raynerio de Viterbio mandat ut Viterbienses ab omni confoederatione cum Tudertinis inita seu ineunda desistere jubeat. (Reg. 28, fol. 80 v°, curiales anno III, n° 3; Potthast 18639.)

« *Magistro Raynerio de Viterbio, capellano nostro.* Quia Viterbiensis civitas consuevit olim precipuum ad Romanam ecclesiam zelum ferventis devotionis habere, seque apostolice sedis beneplacitis humiliter coaptare, predicta ecclesia, ad hujusmodi sue devotionis merita oculum intente considerationis inflectens, statum ejus multiplicibus, sub diversitate temporum, adauxit favoribus et copiosis beneficiorum cumulis ampliavit, intendens ipsam successive congruis magnificare gratiis et condignis munificentiis honorare. Sed ecce civitas eadem a solite devotionis tramite deviare velle videtur ejusdemque sedis beneplacitis obviare, dum ad illa sua cepit convertere studia, per que dicta sedes provocetur merito contra ipsam. Audivimus etenim quod . . potestas, capitanei, consi-

lium et commune civitatis ejusdem, illius benivolentie prorsus immemores, qua dicta sedes eandem prosequitur civitatem, nuper cum Tudertinis, et per consequens cum perfidis Spoletanis conjurationis inire federa presumpserunt, eidem sedi in hoc nullatenus deferentes, contra cujus honorem conjurationes hujusmodi de facto, quantumcumque in illis ejus honor et fidelitas expresse salvari verbo consueverint, attemptari totaliter dinoscuntur. Quia igitur nobis plurimum displiceret, si justam haberemus materiam eidem civitati nostram et prefate sedis benivolentiam subtrahendi, discretioni tue per apostolica scripta districte precipiendo mandamus quatinus, statim receptis presentibus, predictos potestatem ejusve vicarium, capitaneos, consilium et commune ex parte nostra diligenter moneas et inducas, eisque, sub pena mille marcarum argenti, apostolica auctoritate districte precipias, ut infra quindecim dies post monitionem et preceptum hujusmodi, omnem conjurationem seu confederationem aut colligationem sive societatem aut citadantiam vel aliud simile, quocumque nomine censeatur, quo se Tu lertinis astrinxere predictis, prorsus dissolvere, sublata qualibet difficultate, procurent, non obstantibus juramentis, si qua propter hoc forsitan prestiterunt, a quibus, cum sint iniquitatis vincula, apostolica ipsos auctoritate absolvimus et decernimus absolutos. Et si nullam adhuc conjurationem seu confederationem aut colligationem sive societatem vel citadantiam fecerunt cum illis, tu nichilominus firmiter sub eadem pena eis inhibeas, ne aliquam deinceps, sine nostra et ipsius sedis speciali licentia et mandato facere quoquomodo presumant, decernens, si secus presumpserint, irritum, vacuum penitus et inane. Volumus autem ut de monitione, precepto et inhibitione hujusmodi, confici facias publicum instrumentum, illud nobis fideliter transmissurus. Datum apud Urbemveterem, VI idus septembris, anno tertio. »

718 Orvieto, 16 septembre 1263.

Q od regem Angliae a quodam juramento ab ipso baronibus praestito absolvere valeat. (REG. 28, fol. 80 v°, curiales ann. III, n° 4.)

« *Guillelmo archidiacono Pariensi capellano nostro.* Cum te ad carissimum in Christo filium nostrum illustrem regem Anglie, pro quibusdam communibus tam ipsius quam ecclesie Romane negotiis, de fratrum nostrorum consilio, destinemus, discretioni tue de qua plenam in Domino fiduciam gerimus, absolvendi auctoritate nostra regem ipsum a vinculo juramenti, si quod eum baronibus regni sui de revelandis eis secretis que sibi ab apostolica sede vel a quibuscumque personis mitti contigerit, prestitisse compereris, nec non ab omni alio illicito juramento, plenam et liberam concedimus tenore presentium potestatem. Datum apud Urbemveterem, XVI kalendas octobris, anno tertio. »

719 Orvieto, 20 octobre 1263.

Archiepiscopo Turritano mandat hortetur Januenses ut, infra sex menses, a confoederatione Palaeologi, imperatoris Graecorum, desistant. (REG. 28, fol. 81, curiales ann. III, n° 5.)

« . . *archiepiscopo Turritano.* Licet a nostre promotionis initio ad cives Januenses et litteris et monitis clamaverimus ut a confederatione Paleologi sismatici totaliter recedentes, ad gremium matris ecclesie, a quo, suis culpis exigentibus, exciderunt, sublata qualibet difficultate, redirent, ac diversos eis ad hoc terminos duxerimus assignandos, ipsi tamen in reprobum sensum dati, obturantes ad clamores nostros, more aspidum, aures suas, noluerunt hactenus vocem nostre pie revocationis audire, quinimmo predicto sismatico pertinacius adherentes, majora semper continuaverunt eidem incrementa favoris, qui eorum telis armatus, fortius et crudelius ad depressionem et lesionem Latinorum insiliit, et contra eos graviora et nocentiora patravit, adeo quod, occupatione Constantinopolitane urbis aliquatenus non contentus, dilectum filium nobilem virum, Guillelmum de Villarduino, principem Achaye, cum eorumdem Januensium auxilio et favore impugnat hostiliter, ipsius terras et insulas multipliciter devastando. Unde, quamquam nos propter tantam eorum contumacem pertinaciam possemus gravius et asperius, spiritualiter et temporaliter, procedere contra ipsos, volentes tamen adhuc clementius experiri, utrum in eisdem civibus aliqua devotionis scintilla remanserit, que apostolicis excitata monitis, antiquum resumat caritatis ardorem, fraternitati tue mandamus quatinus . . potestatem, consilium et commune civitatis Januensis ex parte nostra moneas diligentius et inducas, eisque auctoritate apostolica districte precipias, ut infra sex mensium spatium post monitionem tuam, quos pro peremptorio eis prefigas termino, ad nostra et ecclesie predicte mandata devote ac humiliter revertentes, a confederatione prefati scismatici recedant totaliter, ac dissolvant om-

nes conventiones et colligationes cum eo initas, etiam si fuerint juramento vallate, a quo eos apostolica auctoritate absolvimus et decernimus absolutos, omnium navium et galearum cunctorumque vasorum ac bellatorum suorum subsidia ab ejusdem scismatici servitiis de quibuslibet locis omnino de (*sic*) subtrahendo. Ipsis quoque expresse predicas et commineris aperte, quod, si infra hujusmodi terminum tuis super hoc, immo potius apostolicis, non paruerint monitis et preceptis, nos extunc civitatem Januensem archiepiscopali dignitate omnibusque privilegiis, eis ab apostolica sede concessis, et cunctis eorum honoribus privare curabimus, ac decernere eos, tanquam scismaticos et catholicorum christianorum persecutores et hostes, a cuncto christiano populo diffidatos, et nichilominus pravos et perversos eorum excessus, et qualiter contra eos processum fuerit, carissimis in Christo filiis nostris . . Francorum, . . Anglorum, . . Castelle, . . Aragonum, . . Portugallie, ac . . Navarre illustribus regibus, et dilecto filio nobili viro Karolo, Andegavie ac Provincie comiti, ceterisque principibus et baronibus ecclesiasticis et mundanis, tam in cismarinis quam in ultramarinis partibus constitutis, denuntiabimus, ac personas et bona eorumdem civium, ubicumque inventa fuerint, exponemus libere ipsis aliisque Christi fidelibus occupanda. Datum apud Urbemveterem, XIII kalendas novembris, anno tertio. »

720 Orvieto, 20 octobre 1263.

Eidem mandat iterum hortetur Januenses ut galeas e partibus Romaniae et specialiter insula Nigripontensi revocent. (REG. 28, fol. 81, cur. ann. III, n° 6.)

« *Eidem.* Dudum intellectis persecutionibus, que in favorem Paleologi scismatici per naves, galeas et alia vasa civium Januensium dilecto filio nobili viro, Guillelmo de Villarduino, principi Achaye, devotissimo utique matris ecclesie filio, ac suis et vassallorum atque fidelium suorum terris inferebantur et insulis, nos . . potestatem consilium et commune civitatis Januensis monendos, rogandos, attente duximus et hortandos, nostris eis sub certa forma districte dantes litteris in preceptis ut, statim receptis eisdem litteris, omnes naves et galeas cunctaque vasa eorum que ad partes Romanie, sive sub ipsorum, sive sub ejusdem scismatici stipendiis destinarant, de terris et insulis predictorum principis, vassallorum atque fidelium et specialiter de insula Nigripontensi penitus revocarent, ac facerent et curarent quod amirati, prepositi ceterique naute et bellatores navium, galearum et vasorum ipsorum exinde cum ipsis navibus, galeis et vasis, sublata qualibet mora et difficultate, recederent, eosdem principem, vassallos et fideles ipsorumque terras et insulas et presertim eandem Nigripontensem insulam non offenderent, nec quantum in eis foret, paterentur offendi, nullumque ipsi scismatico suisque subditis et bellatoribus et etiam guarnimentis, sicut alias fecerant, ad easdem terras et insulas preberent transitum vel conductum, et nichilominus tibi per alias nostras injunximus litteras, ut ad predictam civitatem te personaliter conferens, eosdem potestatem, consilium et commune super hiis ex parte nostra requireres diligenter, et si ipsi requisiti a te, vellent hec efficaciter adimplere, et pro hiis adimplendis, sine cujuslibet more dispendio, bona fide se coram te astringerent juramento, et obligarent se tibi, obligationem recipienti vice nostra, sub ydoneis et sufficientibus pecuniariis penis, de quibus expedire videres, ac se et civitatem eorum penis privationis archiepiscopalis dignitatis ac privilegiorum concessorum eis a sede apostolica, omniumque honorum suorum sponte subjicerent, tu, postquam ipsi hujusmodi juramentum et obligationem plene prestarent, seque hujusmodi privationi summitterent et confecta forent super hiis publica instrumenta, sententiam interdicti in predictam civitatem, occasione favoris exhibiti per eos scismatico supradicto, dicte sedis auctoritate prolatam, suspendere, sublata qualibet difficultate, curares.

Te igitur ad civitatem accedente predictam, eosdemque potestatem, consilium et commune sollicite super premissis, prout per tuas nobis significasti litteras, requirente, ipsi, sicut homines qui cogitaverunt detinere nos verbis et tempus sub nuntiorum missione ac remissione deducere, quosdam nuntios ad nostram presentiam destinarunt, certas nobis super hujusmodi negotio in ejus dilationem petitiones per eosdem nuntios offerentes, propter quod nos, qui oculata fide cognoscimus, quod ipsi hoc non nisi ut interim laberetur tempus estivum, in quo maris tranquillitas eos ad nocendum predicto principi ejusque fidelibus, et vassallis, ac eorum terris et insulis suffragium afferebat, fecisse noscuntur, licet contra eosdem potestatem, consilium et commune ipsorumque possemus gravius procedere civitatem, volentes tamen adhuc uti circa ipsos mansuetudine potius quam rigore, fraternitati tue mandamus quatinus predictos potestatem, consilium et commune super premissis ex parte nostra

iterato requiras, juxta traditam tibi formam; et si ipsi illa efficaciter adimplere voluerint, et pro hiis adimplendis, sine cujuslibet more dispendio, bona fide se coram te juramento astrinxerint et obligaverint se tibi, obligationem recipienti vice nostra, sub ydoneis et sufficientibus pecuniariis penis, de quibus videris expedire, ac se et civitatem eorum penis privationis archiepiscopalis dignitatis ac privilegiorum concessorum eis a sede predicta, omniumque honorum suorum sponte subjecerint, tu, postquam ipsi juramentum et obligationem hujusmodi plene prestiterint, seque hujusmodi privationi summiserint, et confecta fuerint super hiis publica instrumenta, predictam interdicti sententiam, juxta formam tibi super hoc traditam, auctoritate nostra suspendas. Datum apud Urbemveterem, XIII kalendas novembris, anno tertio. »

721 Orvieto, 19 octobre 1263.

Januensibus mandat mittant ambassatores ad sedem apostolicam, ad pacem cum Venetis ineundam. (Reg. 28, fol. 81 v°, cur. ann. III, n° 7.)

« . . *potestati, consilio et communi Januensibus spiritum consilii sanioris.* Navicule Petri quam —. Attendentes igitur et flebili meditatione pensantes castrorum aliorumque locorum incendia et depopulationes, strages corporum et interitus animarum, ac alia periculosa dispendia que rei publice christianitatis, ex discordia olim inter vos et Venetos suscitata, accidisse hactenus et accidere jugiter dinoscuntur, et considerantes quod, hujusmodi occasione discordie, corpus generalis ecclesie membro nobilissimo, Imperio videlicet Constantinopolitano, totaliter mutilabitur, nisi aliter super hoc duxerimus providendum, disposuimus firmiter in animo nostro inter vos et Venetos ipsos pacis cogitare consilia, et omnem, in quantum apostolica se extendet auctoritas et potestas, adhibere opem et operam efficacem, firmo intendentes proposito et intentione stabili proponentes in hujusmodi pacis et concordie inchoare tractatum, ut, absque intermissione, insistamus eidem, et tamdiu continua illum vigilantia prosequamur, donec idem tractatus ad finem, favente Domino, perducatur optatum. Ideoque universitatem vestram monemus, rogamus et hortamur attente per apostolica scripta districte precipiendo, mandantes quatinus, sicut divinam caram habetis gratiam, infra unius mensis spatium a receptione presentium computandum, quem pro peremptorio vobis prefigimus termino, sollempnes ambassatores vel syndicos, habentes a vobis mandatum plenarium componendi et compromittendi super omnibus discordiis, causis seu controversiis que inter vos et predictos vertuntur Venetos, ad nostram presentiam, sublato cujuslibet difficultatis obstaculo, destinetis, ambassatoribus seu syndicis ipsis illum ultimum intentionis vestre propositum, quod super reformatione hujusmodi pacis et concordie habere noscimini, finaliter exprimentes. Nos enim dilectis filiis nobili viro . . duci, consilio et communi Venetorum similes quoad ipsos litteras destinamus. Datum apud Urbemveterem, XIII kalendas novembris, anno tertio. »

In eundem modum nobili viro . . duci, consilio et communi Venetorum, mutatis mutandis.

722 Orvieto, 23 octobre 1263.

De publicatione bonorum civium Senensium. (Reg. 28, fol. 82, curial. ann. III, n° 8.)

« *Magistro Miloni, scriptori et nuntio nostro in Francie et Anglie regnis.* Olim, exigente perfidia civium Senensium qui civitatem Senensem hoc tempore detinent, bona ipsorum usque ad decem milia marcarum sterlingorum, de fratrum nostrorum consilio, sententialiter publicavimus distribuenda, tradenda et assignanda, juxta nostrum arbitrium et mandatum, prout in apostolicis litteris super hoc confectis, plenius continetur, nostrisque tibi sub certa forma dedimus litteris in mandatis, ut sex milia marcarum sterlingorum de hujusmodi decem milium summa . . procuratori communis Lucani, sine cujuslibet difficultatis obstaculo, assignares, in utilitatem ipsius communis, prout sibi expedire viderent, totaliter convertenda. Verum, quia iidem cives Senenses in profundum malorum demersi, desperantes ulterius et etiam contempnentes, nuper contra castrum Radicofani, quod est ecclesie Romane speciale demanium, hostiliter processerunt, ejusdem castri territorium ignis incendio et aliis depopulationum generibus devastando, nos, dignum et congruum reputantes ut hominibus ejusdem castri, fidelibus nostris, de bonis eorundem Senensium, pro illatis eis dampnis, congrue proveniat satisfactionis emenda, facta prius super hujusmodi dampnis inquisitione et eorum extimatione prehabita, duo milia marcarum sterlingorum eisdem hominibus, pro suorum satisfactione dampnorum, de bonis predictorum Senensium,

que usque ad premissam decem milium marcarum summam publicavimus, de fratrum predictorum consilio, fore decrevimus assignanda. Ideoque discretioni tue mandamus quatinus hujusmodi residua quatuor milia marcarum a civium ipsorum debitoribus Francie, Anglie, Alamannie vel circumadjacentium provinciarum, prout expedire videris, ecclesiasticis vel secularibus, cujuscunque sint dignitatis vel ordinis, etiam si Cisterciensis, Premonstratensis, ac Cluniacensis, seu Templarii vel Hospitalarii fuerint, integre colligens, facias illa ab eisdem debitoribus, in presentia et sub testimonio dilectorum filiorum . . prioris Predicatorum, et . . guardiani Minorum fratrum, ac etiam . . officialis Parisiensis, in tuis manibus assignari. Contradictores, etc. Cum autem hujusmodi pecunia tibi fuerit assignata, tu duo milia marcarum ex illa integraliter . . procuratori predictorum hominum seu communis de Radicofano, sublato cujuslibet difficultatis obstaculo, in presentia et sub testimonio eorundem prioris, guardiani et officialis, tribuas et assignes, in utilitatem ipsorum hominum seu dicti communis, prout sibi expedire viderint, convertenda. Reliqua vero duo milia, sub ipsorum presentia et testimonio, nostro nomine, in aliquo tuto loco deponas. Eosdem vero singulos debitores ab hujusmodi debitis, pro quantitatibus quas tibi duxerint exhibendas, perpetuo auctoritate nostra, similiter in presentia et testimonio predictorum, prorsus absolvas, ita quod ad aliam restitutionem memoratis civibus Senensibus aut heredibus vel successoribus eorundem, seu aliis quibus jus suum dederint aut concesserint, faciendam nullo umquam tempore teneantur, nec propter hoc valeant aliquatenus conveniri, sed exinde tam ipsi quam eorum heredes et successores remaneant penitus absoluti, non obstantibus quibuslibet instrumentis vel litteris super eisdem debitis, sub quacunque verborum forma confectis, seu juramentis interpositis a quibus debitores ipsos, quoad dictas quantitates, eadem auctoritate, in presentia et sub testimonio predictorum, absolvere non postponas, et quibuscumque penis, obligationibus, renuntiationibus, pactis et conventionibus interjectis, etiam si hec omnia vel eorum aliqua sint auctoritate sedis apostolice confirmata, que prefatis civibus Senensibus, quo ad easdem quantitates, nolumus in aliquo suffragari. Proviso quod in litteris que super assignatione hujusmodi pecunie tibi facienda et quam tu facies predicto procuratori, nec non super hujusmodi deposito, ac etiam super absolutione debitorum ab hujusmodi debitis, conficientur, tuum et eorundem prioris, guardiani et officialis sigilla facias, ad firmitatem eorum que gerentur, appendi, una cum ipsis quid, quantum, quando et a quibus de hujusmodi debitis assignatum fuerit, et quid, quibus et quando collatum, et ubi depositum, et qui absolventur ab hujusmodi debitis, et in quanto per litteras patentes, tuo et illorum sigillis signatas, nobis quamtocius intimando. Nos enim omnes interdicti, suspensionis et excommunicationis sententias, latas vel ferendas, occasione predictorum debitorum, in eosdem debitores, et quaslibet apostolicas litteras ad quoscunque judices vel executores super debitis ipsis obtentas vel etiam obtinendas, nec non et quoslibet processus per eas habitos et quos haberi contigerit, de apostolice potestatis plenitudine, quoad hujusmodi quantitates, decernimus nullius existere firmitatis. Datum apud Urbemveterem, x kalendas novembris, anno tertio. »

723 Orvieto, 23 octobre 1263.

Priori Praedicatorum et guardiano fratrum Minorum ac officiali Parisiensibus mandat ut quamdam pecuniae summam civium Senensium publicatam, in custodiam tradendam curent. (Reg. 28, fol. 82 v°, cur. ann. III, n° 9; Potthast 18687.)

« . . *priori Predicatorum, et . . guardiano fratrum Minorum, ac . . officiali Parisiensibus.* Super exigenda summa —. Datum apud Urbemveterem, x kalendas novembris, anno III°. »

724 Orvieto, 16 septembre 1263.

Riccardum, in Romanorum regem electum, hortatur ut in Henrici, Anglorum regis, auxilium exsurgat. (Reg. 28, fol. 82 v°, cur. ann. III, n° 10; Potthast 18651.)

« *Carissimo in Christo filio Riccardo, in Romanorum regem electo.* Habet hoc, fili carissime, populi communis assertio et generalis fere omnium id tenet opinio, quod procellosa fluctuatio tempestatis, que solidum regni Anglie solium concutit, est, hoc tempore, contra carissimum in Christo filium nostrum H., illustrem Anglorum regem, germanum tuum, te permittente ac dissimulante, ne dicamus procurante, commota. Cum enim persona tua, illustris et inclita, multe discretionis aliarumque virtutum gratia vigeat, ac magno et amplo seculari potentatu premineat et divitiis affluat ex abundantia facultatum, nec sit in regno Anglie aliquis qui, te prohibente, arma levare presumeret vel contra

dictum regem aliquid inconveniens cogitare, quondam contra magnitudinem tuam ex sola tanti dissimulatione flagitii, oritur in mentibus omnium sinistra suspitio, quod a te hujusmodi error, cui per tuam potentiam non resistitur, approbatur, quodque non cares scrupulo societatis occulte, dum tam manifesto facinori obviare desistis. Licet autem hec et alia gravia de te circa hujusmodi negotium nostris frequenter auribus inculcentur, nos tamen, habentes recta consideratione respectum ad preterita tempora, in quibus in omni devotionis et fidei genere tua laudabiliter studia exercuisse te novimus, et sub quorum diversitate famam tui honoris et nominis gloriosis actibus et gestis magnificis, et in cismarinis et in transmarinis partibus, sollempnem et celebrem reddidisti, nullatenus credere possumus quod princeps tam catholicus, tam fidelis, tam pius, tam misericors, tam benignus, sanguinis violato federe, sic negligenter toleret, ut frater innocens opprimatur, sicque patienter sustineat, ut regii culmen honoris deprimatur in ipso et regalis in eo dignitas et fastigia prosternantur. Absit enim, christianissime princeps, ut in mentem nostre credulitatis ascendat, quod tui sacrarium pectoris, quod totius devotionis et fidei esse consuevit armarium, tam detestande tamque abhominabilis machinationis habitaculum statuatur. Absit ut fama volatilis sic sue suggestionis jaculis nostre contra te conscientie penetralia vulneret, ut credi possit a nobis, quod fraternus amor, quo dictum regem ab annis prosecutus es teneris, defectus in te tam deformis tamque notabilis, hiis diebus, dispendia sentiat, et detrimenta tam tenebrose, tam obscure ac tam horribilis ecclypsis incurrat. Absit etiam ut rationis nostre judicium illis narrantibus fidem adhibeat, per quos tota tibi hujusmodi tempestas turbationis imponitur, ac fratris et nepotum tuorum exhereditatio tue prorsus ascribitur libito voluntatis. Verum, quia, tuis et progenitorum tuorum claris exigentibus meritis, fervidi sumus et esse tenemur tue fame prospicere, tuique clari nominis zelatores, nos, diligentius attendentes quod rumor hujusmodi ex crebra multorum relatione jugiter invalescit, ac pati nolentes quod tue oculate circumspectionis industria non reddatur per apostolice insinuationis eulogium, in hiis pervigil et attenta, serenitatem tuam, quam prosperis semper cupimus abundare successibus, sollicitandam, rogandam attente duximus et hortandam quatinus, premissa omnia infra tui claustra pectoris attenta meditatione revolvens, et considerans quod oportet tuam magnificentiam super hiis, pro tui famosi conservatione nominis, aliter providere, ob reverentiam apostolice sedis et nostram tuumque honorem, in dicti regis auxilium, sic magnifice, sic potenter et patenter exurgas, ut dissipentur inimici ejus et fugiant a facie ejus qui oderunt eum ejusque innocentiam persecuntur. Nam, cum hoc de facili facere posse credaris, nisi statim feceris et curaveris, adhibendo tuam strenuam in hac parte potentiam, ut in dicto regno statum resumat pristinum regie dominium potestatis, magni proculdubio sarcina ponderis tuis humeris imponetur, sub qua robusta tue fame terga succumbent, nec diebus tuis ab illa poterunt relevari. Expedit ergo ut taliter in hac parte monitis nostris obtemperes, quod honor tuus, pro cujus acquisitione sumptus inextimabiles effudisse dinosceris, illesus conservetur et integer, et hujusmodi exorta contra te infamia decidat, ac nobis, qui ferventi desiderio cupimus de tuis processibus audire magnifica, multipliciter accrescat exinde cumulus gaudiorum. Datum apud Urbemveterem, XVI kalendas octobris, anno III°. »

725 Orvieto, 26 octobre 1263.

Dispensatio super quarto consanguinitatis gradu. (Reg. 28, fol. 83, cur. ann. III, n° 11.)

« *Nobili viro Johanni, nato dilecti filii nobilis viri Balduini de Avenes.* Licet in quarto consanguinitatis gradu sit prohibita conjunctio conjugalis, consuevit tamen super hoc sedes apostolica dispensare, prout videt juxta causam, tempus et locum, expediens ad utilitatem publicam et privatam. Intelleximus siquidem quod progenitores tui, pro sedandis gravibus discordiis inter eos et ipsorum consanguineos, ex parte una, et dilectum filium nobilem virem . . comitem Lucelburgensem et ejus consanguineos, ex altera, jamdudum per ministerium seductoris exortis, tibi . . natam ipsius comitis, intendunt matrimonialiter copulare. Nos igitur, tam tuis et ejusdem comitis, quam carissime in Christo filii nostre . . illustris regine Francorum, et dilecti filii nobilis viri . . comitis Barrensis, super hoc per suas litteras supplicantium, precibus inclinati, devotioni tue auctoritate apostolica indulgemus, ut tu et eadem nata, non obstante quod quarto consanguinitatis gradu vos contingitis, invicem matrimonialiter copulari libere valeatis. Nulli ergo nostre concessionis etc. Datum apud Urbemveterem, VII kalendas novembris, anno tertio. »

726 Orvieto, 31 octobre 1263.

Rectori Sabiniae mandat ut castrum Octonelli, Sabinensis diocesis, ad manus suas, nomine ecclesiae Romanae, revocare curet. (Reg. 28, fol. 83, curiales ann. III, n° 12.)

« *J., sancti Nicolai in Carcere Tulliano diacono cardinali, rectori Sabinie.* Dilectus filius Lucas Alexandri, syndicus hominum castri Octonelli, Sabinensis diocesis, ad nostram accedens presentiam, nobis denuntiare curavit quod ille vir sanguinum Raullus, dictus Surdus, civis Romanus, castrum ipsum, quod ad demanium Romane ecclesie plene pertinet, in ipsius ecclesie prejudicium occupavit, quodque iidem homines, occasione cujusdam homicidii inibi noviter perpetrati, eorum antiquum et debitum recognoscentes dominium, ad illud redire desiderant, et prestare nobis et ipsi ecclesie fidelitatis et homagii juramentum, ac nobis castrum ipsum ejusque turrim et cetera que idem Raullus ibidem obtinuit, assignare. Nos autem, qui postquam summi sacerdotii cathedram divina dispositione conscendimus, constanter in nostro firmavimus animo ipsius ecclesie bona et jura deperdita ad ejus jus et proprietatem, non deferendo in hoc contra Deum aliquibus, revocare, quomodolibet sustinere nolentes, quod dictum castrum occupatum a viro tam nefario teneatur, discretioni tue, de fratrum nostrorum consilio, per apostolica scripta mandamus quatinus, a predictis hominibus, vice nostra et ipsius ecclesie, fidelitatis et homagii juramento recepto, castrum ipsum cum omnibus juribus et pertinentiis suis nec non et ipsius castri turrim et omnia alia que dictus Raullus ibidem obtinuit, cum idem R.. ex interfectione quondam Conradi dicti Bussarii, nuntii Conradi pueri, nati quondam Conradi, filii quondam Fr., olim Romanorum Imperatoris, in qua predictam ecclesiam graviter offendisse ac immensam eidem injuriam intulisse dinoscitur, castro predicto, etiam si illud ab eadem legitime obtinuisset ecclesia, et aliis premissis meruerit non indigne privari, sublato cujuslibet dilationis obstaculo, per te vel per alium ad manus tuas, nomine nostro et ecclesie predicte, recipere, ac ad demanium ejusdem ecclesie revocare procures —, contradictores, spiritualiter et temporaliter, appellatione postposita, compescendo. Volumus etiam ut, si forsitan aliquo tempore dictus Raullus castrum ipsum, dicendo se jus habere in illo, sibi vendicare voluerit, tu tam dictum castrum quam homines degentes in eo, auctoritate nostra contra ipsum, quantumcumque cum justitia ecclesie predicte poteris, tradita tibi potestate defendas. Quod si aliquis alius processu temporis apparuerit, qui se in dicto castro jus aliquod habere contenderit, cum nemini facere intendamus injuriam, tu jura predicte ecclesie omni ratione qua poteris defendendo, exhibeas ei auctoritate ac vice nostra super eodem castro justitie complementum. Datum apud Urbemveterem, II kalendas novembris, anno tertio. »

727 Orvieto, 30 octobre 1263.

Episcopo Reatino mandat ut Reatinos absolvat ab excommunicatione quam incurrerant pro eo quod Crassum, civem Tudertinum, a capitaniae regimine amovere contempserant. (Reg. 28, fol. 83 v°, cur. ann. III, n° 13; Potthast 18696.)

« . . *episcopo Reatino.* Olim dilectus filius frater Florasius, ordinis Minorum, in . . potestatem et consilium communis Reatini et singulos de civitate communis ipsius excommunicationis sententiam, pro eo quod nobilem virum Crassum, civem Tudertinum, quem in capitaneum assumpserant, amovere, juxta mandatum nostrum, a capitanie regimine contempnebant, auctoritate nostra dicitur protulisse. Cum itaque iidem potestas, consilium et commune nostris paruerint in hac parte mandatis, nos, eorum supplicationibus inclinati, fraternitati tue mandamus quatinus eosdem potestatem, consilium et alios de civitate predicta, qui hujusmodi excommunicationis sententiam incurrerunt, ab eadem sententia excommunicationis absolvas, juxta formam ecclesie consuetam, proviso ne hujusmodi absolutionem hac vice precipitanter impendas, sicut alias fecisse diceris, cum per te Reatinos absolvi mandavimus ab excommunicatione qua fuerunt in casu ligati simili, pretextu nobilis viri Ofreducii de Miranda, quibus, nulla servata forma, sicut accepimus, absolutionis beneficium impendisti. Sic itaque prudenter mandatum super hoc apostolicum exequaris, quod nequeas inde redargui, nec detur nobis materia preteritam et presentem tuam negligentiam puniendi. Datum apud Urbemveterem, III kalendas novembris, anno III°. »

728 Orvieto, 28 octobre 1263.

Fratri Antonio de Celano mandat ut in Nicolaum de Fossa, qui pro episcopo Theatino se gerat, inquirat et provisionem de eo factam, casset et irritet. (Reg. 28, fol. 83 v°, curial. ann. III, n° 14; Potthast 18694.)

« *Fratri Antonio de Celano, ordinis Predicatorum.* Olim felicis recordationis Alexander papa, predecessor noster, cunctis personis ecclesiasticis, secularibus et regularibus. duxit generaliter et sollempniter inhibendum ne, in archiepiscopalibus vel episcopalibus ecclesiis aut monasteriis regni Sicilie, exemptis et non exemptis, per Manfredum, quondam principem Tarentinum, seu per officiales aut fautores ipsius, seu de ipsorum mandato vel favore, sive per electionem sive per postulationem aut alias quoquomodo se facerent aut procurarent seu paterentur intrudi, nec ecclesiarum vel monasteriorum hujusmodi administrationem ab ipso Manfredo vel ejus officialibus seu fautoribus aut alio quocumque reciperent, sine apostolice sedis mandato et licentia speciali, decernens omnes illos qui secus agerent, eo ipso excommunicationis, depositionis et degradationis, quas extunc protulit, sententias incurrere, et nichilominus ipsos omnibus dignitatibus, personatibus et beneficiis suis ecclesiasticis, cum cura et sine cura, apostolica auctoritate privavit, et statuit ut nullus ipsorum ad pontificalem vel alias dignitates quascunque, seu ad personatus vel alia ecclesiastica beneficia promoveri valerent, concedens illis, ad quos sive sua ordinaria sive ipsius predecessoris speciali seu legatorum dicte sedis auctoritate, dignitatum, personatuum et beneficiorum ipsorum spectaret collatio, conferendi ea personis ydoneis liberam facultatem. Similes quoque sententias atque penas omnes illos incurrere voluit qui archiepiscopales vel episcopales ecclesias, aut monasteria dicti regni taliter receperant et occupata tenebant, nisi illa, infra duos menses extunc computandos, omnino dimitterent illaque libere resignarent. Nos etiam, postquam summi sacerdotii cathedram divina dispositione conscendimus, hujusmodi ejusdem predecessoris processum ratum habentes et firmum, illum auctoritate apostolica duximus confirmandum.

Sed Nicolaus de Fossa, qui pro episcopo Theatino se gerit, post talem ejusdem predecessoris processum, sententias et penas hujusmodi omnino contempsit, in ecclesia Theatina per predictum Manfredum vel per officiales aut fautores ipsius, seu de ipsorum mandato vel favore, prout accepimus, se fecit aut passus est seu procuravit intrudi, et ipsius ecclesie administrationem ab ipso Manfredo, vel ejus officialibus aut fautoribus, sine speciali predicte sedis mandato et licentia, recipere, omni verecundia a se prorsus abjecta, presumpsit, et tandem, nulla facta de hoc nobis penitus mentione, ad quorundam instantiam, a nobis, sicut dicitur, obtinuit de se ipsi ecclesie provideri ac de mandato nostro sibi munus consecrationis impendi. Verum, quia si nobis de intrusione ac tali receptione administrationis ejusdem ecclesie constitisset, nequaquam de ipso, qui premissas sententias et penas incurrerat, ecclesie providissemus eidem, nos, dignum et congruum arbitrantes ut idem Nicolaus, qui circumvenire nos credidit, a se ipso remaneat circumventus, discretioni tue per apostolica scripta in virtute obedientie districte precipiendo mandamus quatinus si, inquisita per te vel per alium seu alios ad hoc ydoneos, de plano et absque judicii strepitu, veritate, compereris, eundem Nicolaum, post hujusmodi ejusdem predecessoris processum, per prefatum Manfredum seu per officiales aut fautores ipsius, seu de ipsorum mandato vel favore, per electionem vel postulationem, aut alias quomodolibet intrusum in ecclesia predicta fuisse, vel ejusdem ecclesie administrationem ab ipso Manfredo, vel ejus officialibus aut fautoribus, seu a quocunque alio, sine speciali predicte sedis mandato et licentia, recepisse, aut dictam ecclesiam ejusque administrationem ante processum eundem receptas ab illis vel eorum aliquo ultra duos menses post ipsum tenuisse processum, tu solum Deum habens pre oculis, provisionem de ipso Nicolao factam, et quicquid ex ea secutum est vel ob ipsam, auctoritate nostra cassare et irritare, immo potius cassa et irrita ac vacare predictam ecclesiam denuntiare procures. Contradictores etc. Non obstante indulgentia qua fratribus tui ordinis ab apostolica sede dicitur esse concessum quod de negotiis seu causis, que ipsis a sede committuntur eadem, inviti cognoscere seu de illis se intromittere minime teneantur per litteras apostolicas, in quibus de indulgentia hujusmodi plena et expressa mentio non habetur. Volumus autem ut de hujusmodi processu tuo confici facias publicum instrumentum, illud ad nos fideliter transmissurus. Datum apud Urbemveterem, v kalendas novembris, anno tertio. »

729 Orvieto, 12 novembre 1263.

De publicatione bonorum civium Senensium. (Reg. 28, fol. 84, cur. ann. III, n° 15.)

« *Magistro Miloni, scriptori et nuntio nostro in Francie ac Anglie regnis.* Circa fideles nostros de Radicofano, qui per incendium et rapinam aliaque depopulationum genera, dampna gravia diebus istis a perfidis Senensibus sunt perpessi, paterne moti compassionis affectu, de bonis eorumdem Senensium, que usque ad

summam decem milium marcharum sterlingorum, ipsorum exigente perfidia, publicanda duximus, duo milia marcharum eisdem fidelibus, pro suorum satisfactione dampnorum, de fratrum nostrorum consilio decrevimus assignanda. Cum igitur super assignatione hujusmodi alias nostras tibi litteras destinemus, volumus et presentium tibi auctoritate, sub obtentu gratie nostre, districte precipiendo mandamus quatinus de pecunia, que de summa predictorum decem milium marcharum ad manus tuas pervenit, vel quamprimum pervenire contingat, predicta duo milia marcarum procuratori eorumdem fidelium seu communis Radicofani, in presentia et sub testimonio personarum et cautela que in predictis litteris quas super hoc tibi dirigimus continentur, sine difficultate qualibet studeas assignare. Non obstantibus litteris quas pro Lucanis super sex milibus marcharum sibi de summa predicte pecunie assignandis, aut aliis si quas tibi direximus de quantitate alia ejusdem pecunie alicui vel aliquibus aliis exhibenda. Datum apud Urbemveterem, II idus novembris, anno tertio. »

730 Orvieto, 11 novembre 1263.

Bononienses hortatur ut omnes suos concives, qui rectorias, potestates aut capitanias in terris ecclesiae Romanae rebellibus et specialiter in Anconitana Marchia receperunt, ab eis, sine dilatione qualibet, revocent. (REG. 28, fol, 84, cur. ann. III, n° 16; POTTHAST 18710.)

« . . *potestati, consilio et communi Bononiensibus.* In decore fidei et fervore devotionis erga Romanam ecclesiam, matrem vestram, a diebus antiquis constanter et fideliter, velut gratitudinis filii, prestitistis, nec umquam, preteritis temporibus, ab hujusmodi constantia et fidelitate cessastis, quantumcumque vobis rerum imminerent dispendia vel pericula personarum; et ideo si, quod absit, vos vel aliqui vestrum declinarent in devium, tanto doleremus acerbius et gravius turbaremur, quanto vos carius gerimus in visceribus caritatis, et majoris dilectionis brachiis amplexamur. Verum, nuper audivimus, et ex hoc nec mirum causa nobis turbationis ingeritur, quod nonnulli cives vestri, sui communis vestigia non sequentes, in ecclesie predicte terris, rebellibus ipsi ecclesie, et specialiter in Anchonitana Marchia, recipiunt rectorias ac rebellionis facti participes, offendere Deum et ipsam ecclesiam non verentur, postponentes spirituale premium pretextu modici commodi temporalis; sicque frequenter evenit, quod eisdem rebellibus, sub spe vestri favoris, temeritas malignandi prebetur audacior et major audacia rebellandi. Unde, cum predicti concives ponant in vestre devotionis gloria maculam, talium infidelium suscipiendo regimen vel eis taliter adherendo, universitatem vestram rogamus et hortamur attente, per apostolica vobis scripta precipiendo, mandantes quatinus omnes vestros concives, qui hujusmodi rectorias seu potestarias aut capitanias, quocumque nomine censeantur, in terris talibus receperunt, ab eis sine dilatione qualibet revocetis, et ut ab ipsis omnino recedant, districtione qua convenit, compellatis, nec permittatis ipsos vel alios vestros concives in eisdem terris hujusmodi recipere officia, si eis forsitan offerantur, preces et preceptum super hoc nostrum sic efficaciter impleturi, ut possitis a nobis de zelo prompte obedientie merito commendari, nec oporteat nos in hac parte aliter providere. Datum apud Urbemveterem, III idus novembris, anno III°. »

731 Orvieto, 11 novembre 1263.

Episcopo Ferrariensi mandat Bononienses inducat ut in praedicto negotio mandatis apostolicis obtemperent. (REG. 28, fol. 84 v°, ann. III, n° 17.)

» . . *episcopo Ferrariensi.* In decore fidei —. Datum ut supra. »

732 Orvieto, 17 novembre 1263.

Provisionem ecclesiae Tranensis sibi reservat. (REG. 28, fol. 84 v°, cur. ann. III, n° 18.)

« *Ad futuram rei memoriam.* Cum Tranensis ecclesia sit pastoris solatio destituta, nos cum fratribus nostris habuimus de ipsius ecclesie ordinatione tractatum et, collatione habita cum eisdem ipsorumque super hoc consiliis requisitis, dilectus filius frater Jacob[us] de ordine Predicatorum, tunc lector fratrum Urbevetanorum, ejusdem ordinis, exitit ad ipsius ecclesie regimen specialiter nominatus. Nos igitur, ipsius ecclesie provisionem et ordinationem nobis de potestatis apostolice plenitudine reservantes, districtius inhibemus ne per capitulum ecclesie predicte vel quoscumque alios, hac vice, ad provisionem ipsius ecclesie per electionem vel alias quomodolibet procedatur, et si secus presumptum fuerit, irritum exnunc decernimus et inane, provisuri, auctore Domino, de fratre predicto eidem ecclesie, sicut de nostre processerit beneplacito

voluntatis et viderimus expedire. Nulli ergo nostre reservationis, inhibitionis et constitutionis, etc. Datum apud Urbemveterem, xv kalendas decembris, anno III°. »

733 Orvieto, 20 novembre 1263.

Manfredo, Veronensi electo, Marchiae Anconitanae rectori, committit inquisitionem de Gerardo, episcopo Firmano. (Reg. 28, fol. 84 v°, cur. ann. III, n° 19.)

« *Manfredo, Veronensi electo, Marchie Anconitane rectori.* Actus nepharios venerabilis fratris nostri Gerardi, episcopi Firmani, fidedignorum nobis assertione relatos, nos compellit referre conscientia, licet invitos. Ipsorum etenim enormis horribilitas a talium relatione labia nostra retraheret, nisi hoc exigeret debitum officii pastoralis, cum oneri nobis injuncte administrationis incumbat maturiori consilio periculis obviare. Sane, sicut accepimus, idem episcopus, famam suam diversis sceleribus commaculare non metuens, presumptione dampnabili dehonestat in multis, quantum in eo est, episcopalis eminentie dignitatem, ita quod in tenebras conversum est lumen ejus, et oculi sui solum ad ima demissi, superioris aeris beneficium non admittunt. Ipse siquidem, inter alias abhominationes, quas in contumeliam Redemptoris et scandalum ecclesiastice professionis dicitur exercere, laborat incontinentie vitio, detinens publice concubinam, ex qua plures filios procreavit, et nichilominus cum Deo dicatis monialibus, quarum aliquas virginitatis flore privavit, sepius committit incestum. Idem etiam episcopus inter rectores qui fuerunt pro tempore in Anconitana Marchia pro ecclesia Romana, et fideles ipsius ecclesie in eadem Marchia malitiose seminavit zizaniam, cujus occasione tota patria, juxta ipsius episcopi desiderium, ab ejusdem ecclesie devotione recessit, adherendo Manfredo, quondam principi Tarentino, cujus nuntiis in predicta marchia idem episcopus dampnabiliter adherens, nuntiis ipsis equos et alia multa donavit, et interdum concessit pecuniam mutuo, pro stipendiariis contra eandem ecclesiam conducendis, et nichilominus commune civitatis Firmane et alios quamplures, ut in devotione ipsius Manfredi persisterent, dampnabili presumptione induxit, quamplures terras et possessiones ecclesie Firmane quibusdam indevotis predicte sedis et ejusdem Manfredi parti faventibus, in emphiteosim concedendo, in anime sue periculum, ipsius sedis injuriam et contemptum et devotorum predicte sedis non modicum prejudicium et gravamen. Prefatus insuper episcopus est aliis diversis criminibus irretitus, que Deum offendunt et homines scandalizant. Nos igitur attendentes quod hec que ad nos pervenerunt non levis insinuatione clamoris, si opere completa inveniantur, eo graviori sunt in eodem episcopo animadversione plectenda, quo ejusdem episcopi in tam eminentis dignitatis gradu constituti sunt graviores excessus, ac nolentes ista sub dissimulatione transire, ne incorrecta prestent aliis audaciam committendi pejora, discretioni tue mandamus quatinus ad aliqua loca, de quibus videris expedire et ad que secure accedere poteris, te personaliter transferrens, et habens pre oculis solum Deum, si famam predicti episcopi super premissis apud bonos et graves inveneris esse lesam, inquiras per fidedignos super hiis et aliis criminibus, de quibus eum inveneris similiter publice diffamatum, sollicite veritatem, que inveneris fideliter in scriptis redacta, nobis per aliquem fidelem nuntium transmissurus. In premissis autem committendi alii vices tuas, seu inquisitionem hujusmodi per te vel per alium seu alios faciendi, tibi plenam auctoritate presentium concedimus facultatem. Datum apud Urbemveterem, xii kalendas decembris, anno tertio. »

734 Orvieto, 10 décembre 1263.

Prohibet ne castra, feuda et possessiones, in Campania et Maritima, personis ex eis non oriundis donentur vel locentur. (Reg. 28, fol. 85, cur. ann. III, n° 20; Potthast 18735.)

« *Ad futuram rei memoriam.* Romane ecclesie, cujus regimini, licet immeriti, auctore Domino, presidemus, indempnitatibus precavere, ac prospero et tranquillo provincie Campanie Maritimeque statui, apostolica sollicitudine providere volentes, universis baronibus, militibus, civibus et generaliter omnibus utriusque sexus Campanie ac Maritime predictarum, unicuique videlicet baroni et baronisse sub mille, militi viro et mulieri de militari genere prodeunti, sub quingentarum, singulis autem civibus et aliis quibuscunque utriusque sexus, sub trecentarum librarum provenien. penis, auctoritate apostolica, districtius inhibemus ne castra, feuda, homines, vassallos, terras, domos, vineas aut possessiones alias, seu alia quecumque bona immobilia, sive jura ipsorum in partibus earundem Campanie vel Maritime consistentia, alicui vel aliquibus ecclesiasticis secularibusve personis, cujuscumque status, dignitatis, ordinis vel condicionis

existant, que non sint de eisdem Campania vel Maritima et exinde oriunde, et que etiam non sint de foro rectoris ejusdem provincie, vendere, distrahere, donare, permutare, locare aut ad censum vel emphyteosim dare, aut alio quocumque modo vel titulo alienare presumant. Nos ergo exnunc omnem contractum, si quem contra hujusmodi nostram inhibitionem fieri vel celebrari contigerit, irritum penitus, vacuum decernimus et inane, ac nullius prorsus existere firmitatis. Nulli ergo nostre inhibitionis et constitutionis, etc. Datum apud Urbemveterem, IIII idus decembris, anno tertio. »

735 Orvieto, 10 décembre 1263.

Episcopo Anagnino mandat quatenus praefatam constitutionem in omnibus castris et locis suae diocesis publicari faciat. (Reg. 28, fol. 85, ann. III, n° 21.)

« .. *episcopo Anagnino.* Romane ecclesie etc —. Datum ut supra. »

736 Orvieto, 10 décembre 1263.

Fuliginatibus mandat ne facientibus communantiam in praejudicium ecclesiae Romanae auxilium praestent. (Reg. 28, fol. 85, cur. ann. III, n° 22; Potthast 18736.)

« . . *potestati, consilio et communi Fuliginatibus, fidelibus nostris.* Cum, sicut intelleximus, homines diversorum locorum de montanis supra Fuliginum, a Palo superius versus Camerinum et Mevale constitutis, vestro favore suffulti, quandam communantiam facere seu stabilire proponant, nos, attendentes quod hujusmodi communantia, si, quod absit, fieret, in prejudicium Romane ecclesie suorumque jurium redundaret, ac nolentes id aliquatenus sustinere, universitati vestre, sub debito fidelitatis, quo nobis et ecclesie predicte tenemini, et pena quingentarum marcarum argenti, districte precipiendo mandamus quatenus, sicut nostram et apostolice sedis caram habetis gratiam, nullum predictis hominibus in hac parte prebeatis auxilium, consilium vel favorem, nullamque novitatem a loco qui dicitur Pali supra versus Mevale predictum facere presumatis; scituri quod, si secus presumpseritis, nos ad exactionem predicte pene et alias etiam contra vos et terram vestram durius et asperius, spiritualiter et temporaliter, prout expedire viderimus, auctore Domino, procedemus. Datum apud Urbemveterem, IIII idus decembris, anno III°. »

737 Orvieto, 10 décembre 1263.

Infrascripto mandat quatenus praedictam communantiam fieri non permittat. (Reg. 28, fol. 85, ann. III, n° 33.)

« . . *vicario in ducatu Spoletano dilecti filii Manfredi, Veronensis electi, capitanei et rectoris ejusdem ducatus et Marchie Anconitane.* Cum, sicut intelleximus —. Datum apud Urbemveterem, IIII idus decembris, anno III°. »

738 Orvieto, 4 décembre 1263.

Priori Praedicatorum et guardiano Minorum Reginis mandat inquirant contra G., abbatem monasterii s. Prosperi Regini, qui plurima beneficia nimis indigne suscepisse convincatur. (Reg. 28, fol. 85, cur. ann. III, n° 24; Potthast 18733.)

« . . *priori Predicatorum, et . . guardiano Minorum fratrum Reginensium.* Judicium apostolice sedis opinione fallente, ingratus filius G., abbas monasterii sancti Prosperi Reginensis plurima illius beneficia nimis indigne suscepisse convincitur, si sunt vera que nobis de ipsius ausu et ingratitudine referuntur. Ipsa enim sedes que passim omnes admittit ad ubera filiorum sibi faciem pretendentes, dictum G. benigne ad suam familiaritatem admisit, aggregando ipsum cappellanorum suorum honesto collegio, et inter illos eum, nonnullis prosequendo favoribus, et tandem ipsum per multa studia ad regimen predicti monasterii promovendo. Ipse vero, injuriam pro gratia et odium pro dilectione rependens, cum stare pro domo Domini una cum sede predicta contra pestilentes filios crederetur, in arcum pestilentie, ut dicitur, se convertit et nuntios ac fautores reprobi filii Uberti Pelavicini, una cum suis fautoribus per dictam sedem, exigentibus dampnatis suis excessibus, vinculo excommunicationis astricti, temere in prefatum monasterium intromisit, eis, pro illorum favore in suis pravis studiis obtinendo, ausu presumptuose temeritatis non solum participans, sed et favens. Cum igitur nolumus, sicut etiam nec debemus, tantam ipsius abbatis insolentiam connniventibus oculis pertransire, cum non sit conveniens relinqui persecutoribus vel eorum fautoribus pabulum devotorum, dictaque sedes, omnium fidelium pia mater, dulcedinis sue mammas digne subtrahat ab ingratis, discretioni vestre in virtute obedientie districte preci-

piendo mandamus quatinus ad monasterium ipsum, si permissi fueritis, personaliter accedentes, alioquin proposito in ecclesia Reginensi coram populo publice citationis edicto, prefatum abbatem ad vestram presentiam evocantes, inquiratis contra ipsum abbatem, sive venerit sive non, super eorundem nuntiorum et fautorum receptione, participatione ac favore predictis, de plano et sine judiciorum strepitu, veritatem; contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, et invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis; et que inveneritis, nobis per vestras, litteras, tenorem presentium continentes, quantocius transmittatis, prefixo eidem abbati, juxta premissum modum, termino peremptorio competenti, quo se apostolico conspectui personaliter representet, pro meritis recepturus. Diem autem prefixionis hujusmodi nobis per easdem vestras litteras intimetis. Non obstante indulgentia dicte sedis per quam fratribus ordinum vestrorum dicitur esse concessum, ut exequi negotia minime teneantur, que ipsis a sede committuntur eadem. Datum apud Urbemveterem, II nonas decembris, anno III°. »

739 Orvieto, 27 novembre 1263.

Episcopo Anagnino mandat quibus conditionibus Mathiam, civem Anagninum, Gregorii papae IX nepotem, et socios a sententia excommunicationis absolvere valeat. (Reg. 28, fol. 85 v°, cur. ann. III, n° 25.)

« . . *episcopo Anagnino.* Credimus tuam non latere notitiam qualiter olim processum extitit contra nobilem virum Mathiam, civem Anagninum, felicis recordationis Gregorii pape, predecessoris nostri, nepotem, propter offensam quam hactenus in castri Frusinonis depopulatione commisit. Intellecto igitur quod tu ob id ab eodem nobili pignora quingentarum librarum receperas, nos tibi dedimus nostris litteris in mandatis, ut, nisi dictus M. adhuc aliarum quingentarum librarum pignora, et nichilominus in mille libris tibi cautionem fidejussoriam exhiberet, ipsum et nonnullos, qui secum fuerunt in depopulatione predicta, cum fuerint propter hoc excommunicationis sententia innodati, excommunicatos publice nuntiares. Et quia idem nobilis exhibere pignora et cautionem hujusmodi non curavit, tu eum et alios, juxta mandatum nostrum, excommunicatos publice nuntiasti. Verum, quia prefatus nobilis, sicut accepimus, super hiis nostris et ecclesie Romane desiderat parere mandatis, fraternitati tue mandamus quatinus, si Lucas donne Toderanne, olim felicis recordationis Alexandri pape, predecessoris nostri, familiaris, Nichoaus Archillonis, et Paulus Seniorilis mercatores confiteri voluerint se habere ab eodem M. quingentas libras denariorum senatus vel pignora quingentarum librarum, et illa, nostro et ejusdem ecclesie nomine, retinere, ac obligare se personaliter quod illa nobis seu nuntio nostro liberaliter exhibebunt, quandocunque de nostre processerit beneplacito voluntatis, ita quod, computatis pignoribus, que tu habere diceris, cum aliis predictis, pignora mille librarum existant, et alias dictus M. cautionem fidejussoriam in mille libris tibi, nomine nostro, duxerit exhibendam, tu eundem M. et nobiles viros Thomasium et Balduinum, dominos de Supino, ac omnes alios, tam Anagninos quam Ferentinates, qui ob id excommunicati fuerunt ac denuntiati per te seu per venerabilem fratrem nostrum . . episcopum Ferentinatem, ab eadem sententia per te vel per alium absolvas, juxta formam ecclesie consuetam, ita quod prestent in presentia tua corporaliter juramentum, quod super premissis ipsius ecclesie ac dilecti filii nostri J., Sanctorum Cosme et Damiani diaconi cardinalis, Campanie Maritimeque rectoris, mandatis precise parebunt. Si vero prefati L., N. et P. haberi non possent, vel ipsi super hiis difficultatem ingererent, tu tres alios mercatores Anagninos, quos prudentia tua sufficientes et ydoneos esse cognoveris, et de quibus nobis sit plene cautum, nec de ipsis valeat aliquatenus dubitari, quin hujusmodi pignora quingentarum librarum ab eis habere possimus, quandocumque de nostro processerit beneplacito voluntatis, ab eodem Mathia recipias, sub modo et forma prescriptis, super quibus confici facias publica documenta. Quicquid autem inde feceris, nobis studeas tuis litteris fideliter intimare. Datum apud Urbemveterem, v kalendas decembris, anno III°. »

740 Ovieto, 23 octobre 1263.

Ut bene et honorifice recipiant magistrum Garinum Cathalaunensem, ad partes Hispaniae pro negotio imperii Constantinopolitani destinatum. (Reg. 28, fol. 86, cur. ann. III, n° 26.)

« *Universis archiepiscopis et episcopis, ac abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis, prepositis et aliis ecclesiarum prelatis et rectoribus, nec non capitulis, collegiis et conventibus ceterisque personis ecclesiasticis, exemptis et non exemptis, per regna Castelle et Legionis aliasque terras carissimo in Christo filio nostro .. illustri regi Castelle, in regem Romanorum electo, subjectas, constitutis.* Olim, dum

rumor horribilis de amissione civitatis Constantinopolitane nostrum percussit auditum, nostrique cordis intima doloris acuto telo confodit, nos, ex rumore hujusmodi veluti ex quodam terrifico sonitu vehementer attoniti, ex immensi acerbitate meroris, stupidos sensimus sensus nostros, devotas preces effundentes Altissimo, ut ecclesiam suam sanctam, quam ejus indignatio, continuis Christiani populi lacessita peccatis, in mutilatione membri tam nobilis flagellari permiserat, in tali articulo non relinquens, clementer ei sue consolationis porrigeret ubera nostreque aciem redderet circumspectionis attentam ad indagandum omnia per que tanto ipsi illato vulneri, de oportunis possemus remediis providere. Cumque noster propter hoc animus, urgentibus undique diversarum cogitationum fluctibus, estuaret, demum dolor plage hujusmodi nostris infixe visceribus ex amari cruentatione clamoris carissimi in Christo filii nostri Balduini, illustris Imperatoris Constantinopolitani, et aliorum quamplurium Latinorum exulantium de Constantinopolitano Imperio et ad nostram presentium accedentium, crudeliter extitit innovatus, et ejusdem ecclesie facies in aspectu tanti filii, in quo proh dolor! ob sinistrum dicte civitatis eventum, et si non dignitatis, potestatis tamen imperialis vigor emarcuit, magne confusionis et multe ignominie fuit rubore perfusa. Verum, quia ipsorum Grecorum superbia faventis temporis tumefacta suffragio, ad occupationem principatus Achaye ac adjacentium regionum, quas Latini inhabitant, in elationis spiritu propter hoc ferventius anhelabant, et in Latinorum ipsorum exitium effundebant rancorem, quem adversus eos jam in cordis utero diutius gestaverunt, diligentem in hac parte tractatum cum fratribus nostris habere curavimus super inveniendis remediis, quibus hujusmodi adversitatis eventibus posset occurri. Et tandem in hoc deliberatio nostra resedit ut, cum istud, tamquam fidei negotium, communiter omnes, et presertim ecclesiasticos viros tangat, eorum saltem ad conservandas ejusdem imperii reliquias implorare auxilium curaremus.

Et ideo, cupientes in hujusmodi negotio, quod Christianitatis augmentum, profectum fidei et Terre sancte tutelam respicit, vos ferventes haberi, ac grate subventionis dexteram per vos porrigi, pro hujusmodi reliquiis conservandis, dilectum filium magistrum Raymundum, canonicum Paphensem, cappellanum nostrum, ad vos cum apostolicis litteris propter hoc specialiter de ipsorum fratrum consilio duximus destinandum. Vos autem, presentientes ipsum pro predicto negotio ad partes Ispanie pervenisse, cum debueritis eum, ob nostram et apostolice sedis reverentiam, intuitu quoque tam pii negotii, et vidisse libenter et honorifice recepisse, ante quam vobis apostolicas super hoc litteras presentaret, in appellationis vocem ad sedem apostolicam prorumpentes, nuntios vestros ad nostram presentiam transmisistis, per eos nostro appellatui supplicantes ut, cum multa sustinuerint preteritis temporibus ecclesie vestre gravamina, ab hujusmodi subventionis onere relevaremus easdem. Nos autem, auditis hiis que dicti nuntii seu procuratores vestri, tam super predictis gravaminibus quam super aliis coram nobis et predictis fratribus proponere voluerunt, tanto majorem de hoc ammirationem in mente concepimus, quanto confidentius sperabamus vos invenire in adimplendis nostris circa hujusmodi negotium beneplacitis promptiores. Attendentes igitur quod hujusmodi appellatio in elusionem nostrorum precaminum et mandatorum et subterfugium ejusdem subventionis adinventa fuisse videtur, universitatem vestram monendam, rogandam attente duximus et hortandam, mandantes quatinus, attendentes provide quod predictorum Grecorum superbia sic jugiter invalescit quod, nisi predictis Latinorum reliquiis de celeri provideatur subventionis remedio, nequaquam ulterius subsistere vel resistere poterunt viribus et fraudibus eorumdem, considerantes etiam quod honori vestro nequaquam expedire dinoscitur a tante pietatis opere auxilii vestri manum sustrahere, ac afflictis vestre consolationis presidium denegare, hujusmodi negotio de vestris ecclesiasticis proventibus subventionem congruam tam pie quam libere providere curetis, scituri pro certo quod acceptius nobis erit et gratius id quod de bonis vestris, pro subventione hujusmodi, libenter duxeritis impendendum, quam si multo majora per coactionem, que meritum consuevit excludere, propter hoc solvere vos contingat. Et ecce quod dilecto filio magistro Garino, decano Cathalaunensi, cappellano et nuntio nostro, viro utique note prudentie et examinate virtutis, ac nobis et fratribus nostris merito sue probitatis accepto, quem ad partes Ispanie pro arduis ecclesie Romane negotiis misimus, duximus committendum ut, appellatione premissa nequaquam obstante, vobiscum super hoc tractatum habeat oportunum. Vos igitur, benigne recipientes eumdem et honorificentia condigna tractantes, in hiis que super premissis vobis ex parte nostra dixerit, firmam fidem adhibere illaque studeatis efficaciter adimplere. Datum apud Urbemveterem, x kalendas novembris, anno III°. »

741 Orvieto, 23 octobre 1263.

Magistro Garino mandat quatenus archiepiscopos, episcopos ceterosque praelatos regni Castellae et Legionis inducat ut negotio Constantinopolitani imperii de facultatibus suis subveniant. (Reg. 28, f° 86 v°, ann. III, n° 27.)

« *Magistro Garino, decano Cathalaunensi, capellano et nuntio nostro.* Olim dum rumor —. Datum ut supra. »

742 Ovieto, 19 décembre 1263.

Portuensi et s. Rufinae episcopo cardinali mandat quibus conditionibus Petrum Romani, civem Romanum, a sententia excommunicationis absolvere valeat. (Reg. 28, f° 86 v°, cur. ann. III, n° 28.)

« . . *Portuensi et sancte Rufine episcopo.* Cum nobilis vir Petrus Romani, civis Romanus, qui, occasione favoris olim impensi Manfredo, quondam principi Tarentino, vinculo est excommunicationis astrictus, peti fecerit instanter a nobis ut a vinculo hujusmodi eum faceremus absolvi, nos hujusmodi absolutionis negotium tibi fore providimus committendum, fraternitati tue mandantes quatinus circa eandem absolutionem infrascriptam formam et nullam aliam studeas observare, videlicet quod idem P. prestet, ante omnia, de stando mandatis ecclesie corporaliter juramentum, et fidejussoriam nichilominus cautionem, sub pena de qua videris expedire, cui mandabis, sub debito prestiti juramenti, quod deinceps dictum Manfredum non habebit nec assumet in senatorem seu dominum Urbis, neque assumi vel eligi procurabit, quinimmo ipsum habere volentibus vel assumentibus aut eligi procurantibus in senatorem vel dominum Urbis, nullum omnino favorem, consilium vel auxilium exhibebit, publice vel occulte, quodque ab ipso nec litteras nec nuntios neque munera magna vel parva recipiet neque mittet eidem, quandiu idem M. in excommunicatione lata contra ipsum per sedem apostolicam, duxerit persistendum, nec interim sibi prestabit in aliquo auxilium, consilium vel favorem. Insuper ab omnibus confederationibus, juramentis, promissionibus sive pactis quibus se ipsi M. vel aliis, ejusdem Manfredi occasione, hactenus obligavit, omnino recedet. Super hiis autem mandatis et acceptatione ipsius, que omnia fieri volumus in basilica Principis apostolorum de Urbe, rectoribus Urbis tecum personaliter existentibus, fieri facias et ad nos deferas publicum instrumentum. Ad hec vero omnia te procedere volumus, salvis aliis mandatis nostris que circa hoc ei viderimus facienda. Quibus, ut premissum est, rite peractis, eidem P. super hujusmodi excommunicationis sententia, juxta formam ecclesie, beneficium absolutionis impendas, faciens nichilominus absolutionem hujusmodi, quam ei secundum premissam formam duxeris impendendam, per omnes majores Urbis ecclesias extitisse sub eadem forma impensam ab eisdem rectoribus publice nuntiari. Datum apud Urbemveterem, xiiii kalendas januarii, anno III°. »

743 Orvieto, 22 décembre 1263.

Infrascripto mandat inquirat de excessibus Gerardi, Firmani episcopi, et quae invenerit, per fidelem nuntium transmittat. (Reg. 28, fol. 87, cur. ann. III, n° 29.)

« *M., Veronensi electo, ducatus Spoletani et Marchie Anconitane rectori.* Nuper, fama immo verius infamia clamante publica et clamore diffamante, ad nostrum pervenit auditum quod Gerardus, Firmanus episcopus, inter alias abhominationes quas in contumeliam Redemptoris et scandalum ecclesiastice professionis exercet, incontinentie laborat vitio, detinens publice concubinam, ex qua et aliis mulieribus plures filios procreavit, et nichilominus cum monialibus Deo dicatis, quarum aliquas virginitatis flore privavit, sepius committit incestum. Inter rectores etiam qui fuerunt pro tempore in Anconitana Marchia pro Romana ecclesia, et fideles ipsius ecclesie in eadem marchia malitiose seminavit zizaniam, cujus occasione tota patria ab ejusdem ecclesie devotione recessit, adherendo Manfredo, quondam principi Tarentino, cujus nuntiis in predicta marchia idem episcopus dampnabiliter adherens, nuntiis ipsis equos et alia multa donavit, et interdum concessit pecuniam mutuo pro stipendiariis contra eandem ecclesiam conducendis. Commune quoque civitatis Firmane et alios quamplures ut in ipsius Manfredi devotione persisterent induxit presumptione dampnabili, nonnullas terras et possessiones Firmane ecclesie quibusdam indevotis apostolice sedis et ejusdem Manfredi parti fautoribus in emphyteosim conducendo, in anime sue periculum, dicte sedis injuriam et contemptum ac devotorum ejusdem sedis non modicum prejudicium et gravamen, estque aliis diversis criminibus irretitus, que Deum offendunt et homines scandalizant. Nos autem, attendentes quod hec, si vera, essent eo graviori in eodem episcopo animadversione plectenda, quo

excessus ejusdem episcopi in tam eminenti dignitatis gradu constituti, graviores existunt, ac nolentes ista sub dissimulatione transire, venerabili fratri nostro .. Ostiensi et Velletrensi episcopo, oraculo vive vocis injunximus ut, eodem Firmano episcopo ad suam presentiam accersito, et recepto ab eo de veritate dicenda corporaliter juramento, inquireret ipsemet super premissis omnibus diligentius veritatem, et que inveniret, nobis fideliter referre curaret. Verum, quia dictus Firmanus episcopus interrogatus ab Ostiensi predicto, premissa omnia sub juramento negavit, nos omnino volentes super hiis reddi plenius certiores, discretioni tue mandamus quatinus dictum episcopum ad tuam evocans presentiam, ad aliqua loca de quibus expedire videris, et ad que secure accedere poteris, te personaliter conferens, et habens pre oculis solum Deum, inquiras per fidedignos, tam laicos quam clericos, seculares et etiam religiosos, sive Cisterciensis, Predicatorum, Minorum vel alterius cujuscumque sint ordinis, super premissis et aliis omnibus de quibus eum inveneris diffamatum, sollicite veritatem, omnes quorum ad hoc videris testimonium oportunum, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compellens veritati testimonium perhibere. Non obstante si eisdem vel aliquibus aliis ordinibus seu quibuscumque aliis personis a sede apostolica sit indultum, quod ipse ac eorum ordinum persone ad perhibendum testimonium in aliquibus causis vel inquisitionibus compelli aut excommunicari, suspendi vel interdici non possint per litteras apostolicas, non facientes de ipsorum ordinibus plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, seu alia qualibet ipsius indulgentia, per quam id impediri valeat vel differi; et que inveneris, in scriptis redacta fideliter, sub tuo sigillo ad nos per aliquem fidelem nuntium transmittere non postponas. Nos autem committendi super hujusmodi inquisitionis negotio alii vices tuas, seu inquisitionem eandem per te vel per alium seu alios faciendi, plenam tibi concedimus auctoritate presentium facultatem. Datum apud Urbemveterem, XI kalendas januarii, anno tertio. »

744 Orvieto, 23 décembre 1263.

Ut Recanatense commune, ad mandata ecclesiae rediens, in gratiam apostolicae sedis recipiat. (REG. 28, fol. 87, cur. ann. III, n° 30.)

« *M., Veronensi electo, Marchie Anconitane capitaneo.* Benigna mater ecclesia, pietatis ubertate fecunda et misericordie non oblita, sic erga filios materne dilectionis effundit ac dilatat affectum sicque delectatur in conversione peccantium quod illos etiam ad gratie sue gremium non aspernatur admittere, qui deceptiva suggestione delusi, ab illius unitate recedere vel eam provocare molestiis aut injuriis afficere presumpserunt. Decet enim ut ipsa clementi benignitate singulos affluat que preminet omnibus plenitudine potestatis. Licet igitur commune Racanatense veluti sub dampnabili vias impiorum orbitate secuti, filiali devotione postposita et fidelitatis debite federe non servato, adversariis dicte matris adheserint et ei graves contumelias irrogarint, ut tamen lapsis implorantibus veniam, quibus pernitiosi casus extremitas ruinam minari dinoscitur, manus apostolica presidii porrigatur, nos, de tua circumspectione plenam in Domino fiduciam obtinentes, discretioni tue mandamus quatenus dicto communi, ad ipsius mandatum ecclesie redeunti, pandens apostolice sinum mansuetudinis, vice nostra, ipsum ad gratiam apostolice sedis et nostram benigne recipias, condictionibus justis et honestis adhibitis, quas tua circumspectio viderit expedire quasque ratas habebimus et faciemus, auctore Domino, inviolabiliter observari. Quod si laudabilium operum exhibitione monstraverint nobis et eidem ecclesie se devotos ac fidei puritate sinceros, circa commodum et honorem, divina favente clementia, favorabiliter intendemus. Datum apud Urbemveterem, X kalendas januarii, anno III°. »

745 Orvieto, 17 janvier 1263.

De pace reformanda inter Pisanos et Lucanos. (REG. 28, fol. 87 v°, cur. ann. III, n° 31.)

« . . *potestati, . . capitaneo, consilio, et communi Lucanis.* Cupientes olim et firmiter gerentes in animo pacis negotium inter vos et Pisanos, auctore Domino, reformande, quantumcumque retardationis et impedimenti dispendia senserit, nequaquam deserere, sed illud, divina nobis assistente clementia, promovere constanter et efficaciter, si hoc ex alto daret Omnipotens consummare, nostris vobis sub certa forma dedimus litteris in mandatis ut, infra unum mensem a data litterarum hujusmodi computandum, sollempnes ambassatores seu nuntios, homines videlicet pacis et concordie zelatores, habentes plenum a vobis super

hujusmodi pacis et concordie reformatione mandatum, quibus vestre super hoc intentionis propositum exprimeretis finaliter, ad nostram presentiam mitteretis, ad consummationem dicti negotii effectualiter processuros. Prediximus quoque vobis quod nos . . potestati, . . capitaneo, antianis, consilio et communi Pisanis mandatum simile feceramus. Vos autem, hujusmodi nostris receptis litteris, ydoneos syndicos, juxta mandatum nostrum, cum mandato plenario, tanquam devotionis filii, infra hujusmodi terminum, destinastis, super quo vestre obedientie promptitudinem dignis in Domino laudibus attollendam fore decrevimus et condignis gratiarum actionibus prosequendam. Sed, quia nullus ex parte civitatis Pisane comparuit syndicus seu etiam procurator, nos, propter communis Pisani contumaciam, nolentes a tanti boni prosecutione desistere, predictis antianis iterato per alias nostras injungimus litteras ut, infra dominicam Septuagesime proximo venturam, sollempnes ambassatores seu syndicos habentes ab eis et ab eorum communi, et per rescriptum, et oretenus etiam, plenum sufficiensque mandatum, ad compositionem et pacem hujusmodi vobiscum, juxta nostrum arbitrium, favente Domino, faciendam, et ad nostra super hoc mandata efficaciter adimplenda, sublata qualibet difficultate, transmittant. Cum igitur predictos syndicos vestros, ne ipsorum apud predictam sedem mora interim eis in tedium verteretur, ad propria eis ad hoc instantibus remittamus, universitatem vestram monemus, rogamus et hortamur attente, mandantes quatinus, infra predictam dominicam Septuagesine, ipsos eosdem vel alios ydoneos syndicos, cum mandato simili, ad nostram presentiam destinetis, ita quod tantum bonum remanere per vos nullaque difficultatis seu dilationis dispendia recipere videatur, nosque expertam et probatam devotionis vestre constantiam condignis laudum preconiis efferamus. Datum apud Urbemveterem, XVI kalendas februarii, anno III°. »

746 Orvieto, 17 janvier 1263.

De pace inter Pisanos et Lucanos reformanda. (Reg. 28, fol. 87 v°, cur. ann. III, n° 32.)

« *Antianis civitatis Pisane spiritum consilii sanioris.* Licet pro pace inter Pisanam et Lucanam civitates, auctore Domino, reformanda, sepe sepius laboraverimus, ac post vos et nuntiis et litteris clamaverimus, ut ab indevotionis invio quo inceditis, per devotionis tramitem ad sinum matris ecclesie rediretis, nostrique hactenus steriles labores abierint et clamores, quia tamen ad civitatem vestram specialem, sicut scire vos credimus, gessimus ab olim et gerimus dilectionis affectum, labores pro tanto bono adicere laboribus et clamores clamoribus superaddere non cessamus, ut vos saltem nostra importunitate devicti, nostris in hac parte pareatis beneplacitis et mandatis. Ecce siquidem Lucanus populus tam castri Mutronis, quam cujuslibet alterius questionis, que inter vos et ipsos vertitur, negotia, parati sunt in nostris libere et precise et sine aliqua condicione ponere manibus, quod, sicut nostis, hactenus facere noluerunt, suosque propter hoc syndicos, cum mandato plenissimo, ad nostram presentiam destinarunt; qui etiam syndici ad hoc ut cujuslibet cavillationis suspicio de quorumvis mentibus auferatur, offerunt se jurare paratos, quod simpliciter ad hoc faciendum ad sedem apostolicam accesserunt quodque nullum, oretenus vel per litteras, contrarium habent in hac parte mandatum. Cumque nos super hoc dilectum filium Clericum, juris civilis professorem, concivem vestrum, requireremus, ipse nobis expresse respondit quod vos jam revocaveratis omne mandatum et omnem quam super hoc habuerat potestatem; et ideo nos, videntes vos in periculoso tam animarum quam corporum statu, longo jam tempore, constitutos, de salute vestra nullatenus cogitare, ac gerentes ob hoc ad vos paterne compassionis affectum, vosque retrahere exhortationis paterne funiculo a casu perpetuo, ne corruatis irreparabiliter, cupientes, providentiam vestram, quam in exequendis nostris beneplacitis paratam invenire speramus et promptam, cum omni fiducia duximus requirendam, monendam, rogandam, attentius et hortandam, mandantes quatinus, attendentes provide quod ad maximum vobis cedet honorem, si, dum estis in summo et fortuna vobis arridet, pacem cum predicto populo et concordiam duxeritis reformandam, considerantes etiam quod honestius et decentius vobis erit, si, apostolica sede nostraque persona, que illi, auctore Deo, presidet, et que vos tenerrime diligit, mediante, hujusmodi pacis negotium consumetur, sicut divinam et nostram caram habetis gratiam, infra dominicam Septuagesime proximo venturam, sollempnes ambassatores seu syndicos habentes a vobis et communi vestro, et per rescriptum et oretenus etiam, plenum sufficiensque mandatum, ad compositionem et pacem hujusmodi cum dicto populo, juxta nostrum arbitrium, favente Domino, faciendam, et ad nostra super hoc mandata efficaciter adimplenda, sublata difficultate qualibet,

transmittatis; ita quod tantum bonum nulla per vos dilationis detrimenta suscipiat, nosque exinde dulcia dicte sedis ubera uberius et affectuosius vobis. vestris exigentibus meritis, porrigamus. Ut autem in hujusmodi negotio possit utilius et commodius, Deo annuente, procedi, nulla interim, hujusmodi pacis durante tractatu, dicte civitati Lucane guerrarum dispendia inferatis, sed armorum strepitus conquiescant, hostiles arceantur incursus et precipites bellorum impetus refrenentur. Datum ut supra. »

747 Orvieto, 10 janvier 1264.

Fratrem Bartholomeum de Amelia monet ut Guiscardo de Petrasancta, rectori Patrimonii, assistat praesidio favoris. (Reg. 28, fol. 88, cur. ann. III, nº 33.)

« *Fratri Bartholomeo de Amelia, ordinis Minorum, inquisitori heretice pravitatis Romane provincie.* Volentes personam aliquam ecclesiasticam, industriosam et fidelem, in fulcimentum regiminis dilecti filii nobilis viri Guiscardi de Petrasancta, rectoris patrimonii B. Petri in Tuscia, in eodem patrimonio deputare, te, de cujus circumspectione ac prudentia plenam in Domino fiduciam obtinemus, ad hoc specialiter duximus eligendum, discretioni tue mandantes quatinus eidem rectori efficaciter presidio favoris assistens, in eos qui sibi suoque regimini contradictores fuerint et rebelles, censuram ecclesiasticam studeas exercere, ita quod, spirituali gladio afferente suffragium temporali, dictus nobilis commissum sibi regimen utilius et commodius exequi valeat, ad laudem et gloriam divini nominis et honorem ecclesie ac totius provincie statum prosperum et tranquillum. Nos enim sententiam quam rite in hujusmodi rebelles tuleris, super quo plenam tibi concedimus auctoritate presentium potestatem, ratam habebimus et faciemus, etc., usque observari. Datum apud Urbemveterem, IIII idus januarii, anno tertio. »

748 Sans date.

Michael Palaeologus, imperator Graecorum, papae suam notam facit voluntatem ecclesiam Orientalem ecclesiae Romanae reducendi. (Reg. 28, fol. 88, cur. ann. III, nº 34.)

« *Venerabili patri patrum, beatissimo pape veteris Rome, patri Imperii nostri, domino Urbano, sacrosancte et apostolice sedis summo pontifici, divina voluntate et providentia majoris* (sic), *moribus et vita et doctrina coram Deo et hominibus reverendo, Michael, in Christo Deo fidelis Imperator et moderator Romeorum, Ducas, Anglus, Commianos, Paleologus ac novus Constantinopolitanus, salutem et reverentiam filialem cum competenti fidei christiane honore et divorum canonum.* In omnibus orationibus nostris vestram, licet indigni, et vestrorum fratrum sancte matris ecclesie ad Deum filiali affectione memoriam facimus, quatinus septiformi gratia Dei Parácliti, qua totum corpus ecclesie coadunatur, compaginatur, sanctificatur et Deo Christo, suo legitimo sponso, conformatur, in presenti mereamini adimpleri, sicut princeps omnium sacerdotum, illamque gratiam per vos ad nos et omnia membra sancte matris ecclesie, cujus caput est Christus, per suam virtutem ipse celitus destinare dignetur, in futuro vero cum beatissimis verticibus chori apostolorum, videlicet Petri et Pauli, a pastorum pastore Christo Deo, qui propter nos beneplacuit sibi sicut ovis occidi, vos dignos faciat coronari. Per presentes quidem litteras sacrosancte vestre Paternitati et vestrorum fratrum discrete dilectioni notificamus quod, transactis temporibus, beate memorie Imperatorum, predecessorum nostri Imperii, multotiens legati et nuntii hinc et inde directi fuerunt ad componendam pacem, unitatem, et gratiam reuniende in Christo Deo ecclesie, quam pravi et scismatici presules dilaceraverunt, et hii medicamen aliquod non portarunt, sed magis ac magis predicte ecclesie scisma et discordia creverunt, propter sermonis divine scripture non puram expositionem, et divorum sacrorum dogmatum, que in libris sanctorum patrum non continebantur declarationem sinceram; et predicti nuntii immediate loqui ad invicem ignorabant sed eorum colloquium per illos qui in medio stabant interpretes, non existentes sufficientes in scientia nec potentes amborum capere intellectus, cum recte ac vere non potuissent exponere et in palam reducere ambarum ecclesiarum dogmata, ad centrum veritatis et normam vere fidei pervenire minime potuerunt; et sic odium fraternum, extinctivum amoris fraterni et obnubativum rationis vere fidei, ad lites et contentiones, ad superbiam et contumaciam nec non ad strepitum armorum et sanguinum effusionem, et ad omnem injustitiam juris divini et divorum canonum semper crevit. Et hec quidem erant miserrima et lacrimarum digna bene scientibus et salutem earum desiderantibus animarum, propter brevitatem temporis hujus seculi, quod, post presentis vite transitum, ad comparationem perpetui et infiniti seculi, pro nichilo reputatur.

Cumque, quarto anno nostri Imperii primo pre-

terito, vox letitie ab occidente cor nostrum tetigerit et insonuerit auribus nostris, que animi nostri accendit affectum, quod a patria et origine gentis nostre, Romeorum generationis, divina gratia planta proveniens, et de viventi viridario transplantata et ad ortum similem inserta sancte matris Romane ecclesie, atque litteris sacris et scientia divine scripture, et dogmatibus utriusque ecclesie adornata, et inspiratione sanctissimi spiritus animata et augmentata, ad fructum odoris perveniens, ad Imperium nostrum se transportavit, Nicholaus videlicet, venerabilis presul Citthronensis, de quo per multorum relationes virorum venerabilium, veritatem dicentium, sensimus ipsum esse Dei cultorem diligentem, et catholice fidei discretum, et verum predicatorem, et in omnibus sermonibus sue fidei, sine personarum acceptione zelatorem reuniende communis nostre matris ecclesie, sine falsitate utriusque partis verum dispensatorem divine Scripture, et que sunt sanctorum patrum bene expositorem. Cui, tertio anno nostri Imperii, tranquillitatis animi nostri litteras direximus, rogantes eundem quatinus amore Dei, patrie et omnium nostrum clandestina (*sic*), ad majestatis nostre presentiam personaliter se conferret, ut ex ore ipsius veritatem fidei, quam confitetur sancta et catholica Romana Dei ecclesia et doctrinam divinarum scripturarum, quam ad eruditionem proponit ipsa Romana ecclesia, et formam vestri divini sacramenti, immediate greco audiremus sermone, necnon hauriremus vestram et vestrorum fratrum plenariam voluntatem. Ipse autem, Dei spiritu motus, in hac yeme preterita, in vigiliis Dei Christi Nativitatis, ad Imperium nostrum accessit; quo viso letati fuimus ac si sancte Paternitatis vestre faciem videremus. Qui omnia que sunt vere fidei per ordinem reseravit, que recte percepimus et, corde et animo illustrati, invenimus sanctam Dei ecclesiam Romanam non alienatam a nobis in divinis sue fidei dogmatibus, sed ea fere nobiscum sentientem et concantantem. Predictus namque presul ejusdem ecclesie doctrinam et sanctorum patrum ejus, videlicet sancti Silvestri pape, Damasi, Celestini, Agathonis, Adriani, Leonis majoris et junioris, Gregorii dialogi, Ylarii Pictavensis, Ambrosii Mediolanensis, Augustini Yponensis Africe, Jeronimi, Fulgentii et aliorum expositiones et dogmata recte fidei reseravit nostro Imperio, sicut isti sancti exposuerunt predicta. Que invenimus concordantia sermonibus sanctorum patrum ejus, videlicet Athanasii Alexandrini, Basilii Cesaris (*sic*) et Capadocie, Gregorii magni theologi, Gregorii Niceni, Johannis Crisostomi cum utroque Cirillo, et similia sapientes omnino, que cum omni fide purissima percepimus, veneramur, credimus et tenemus, nec non et omnia sacramenta ejusdem ecclesie Romane veneramur, effectum credentes habere ea in animabus justis que Deo couniuntur et conjunguntur ac confirmantur. Ceterum, vestram sanctam Paternitatem rogamus quatinus, sicut princeps omnium sacerdotum et universalis doctorum catholice ecclesie, sollicitetis continua promptitudine ad reuniendam eandem ecclesiam amodo, cui loco beati Petri Deus precipue vos prefecit, quia jam et nostram tranquillitatem ad hoc peragendum paratam Sanctitas vestra habet. Ipsi matri nostre ecclesie, super omnia et per omnia matri mee ecclesie, supervenienti totius corporis catholice ecclesie, omnes gentes et patriarchales sedes, extento divina potentia brachio nostri Imperii, ac omnes nationes ad devotionem, obedientiam et amorem ejusdem ecclesie nostri tranquilli Imperii potentia subjugabitur.

Quare dictum presulem, cum presentibus litteris fidei nostre catholice non ficte, sed ex bona conscientia et animo Dei amore accenso, ad vestram sanctam, reverendam Paternitatem remittimus, ut ipse omnia que apud nos et una nobiscum, et nos cum eo protulimus et ordinavimus, ac nostram voluntatem et propositum vestris sacris auribus oretenus reseret, Deo dante. Quocirca, in Domino supplicamus vestre beate affectioni quatinus eundem, cum aliis discretis et sanctis viris, suffultis et premunitis legatis vestre sancte et apostolice ecclesie, ad nostrum Imperium revocetis, ac celeriter remittat ad nostrum Imperium Paternitas vestra sancta, qui nobis plenarie vestram voluntatem et affectionem referent, et una nobiscum omnia que sunt vere fidei, reuniende ecclesie opere infallibili valeant percomplere. Nam Imperium nostrum omne propositum animi nostri Sanctitati vestre hactenus multotiens presentavit. Remanet ergo totum negotium ad discretionem vestre piissime Sanctitatis, et exinde de cetero Imperio nostro in Dei testimonio accusatio aliqua non potest opponi. »

749 Orvieto, 13 janvier 1263.

Decernit modum celebrandi officia divina in terris strictissimo interdicto suppositis, ad quas Manfredus, quondam princeps Tarentinus, ejusque asseclae pervenerint. (Reg. 28, fol. 89, cur. ann. III, n° 35; Potthast 18779.)

« *Ad certitudinem presentium et memoriam futurorum.* Dudum felicis recordationis Alexander papa, prede-

cessor noster, primo, et nos postmodum civitates et loca plurima Manfredo, quondam principi Tarentino, ac Uberto, marchioni Palavicini, et aliis ecclesie persecutoribus, contra salutem propriam, adherentia, loca etiam ad que dictus Manfredus, Riccardus Casertanus, et Thomas Acerrarum comites, ac Galvanus et Fredericus Lancea fratres devenire contingeret, quandiu ibi forent, districtissimo ecclesiastico supposuimus interdicto. Sed quia nonnulli archiepiscopi, et episcopi, abbates, priores aliique prelati et religiosi ac clerici, et alie quamplures persone utriusque sexus a sede apostolica, et per litteras et oretenus, sibi postmodum obtinuere concedi ut, non obstantibus hujusmodi interdicti sententiis, liceret eis, sub certa forma, in certis ecclesiis sive locis eidem interdicto suppositis, celebrare ac audire divina, nos, ut interdictum ipsum artius servaretur, in octavis festivitatis beati Martini proximo preterite, presente tunc fidelium multitudine copiosa, omnes concessiones hujusmodi, quocumque modo et sub quacumque forma factas a sede predicta, omnesque litteras et indulgentias cunctaque privilegia super hoc ab ipsa obtenta, totaliter auctoritate apostolica duximus revocanda, universis Christi fidelibus, cujuscumque status, ordinis, condicionis, honoris et dignitatis existerent, eadem auctoritate, sub pena excommunicationis, districtius inhibentes ne, hujusmodi concessionum seu alio quocumque pretextu, contra earundem sententiarum interdicti tenores, in aliquibus ecclesiis sive locis, eidem interdicto subjectis, divina officia celebrare vel audire quomodolibet attemptarent. Hoc autem ideo fecimus ut locorum homines eorundem, tanti saltem consideratione discriminis, ad ecclesie redirent humiliter unitatem. Verum, quia ipsi, malitiis propriis excecati et in suis defixi fecibus, nec ex antidoto medicinali salutem nec ex vexatione recipiunt intellectum, nos, nolentes ulterius, ob eorum nequitiam, personas ecclesiasticas inter eos degentes, divinis officiis penitus defraudari, de fratrum nostrorum consilio, eisdem personis ecclesiasticis indulgemus ut in collegiatis ecclesiis secularibus, in civitatibus et locis hujusmodi constitutis, clericis ecclesiarum ipsarum, et in religiosorum conventibus fratribus religionis ejusdem penitentie, Eucharistie, extreme quoque unctionis sacramenta recipere, voce summissa, clausis januis, non pulsatis campanis, interdictis et excommunicatis et personis omnibus aliis, cujuscumque condicionis aut sexus, exclusis, divina officia liceat divisim vel insimul celebrare. A generalitate tamen excludendorum excepimus tam religiosas personas quam seculares clericos viatores, quos et in religiosorum et secularium clericorum ecclesiis admitti permittimus ad divina, in procinctu itineris constitutos, vel infra diem tertium recessuros. In monasteriis etiam monialium et laicorum religiosorum, tam Humiliatorum quam aliorum, civitatum et locorum hujusmodi Domino famulantium, licebit eisdem monialibus suum vel alienum, ad celebranda divina, cum duobus honestis clericis vocare vel admittere sacerdotem. Conversi quoque monasteriis servientes ipsarum, divinis officiis poterunt interesse cum ipsis. Preterea venerabiles fratres nostros .. patriarchas, archiepiscopos et episcopos, ad loca hujusmodi declinantes, illius uti volumus privilegio libertatis, quod episcopis, in favorem pontificalis officii, constitutio concilii generalis indulsit. Actum apud Urbemveterem, idus januarii, anno III°. »

750 Orvieto, 25 décembre 1263.

Magistro Miloni mandat assignet magistro Gualoni sex millia marcarum sterlingorum de bonis Senensium publicatis. (Reg. 28, fol. 89, cur. ann. III, n° 36.)

« *Magistro Miloni, scriptori nostro et in regnis Francie et Anglie nuntio.* Meminimus nos tibi per nostras sub certa forma dedisse litteras in mandatis ut, cum nos usque ad decem milia marcarum sterlingorum de bonis Senensium, de fratrum nostrorum consilio, duxerimus publicanda, sex milia marcarum a debitoribus eorundem Senensium, cujuscumque status, ordinis, condicionis, dignitatis et honoris iidem debitores existerent, integre colligere illasque procuratori seu procuratoribus communis civitatis Lucane assignare curares, in utilitatem ipsius communis, prout foret expediens, convertenda, certa tibi forma, sub qua hujusmodi exigere ac recolligere deberes pecuniam, in eisdem nostris litteris limitata. Te igitur eandem eis non solvente pecuniam, fuit ex parte dicti communis nobis humiliter supplicatum ut providere in hac parte ipsis de benignitate solita curaremus. Verum, quia dictum commune certam nobis cautionem, priusquam dictam pecuniam recipiat, tenetur facere, sicut olim inter nos et ejus ambassatores extitit ordinatum, nosque dilecto filio magistro Gualoni, notario nostro, apostolice sedis legato, nostris sub certa forma demus litteris in mandatis, ut hujusmodi cautionem ab eodem communi recipiat, vice nostra, quia volumus in hac parte et ejusdem communis satisfacere votis et debi-

tam circa Romanam ecclesiam observare cautelam, hujusmodi sex milia marcarum predicto magistro Gualoni ideo assignanda fore providimus ut, postquam dictam cautionem receperit, eandem pecuniam in defensionem civitatis predicte convertat —. Ideoque mandamus quatinus predicta sex milia marcarum nuntio vel procuratori predicti magistri Gualonis, habenti ab eo super hoc speciale mandatum, sublato cujuslibet obstaculo difficultatis, assignes, circa assignationem hujusmodi illam formam que in prioribus nostris continetur litteris, totaliter servaturus. Contradictores etc. Datum apud Urbemveterem, VIII kalendas januarii, anno III°. »

751 Orvieto, 24 décembre 1263.

Magistro Gualoni mandat recipiat a magistro Milone, de bonis Senensium publicatis, sex millia marcarum sterlingorum, in defensionem civitatis Lucanae convertenda. (Reg. 28, fol. 89 v°, cur. ann. III, n° 37.)

« *Magistro Gualoni, notario nostro, apostolice sedis legato.* Meminimus nos dilecto filio magistro Miloni, scriptori nostro et in regnis Francie et Anglie nuntio, per nostras sub certa forma litteras injunxisse, ut in superiori proxima, verbis competenter mutatis, usque limitata. Eodem igitur magistro Milone hujusmodi eis non solvente pecuniam etc., usque curaremus. Verum, quia olim, dum de concessione ipsius pecunie ageretur, inter nos et ambassatores Lucanos extitit concorditer ordinatum quod dictum commune cautionem sufficientem nobis et ydoneam exhiberent, ut ad requisitionem nostram hujusmodi nobis pecuniam restituere tenerentur nos, volentes et ejusdem communis in hac parte satisfacere votis, et debitam circa indempnitatem Romane ecclesie observare cautelam etc. usque contra eam. Ideoque mandamus quatinus, recepta a predicto communi sufficienti et ydonea cautione super restitutione dicte pecunie, nobis et Romane ecclesie facienda, confici facias exinde publicum instrumentum, illud nobis per proprium nuntium fideliter transmissurus. Quibus, ut decet, rite peractis, ad predictum magistrum Milonem tuum procuratorem vel nuntium, cum sufficienti mandato, qui ab eo predicta sex milia marcarum tuo recipiat nomine, destinare procures. Nos eidem magistro Miloni nostris injungimus litteris ut procuratori seu nuntio tuo pecuniam ipsam, sublato cujuslibet obstaculo difficultatis, assignet. Tu ergo, eadem recepta pecunia, illam studeas conservare, et, si contigerit adversarios dicte civitatis impugnare illam, exercitu congregato, pecuniam ipsam in defensionem ejusdem civitatis convertas sicut videris expedire. Circa receptionem vero predicte cautionis, sic diligens, providus et circumspectus existas, quod predicta ecclesia nequaquam de hoc circumventa remaneat, tuque non possis de negligentia vel improvidentia reprehendi. Datum apud Urbemveterem, VIII kalendas januarii, anno III°. »

752 Orvieto, 25 janvier 1264.

Eidem mandat ut praedictam marcarum sterlingorum summam salvare ac conservare studeat, si commune civitatis Lucanae in fide Romanae ecclesiae claudicare compertum sit. (Reg. 28, fol. 89, v°, cur. ann. III, n° 38.)

« *Eidem.* Intelleximus, licet id credere vix possimus, quod commune civitatis Lucane ferventem habet cum . . vicario in Tuscia Manfredi, quondam principis Tarentini, tractatum de civitate ipsa ejus dominio summittenda. Volumus igitur et presentium tibi auctoritate districte precipiendo mandamus quatinus habeas in hac parte oculos apertos et aures intentas, et si forte perpenderis eos in fide Romane ecclesie claudicare, ac fore per ipsos tractatum hujusmodi consumandum, tu sex milia marcarum sterlingorum, que assignari tibi vel tuo procuratori seu nuntio, tuo nomine, a dilecto filio magistro Milone, scriptore nostro et nuntio in Francie et Anglie regnis, pro ipsius civitatis defensione, mandamus, taliter salvare ac conservare procures, quod quicquam de pecunia hujusmodi ad manus ipsius communis pervenire non possit, cum non esset conveniens ecclesiam eidem communi dare sagittas, quibus eadem fortius lederetur. Datum apud Urbemveterem, VIII kalendas februarii, anno III°. »

753 Orvieto, 13 février 1264.

Episcopo Bethleemitano suas in Urbe vices committit in spiritualibus. (Reg. 28, fol. 90, cur. ann. III, n° 39.)

« *.. episcopo Bethleemitano.* Romanus pontifex et si —. Datum apud Urbemveterem, idus februarii, anno III°. »

754 Orvieto, 16 février 1264.

Omnia acta in civitate Ostiensi a Riccardo Petri Anibaldi, vel ipsius nomine facta, cassat et irritat. (REG. 28, fol. 90, cur. ann. III, n° 40.)

« *Ad futuram rei memoriam.* Cum venerabilis frater noster H., Ostiensis et Velletrensis episcopus, ejusque predecessores a Romana ecclesia, que omnium ecclesiarum est domina et magistra, civitatem Ostiensem in feudum, a tempore cujus non extat memoria, usque ad hec tempora tenuerint et possederint pacifice et quiete, nos, indignum et absonum reputantes quod nobilis vir Riccardus Petri Anibaldi, civis Romanus, in eadem civitate, in ipsius episcopi prejudicium, dominatur, eundem Riccardum frequenter et diligenter moneri fecimus ut civitatem ipsam, quam contra Deum et justitiam occupavit et detinuit per duos annos et amplius, et adhuc detinet occupatam, prefato episcopo restitueret, ac de fructibus, medio tempore perceptis ex illa, de dampnis quoque et injuriis eidem episcopo irrogatis, satisfactionem plenariam exhiberet. Quod quia idem nobilis facere non curavit, pluribus et diversis eum excommunicationum sententiis duximus innodandum et excommunicatum fecimus publice nuntiari. Demum vero, idem nobilis, aliquorum forsan devictus instantia, personaliter ad nos venit et, petens humiliter ab eisdem sententiis se absolvi, optulit se paratum civitatem predictam, cum edificiis et fossatis et aliis meliorationibus quas se fecisse asserebat ibidem, prefato episcopo vel alii, juxta nostrum beneplacitum, assignare ac omnia, que in eadem civitate ipsiusque territorio a Romanis vel aliis quibuscumque personis emerat, vendere et extra manus suas ponere seu in aliquas personas non suspectas sine dilatione transferre, nec non et universitati civitatis ejusdem ac singulis ex eadem omnia servitia et redditus, que sibi exibere promiserant, cum integritate remittere ac totaliter quietare, prestito nichilominus corporaliter juramento de parendo alias nostris precise mandatis, que sibi super premissis semel aut pluries faceremus, seque ad id sub pena mille marcarum argenti, datis fidejussoribus, obligavit.

Nos igitur, sperantes quod idem nobilis ea que tam sollempniter, prestito juramento, promiserat, adimpleret, dilectos filios .. archipresbyterum Ostiensem, et Leonardum, canonicum Reatinum, nuntios nostros ad eum duximus destinandos, ut ipsum que optulerat, facientem per se vel per alium seu alios, a dictis excommunicationum sententiis absolverent, juxta formam ecclesie, vice nostra, jure Ostiensis ecclesie ac mandatis nostris, que alias ei super hiis pro quibus excommunicatus fuerat, pensatis qualitate facti et aliis circumstantiis, vellemus facere, semper salvis. Cumque predicti nuntii se paratos offerrent eum absolvere, dummodo predicta que promiserat, adimplere curaret, idem nobilis, sue salutis immemor, prestiti juramenti religione contempta, non solum eandem restituere noluit civitatem et absolutionis beneficium recipere non curavit, verum etiam, sicut idem episcopus nobis retulit, nonnullis ejusdem civitatis hominibus, vaccarum armenta et boves plurimos, jumenta et pullos, quibusdam vero magnam quantitatem frumenti et certas pecuniarum summas, aliquibus autem omnia bona eorum, predictis nuntiis nostris presentibus, in nostram et apostolice sedis injuriam, violenter auferre presumpsit, ab aliquibus vero quasdam domos et possessiones inibi, simulato contractu, comparavit in fraudem, in ejusdem episcopi non modicum prejudicium et gravamen.

Nos itaque, predicti episcopi et ecclesie Ostiensis super hoc indempnitalibus apostolica sollicitudine precavere volentes, omnes condempnationes factas et penas inflictas et banna imposita, omnesque sententias latas per eundem nobilem in quoscunque habitatores civitatis ejusdem, a tempore quo fuit in ipsum excommunicationis sententia promulgata, cunctosque processus quos per nobilem ipsum adversus ejusdem civitatis habitatores deinceps, contumacia ipsius durante, haberi contigerit, necnon et omnes hujusmodi emptiones domorum seu possessionum aliarumve rerum, instrumenta quoque super hiis confecta et conficienda, viribus omnino carere ac nullam prorsus obtinere decernimus firmitatem. Notarios vero seu tabelliones et judices, qui scientes dictum nobilem excommunicatum, super premissis aliqua instrumenta conficere, et auctoritatem hujusmodi contractibus presentialiter prestare, ac hujusmodi ferre sententias presumpserunt et presument in posterum, tabellionatus et judicatus officiis in perpetuum apostolica auctoritate privamus. Nulli ergo nostre constitutionis et privationis etc. Datum apud Urbemveterem, xv kalendas martii, anno III°. »

755 Orvieto, 15 février 1264.

Nonnullas profert sententias in Ricardum Anibaldi, civitatis Ostiensis invasorem. (REG. 28, fol. 90 v°, cur. ann. III, n° 41.)

« *Consilio et communi Tiburtinis.* Cum venerabilis frater noster H., Ostiensis et Velletrensis episcopus, ejusque predecessores etc., ut in superiori proxima usque prejudicium et gravamen. Cum igitur indecens sit penitus et indignum ut homo tam perfidus, perjurus, perversus atque protervus, totque excommunicationum sententiis irretitus, fidelium presideat gubernaculis populorum, universitatem vestram monemus, rogamus et hortamur attente, mandantes quatenus eundem nobilem, quem in vestrum comitem seu rectorem elegisse et assumpsisse dicimini, a civitatis vestre regimine, nisi infra octo dies post receptionem presentium, eidem episcopo plenarie satisfecerit, repellentes ac ei vel ejus vicario nullatenus intendentes, vobis de alio comite seu rectore ydoneo et ecclesie Romane devoto providere curetis. Alioquin, venerabili fratri nostro . . episcopo Tiburtino, litteris nostris injungimus ut civitatem vestram ecclesiastico interdicto supponens, faciat interdictum hujusmodi usque ad satisfactionem condignam, appellatione remota, inviolabiliter observari. Contradictores etc. Datum apud Urbemveterem, XVI kalendas martii, anno III°. »

Orvieto, 19 février 1264.

In eundem modum . . episcopo Tiburtino. Cum venerabilis frater noster H., Ostiensis et Velletrensis episcopus, etc. ut in superiori proxima, verbis competenter mutatis, usque providere procurent. Ideoque fraternitati tue mandamus quatinus, si dicti consilium et commune mandatum nostrum super hoc neglexerint adimplere, tu eandem civitatem Tiburtinam ecclesiastico interdicto supponens, facias interdictum hujusmodi etc. usque observari. Contradictores etc. Datum apud Urbemveterem, XII kalendas martii, anno III°.

Orvieto, 17 février 1264.

In eundem modum rectoribus Romane fraternitatis. Cum venerabilis frater noster H., Ostiensis et Velletrensis episcopus, etc., ut in prima, usque prejudicium et gravamen. Nos igitur, nolentes ejusdem nobilis contumaciam tam tenerariam et superbam ulterius tolerare, discretioni vestre, in virtute obedientie et sub pena excommunicationis, districte precipiendo mandamus quatinus predictum nobilem, singulis diebus, pulsatis campanis et candelis accensis, et vos ipsi in ecclesiis vestris excommunicatum publice denuntietis, et faciatis per cunctas Urbis ecclesias nuntiari et ab omnibus artius evitari. Contradictores etc. Datum apud Urbemveterem, XIII kalendas martii anno III°.

Orvieto, 11 février 1264.

In eundem modum nobili viro Riccardo Petri Anibaldi, civi Romano, spiritum consilii sanioris. Cum venerabilis frater noster H., Ostiensis et Velletrensis episcopus, etc. ut in prima, verbis competenter mutatis usque prejudicium et gravamen. Volentes igitur experiri adhuc utrum aliqua in te devotionis scintilla remanserit, que apostolicis excitata monitis, in debitum resurgat caritatis ardorem, nobilitatem tuam monemus, rogamus et hortamur attente per apostolica tibi scripta districte precipiendo mandantes quatinus hec que nobis circa restitutionem ejusdem civitatis et alia premissa, tua nobis obtulit promptitudo, saltem ob divinam et nostram reverentiam totaliter adimplere procures, ita quod non oporteat nos contra te tuosque fidejussores duros et asperos promulgare processus, sed videntes et recognoscentes te nostris in hoc beneplacitis coaptari, dulcia sedis apostolice ubera, que domus tua sub diversitate temporum, in multorum beneficiorum perceptione jam suxit, affectuosius tibi, tuis exigentibus meritis, porrigamus. Datum apud Urbemveterem, III idus februarii, anno III°. »

756 Orvieto, 11 février 1264.

Archiepiscopo Januensi mandat quibus conditionibus commune Januense a sententia excommunicationis absolvere valeat. (Reg. 28, fol. 91, cur. ann. III, n° 42.)

« . . *archiepiscopo Januensi.* Dudum, intellectis persecutionibus que in favorem Paleologi scismatici, per naves, galeas et alia vasa civium Januensium, dilecto filio nobili viro, Guillelmo de Villarduino, principi Achaye, devotissimo utique matris ecclesie filio, ac suis et vassallorum ac fidelium suorum terris inferebantur et insulis, nos . . potestatem, consilium et commune civitatis Januensis monendos, rogandos attente duximus et hortandos, nostris eis sub certa forma districte dantes litteris in preceptis, ut omnes naves et galeas cunctaque vasa eorum, que ad partes Romanie sive sub ipsorum sive sub ejusdem scismatici stipendiis destinaverunt, de terris et insulis predictorum principis, vasallorum atque fidelium et specialiter de insula Nigripontensi penitus revocarent, ac facerent et curarent quod amirati, prepositi ceterique naute et bellatores navium, galearum et vasorum ipsorum exinde cum ipsis navibus, galeis, et

vasis, sublata qualibet mora et difficultate, recederent, eosdemque principem, vassallos et fideles ipsorumque terras et insulas, et presertim eandem Nigripontensem insulam non offenderent, nec, quantum in eis foret, paterentur offendi, nullumque ipsi scismatico suisve subditis et bellatoribus et etiam guarnimentis, sicut alias fecerant, ad easdem terras et insulas preberent transitum vel conductum. Ipsi vero, hujusmodi nostris receptis litteris et perlectis, auditis etiam monitis que venerabilis frater noster . . archiepiscopus Turritanus, ad eos propter hoc destinatus a nobis, eorum super hoc auribus frequentius inculcavit, licet verbis non ostenderint se nostris in hac parte preceptis et predicti archiepiscopi monitis parituros, factis tamen postmodum, tamquam illi in quorum mentibus ecclesie Romane reverentia naturaliter est impressa, quantum ad galearum et navium revocationem, evidentius ostenderunt, cum omnes galeas et naves ipsorum, que in predicti tyrampni servitiis morabantur, ad prefatam civitatem revocasse dicantur. Super quo eos eorumque industriam et circumspectionem dignis in Domino laudibus attollendam fore decrevimus et condignis gratiarum actionibus prosequendam. Verum, quia ex parte . . potestatis, consilii et communis predictorum fuit nobis humiliter supplicatum ut, cum ipsi mandata apostolica, quo ad revocationem navium, galearum et vasorum hujusmodi, duxerint efficaciter adimplendum, sententiam interdicti in predictam civitatem, occasione favoris exhibiti per eos scismatico supradicto, apostolica auctoritate prolatam, relaxare de benignitate solita curaremus, nos, cupientes ipsos ad antiquam ipsius sedis devotionem totaliter revocari, fraternitati tue mandamus quatinus dictos potestatem, consilium et commune sollicite ex parte nostra requiras, eisque apostolica auctoritate districte precipias, ut memoratum principem ejusque vassallos et fideles, ipsorum terras et insulas, et presertim predictam Nigripontensem insulam, non offendant nec offendi, quantum in eis fuerit, patiantur, nullumque dicto scismatico suisve subditis bellatoribus et etiam guarnimentis ad easdem terras et insulas transitum prebeant vel conductum, prout superius est expressum. Quod si dicti potestas, consilium et commune requisiti a te, hoc voluerint efficaciter adimplere, et pro hiis bona fide implendis et observandis, se coram te astrinxerint juramento, et obligaverint se tibi recipienti vice nostra, sub ydoneis et sufficientibus pecuniariis penis, de quibus videris expedire, ac se et civitatem eorum penis privationis archiepiscopalis dignitatis ac privilegiorum concessorum eis a sede predicta, omniumque bonorum suorum sponte subjecerint, tu, postquam ipsi hujusmodi juramentum et obligationem plene prestiterint, seque hujusmodi privationi submiserint, et confecta fuerint super hiis publica instrumenta, sententiam interdicti in predictam civitatem, occasione favoris exhibiti per eos scismatico supradicto, dicte sedis auctoritate prolatam, sublata qualibet difficultate, relaxes, et nichilominus ipsos auctoritate nostra diligentius moneas et inducas ut, infra sex menses post hujusmodi monitionem tuam, a confederatione prefati scismatici omnino recedant, ac dissolvant omnes conventiones, pactiones, promissiones, societates, et colligationes cum eo initas, etiam si fuerint juramento vallate, a quo utique juramento, cum sit iniquitatis vinculum, apostolica eos auctoritate absolvimus et decernimus absolutos. Taliter igitur mandatum super hoc apostolicum cum omni diligentia exequaris, ut possis a nobis de zelo prompte obedientie non immerito commendari. Datum apud Urbemveterem, III idus februarii, anno III°. »

757 Orvieto, 29 février 1264.

Ildebrandino, comiti Tusciae palatino, mandat ut capi et ad papam transmitti faciat Jacobum et Tancredum de Bisentio, Guiscardi de Petrasancta, rectoris Patrimonii, occisores. (Reg. 28, fol. 91 v°, cur. ann. III, n° 43.)

« *Nobili viro Ildebrandino, comiti Tuscie palatino.* Fili, scire te credimus qualiter illi viri sanguinum Jacobus et Tancredus et quondam Nicolaus, nati quondam Guicti de Bisentio, manifesti Romane ecclesie proditores, postposito fidelitatis debito, quo nobis et eidem tenebantur ecclesie, crimen lese majestatis committere non verentes, in quondam Guiscardum de Petrasancta, rectorem Patrimonii beati Petri in Tuscia, cum quibusdam suis satellitibus hostiliter irruerunt et ipsum diris lacessitum injuriis, effosum gladiis et lanceis impetitum, inhumaniter prostrantes in terram, exuta prorsus humanitatis mansuetudine, — crudeliter trucidarunt, non ejus generi, non virtutibus, non meritis neque proprio domino deferendo. Nec ignoras, qualiter iidem proditores, hiis non contenti, dum idem Guiscardus jaceret in terra, plagis superimpositis, semivivus, ipsum reaggressi sunt iterum, et caput a corpore, ut sue plenius nequitie satisfacerent, abscidentes, etiam tertio in eum insiliere jam mortuum, et corpus exanime cruentis manibus laniantes, bestiali feritate, cor a corpore et linguam

a capite separarunt, in nostrum et ipsius ecclesie majus obproprium, provincie scandalum et perniciosum detestabilis proditionis exemplum. Videat igitur et attendat tue circumspectionis industria si tanti facinoris tanteque proditionis auctores receptaculum habere debeant in terris fidelium populorum, si christianorum, quamtumcumque ecclesie predicte rebellium, debeat eis favor impendi, qui tante confusionis obprobrio ejusdem ecclesie faciem resperserunt. Verum, quia ad audientiam nostram, non sine amaritudine multa, pervenit, quod predicti Jacobus et Tancredus, hujusmodi patrato facinore, in terram tuam, et etiam in castra dominorum de Manciano, et de Capalbio et aliorum quorumdam vassallorum tuorum se fiducialiter transferentes, ibidem refugium et auxilium invenerunt, nos, tanto de hoc vehementius admirantes, quanto firmius sperabamus te debere persequi omnes predicte inimicos ecclesie, sed specialiter prefatos sceleratissimos proditores, nobilitati tue per apostolica scripta sub debito fidelitatis quo nobis et ecclesie predicte teneris, districte precipiendo, mandamus quatinus predictos Jacobum et Tancredum diffidans in personis et in rebus, ipsos, si in terris tibi tuisque vassallis subjectis poterunt inveniri, personaliter capere ac ad nos sub fida custodia destinare procures; et nichilominus predictos dominos de Manciano et de Capalbio, ac alios vassallos tuos, qui eos post predictum facinus receptarunt, ut nobis et predicte ecclesie, matri tue, de tanta in hoc illata nobis injuria plenarie satisfaciant, et ydoneam nobis exhibeant cautionem quod nunquam illos in posterum receptabunt, per privationem castrorum et feudorum, que in tuo comitatu obtinent, et alias etiam, prout videris expedire, compellas, ita quod ex hoc evidenter appareat, quantum ipsius ecclesie zelaris honorem, nosque tuo fidelitatis et devotionis quam in hoc ostendes, promptitudinem in libro illabilis memorie conscribentes, letemur te nobis in hoc invenisse fidelem, ac jura nobis et ipsi ecclesie filialis reverentie reddidisse. Datum apud Urbemveterem, II kalendas martii, anno III°. »

758 Orvieto, 28 février 1264.

Infrascriptis mandat inhibeant ne diocesani sui per Campaniam et Maritimam matrimonia ineant cum baronibus regis Siciliae aliisque sub tyrannide Manfredi, quondam principis Tarentini, morantibus, sub pœna excommunicationis et amissionis omnium bonorum. (Reg. 28, fol. 91 v°, cur. anni III, n° 44, Potthast 18810.)

« . . *episcopo Anagnino*. Cum homines regni Sicilie, sub Manfredi, quondam principis Tarentini, Romane persecutoris ecclesie, tyrampnide constituti, eandem ecclesiam, una cum ipso persecutore offendant multipliter et molestent, nos, nolentes ut fideles nostri de Campania et Maritima eisdem hominibus per matrimonialis copule commercium quomodolibet misceantur, ne, pretextu ipsius copule, quicquam possit in dicte ecclesie prejudicium procurari, fraternitati tue per apostolica scripta, in virtute obedientie, districte precipiendo, mandamus quatinus, sine mora qualibet, universis baronibus et militibus seu de militari genere procreatis, et quibuslibet aliis tue civitatis et diocesis, sub debito fidelitatis quo nobis et ecclesie predicte tenentur, et sub excommunicationis et amissionis omnium bonorum suorum que habent in terris ipsius ecclesie, penis, quas eo ipso incurrant, si contra hujusmodi inhibitionem venire temptaverint, auctoritate nostra per te vel per alium seu alios firmiter inhibere procures, ne cum hominibus dicti regni seu quibuscunque aliis in regno ipso sub dicti Manfredi favore morantibus, undecumque sint, de suis aut illorum filiis, seu filiabus, sive nepotibus, seu neptibus aut sororibus matrimonium contrahere quoquomodo presumant. Manifeste predicens eisdem quod, si secus presumpserint, preter id quod pro ecclesie predicte proditoribus habebuntur, ad occupationem predictorum bonorum procedi proculdubio faciemus. Volumus autem ut de inhibitione hujusmodi confici facias publica instrumenta, illa nobis fideliter transmisurus. Nomina vero illorum qui secus presumpserint, nobis studeas intimare. Datum apud Urbemveterem, II kalendas martii, anno III°. »

In eundem modum . . episcopo Ferentinati.
In eundem modum . . Alatrino [episcopo.]
In eundem modum . . episcopo Verulano.
In eundem modum . . episcopo Terracinensi. »

759 Orvieto, 29 février 1264.

Infrascriptis mandat ut omnes illos suae civitatis qui in regnum Siciliae stipendia Manfredi, quondam principis Tarentini, contra Romanam ecclesiam suscepturi, accesserunt, personaliter capiant, domos eorum diruant et bona confiscent. (Reg. 28, fol. 92, cur. anni III, n° 45 [1].)

1. Potthast (n° 18812) indique une bulle analogue adressée, à la même date, à la ville de Terracine.

« . . *potestati, consilio et communi Verulanis, fidelibus nostris.* Res incredibilis, res nova et insolita et ab antique Campane fidelitatis actibus aliena, ad nostrum nuper pervenit auditum, que, licet nequeat in credulitatem nostre mentis ascendere, animum tamen nostrum amaritudine nostrosque sensus gelido quodam stupore replevit. Intelleximus etenim quod nonnulli milites et pedites de Campania, volentes ponere maculam in veteri, immo tam inveterata, gloria Campanorum, in regnum Sicilie stipendia Manfredi, quondam principis Tarentini, contra Romanam ecclesiam, eorum matrem et dominam, ipsius fideles et devotos ecclesie suscepturi, accedere presumpserunt, ex quo, si hoc verum esset, patria vestra gravi respergeretur infamia, totaque illa regio, que stabili semper fidelitate prefulsit, videretur jam propter illorum nefarias presumptiones, ne dicamus proditorias, infidelitatis contagiis obfuscari. Et ideo nos, nolentes tante temeritatis excessum in illis, si qui hoc attemptaverunt jam vel deinceps attemptaverint, relinquere impunitum, universitati vestre per apostolica scripta, sub debito fidelitatis quo nobis et ecclesie predicte tenemini, et pena mille marcarum argenti, districte precipiendo mandamus quatinus omnes illos de terra vestra, qui ad predictum regnum taliter accesserunt aut de cetero accesserint, cum occulti vel ignoti vobis esse non possint, personaliter capere, ac sub arta detinere custodia, quousque de ipsis aliter disponamus, et domos ipsorum ex toto diruere, nec non bona eorudem omnia confi[s]care, omni dilatione, difficultate ac excusatione cessante, sicut nostram et apostolice sedis caram habetis gratiam, sollicite procuretis, procedentes eodem modo contra barones et alios nobiles similis culpe reos, quantum ad domos et bona eorum que in terra vel districtu vestro consistunt, quorum etiam personas, si eos ad terram vestram venire contingat, nichilominus capiatis. Scituri pro certo, quod si nostrum non impleveritis efficaciter in hac parte preceptum, merito vos, quorum fidelitatem in hoc experiri specialiter volumus, tante illorum nequitie conscios seu participes reputabimus, et predictam penam solvi nobis plenarie faciemus. Et ecce venerabili fratri nostro.. episcopo Verulano, litteris nostris injungimus ut ipse diligentiam vel negligentiam vestram super hoc nobis studeat fideliter intimare. Datum apud Urbemveterem, II kalendas martii, anno tertio. »

In eundem modum . . episcopo Verulano. Nos incredibilis etc. verbis competenter mutatis, usque quorum etiam personas nichilominus capiant, si eos ad terram ipsam redire contingat. Ideoque fraternitati tue per apostolica scripta in virtute obedientie districte precipiendo mandamus quatinus diligentiam sive negligentiam, quam iidem rector, consilium et commune habuerint in hac parte, nobis studeas fideliter intimare, ac insuper Verulanos illos necnon barones et nobiles et alios tue civitatis et diocesis, qui propter hoc in predictum regnum ire attemptaverunt vel attemptaverint, cum vix aut numquam tibi esse possint incogniti, per eandem civitatem et diocesim excommunicatos nominatim ac publice nunties et nuntiari sollempniter facias, et ab omnibus artius evitari, eorum nobis nomina sub tuo sigillo fideliter transmissurus. Datum ut supra. »

760 Orvieto, 26 février 1264.

Infrascriptis mandat ut, papae regisque Francorum desideriis obtemperantes, praeceptoriam ordinis in regno Franciae, fratri Americo de Rupe committant. (REG. 28, fol. 92 v°, cur. anni III, n° 46.)

« . . *magistro et conventui Militie Templi Jerosolimitani.* Zelum paterne caritatis —. Sane carissimus in Christo filius noster . . rex Francie illustris, tanquam princeps catholicus, supra pectus sedis apostolice dilectionis prerogativa recumbens, precipuis favoribus ab eadem sede promeretur attolli et a vobis ac ceteris, Deum et Romanam ecclesiam reverentibus, honorari. Hic est enim orthodoxe fidei validus propugnator, hic matris ecclesie precipuus advocatus, hic defensor eximius ecclesiastice libertatis, hic ecclesiarum protector assiduus, religiosorum benivolus amator et placidus, velut ipsi Deo peramabilis, et in regalium virtutum exercitio fervidus operator. Specialiter autem multa vos et ordinem vestrum affectione prosequitur, et qui ab omnibus ex clementi sua bonitate diligitur, specialiter de fidelitatis vestre probitate confidit vestraque devotio locum grandem sibi vendicat apud eum. Digne igitur ipsum plenis studiis honorare tenemini, digne ad gratiarum sibi actiones assurgere ac eum laudis magnificare preconio, cum vos pre ceteris amicos sibi fidos elegerit et super eo non sine precum rogavit instantia, ubi vestris deberet precibus preveniri. Ipse nempe, considerans quod nonnumquam per ipsius ordinis in Francia preceptores, qui solent esse pro tempore, multa ipsius regis magna et ardua negotia fideliter et utiliter agebantur, ac considerans quod dilecto filio, fratri Americo de Rupe, viro utique sibi

noto, viro de cujus specialem gerit meritis et fidelitate fiduciam, hujusmodi preceptorie in partibus illis officium committatis, vos super hoc fiducialiter precibus interpellat, prout nobis per suas litteras intimavit, instans nichilominus, ut circa id studeamus interponere partes nostras. Ideoque universitatem vestram rogamus et hortamur attente, mandantes quatinus, pensantes provide quanta propter eundem fratrem, in ipso constitutum officio, vobis et eidem ordini, tam per sedem apostolicam quam per ipsum regem, poterunt commoda provenire, attendentes etiam, quod magna pars facultatum et reddituum vestrorum in regno dicti regis et sub dominio consistet ejusdem, propter quod expedit ac interesse vestra dinoscitur, eum habere benivolum, suamque vobis munificentiam vendicare, ut manuteneantur et protegantur per eum hujusmodi facultates et redditus ac etiam augeantur, beneplacitis nostris et precibus dicti regis prompte et liberaliter annuere, ac memorato fratri hujusmodi preceptorie officium, sicut caram habetis gratiam nostram et benivolentiam regis ejusdem, absque difficultatis obstaculo, committere procuretis, sic mandatis apostolicis devote parentes vestreque devotionis promptitudinem votis regiis conformantes, quod tam a nobis quam ab ipso mereamini commendari cum plenitudine gratiarum, et aliud super hoc non oporteat consilium adhiberi. Datum apud Urbemveterem, v kalendas martii, anno III°. »

761 Orvieto, 5 mars 1264.

Opizoni, marchioni Estensi, de morte avi Azonis condolet eumque hortatur ut illum in devotione erga ecclesiam imitetur. (Reg. 28, fol. 92 v°, cur. anni III, n° 47; Potthast 18816.)

« *Nobili viro Opizoni, marchioni Estensi.* Fili, gustavimus amaritudinis calicem, intimato nobis obitu quondam Azonis, marchionis Estensis, avi tui, sue pure devotionis celebri hactenus opinione conspicue recordantes quam dum in mente revolvimus, reputamus in ipso precordialem sedis apostolice filium perdidisse, cujus inclita merita circa proprie fidelitatis constantiam et honorem ac exaltationem matris ecclesie laudabilium operum exercitio claruerunt. Ne igitur in conspectu eorum quos dilexisse comperitur, nomen ejus videatur periisse cum carne, nos, sperantes quod nature dotes in te copiosius profluxerunt, et quod tu, veluti gemellus ex radice sincera progrediens, fructus amabiles virtutibus adherendo produces, ac habentes eundem marchionem memorie quasi vivum, in te, nepote ac herede ipsius, per gratiosi favoris exhibitionem ostendere, Deo annuente, proponimus affectum habitum circa illum, presertim cum, sicut accepimus, idem marchio personam tuam sub nostra et dicte sedis protectione reliquerit, ac tibi quod fideliter in ecclesie devotionem persistas, in ultima preceperit voluntate. Tu ergo, fili, de transitu marchionis ejusdem in illo in cujus manu mors et vita consistunt, spiritum consolationis assumens, circa procurandam exaltationem ecclesie, in qua non modicum suscipit robur fortitudinis status tuus, ejusdem avi vestigia studeas imitari, ita quod ex tuis devotis actibus, evidenter appareat quod memoratum marchionem eadem ecclesia non amisit, sed idem marchio in te vivere potius reputetur. Nos enim gratie nostre zelum quem ab avo produximus, tanto libentius propagare intendimus ad nepotem, quanto devotius nostre sinceritatis affectum conspicua ipsius avi servitia meruerunt. Ceterum, dilectam in Christo filiam nobilem mulierem . . relictam marchionis ejusdem, tibi propensius commendantes, rogamus et volumus ut ipsam, ob predicti avi memoriam et reverentiam prefate sedis et nostram, condigna reverentia studeas honorare, ita quod amara sue viduitatis desolatio per tue dulcis consolationis remedium leniatur; tuque merearis exinde celestis remunerationis plenitudine ac apostolice benedictionis gratia copiosius preveniri. Datum apud Urbemveterem, III nonas martii, anno III°. »

762 Orvieto, 26 février 1264.

Infrascriptos hortatur ut Opizonem, marchionem Estensem, foveant et in defendendis ecclesiae juribus contra rebelles praesto sint. (Reg. 28, fol. 93, cur. ann. III, n° 48; Potthast 18808.)

« *Nobili viro . . duci et communi Venetorum.* Gustavimus amaritudinis calicem, intimato nobis obitu quondam Azonis, marchionis Estensis, sue pure devotionis etc., ut in superiori usque claruerunt. Ex hoc profecto, nec mirum, in vobis etiam doloris debet causa consurgere, cum prosperum statum vestrum dilexerit fueritque stabili vobiscum, ut credimus, unanimitate conjunctus. Propterea, ne in conspectu eorum quos dilexisse comperitur, nomen ejus videatur periisse cum carne, nos et vos tenemur eum habere memorie quasi vivum, ac in dilecto filio, nobili viro Opizone, nepote ac herede ipsius, per gratiosi favoris exhibitionem ostendere affectum habitum erga illum, maxime cum nepotem ipsum sub nostra et dicte sedis

protectione reliquerit, ac eidem quod fideliter in ecclesie devotione persistat, in ultima, sicut accepimus, preceperit voluntate. Nos igitur, sperantes quod nature dotes in eundem nobilem profluxerunt, et quod ipse, veluti gemellus ex radice sincera progrediens, fructus amabiles, virtutibus adherendo, producet; quia vos una cum multis aliis de Lombardia, Marchia Tervisina et Romaniola, ecclesie Romane devotis, predicto marchione rebus humanis exempto, eundem Opizonem capitaneum et defensorum fidelium ipsius ecclesie unanimiter, sicut intelleximus, statuistis, offerentes vos promptos, expositos et paratos ad impendendum sibi contra ejusdem hostes ecclesie, qui sui sunt inimici, oportunum consilium, auxilium et farorem, nos animorum vestrorum super hoc promptitudinem dignis exinde in Domino laudibus fore decrevimus attollendam, universitatem vestram rogantes attentius et hortantes quatinus id quod circa eundem O. laudabiliter inchoastis, constantibus animis prosequentes, ac habentes ipsum ejusque negotia, ob reverentiam apostolice sedis et nostram, propensius commendata, sibi contra ipsos hostes favorabiliter assistatis, ita quod, eo vestris adjuto presidiis, suscipiat robur fortitudinis status ejus, idemque avi libentius imitando vestigia, se posseque suum ad exaltationem vestre civitatis semper exponere teneatur, nosque sinceritatem vestram condignis exinde gratiarum actionibus prosequamur. Datum apud Urbemveterem, v kalendas martii, anno tertio. »

In eundem modum . . potestati, consilio et communi Ferrariensibus.

In eundem modum . . potestati, consilio et communi Mantuanis.

In eundem modum . . potestati, consilio et communi Paduanis.

In eundem modum . . potestati, consilio et communi Ariminensibus.

In eundem modum . . archiepiscopo Ravennatensi.

In eundem modum capitaneis partis devotorum ecclesie in Mutina.

In eundem modum capitaneis partis devotorum ecclesie in Parma.

In eundem modum capitaneis partis devotorum ecclesie in Bononia.

In eundem modum capitaneis partis devotorum ecclesie in Regio. »

763 Orvieto, 4 mars 1264.

Riccardum Annibaldi hortatur ut, infra certum terminum peremptorium, sub poena excommunicationis, episcopo Ostiensi de Ostiensi civitate satisfacere procuret. (Reg. 28, fol. 93, cur. ann. III, n° 49.)

« *Nobili viro Riccardo Petri Annibaldi, civi Romano, spiritum consilii sanioris.* Cum venerabilis frater noster H., Ostiensis et Velletrensis episcopus, ejusque predecessores a Romana ecclesia, que omnium ecclesiarum est domina et magistra, civitatem Ostiensem etc., prout habetur in sententia lata pro ipso episcopo, retro, folio tertio, capitulo XL, verbis competenter mutatis, usque adimplere curares, tu non solum eandem restituere civitatem, ut absolutionis beneficium reciperes, non curasti, etc., usque gravamen. Volentes igitur experiri adhuc utrum aliqua in te devotionis scintilla remanserit, que apostolicis excitata monitis, in debitum resurgat caritatis ardorem, nobilitatem tuam monemus, rogamus et hortamur attente, per apostolica tibi scripta districte precipiendo mandantes quatinus memoratam civitatem, cum edificiis et fossatis omnibusque tuis vel aliis meliorationibus quibuscumque, dimittere libere prefato episcopo et restituere, ac, nomine ipsius, dicto archipresbytero, adhuc vice nostra parato te facientem nostrum absolute mandatum, absolvere, cujuslibet sublato difficultatis obstaculo, infra octo dies post susceptionem presentium, assignare, de injuriis atque dampnis plenarie satisfacere supradictis, penas quoque, quas te non est dubium incurrisse, post dictum nobis per te prestitum juramentum, persolvere, terras, domos et alias possessiones quascumque in civitate predicta vel ejus territorio, a die qua dictam intrasti civitatem, vel ante, usque in hodiernum diem emisti per te vel personas interpositas, vendere sive dare aut permutare seu quovis alio modo aliis alienare personis Deo et ecclesie Ostiensi gratuitis et predicto episcopo non suspectis, cuncta de manibus tuis a maximo usque ad minimum ponens, et in posse transferrens a tuo penitus alienum, redditus ad hec et servitia, que tibi promissa fuere, promittentibus prorsus remittere universis, animalia insuper cujuslibet speciei et generis, bladum, pecuniam et alia cuncta bona hominibus supradictis per te, presertim presentibus nuntiis nostris prefatis, ablata, integre restituere, vel, si forte non extent omnia, congruum pro non extantibus pretium resarcire, dampna nichilominus et interesse, que proinde incurrerunt, ipsis etiam emendare, et tam a civitate predicta finaliter, quam eisdem bonis, terris, possessionibus, redditibus et quibusli-

bet juribus temetipsum ac tuos perpetuo alienos, ob divinam et nostram reverentiam, totaliter reddere, infra quindecim dies post susceptionem presentium, quos tibi pro termino assignamus peremptorio, non postponas. Alioquin, te extunc excommunicationis sententie quam exnunc in te ferimus, si premissa et eorum quodlibet implere neglexeris, usque ad satisfactionem condignam, decernimus subjacere, alias contra te, auctore Domino, taliter processuri, quod tua edomata protervia sanis, velis nolis, consiliis acquiesces, cum ferro precidenda sint vulnera, que lenium fomentorum non sentiunt medicinam. Tu autem provideas ne oporteat nos contra te tuosque fidejussores duros et asperos habere processus, sed videntes et recognoscentes te nostris in hoc beneplacitis coaptari, dulcia sedis apostolice ubera, que domus tua sub diversitate temporum in multorum beneficiorum perceptione jam suxit, affectuosius tibi, tuis exigentibus meritis, porrigamus. Datum apud Urbemveterem, v nonas martii, anno III. »

Orvieto, 4 mars 1264.

« In eundem modum . . episcopo Bethleemitano, vicario nostro in Urbe. Cum venerabilis frater noster, H., Ostiensis et Velletrensis episcopus, etc. ut in superiori, verbis competenter mutatis etc., non sentiunt medicinam. Quocirca mandamus quatinus, nisi dictus R., infra predictos quindecim dies, adimpleverit omnia supradicta, extunc eum per omnes Urbis ecclesias et aliarum civitatum ac locorum, prout videris expedire, singulis diebus dominicis et festivis, pulsatis campanis et candelis accensis, usque ad satisfactionem condignam, excommunicatum publice nunties et per alios facias et ab omnibus artius evitari, illam et alias omnes sententias et processus contra ipsum et ejus fautores sibique participes, occasione premissorum, latas et habitos, ubi et quando expedire videris, per te et alios publicando ac faciendo inviolabiliter observari, nec non contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Invocato ad hoc etc. Datum apud Urbemveterem, IIII nonas martii, anno III°. »

764 Orvieto, 7 mars 1264.

Processus et sententia lata contra Jacobum, Tancredum et quondam Nicolaum de Bisentio, Wiscardi de Petrasancta, rectoris Patrimonii, nefarios occisores. (Reg. 28, fol. 93 v°, cur. ann. III, n° 50.)

« *Ad perpetuam rei memoriam.* Novi flagitii noviter —. Ecce namque, committentibus nobis olim quondam Wiscardo de Petrasancta, militi Mediolanensi, viro utique fide ac devotione preclaro, prudentia predito et in grandium agendorum executione probato, curam et regimen Patrimonii beati Petri in Tuscia, ut sub ejus vigilantia et studio Patrimonium ipsum proficeret et gauderet, cum idem, qui sicut diutius exercitatus in talibus, plene noverat quid expediebat quidque pertinebat ad officium congrui et oportuni regiminis, dictum patrimonium sollicita industria laudabiliter gubernaret, quia Jacobus, natus quondam Guitti de Bisentio, perditionis filius, anxius humani sanguinis et iniquitatum amator, nonnullis offensis Romanam provocabat ecclesiam, predictus Wiscardus processit, ut debuit, contra ipsum. Cumque a Tancredo et quondam Nicolao, ejusdem Jacobi fratribus, sufficienti et ydonea, juxta beneplacitum nostrum, pro plena et firma securitate, nobis et ecclesie prestita cautione, prefatus W., postmodum de Monteflascone versus castrum Canini cum modica comitiva pergeret confidenter, quia terre tranquillitas, tutum pollicebatur iter, unde nec insidiarum suspicabatur astutias, nec de insultu hostium trepidabat, predicti Jacobus, Nicolaus et Tancredus, explorato et agnito illius progressu, instructas in mortem machinas detegentes, in eum sic fiducialiter procedentem, contra fidelitatis debitum et premisse cautionis tenorem ab eisdem Nicolao et Tancredo exhibite, cum complicibus et sequacibus suis hostiliter irruerunt, et in hominem inhumani furentes, immaniter ipsum sic invasum pulsarunt probris, pupugerunt lanceis, impetierunt gladiis, attriverunt percussionibus et ingeminatis vulneribus confoderunt, et quia hunc potissime scelesti quesierant ad mortem, solo prosternentes eundem, et in personam suam atrocius debachantes, sibi tandem post tot lacerationes et supplicitia (*sic*) vix expiranti, caput funesto gladio amputarunt. Efferbuit quoque amplius ferina sceleratorum rabies, et completam usque ad interitum in vivo sevitiam reiterans in occiso, in corpus exanime tormenta cumulatura prosiliit, sociata invicem membra dissocians corporisque compagem frustrati jam vita, in frustra concidens. Linguam etiam precisi capitis per colli posteriora de faucibus extirpavit; nec tamen adhuc rabies sanguinaria destitit, sed accendit ad crudeliora furorem, et insurgens ferocius in extinctum, aperto a tergo corpore, truculentam manum misit ad viscera, et cor inde avulsum, saturata insontis sanguine, foras traxit. Quam horribile facinus et quam detestanda presumptio! quanta ecclesie coutumelia

quantusque contemptus! Et si circa tantum rectorem, in provincia tam honorabili per ipsam ecclesiam constitutum, sic excessit insolentia subditorum, quomodo presides alii sub ejusdem ecclesie dominio et districtu securi manebunt? Fragilis enim est et ad malum prona humana condicio, et cum unius commissum inultum relinquitur, alii per hoc ad simile invitantur, quia mulcte omissio est multis multa occasio ad multas injurias et offensas. Absit ergo quod per dissimulationem vel negligentiam, tam enormis offensa impunita remaneat, et ex impunitate trahatur ullo tempore in exemplum. Clamat quidem ad nos de terra vox sanguinis officialis nostri carissimi. Clamat, inquam et pulsat instanter apud Christi vicarium pro vindicta.

Restat igitur ut, juxta magnitudinem sceleris, prodeat judicium ultionis, et predictos nefarios, quos lese majestatis crimen non est dubium commisisse, districte censure rigor sic feriat, quod et ipsos dura et perpetua dampnatione confundat, et aliis vehementem incutiat pene acerbitate terrorem. Prefatos namque Jacobum et Tancredum ac predicti Nicolai filios, necnon omnes qui fuerunt hujusmodi criminis socii et consortes, consilio, auxilio vel favore, in pluribus locis insignibus vicinis, publice ac sollempniter, citari fecimus, ut, cum flagitium hujusmodi esset notorium, ad initium presentis quadragesime, quod eis pro peremptorio termino assignatum extitit, comparerent personaliter coram nobis, sententiam et processus nostros alios audituri. Habita itaque super hiis cum fratribus nostris deliberatione sollempni, de ipsorum consilio, auctoritate apostolica, sententiando decernimus et pronuntiamus predictos Jacobum et Tancredum eorumque in hoc socios, ac omnes qui consilio vel favore, tanti maleficii fuere participes, perpetuo manere infames et semper existere intestabiles, ut nec testandi liberam habeant facultatem, nec in aliquorum bonis ex testamento vel ab intestato succedant. Omnia quoque ipsorum et prefati Nicolai bona et jura nobis et ecclesie Romane sententialiter confiscamus, non obstantibus venditionibus, permutationibus, locationibus, pignorationibus, donationibus et concessionibus et quibuscunque alienationibus, si que forte, sive post conceptam vel initam factionem, sive post contractum vel commissum crimen, de bonis et juribus ipsis aut eorum aliquibus per eos vel quoscunque alios sint presumpte, ac quibuslibet contractibus super hiis initis, et instrumentis seu litteris inde confectis, que omnia evacuamus, cassamus, irritamus et decernimus nullius esse momenti ac omnino vacua et irrita nuntiamus. Decernimus etiam et statuimus quod habitationes et alia universa edificia eorundem penitus destruantur, nullo umquam tempore reparanda, ut eis manentibus perpetuo dirutis, nunquam infamie ac dampnationis illorum memoria moriatur. Et quia matris injuria tangit acriter filios, nec possunt de confusione materna corda non concuti filiorum, si jam officiales nostri aut alii fideles, tanta matris ecclesie offensa commoti, ad ulciscendum ejus obprobrium, destruendo vel diruendo aut demoliendo castra vel edificia seu res alias perfidorum ipsorum, nostrum prevenientes judicium, processerunt, devotionis zelum vindicte acceleratione monstrantes, nos ratum habemus processum hujusmodi atque firmum. Si qua vero in feudum vel alio modo, aut si qua officia vel beneficia ab aliquibus tenent ecclesiis, illis eos omnino privamus, que libere ad ipsas ecclesias revertantur. Ut autem non solum in ipsos actores sceleris, sed etiam in eorum progeniem ultio inferatur, et ne minus vindicte quam excessus memoria prorogetur, constituimus ut nulli eorum nullique ab ipsis et predicto Nicolao descendentium, usque ad quartum gradum, aperiatur alicujus janua dignitatis, aut cujusque honoris ecclesiastici vel mundani, nec horum aliquis ad clericatum vel ministerium seu beneficium ecclesiasticum, aut in domibus regularibus ad alicujus prelationis honorem, neque ad potestarie, judicatus, tabellionatus vel quodcunque aliud officium publicum assumatur. Diffidamus insuper et forbannimus perpetuo prefatos lese majestatis reos, volentes et precipientes ut pro diffidatis et bannitis ubililibet habeantur, ac universis potestatibus, rectoribus, consiliis et communibus tam civitatum quam castrorum, nec non generaliter omnibus personis ecclesiasticis et secularibus, sub pena excommunicationis et interdicti prohibentes districte, ne ipsos ad civilitatem vel alios scienter recipiant vel receptent, aut eis contra premissa, favorem, consilium vel auxilium largiantur, decernendo illos qui contra hujusmodi nostram inhibitionem fecerint, excommunicationis sententie, ac loca eorum, quandiu in ipsis dicti rei fuerint, interdicto ecclesiastico subjacere. Per hec autem secularibus potestatibus non adimimus facultatem utendi contra eos legibus quas adversus tales catholici principes ediderunt. Denique pronuntiando decernimus, ut ipsorum et memorati Nicolai filii, a materna et avita omniumque proximorum hereditate ac successione habeantur penitus alieni, testamentis extraneorum nichil capiant, sintque infames perpetuo et ad testimonium perhibendum indigni, eorumque dictis, tanquam fide

vacuis, non credatur. Filiabus tamen eorum salva remaneat portio in bonis maternis, juxta legitimas sanctiones. Actum apud Urbemveterem in palatio episcopali, nonis martii, anno tertio. »

765 Orvieto, 14 mars 1264.

De electione praeceptoris Militiae Templi in regno Franciae. (Reg. 28, fol. 94 v°, cur. ann. III, n° 51.)

« *Magistro et conventui domus Militie Templi Jerosolimitani.* Habet universalis ecclesia in carissimo in Christo filio nostro . . rege Francorum illustri, unde in rege pro Christo Jesu canticis et ymnis exultet. Habent in ipso cujusque cultores unde Domini nomen in choro laudent ac tympano et psalterio psallant ei. Ipsius namque regis Francorum pectus piissimum, gratie celestis dono perfusum, sic ad cunctas orbis ecclesias et personas ecclesiasticas, religiosas precipue, ubertim ubera sue pietatis effundit ut ipsum experiatur cotidie omnis Christiana religio singulare presidium et precipuum sentiat libertas ecclesiastice munimentum. Vos autem in eo ad singularis jubili canticum causa singularis invitat. Si enim prudentius attenditis, si qua decet attentione notatis quanta idem Francorum rex ordinem vestrum et jura ipsius custodie diligentia protegit et quam diligenti protectione custodit, quantaque vos et cunctos ejusdem ordinis professores, caritatis singularitate prosequitur, profecto cogemini, exauditionis promptitudine loquente, fateri dignum fore, nec minus debitum, ut que a vobis nunc presertim cum vestrorum incremento profectuum et multi apud eum favoris augmento dignanter exposcit, liberaliter consequatur. Ecce etenim litteris ad vos de novo directis vobis et eidem ordini vestro, nova et aperta sue affectionis exhibet argumenta, preceptorie officium in regno suo illi postulans persone committi, cui et idem rex de ipsius fidei sinceritate ac probitate confidens, confidenter pia secreta committat. Ad quod dilectum filium fratrem Amalricum de Rupe, ipsius ordinis, virum utique providum et consilii maturitate conspicuum, sibi ex antiqua familiaritatis notitia predilectum, sicut hujusmodi ejus manifestat electio, preelegit, apud nos nichilominus et fratres nostros variis instando litteris, et rogando nos ipsos instanter ut vobis super hoc efficaciter scriberemus. Et quidem, licet, dum magnitudinem et affectum vos super hoc tam affectuose rogantis attendimus, dum ipsius rogamina causamque consideramus eorum, illa nec immerito reputemus sufficere ad obtinenda petita nobisque proinde certe spei verisimilitudo, immo verisimilitudinis ratione suffulte certitudo succrepat, ea per vos in liberalitatis promptitudine admittendo, quia tamen de memorato fratre, meritis sue probitatis, quorum plenam per familiarem experientiam obtinemus, inspectis, plene confidimus, quia ejus ministerio pro nostris et ecclesie Romane negotiis in partibus Francie plurimum indigemus, et illo sub prudentie ac fidelitatis sue fiducia uti proponimus confidenter, memorati regis precibus fiducialiter adjicimus preces nostras, non indigne sperantes quod preces addite precibus, incunctanter obtineant, quod altere sine cunctationis dispendio verisimiliter obtinerent. Quocirca universitatem vestram monemus, rogamus et hortamur attente, per apostolica vobis scripta precipiendo mandantes quatinus, pensato prudenter quantum ordini vestro consulitur, si nobis in hiis que benigne petimus, prompte parendo, nos ad favoris et beneficiorum erga vos et eundem ordinem vicissitudinem provocatis, si memoratum regem, quem in relevandis vestris necessitatibus multa propitiatione benivolum, et in utilitatibus promovendis benivolentia magna propitium hactenus habuistis, studeatis in futurum erga vos et eundem ordinem in benivolentie solite continuationem servare, hujusmodi nostra et ejusdem regis beneplacita efficaciter adimplentes, eundem fratrem constituatis generalem ejusdem ordinis in regno Francie preceptorem, hujusmodi preceptorie officium per vestras patentes litteras, quas ei, sublato cujuslibet dilationis et contradictionis obstaculo, infra tres menses post receptionem presentium, destinari volumus et rogamus, committentes eidem, mandatis apostolicis ac nostris et ipsius regis precibus taliter parituri, quod vestre obedientie promptitudo vobis apud nos et eundem regem augmenta favoris pariat, apostolice ac regalis gratie nutrimenta producat, hujusmodi partum nutriendo multiplicet et nutritum multiplicando conservet. Ut autem vobis patulo pateat nobis fore plene votivum ut nostra et ipsius regis vota in hac parte celeriter impleantur, venerabili fratri nostro . . patriarche Jerosolimitano, per litteras nostras injungimus, ut vos ad id sollicite moneat et inducere studiose procuret, devotionis vestre quam speramus promptitudinem rescripturus. Datum Urbemveterem, II idus martii, anno tertio.

In eundem modum . . patriarche Jerosolimitano, apostolice sedis legato. Habet universalis ecclesia etc.,

ut in superiori, verbis competenter mutatis, usque committentes eidem. Quia vero nobis cordi est ut nostris et ejusdem regis beneplacitis in hac parte celeriter satisfiat, fraternitatem tuam monemus et hortamur attente, mandantes quatinus dictos magistrum et fratres ad id monere sollicite ac efficaciter inducere studiose procures, eorum quam in hoc desideramus obedientie promptitudinem quantocius rescripturus. Datum ut supra.

In eundem modum eidem patriarche. Habet etc., ut in secunda usque studiose procures. Quod si forsan memorati magister aut fratres in predictis desides vel negligentes, contradictores fuerint vel rebelles, tu ipsis auctoritate nostra inhibere procures, ne ad dictum officium quemquam eligere, vel in ipso aliquem instituere aut illud alicui conferre, seu de ipso contra mandati nostri tenorem quomodolibet ordinare presumant. Nos enim decernimus irritum et inane, si secus contigerit attemptari. Ceterum, si aliquis contra predictorum mandati, inhibitionis et decreti tenorem, se in officium predictum intrudere aut illud occupare vel tenere presumpserit, ab hujusmodi presumptione ipsum per censuram ecclesiasticam, appellatione cessante, compescas. Nichilominus magistro et fratribus memoratis injungens quod hujusmodi presumptorem pro preceptore habere, vel ei velut preceptori obedire, aut ipsum tamquam fratrem admittere, vel illi communicare in aliquo non presumant. Contradictores etc., non obstantibus contrariis consuetudinibus vel statutis ejusdem ordinis, juramento, confirmatione sedis apostolice vel alia firmitate vallatis, et quibuscumque privilegiis, indulgentiis vel litteris, sub quacumque verborum forma quibuscumque concessis, per que presentium effectus impediri valeat vel differri, seu si aliquibus est ab eadem sede indultum quod interdici, excommunicari nequeant vel suspendi per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Et insuper denuntietur eisdem quod, si super premissis nostris obedire mandatis et preces dicti regis exaudire contempserint, nos illis vocem virtutis dabimus et effectum, et preter indignationem regis quam non indigne propter obauditionem precum suarum incurrent, erga se affectum nostrum, effectu docente, sentient immutatum. Datum ut supra. »

766 Orvieto, 14 mars 1264.

Exultat et laetatur de arbitrio et ordinatione a Ludovico, rege Francorum, in discordia inter regem et barones Angliae exorta, edictis, quae approbare et rata habere procurabit, quando ejusdem arbitrii authenticum instrumentum acceperit. (Reg. 28, fol. 95, cur. ann. III, n° 52.)

« . . *regi Francorum illustri.* Exultantes in plenitudine —. Sed eo specialius regnum Anglie cupimus in concordie tranquillitate manere, quo illud majori affectione prosequimur, et quo ferrent precordia nostra molestius si, quod absit, regnum ipsum cujuslibet vexari contingeret turbine tempestatis. Hoc quidem est regnum quod apostolica sedes materne benivolentie oculo respicit, cujus libenter intendit profectibus et in cujus commodo et salute plurimum delectatur; regnum in quo divino munere presidet rex devotus, carissimus ecclesie Romane filius, et ubi catholica fides puros et sedulos habet pro sua exaltatione cultores. Ideoque graves olim et amaras suscepimus in corde puncturas, quod hostis humani generis, pacis emulus et scandali suscitator, dulces amaricare satagens tranquillitatis christiane delicias, in eodem regno dissentiones et scismata procuravit. Sed demum resumpsimus, nec mirum, grandem in mente letitiam, quod, iniquis ejusdem hostis conatibus superne potentie virtute repressis, salutifere unionis integritas, detestati (*sic*) deformata dissidio, tuo vigili et operoso ministerio dicitur reparata, reformatione congrua subsecuta. Ex litteris namque tuis et carissimi in Christo filii nostri, regis Anglorum illustris, accepimus, quod, cum super discordiis et controversiis inter eundem regem et ipsius regni barones circa multa et varia suscitatis, in te fuisset a partibus de alto et basso concorditer compromissum, de observandis omnibus, que in hiis statueres et ordinares, hinc inde corporali prestito juramento, tu, pensata provide negotii qualitate, ac in premissis regalis prehabita deliberatione consilii, tuum super hiis dictum seu arbitrium proferens, per certam ordinationem discordias et controversias hujusmodi terminasti. In quo, fili carissime, gratum Deo sacrificium te credimus immolasse, dum predictum regnum intestina seditione concussum, ad statum quietum reducere studuisti. Unde dele[c]tamur et exultamus in Domino, quod tam laudabiles fructus ex tui provenere laboribus, quod tam utiliter illius catholice regionis obviasti periculis, et quod in hoc ipse Pater Altissimus honoris tui culmina sublimavit. Gaudemus, inquam, pro ipsorum tranquillitate regis et regni, nec minori jocunditate reficimus quod

tanta dissentio, plena tot ignibus odiorum, oportune medele remedia, te operante, recepit. Cum enim, tanquam princeps christianissimus, habens zelum pure devotionis ad Deum, lites odias, (*sic*) detesteris injurias, pacem diligas et justitiam amplexeris, indubium nequaquam referimus quin in predictis illam duxeris diligentiam adhibendam que Deo placeat, ne hominibus sit accepta. Super eo vero, quod tu et rex prefatus arbitrium seu ordinationem hujusmodi petiistis apostolico munimine roborari, tua quesumus excellentia teneat quod affectu sincere veritatis intendimus in hoc et aliis annuere votis vestris, cum utriusque personam, utpote nobis amantissimam, in nostri archano pectoris ex prerogativa dilectionis precipuam habeamus. Sed quia hujusmodi ordinationis seu dicti vel arbitrii forma in cedulis tantum, et non in patentibus aut autenticis litteris tuo sigillo munitis, nobis et fratribus nostris extitit presentata, nequimus super hiis, juxta regie petitionis tenorem, sollempnis et efficacis confirmationis munimenta concedere, sequendo in hoc tam juris semitam quam dicte sedis circa talia consuetudinem approbatam. Cum autem dictam ordinationem vel arbitrium ipsum sub patentibus litteris tuo sigillo signatis nobis feceris exhiberi, nos tuis et ejusdem regis postulationibus in hac parte, ad predicte sedis et tuum ac ipsius regis honorem nec non prosperum et tranquillum regni statum, auctore Domino, favorabiliter annuemus. Datum apud Urbemveterem, II idus martii, anno III°. »

767 Orvieto, 16 mars 1264.

De eodem argumento. (Reg. 28, fol. 95 v°, cur. ann. III, n° 95.)

« *Eidem regi*. Serenitati tue per alias litteras intimamus quod, cum forma ordinationis quam super discordiis inter carissimum in Christo filium nostrum . . regem Anglorum illustrem, ex parte una, et barones regni sui, ex altera, olim exortis, de quibus in te compromissum extitit, protulisti, solum in cedulis, et non in patentibus aut autenticis litteris tuo sigillo munitis, nobis et fratribus nostris fuerit presentata, non potuimus super ea, juxta regie petitionis tenorem, sollempnis et efficacis confirmationis munimenta concedere, sequendo in hoc tam juris semitam quam apostolice sedis circa talia consuetudinem approbatam. Verum, quia eundem regem suumque regnum statum habere prosperum et tranquillum plurimum affectamus, propter quod multa letitia exultamus in Domino, quod tu, cui amenum et delectabile fore noscitur pacis et caritatis operibus intendere ac vacare, prefatum regnum intestina dissentione turbatum, ad concordiam et quietem per ordinationem hujusmodi reduxisti. Ecce ut noster circa negotium ipsum sincerus affectus et plena promptaque voluntas, quam ad exaudiendas tuas et regis ejusdem preces pro negotio ipso transmissas habemus, evidentius innotescant, preces ipsas porrectamque pro negotio eodem petitionem, in quantum potuimus ad presens, et apostolica permisit maturitas, exaudire curavimus, litteras nostras super confirmatione predicte ordinationis, et alias super hoc conservatorias sub ea forma secundum quam decentius et utilius, non habitis neque visis de ordinatione ipsa litteris autenticis tuo sigillo signatis, potuere concedi, gratiose ac favorabiliter largiendo, sicut ex ipsarum litterarum nostrarum tenore comprehendere poteris, quas tibi duximus transmittendas. Cum autem prefatam ordinationem in autenticis litteris, tuo munitis sigillo, nobis feceris presentari, tunc illam sollempnius et efficacius, ac sub certiori et apertiori stilo ad ecclesie Romane ac tuum et dicti regis honorem, apostolico studebimus munimine roborare. Datum apud Urbemveterem, XVII kalendas aprilis, anno III°. »

768 Orvieto, 16 mars 1264.

Henrico, regi Anglorum, significat se ordinationem a Ludovico, rege Francorum, in quem partes compromiserant, factam apud civitatem Ambianensem, in discordia suscitata inter regem Angliae, ex parte una, et quosdam episcopos et barones regni ejus, ex altera, ratam habere et confirmare. (Reg. 28, fol. 96, cur. ann. III, n° 54; Potthast 18831.)

« . . *regi Anglorum illustri*. Licet ea que attente deliberationis discutiuntur examine, ac providi maturitate consilii diriguntur, firma desideremus et illibata servari, que tamen per orthodoxos reges et principes, maxime pro regum et regnorum statu pacifico et sopiendis eorum discordiis ordinantur, libenter oportuno favore prosequimur et apostolico munimine roboramus. Sane per tuas et carissimi in Christo filii nostri . . regis Francorum illustris, litteras nuper accepimus, quod inter te, ex parte una, et quosdam episcopos et nonnullos barones regni tui, ex altera, pretextu provisionum, ordinationum, statutorum et obligationum omnium Oxoniensium, discordia suscitata, tu et iidem episcopi ac barones in eundem regem super hiis et omnibus contentionibus et discordiis, quas habebatis et ha-

bueratis inter vos, usque ad festum Omnium Sanctorum proximo preteritum, occasione provisionum, ordinationum, statutorum vel obligationum hujusmodi compromittere juravistis, promittentes quod, quicquid idem rex Francorum super omnibus predictis vel eorum aliquibus de alto et basso ordinaret vel statueret, observaretis per omnia bona fide, ita tamen quod dictus rex, citra festum Pentecostes proximo futurum, super hiis diceret dictum suum, datis hinc inde super hoc litteris et interpositis juramentis. Deinde vero tu et prefati episcopi et barones similiter in regem compromisistis eundem de omnibus contentionibus inter vos exortis post dictum festum Omnium Sanctorum, usque ad festum sancte Lucie proximo preteritum, occasione predicta, promittentes, juramento hinc inde prestito, servare quicquid idem rex Francie de hiis vel eorum aliquibus statueret vel etiam ordinaret; ita tamen quod citra dictum festum Pentecostes proferret dictum suum, tam super predictis quam omnibus aliis que super rebus in compromisso deductis vel circa ipsas interim contingeret attemptari.

Dictus autem rex Francie, hujusmodi compromisso recepto et apud civitatem Ambianensem propter hoc partibus convocatis, et te ac quibusdam ex dictis baronibus personaliter, aliis vero per procuratores comparentibus coram ipso, auditis quoque que fuerunt hinc inde proposita, defensionibus etiam ac rationibus partium plenius intellectis, attendens quod per provisiones, ordinationes, statuta et obligationes predicta, et per ea que ex ipsis et eorum occasione subsecuta erant, juri et honori tuo fuerat plurimum derogatum, quodque dicti regni turbatio, depressio et spoliatio ecclesiarum et alia gravissima dispendia personis ecclesiasticis ac secularibus, indigenis et aliegenis, inde evenerant, et verisimiliter timebatur ne graviora emergerent in futurum, plena super premissis deliberatione prehabita, bonorum quoque et magnatum communicato consilio, provisiones, statuta, ordinationes et obligationes predicta, quocumque nomine censerentur et quicquid esset ex eis vel earum occasione statutum seu dictum, et ordinationem tuam cassavit et irritavit; maxime cum appareret illa fore per litteras apostolice sedis cassa et irrita nunciata. Ordinavit insuper, quod tam tu quam predicti barones et alii qui consensistis hujusmodi compromisso, quique de predictis observandis vos quomodolibet astrinxistis, quitetis vos de provisionibus, statutis et ordinationibus et obligationibus ipsis et penitus absolvatis. Adjecit etiam quod ex vi seu viribus earumdem provisionum, obligationum vel ordinationum, aut alicujus potestatis, a te super hoc concesse, nullus nova statuta faciat, nec quisquam jam facta teneat vel observet, neque pro eo, quod predicta servata non fuerint, debeat aliquis alterius capitalis vel aliter inimicus haberi, aut penam propter hoc aliquam sustinere. Decrevit quoque quod omnes littere, super premissis provisionibus et earum occasione confecte, irrite sint et inanes; ordinans quod quecumque castra fuerint tradita, custodienda securitatis causa vel occasione predictorum, et adhuc detinentur, libere tibi ab eisdem baronibus redderentur a te tenenda, sicut ante dictarum provisionum tempus illa tenebas. Ordinavit etiam et dixit quod libere tibi liceat capitalem justitiarum, cancellarium, thesaurarium, consiliarios, justiciarios minores, vicecomites et quoscumque alios officiales ac ministeriales dicti regni et domus tue, sicut faciebas et facere poteras, ante tempus provisionum predictarum, preficere, instituere, destituere et amovere, pro tue libito voluntatis. Ceterum retractavit et cassavit illud statutum, per quod regnum Anglie debebat per indigenas gubernari et alienigene debebant ab eodem exire, ad illud minime reversuri, exceptis illis, quorum moram fideles ipsius regni communiter acceptarent. Ad hec ordinavit quod liceret alienigenis secure in dicto regno morari, quodque tu tam alienigenas quam indigenas, quos tibi videris utiles et fideles, ad consilium tuum secure vocare valeas, sicut facere poteras ante tempus predictum. Dixit insuper et ordinavit quod plenam potestatem et liberum regimen in regno tuo et ejus pertinentiis habeas, sisque in eo statu et in ea plenaria potestate in omnibus et per omnia sicut ante tempus hujusmodi existebas. Noluit autem, nec intendit, per hujusmodi ordinationem, regiis privilegiis, cartis, libertatibus, statutis et laudabilibus consuetudinibus ejusdem regni, que ante tempus ipsarum provisionum erant, in aliquo derogare. Denique ordinatum est quod tu omnem rancorem, quem adversus predictos barones, occasione premissorum, haberes, ipsis remitteres; ac similiter remitterent ipsi tibi ; et quod unus alterum, pretextu eorum de quibus in eundem regem extitit compromissum, per se vel per alium non gravet de cetero in aliquo vel offendat, prout in litteris inde confectis, dicti regis Francie sigillo munitis, plenius dicitur contineri.

Nos igitur, cupientes tuum et predicti regni statum tranquillitate prospera et tranquilla prosperitate vigere, ipsius regis et tuis supplicationibus inclinati, ordinationem hujusmodi, taliter editam et prolatam, ratam habentes, eam auctoritate apostolica confirma-

mus, et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum apud Urbemveterem, XVII kalendas aprilis, anno tertio. »

769 Orvieto, 17 mars 1264.

Archiepiscopum Cantuariensem et abbatem S. Dionysii de superiore ordinatione certiores facit eisque mandat ne permittant ut rex Angliae super hiis, contra regis Francorum arbitrii et confirmationis apostolicae tenorem, ab aliquibus molestetur. (Reg. 28, fol. 96, v°, cur. ann. III, n° 55; Potthast 18832.)

« .. *archiepiscopo Cantuariensi, et .. abbati S. Dyonisii in Francia.* Licet ea que —. Datum apud Urbemveterem, XVI kalendas aprilis, anno III°. »

770 Orvieto, 21 mars 1264.

Eisdem mandat praecipiant praelatis et magnatibus regni Angliae ut diversas conjurationes et conspirationes, quas ad invicem fecerant, vallantes eas juramentis propriis et diversarum adjectione poenarum, pro cassis et irritis penitus habeant. (Reg. 28, fol. 96 v°, cur. ann. III, n° 56; Potthast 18836.)

« *Eisdem.* Cum olim ad nostrum pervenisset auditum quod nonnulli magnates et alii regni Anglie diversas conjurationes, colligationes et conspirationes ad invicem fecerint, vallantes eas juramentis propriis et diversarum adjectione penarum, nos, attendentes quod per conjurationes, colligationes et conspirationes hujusmodi predicto regno ac ejus incolis, preter animarum pericula, multa poterant evenire dispendia et etiam nocumenta, considerantes quoque per perturbationem ipsius regni, quod inter alia regna fidelia, Deo et apostolice sedi a longinquis temporibus specialiter devotum extitit, in multis eidem sedi posse generari prejudicium, et libertati ecclesiastice non modicum detrimentum, pro tranquillo et prospero statu predicti regni et incolarum ipsius, ac specialiter carissimi in Christo filii nostri .. regis Anglorum illustris, quem sincere caritatis brachiis in Domino amplexamur, ad hoc studia nostra convertimus, per quod pax et tranquillitas regi et regno ac incolis predictis, dante Domino, provenire[nt]. Ut igitur, dissentionis et scandali exinde summota materia, regnum ipsum in opulentia pacis juxta vota nostra persisteret, conjurationes, colligationes et conspirationes predictas, quocumque nomine censerentur, cassamus et irritamus, cassas et irritas nulliusque valoris existere duximus nuntiandas, penas quascumque super hoc adjectas et juramenta prestita relaxantes, ac decernentes quoscumque ad observationem juramentorum hujusmodi et ad penas easdem aliquatenus non teneri. Volentes igitur ut ea que super hiis provida circumspectione decrevimus, inviolabiliter observentur, mandamus quatinus vos vel alter vestrum, per vos vel per alium seu alios, universis prelatis et magnatibus ac aliis predicti regni personis ecclesiasticis, secularibus et regularibus, cujuscumque dignitatis vel ordinis fuerint, precipiatis ex parte nostra, quod easdem conjurationes, colligationes et conspirationes pro cassis et irritis penitus habeant, eis nichilominus districtius inhibendo, ne contra cassationis et irritationis nostre tenorem aliquid attemptare presumant. Illos autem, qui contra cassationem vel irritationem seu preceptum aut inhibitionem hujusmodi quomodolibet venire presumpserint, a tali presumptione per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescatis, non obstante si aliquibus a sede apostolica sit indultum quod excommunicari vel interdici nequeant vel suspendi per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto hujusmodi mentionem, et qualibet alia indulgentia dicte sedis, cujuscumque tenoris existat, per quam mandati nostri executio possit quomodolibet impediri, et de qua in nostris litteris fieri debeat mentio specialis —. Datum apud Urbemveterem, XII kalendas aprilis, anno III°. »

771 Orvieto, 15 mars 1264.

De electione praeceptoris Militiae Templi in regno Franciae. (Reg. 28, fol. 97, ann. III, n° 57.)

« . . *patriarche Jerosolimitano, apostolice sedis legato.* Pro dilecto filio fratre Amalrico de Rupe, ordinis Militie Templi, familiari nostro, viro utique nobis quamplurimum merito sue probitatis accepto, fraternitati tue varias apostolicas litteras destinamus, quarum alteras, sicut earum tibi series reserabit, dilecto filio .. magistro et conventui predicti ordinis, ad quos ea dirigi super committendo memorato fratri in regno Francie preceptorie generalis officio tenor ipsarum indicat, per te volumus presentari. In aliis vero tibi

committitur ut ipsos monere sollicite ac inducere studiose procures ad id quod per dictas directas ad eos litteras mandatur eisdem, cum obedientie promptitudine celeriter exequendum. In reliquis insuper tibi mandatur ut, si memorati magister et fratres in hiis que illis mandamus, desides vel negligentes, contradictores fuerint vel rebelles, tu in hoc procedas, juxta traditam in eisdem ultimis litteris tibi formam. Verum, ne pro eo quod in prefatis litteris, per quas dictorum magistri et conventus monitio tibi et inductio demandatur, inseritur ut nobis quantocius rescribas eorumdem magistri et fratrum obedientie promptitudinem quam optamus, aliquod tibi obstaculum opponatur, quasi procedere nequeas donec super hoc nobis duxeris rescribendum, fraternitati tue mandamus quatinus hoc et quibuslibet aliis ipsorum magistri et conventus subterfugiis, exceptionibus vel frivolis appellationibus nequaquam obstantibus, partes tibi circa predicta commissas diligentius exequaris; nichilominus magistro et conventui memoratis injungens, ut patentes litteras eorum sigillis munitas, quas super commissione dicti officii prefato fratri A. destinari precipimus, infra quindecim dies, postquam eis duxeris injungendum, tibi, sine alicujus obstaculo difficultatis, assignent, eidem fratri per te celeriter destinandas. Contradictores etc. Datum apud Urbemveterem, idus martii, anno III°. »

772 Orvieto, 20 mars 1264.

Episcopo Interamnensi facultatem concedit quosdam Spoletanos ab excommunicatione absolvendi. (Reg. 28, fol. 97, cur. ann. III, n° 58; Potthast 18835.)

« *Episcopo Interamnensi.* Cum Collestactum —. Datum apud Urbemveterem, xiii kalendas aprilis, anno III°. »

773 Orvieto, 21 mars 1264.

Eidem nonnulla castra, in montanis Spoletanae diocesis sita, gubernanda in spiritualibus et temporalibus committit. (Reg. 28, fol. 97, cur. ann. III, n° 59.)

« *Eidem.* De fida tue circumspectionis industria plenam in Domino fiduciam obtinentes et tenentes pro certo quod honorem ecclesie Romane diligis, illumque prompte sollicitudinis studio promoves, prout in multis facti evidentia manifestat, Collestactum, Nursiam, Cassiam, Montem S. Martini, Bissium et cetera castra et villas sitas in montanis Spoletane diocesis, in spiritualibus et temporalibus presentium tibi tenore committimus, a te in utrisque regenda et gubernanda, usque ad nostre beneplacitum voluntatis. Ideoque mandamus quatenus, Deo et apostolice sedi gratum in hoc obsequium exhibens, castra et villas hujusmodi prudenter et utiliter regere et gubernare ac personas locorum eorumdem in ejusdem ecclesie devotione conservare procures, ita quod in te fidelis commissorum dispensatio apud Deum et homines dictamque sedem merito valeat commendari, nosque personam tuam exinde precipue favoris gratia prosequi non immerito teneamur. Datum apud Urbemveterem, xii kalendas aprilis, anno III°. »

774 Orvieto, 21 mars 1264.

Infrascriptis mandat quatenus episcopo Interamnensi in spiritualibus et temporalibus intendant. (Reg. 82, fol. 97 v°, ann. III, n° 60.)

« *Collestacti, Nursie, Cassie, Montis S. Martini, Bissi et aliorum castrorum et villarum sitorum in montanis communitatibus et universitatibus, Spoletane diocesis.* De fida venerabilis —. Datum ut supra. »

775 Orvieto, 21 mars 1264

Cassat et irritat electionem Landonis de Montelongo in capitaneum civitatis Ferentinatis. (Reg. 28, fol. 97 v°, cur. ann. III, n° 61.)

« . . *episcopo Ferentinati.* Nuper ad nostrum pervenit auditum, de quo nobis, et merito, causa magne turbationis ingeritur, quod populus seu pars populi vel illi qui se dicunt populum civitatis Ferentinatis, potissime diebus istis viam detestabilis erroris ingressi, nobilem virum Landonem de Montelongo, concivem eorum, in ipsius civitatis capitaneum ad vitam eligere presumpserunt, et Orlanducius, natus ejusdem L., capitaniam hujusmodi non est recipere veritus, nomine dicti nobilis patris sui, quorum temerariam presumptionem tanto gravius ad animum revocamus, quanto civitatem ipsam majori affectione prosequimur, et quanto gravioris doloris sentimus in corde puncturas, dum audivimus quod in orto ecclesie, Campania videlicet, que devotionis et puritatis est et esse solet ceteris circumadjacentibus orthodoxis provinciis spe-

culum et exemplar, et in qua eadem ecclesia vel in sue recreationis pomerio delectatur, quicquam oriatur zizanie, per quam sue fame decor in aliquo maculetur. Unde, cum factiones hujusmodi capitaneorum, specialiter in ejusdem ecclesie patrimonio, duxerimus prohibendas, nec velimus aliquatenus tolerare, quod status dicte civitatis aut provincie hac occasione turbetur et patiatur ex turbatione dissidium, seu quod ipsius provincie puritas quomodolibet infici valeat fermento talium novitatum, electionem, creationem vel nominationem, quocumque nomine censeatur, super capitania hujusmodi de dicto nobili sic presumpta ad vitam vel ad tempus, et omnes contractus, colligationes et pactiones circa hoc habitos, juramentorum, obligationum vel penarum adjectione vallatos, de potestatis apostolice plenitudine, cassamus, irritamus, reprobamus, annullamus, evacuamus et nullius prorsus decernimus existere firmitatis, sub pena excommunicationis districtius inhibentes ne aliqui cives Ferentinates dicto O. vel eidem nobili patri ejus, si forsan in hoc consenserit, seu vicario suo, quoad dicte capitanie officium, obediant vel intendant neque iidem O. et L. vel eorum alter capitaniam ipsam retinere vel exercere presumant, eos, si secus fecerint, eidem subjacere sententie decernentes, singulos quoque judices ac tabelliones qui eisdem O. et L. vel eorum alteri seu alterutrius vicario circa ipsius capitanie prosecutionem astiterint, judicatus et tabellionatus officiis perpetuo volumus remanere privatos. Idcirco fraternitati tue, in virtute obedientie et sub pena excommunicationis, per apostolica scripta firmiter precipiendo mandamus quatinus, eodem populo convocato, ipsis ex parte nostra, sub pena mille marcarum argenti quam eo ipso incurrant, si super hoc inobedientes extiterint, districte precipias quod pro cassa et irrita dictam electionem, creationem seu nominationem habentes, et quatenus de facto presumpta extitit, infra tres dies post preceptum tuum, penitus retractantes, eidem O. vel dicto nobili patri ejus seu cuivis ipsorum vicario in premissis nullatenus obediant vel intendant. Predicto autem O., sub quingentarum marcarum, singulis vero judicibus et tabellionibus, sub centum librarum provesinorum penis, quas ipso facto, si secus attemptaverint, eos incurrere volumus, precipere non postponas quod dictus O. publice capitaniam ipsam, infra predictorum trium dierum spatium, omnino dimittat, dicti autem judices et tabelliones eidem O. vel memorato patri ejus aliquatenus non assistant. Non obstantibus predictis juramentis et penis a quibus omnes predictos et singulos de eadem plenitudine duximus absolvendos. Quod si forte Orlanducius et populares predicti animo indurato in sua pertinacia duxerint persistendum, ipsos, singulis diebus dominicis et festivis, pulsatis campanis et candelis accensis, per omnes ecclesias dicte civitatis excommunicatos publice nuntiari facias et ab omnibus artius evitari. Ceterum, si nec sic ab incepta presumptione destiterint, et contempserint tuis, immo apostolicis, in hac parte parere mandatis, tu eosdem O., populares, judices et tabelliones per te vel per alium peremptorie citare procures, ut infra quindecim dies post citationem tuam, prefati O., judices et tabelliones personaliter, alii vero per sufficientes et ydoneos procuratores apostolico se conspectui representent, soluturi penas easdem et alias pro meritis recepturi. Super hiis autem confici facias publica instrumenta, et ea nobis studeas per fidelem nuntium destinare. Datum apud Urbemveterem, xii kalendas aprilis, anno tertio. »

776 Orvieto, 23 mars 1264.

Universis Christi fidelibus significat se diversas provisiones, ordinationes, conjurationes et statuta, quae magnates regni Angliae ad invicem fecerant, cassare et irritare. (Reg. 28, fol. 98, cur. ann. III, nº 62; Potthast 18838.)

« *Universis Christi fidelibus.* Carissimum in Christo filium nostrum . . regem Anglorum illustrem, et regnum ejus, quod, Deo et apostolice sedi multa fore dinoscitur subjectione devotum et devotione subjectum, nec non incolas ipsius regni, tamquam dicte sedis filios speciales, paterne dilectionis brachiis amplectentes, desideramus eis statum procurare pacificum ipsorumque dispendiis, Deo propitio, salubriter obviare. Cum igitur, sicut ad nostrum pervenit auditum, nonnulli magnates et alii ejusdem regni, diversas provisiones, ordinationes, obligationes, conjurationes, colligationes et conspirationes et nonnulla statuta ad invicem apud Oxoniam fecerint, vallantes ea propriis juramentis et diversarum adjectione penarum, nos, intelligentes quod ex hiis in eodem regno gravis extitit turbationis materia suscitata, quodque illa possunt predicte sedi multiplex generare prejudicium et libertati ecclesiastice non modicum detrimentum, cupientes quoque ut regnum ipsum, extincto dissensionis et scandali fomite, in tramquillitate persistat et pacis affluat ubertate, provisiones, ordinationes, statuta, obligationes, conjurationes, colligationes et conspirationes hujusmodi, quocumque nomine cen-

seantur, de potestatis apostolice plenitudine cassamus et irritamus, cassa et irrita et nullius firmitatis existere nuntiamus, penas quascumque super hoc adjectas et juramenta prestita relaxantes, ac decernentes quoscumque ad observationem juramentorum hujusmodi et ad easdem penas aliquatenus non teneri. Nulli ergo —. Si quis autem —. Datum apud Urbemveterem, x kalendas aprilis, anno tertio. »

777 Orvieto, 24 mars 1264.

Infrascriptis praefati mandati executionem committit. (Reg. 28, fol. 98, cur. ann. III, n° 63; Potthast 18839.)

« . . *archiepiscopo Cantuariensi, et . . abbati sancti Dyonisii in Francia, Parisiensis dioecesis.* Carissimum in Christo filium nostrum . . regem Anglorum illustrem, et regnum ejus, etc., ut in superiori, usque non teneri. Quocirca mandamus quatinus vos vel alter vestrum, per vos vel alium seu alios provisiones, ordinationes, obligationes, conjurationes, colligationes, conspirationes et statuta hujusmodi in locis in quibus expedire videritis, publice ac sollempniter cassa et irrita nuntiantes, venerabilibus fratribus nostris archiepiscopis et episcopis, ac dilectis filiis abbatibus, prioribus ac aliis ecclesiarum prelatis, nec non comitibus, baronibus, magnatibus et aliis predicti regni personis ecclesiasticis et secularibus, cujuscumque dignitatis, status, ordinis et conditionis fuerunt, firmiter precipiatis, ex parte nostra, ut provisiones, ordinationes, obligationes conjurationes, colligationes, conspirationes et statuta premissa pro cassis et irritis penitus habeant, eis nichilominus districtius inhibendo ne contra cassationis et irritationis nostri tenorem aliquid attemptare presumant. Illos autem qui contra cassationem, irritationem seu preceptum aut inhibitionem hujusmodi quomodolibet venire presumpserint, a tali presumptione auctoritate nostra, appellatione postposita, compescatis. Non obstante si —. Datum apud Urbemveterem, viiii kalendas aprilis, anno III° »

778 Orvieto, 27 mars 1264.

De praedicatione verbi Crucis Romae et in circumvicinis partibus adversus Manfredum et ejus stipendiarios proponenda. (Reg. 28, fol. 98, cur. ann. III, n° 64.)

« . . *episcopo Bethleemitano, vicario nostro in Urbe.* Ad tuam, venerande frater, et aliorum Christi fidelium de Italia credimus pervenisse notitiam qualiter Manfredus, quondam princeps Tarentinus, persecutor Romane ecclesie manifestus, injuriis et offensis quibus eandem ecclesiam in occupatione regni Sicilie et Marchie Anconitane aliorumque suorum jurium lacessivit, hactenus non contentus, duriores jam cepit in eam persecutiones exercere de novo, et asperioribus ipsam vexationibus molestare. Ecce namque persecutor idem, in viscera ipsius ecclesie truculentas manus immittens, nuper, procurante Petro de Vico, publico ipsius ecclesie hoste et proditore nequissimo, milites stipendiarios, sue utique persecutionis ministros, quos nuper de Tuscia, ad suggestionem predicti proditoris, ad confinia Patrimonii beati Petri in Tuscia miserat, in Patrimonium ipsum ante oculos nostros immittere dampnabiliter et superbe presumpsit, in offensam Dei, ecclesie predicte dispendium et turbationem pacifici status Urbis; de quo tanto provocamur acerbius, quanto idem Manfredus, solite malitie prosecutor et ardentior ad cumulandas eidem ecclesie lesiones, per hujusmodi stipendiarios suum iniquum contra ipsam ecclesiam conatur pernitiosius promovere propositum, eamque in se suisque fidelibus ignominiosius conculcare. Profecto, si a Romano populo et aliis Christi fidelibus diligenter attenderetur, in quantum ecclesie detrimentum et obprobrium id redundet, non jussi, non rogati, non moniti, animis deberent promptis consurgere ad tantam sue matris injuriam vindicandam, cum persecutio hujusmodi ipsius ecclesie tam vicina, omni peste pestilentior esse possit, si ad eandem potentius reprimendum, ne nocivius graviusque ad circumposita loca perveniat, eadem ecclesia sue provisionis opponere opportuna consilia sueque ulterius conflare differret molimina potestatis. Ut igitur eorundem Manfredi et Petri de Vico ac stipendiariorum eorumque fautorum et complicium, aliorumque ipsius ecclesie inobedientium et rebellium, existentium in terris dicte ecclesie, temerariis ausibus et nefandis conatibus celeriter et efficaciter resistatur, fraternitati tue per apostolica scripta precipiendo mandamus quatinus per te ac per alios, quos ad hoc ydoneos esse cognoveris, proponens, juxta datam tibi a Deo gratiam, in Urbe et circumadjacentibus partibus, Christi fidelibus, tam peregrinis quam civibus Romanis, et quibuscumque aliis verbum Crucis, eos ut contra Manfredum ac Petrum de Vico stipendiariosque predictos, nec non contra complices et fautores ipsorum et quoslibet alios ipsius ecclesie inobedientes et rebelles, existentes in terris ejusdem ecclesie, signum salutifere crucis assumant, et in nostrum ac ipsius ecclesie ad-

jutorium, posito cum Moyse gladio supra femur, potenter et viriliter exurgentes, ad conterendam illorum insolentiam, absque tarditate, procedant, sedulis monitis et studiosis inductionibus exhorteris. Nos enim, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, auctoritate confisi, ex illa quam nobis, licet indignis, Deus ligandi atque solvendi contulit potestate, omnibus qui, assumpto crucis signaculo, adversus Manfredum, Petrum de Vico, stipendiarios predictos eorumque fautores et complices, ac quoslibet alios dicte inobedientes et rebelles ecclesie, constitutos in terris ejusdem, processerint, prout nos ipsos duxerimus dirigendos, et per tres menses continuos, a die quo terras ipsas intraverint, computandos, in predictis terris moram traxerint, dicte ecclesie prosequendo negotium contra illos, nec non omnibus qui adversus eos ydoneos destinaverint bellatores, in prosecutione dicti negotii per hujusmodi temporis spatium similiter moraturos, illam suorum peccaminum, de quibus corde contriti et ore confessi fuerint, veniam indulgemus, ipsosque illo privilegio eaque volumus immunitate gaudere, que Terre Sancte subvenientibus in generali concilio sunt concessa. Datum apud Urbemveterem, VI kalendas aprilis, anno III° »

779 Orvieto, 15 mars 1264.

De arrestatione bonorum ad cives Senenses, ecclesie Romanae hostes, spectantium. (Reg. 28, fol. 98 v°, cur. ann. III, n° 63.)

« . . *Parisiensi, et . . Aurelianensi episcopis.* Exigente perfidia civium Senensium qui civitatem Senensem hoc tempore detinent, pro eo quo, profundo malorum immersi, dum eligentes perire potius quam parere, ad ecclesie mandata redire contempnunt, sedes apostolica manum suam apponere studuit contra eos. Et quia caritativis monitis et asperis comminationibus invitati, redire ad ipsius ecclesie gremium non curarunt, speciales propter hoc latas in eos sententias contempnendo, nos bona dictorum civium usque ad summam decem millum marcharum sterlingorum, de fratrum nostrorum consilio sententialiter publicavimus, distribuenda et exhibenda, tradenda et assignanda juxta nostre beneplacitum voluntatis, injuncto per nostras litteras dilecto filio magistro Miloni, scriptori et nuntio nostro in Francie et Anglie regnis, ut a civium ipsorum debitoribus Francie et Anglie et Alamannie vel circumjacentium provinciarum hujusmodi decem millia marcharum exigere procuraret, contradictores etc. Sane quidam ex debitoribus ipsis pecunias in quibus predictis tenebantur civibus, dicto scriptori persolvisse dicuntur. Verum, sicut accepimus, debitores ipsi dubitant ne pro eo quod instrumenta confecta super hujusmodi debitis penes cives remanserunt eosdem, possint super hujusmodi pecuniarum summis quas, juxta mandatum nostrum, scriptori persolverunt eidem, a predictis civibus conveniri, et compelli ut dictis civibus pecunias ipsas persolvant. Nos itaque, volentes super hoc congruum remedium adhibere, fraternitati vestre mandamus quatinus predictos debitores super pecuniarum summis, quas occasione hujusmodi predicto scriptori solverunt vel solvent in posterum, aut pretextu pecuniarum ipsarum coram quibuscumque judicibus delegatis ab eadem sede, sive ordinariis seu secularibus, non permittatis conveniri vel etiam molestari. Contradictores et molestatores hujusmodi per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Non obstante —. Datum apud Urbemveterem, idus martii, anno III°. »

780 Orvieto, 20 mars 1264.

Magistro Miloni mandat ut ad apostolicam praesentiam citet excommunicatos a se, qui per unum mensem hujusmodi sententiam indurato sustinuerint animo. (Reg. 28, fol. 99, curial. ann. III, n° 66.)

« *Magistro Miloni, scriptori et nuntio nostro in Francie et Anglie regnis.* Exigente perfidia civium Senensium, etc., ut in superiori proxima, usque exigere non postponas. Contradictores, etc. Sane, sicut accepimus, tu in quamplures ex debitoribus ipsis, occasione hujusmodi, excommunicationis sententias, exigente justitia, promulgasti, quas ipsi dampnabiliter contempnentes redire non curant ad ecclesie unitatem. Nos itaque, volentes ut tales de suo contemptu penam se doleant reportasse, citandi per te vel per alium aut alios omnes illos in quos propter hoc hujusmodi sententias protulisti vel in futurum protuleris, justitia suadente, si sententias ipsas per unum mentem animo sustinuerint indurato, ut infra conpetentem terminum, quem eis peremptorie duxeris prefigendum, compareant personaliter coram nobis, penam pro meritis recepturi, tibi auctoritate presentium plenam et liberam concedimus facultatem. Diem vero citationis et formam nobis per tuas litteras harum seriem continentes, studeas fideliter intimare. Datum apud Urbemveterem, XIII kalendas aprilis, anno III°. »

781 Orvieto, 20 mars 1264.

De debitis Senensibus publicandis. (Reg. 28, fol. 99, cur. ann. III, n° 67.)

« *Archiepiscopis et episcopis ac abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis et aliis ecclesiarum prelatis ac eorum officialibus necnon nobilibus viris, ducibus, marchionibus, comitibus, baronibus, castellanis aliisque prepositis et ballivis per regna Francie, Anglie et Alamannie constitutis.* Exigente protervia civium Senensium, etc., usque exigere non postponatur. Sane quidam ex debitoribus ipsis pecunias in quibus predictis tenebantur civibus, dicto scriptori dicuntur, nostro et ecclesie Romane nomine, persolvisse. Quia vero indignum esset si dicti debitores molestarentur super solutione alia facienda, universitatem vestram rogamus et hortamur attente mandantes quatenus nullus vestrum, pretextu aliquarum litterarum ipsius munitarum sigillo et confectarum super hujusmodi debitis, aut quacumque occasione alia, compellat predictos debitores ad solvendum eisdem civibus pecuniarum summas quas solverunt predicto scriptori vel in posterum duxerint persolvendas. Preces autem et mandatum nostrum sic adimpleat vestra devotio quod nos sinceritatem vestram possimus exinde merito commendare. Datum apud Urbemveterem, XIII kalendas aprilis, anno III°. »

782 Orvieto, 29 mars 1264.

Episcopo Anagnino mandat ne castra, feuda et possessiones in Campania et Maritima nisi ex eis oriundis conferri sinat, quosdam contractus contra hanc inhibitionem initos rescindi jubendo. (Reg. 28, fol. 99, cur. ann. III, n° 68; Potthast 18844.)

« . . *episcopo Anagnino.* Romane ecclesie, cujus regimini, licet immeriti, auctore Domino presidemus, indempnitatibus precavere, ac prospero et tranquillo provincie Campanie Maritimeque statui apostolica sollicitudine providere volentes, olim universis baronibus, militibus, civibus et generaliter omnibus utriusque sexus Campanie ac Maritime predictarum, unicuique videlicet baroni et baronisse sub mille, militi vero et mulieri de militari genere prodeunti sub quingentarum, singulis autem civibus et aliis quibuscumque utriusque sexus sub trecentarum librarum proveniensium penis, auctoritate apostolica districtius duximus inhibendum ne castra, feuda, homines, vassallos, terras, domos, vineas aut possessiones seu alia quecumque bona immobilia sive jura ipsorum in partibus earundem Campanie vel Maritime consistentia, alicui vel aliquibus ecclesiasticis aut secularibus personis, cujuscumque status, dignitatis, ordinis vel conditionis forent, que non essent de eisdem Campania vel Maritima et exinde oriunde, et que non essent etiam de foro rectoris ejusdem provincie, vendere, distrahere, donare, permutare, locare aut ad censum vel emphiteosin dare aut alio quocumque modo vel titulo alienare presumerent. Nos enim ex tunc omnem contractum, si quem contra hujusmodi nostram inhibitionem fieri vel celebrari contingeret, irritum penitus, vacuum decrevimus et inane, ac nullius prorsus existere firmitatis, et nichilominus tibi nostris sub certa forma, in virtute obedientie, districte dedimus litteris in preceptis, ut hujusmodi inhibitionem et constitutionem nostram in tua civitate ac in omnibus castris et locis tue diocesis, per te vel per alium seu alios sollempniter publicare curares, faciens exinde confici publica instrumenta; et nichilominus publicationem hujusmodi, singulis diebus dominicis et festivis, in ecclesiis earundem civitatis et diocesis faceres innovari. Contradictores, etc. Tu vero, sicut accepimus, mandatum nostrum exequens diligenter, inhibitionem et constitutionem hujusmodi sollempniter publicasti; sed nobiles viri Johannes Rogerii de Vallemontone ac Petrus Rogerii, ejus nepos, Johannes de Canturano nec non et heredes quondam Tholomei de Vallemontone et Johannes de Sarmineto, cives Anagnini, contra inhibitionem nostram temere venientes, etiam post ejusdem inhibitionis publicationem, de vassallis, terris, domibus aliisque possessionibus et bonis, que habebant in castro Sarmineti, Terracinensis diocesis, quemdam alienationis contractum, contra formam predicte inhibitionis, fecisse dicuntur, propter quod penas in eadem inhibitione nostra contentas, eos non est dubium incurrisse. Nos igitur, nolentes hujusmodi eorum presumptionem, sic ecclesie predicte dampnosam, sub dissimulatione transire, fraternitati tue per apostolica scripta in virtute obedientie districte precipiendo mandamus, quatinus contractum hujusmodi cum quacumque persona ecclesiastica vel seculari, cujuscumque status, dignitatis, ordinis vel conditionis existat, que non sit de predictis Campania vel Maritima et exinde oriunda, et que non sit etiam de foro rectoris memorate provincie, initum, publice et sollempniter irritum penitus, vacuum et inanem denuntians et nullius existere firmitatis, omnibus predictis nobilibus auctoritate nostra firmiter et districte precipias, ut infra tres dies

post preceptum hujusmodi, predictum contractum publice revocent et dissolvant, non obstantibus quibuslibet penis, obligationibus et etiam juramentis super hoc interpositis, a quibus eos duximus absolvendos, et facias de revocatione hujusmodi confici publicum instrumentum, quod ad nos per tuum nuntium volumus destinari. Quod si tuo, immo potius nostro, in hac parte precepto parere forte noluerint, tu illos ex parte nostra peremptorie citare procures, ut infra octo dies post citationem tuam, personaliter compareant coram nobis, satisfacturi nobis de pena, in quam inciderunt, et alias nostra super hiis audituri mandata et efficaciter impleturi. Volumus autem ut de toto hujusmodi processu, quem per te in hac parte haberi contigerit, confici facias publicum instrumentum, illud nobis fideliter transmissurus. Datum apud Urbemveterem, IIII kalendas aprilis, anno tertio. »

783 Orvieto, 1er avril 1264.

Petro Nicolai, canonico Setino, eadem mandat exequenda in castro Sarmineti, Terracinensis diocesis. (Reg. 28, fol. 99 v°, cur. ann. III, n° 69.)

« *Petro Nicolai, canonico Setino.* Romane ecclesie, etc., ut in superiori proxima usque firmitatis; et nichilominus venerabili fratri nostro . . Terracinensi episcopo, nostris sub certa forma, etc., verbis competenter mutatis, usque sollempniter publicavit. Sed nonnulli de dominis castri Sarmineti, Terracinensis diocesis, ante et post inhibitionem et publicationem hujusmodi, de vassallis, terris, domibus aliisque possessionibus et bonis ac juribus que habebant in eodem castro, quosdam alienationis contractus fecisse dicuntur, in magnum predicte ecclesie sueque jurisdictionis prejudicium et contemptum. Quidam vero ex ipsis dominis, qui nondum aliquem de hujusmodi bonis suis fecere contractum, sollicitantur ut omnia bona et jura que habent in eodem castro, alicui vel aliquibus personis que non sunt de eisdem Campania vel Maritima et exinde oriunde, et que non sunt etiam de foro rectoris memorate provincie, vendant, vel alium contractum alienationis super illis ineant cum eisdem. Nos igitur, predicte ecclesie ipsorumque dominorum dispendiis, que ex hoc, si, quod absit, fieret, possent emergere, obviare et paci et quieti ejusdem provincie providere volentes, discretioni tue per apostolica scripta in virtute obedientie districte precipiendo mandamus, quatinus ad predictum castrum te personaliter conferens, dilectos filios nobiles viros Riccardum Lombardum, Johannem Roffridi, Beraldum Rogerii, Stephanum Aldoini, Stephanum Rubeum, Landulfum Guittifridi, Guillelmum ac Petrum et Rocium, filios ejus, Mathiam Maximi, et Docibilem, fratrem ipsius, Maximum Mathei, Noradinum, Andream Noradini, Landulfum et Robertum, filios Johannis Caput longi, filios et heredes quondam Milonis, Gregorium Johannis Biviani, Leonardum Jonathe, Jacobum, filium Frajapanis, Oddonem, filium Adinulfi, Petrum Ranerii, necnon nobiles mulieres Rosam, Agnetem, Bonam de Rogerio, ac Bonam et Leonardum, Gregorium et Riccardum filios ejus, et alios ipsius castri dominos, qui nondum bona sua alicui vendiderunt, ex parte nostra peremptorie citare procures ipsisque districte precipere ut, infra octo dies post citationem et preceptum hujusmodi, per duos ex eis compareant coram nobis, nostra super hoc audituri mandata et efficaciter impleturi. Diem vero citationis et formam et quicquid super hoc duxeris faciendum, nobis tuis litteris harum seriem continentibus, studeas fideliter intimare —. Datum apud Urbemveterem, kalendis aprilis, anno III°. »

784 Orvieto, 5 avril 1264.

Magistro Raynerio de Viterbio, capellano apostolico, custodiam roccae de Orcla, usque ad beneplacitum voluntatis suae, committit. (Reg. 28, fol. 99 v°, cur. ann. III, n° 70.)

« *Magistro Raynerio de Viterbio, capellano nostro.* De fidelitate ac —. Datum apud Urbemveterem, nonis aprilis, anno III°. »

785 Orvieto, 5 avril 1264.

Infrascripto mandat ut magistro Raynerio de Viterbio custodiam roccae de Orcla tradat. (Reg. 28, fol. 100, cur. ann. III, n° 71; Potthast n° 1885.)

« *Nobili viro Pipiono de Petrasancta, rectori Patrimonii b. Petri in Tuscia.* De fidelitate ac —. Datum ut supra. »

786 Orvieto, 7 avril 1264.

Ne ad electionem episcopi procedant. (Reg. 28, fol. 100, cur. ann. III, n° 72.)

« *Capitulo Agennensi.* Sinistro et flebili de bone memorie . . episcopi Agennensis, obitu intellecto rumore,

nos, diligentius attendentes quod plurimum expedit, ut vacanti Agennensi ecclesie preficiatur persona catholica et Romane devota ecclesia ac fidei orthodoxe zelatrix, et volentes in hac parte salubriter providere, universitati vestre tenore presentium districtius inhibemus, ne ad provisionem ipsius ecclesie per electionem vel postulationem aut alias quomodolibet procedere presumatis. Nos ergo exnunc irritum et inane decernimus quicquid contra hujusmodi inhibitionem nostram per vos contigerit attemptari. Verumtamen, quia nolumus quod eadem ecclesia diu remaneat solacio destituta pastoris, apostolica vobis firmiter auctoritate precipimus ut, infra duos menses a die receptionis presentium computandos, aliquos ex vobis habentes mandatum a vobis plenarium providendi ipsi ecclesie de pastore cum nostro consilio et assensu, vel recipiendi provisionem quam nos eidem ecclesie, auctore Domino, duxerimus faciendam, ad sedem apostolicam, sublato cujuslibet difficultatis obstaculo, destinetis. Datum apud Urbemveterem, vii idus aprilis, anno tertio. »

In eundem modum . . archiepiscopo Burdegalensi. Sinistro et flebili, etc., ut in superiori proxima usque providere, dilectis filiis capitulo Agennensi, per nostras sub certa forma litteras inhibemus, etc., verbis competenter mutatis, usque ad sedem apostolicam, sublata qualibet difficultate, transmittant. Ideoque fraternitati tue per apostolica scripta, in virtute obedientie, districte precipiendo mandamus quatinus et tu ipse inhibitionem et preceptum hujusmodi eidem capitulo auctoritate nostra, per te vel per alium seu alios, sollempniter innovare procures, rescripturus nobis fideliter quicquid super hoc duxeris faciendum. Datum ut supra.

In eundem modum eidem archiepiscopo. Sinistro et flebili, etc., ut in superiori usque precipiendo mandamus quatinus, si predicti capitulum aliquem elegerunt jam vel elegerint in episcopum Agennensem, electionem hujusmodi confirmare eique consecrationis munus impendere non presumas, sed ipsum protinus ad presentiam nostram mittas, quoniam si secus presumpseris, nos irritum ex nunc ac vacuum penitus decernimus et inane. Datum ut supra. »

787 Orvieto, 7 avril 1264.

Archiepiscopo Burdegalensi mandat saisiri procuret bona quondam episcopi Agennensis. (Reg. 28, fol. 100, cur. ann. III, n° 73.)

« . . *archiepiscopo Burdegalensi.* Cum bone memorie . . Agennensis episcopus, sit, sicut accepimus, viam universe carnis ingressus, idemque episcopus multam pecuniam multaque bona mobilia que non obvenerunt ei de proventibus Agennensis ecclesie, habuisse dicatur, nos, nolentes ut pecunia et bona hujusmodi inutiliter dispergantur, mandamus quatinus de predictis pecunia et bonis, ubi videlicet et apud quem sint deposita, per te vel per alium seu alios diligenter inquirens, pecuniam et bona eadem apud quemcumque vel quoscumque illa inveneris, auctoritate nostra saisire procures, illaque tamdiu facias fideliter custodiri, contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, donec nostrum tibi super hoc beneplacitum duxerimus intimandum, nobis quid et quantum et apud quos de predictis pecunia et bonis inveneris, et utrum predictus episcopus condiderit testamentum, et si aliquod condidit, formam ejus, et quicquid de hiis compereris aut scire poteris, fideliter rescripturus. Datum ut supra. »

788 Orvieto, 7 avril 1264.

De pecuniis quondam episcopi Agennensis apud mercatores Florentinos et Senenses Montispessulani depositis. (Reg. 28, fol. 100, cur. ann. III, n° 74.)

« . . *episcopo Magalonensi et . . priori sancti Firmini de Montepesulano, ordinis sancti Augustini, Magalonensis diocesis.* Cum bone memorie Agennensis episcopus, usque idemque episcopus magnam pecunie summam, etc., usque Agennensis ecclesie, apud nonnullos mercatores Senenses et Florentinos et personas alias in Montepesulano et alibi etiam commorantes, deposuisse dicatur, nos, nolentes ut pecunia et bona hujusmodi similiter dispergantur, discretioni vestre mandamus quatinus vos vel alter vestrum omnibus predictis mercatoribus et aliis quibuscumque personis, de quibus expedire videritis, auctoritate nostra firmiter inhibere curetis, ne de pecunia et bonis eisdem quicquam alicui solvere vel exhibere presumant, sine nostro mandato et licentia speciali, plenam et expressam faciente de inhibitione hujusmodi mentionem, rescripturi nobis fideliter quicquid super hoc duxeritis faciendum. Datum apud Urbemveterem, vii idus aprilis, anno III°. »

789 Orvieto, 13 avril 1264.

Infrascripto cardinali custodiam roccae de Castro committit. (Reg. 28, fol. 100 v°, cur. ann. III, n° 75.)

« *J., sanctorum Cosme et Damiani diacono cardinali.* Quanto potiorem in —. Unde tum propter hoc tum etiam quia intima personam tuam affectione prosequimur, curam et custodiam rocce de Castro, que est ejusdem ecclesie speciale demanium, Verulane diocesis, cum vassallis, possessionibus, juribus et universis pertinentiis suis, in spiritualibus et temporalibus, apostolica tibi auctoritate committimus, a te gerendas usque ad nostrum beneplacitum voluntatis. Ideoque mandamus quatinus tam circa custodiam quam oportunam reparationem dicte rocce, sic diligenter et vigilanter intendas, quod ea tuo sollicito studio congrue reparata et bene, auctore Domino, custodita, diligentiam et vigilantiam tuam possimus exinde merito commendare. Datum apud Urbemveterem, idus aprilis, anno III°. »

790 Orvieto, 13 avril 1264.

Infrascripto mandat tradat roccam de Castro J., sanctorum Cosmae et Damiani diacono cardinali, custodiendam. (Reg. 28, fol. 100 v°, cur. ann. III, n° 76.)

« *Nicolao de Anagnia, cappellano nostro, felicis recordationis G. pape, predecessoris nostri, nepoti.* Cum dilecto filio nostro J., sanctorum Cosme et Damiani diacono cardinali, curam et custodiam rocce de Castro duxerimus committendas, discretioni tue mandamus quatinus eidem cardinali vel nuntio seu nuntiis suis, quos ad hoc duxerit destinandos, roccam eandem cum armis, guarnimentis, utensilibus et omnibus ad eandem roccam spectantibus, libere facias, visis hiis litteris, absque difficultate qualibet, assignari, faciendo de assignatione hujusmodi tria ejusdem tenoris confici publica instrumenta, quorum unum tibi retineas, et aliud dicto cardinali vel eisdem nuntio seu nuntiis largiaris, tertium vero nobis studeas destinare. Datum ut supra. »

791 Orvieto, 11 avril 1264.

Sententiam a Guillelmo, tituli S. Marci presbytero cardinali, prolatam in discordia inter castellanum roccae de Lariano et Velletrenses suscitata, approbat et confirmat. (Reg. 28, fol. 100 v°, cur. ann. III, n° 77.)

« . . *castellano rocce nostre de Lariano, Velletrensis diocesis.* Cum ea que judicio —. In causa siquidem que inter te, nomine rocce nostre de Lariano, ex parte una, et commune civitatis Velletrensis nec non quamplures alias speciales personas civitatis ejusdem, super eo quod ipsi temeritate propria nonnulla feuda ad roccam ipsam spectantia, occuparunt, detinendo ea in ejusdem prejudicium occupata, ex altera, orta extitit, postquam dilectus filius noster R., sancti Angeli diaconus cardinalis, super premissis semel et iterum de mandato nostro fecit diligenter inquiri, dilectum filium nostrum G., tituli sancti Marci presbyterum cardinalem, dedimus partibus auditorem, sibique oraculo vive vocis sepius demandavimus ut negotium ipsum per deffinitivam sententiam terminaret. Idem autem presbyter cardinalis, premissis citationibus in audientia publica, ut est moris, ac utriusque partis procuratoribus coram ipso presentibus et instanter ferri sententiam postulantibus, attestationibus quoque in inquisitione quam prefatus diaconus cardinalis ultimo fieri fecit, receptis, dictisque in ipsa contentis nec non rubricis per communem examinatorem approbatis, aliisque omnibus que in judicio producta et probata fuerunt, visis et diligenter inspectis, ac juris ordine observato, diffinitivam pro te seu rocca predicta sententiam promulgavit, condempnans tibi vel eidem rocce commune ac personas prefatas in fructibus medio tempore inde perceptis, ac in expensis pro parte ipsius rocce factis in lite, quorum taxationem sibi nichilominus reservavit, prout in publico instrumento confecto exinde, signato sigillo predicti presbyteri cardinalis, plenius continetur. Nos itaque, tuis supplicationibus inclinati, sententiam ipsam provide latam, ratam et firmam habentes, eam, non obstantibus quibuscunque appellationibus partis adverse, quas frivolas decernimus, auctoritate apostolica confirmamus, etc., usque communimus.

Tenorem autem ipsius instrumenti de verbo ad verbum presentibus fecimus annotari, qui talis est :

« In nomine Domini. Amen. Cum questio verteretur inter . . castellanum rocce de Lariano ex parte una, et commune civitatis Velletrensis ac quasdam alias speciales personas, cives ejusdem civitatis, videlicet Oddonem scriniarium, Petrum Thebaldi, Petrum Bobonis, heredes quondam Petri Barbari, Lanterium domini Landi, Transmundum ferrarium, heredes Nicolai bacharii, Petrum domini Miri, Nicolaum Tinozeum, Petrum Judede, et fratrem suum, Johannem Nicolai et . . filium suum Bartholomeum, Riccardum domini Nicolai, Andream, Guidonem Andree, Transmundum

Maczocotum et . . filium Blasi Anibaldi, et Rodulfum Gregorii Rodulfi de Montefortino, ex altera, super eo videlicet quod predicti commune et cives auctoritate propria occuparunt, in ejusdem rocce de Lariano prejudicium et gravamen, et detinent contra justitiam occupata feudum Mathei Giringi, feudum quod fuit Petri Macarangi, terram ecclesie sancte Marie de Lariano, feudum Loterengi, terram que fuit quondam magistri Nicolai, feudum Symoncelli, feudum Nicolai Jacobi Janini, feudum Nicolai Portiani, feudum Nicolai Petri Marie, feudum quod fuit Oddonis Oggerii, feudum quod fuit Johannis Massarii, feudum quod fuit Leonardi Mancini Benedicti, feudum quod fuit Petri Marie Antolini et Nicolai Necti, feudum Oddonis Bonensegne, que idem castellanus asserebat pertinere ad dictam roccam, et sunt in territorio rocce de Lariano sita et de territorio ipsius, et per ipsos castellanos fuisse a quadraginta annis et ultra, a tempore cujus memoria non extitit, possessa, dominus papa venerabili patri, domino R., sancti Angeli diacono cardinali, suis litteris mandavit ut specialem nuntium et fidelem mittere deberet ad loca predicta, qui, inspectis terrarum predictarum limitibus, per agrimessorum et cultorum dictarum et vicinarum terrarum sacramenta inquireret veritatem, et eam per manum publicam in scriptis redactam sibi transmittere procuraret. Qui dominus cardinalis discretum virum magistrum Stephanum, consanguineum et cappellanum suum, ad predicta inquirenda seu exequenda specialiter destinavit, qui testes de rocca de Lariano predicta ab eodem castellano, et testes de civitate Velletrensi ab eisdem commune et civibus productos recipere procuravit. Unde predictus summus pontifex, volens per testes omni suspicione carentes, non per suspectos inquiri plenarie veritatem, iterato eidem domino cardinali mandavit ut super predictis omnibus, per homines vicinos aliorum locorum, qui non essent nec de predicta civitate Velletrensi, nec de rocca sepedicta, iterato inquiri faceret veritatem; qui per prefatum magistrum Stephanum eam iterum inquiri fecit fideliter ac etiam diligenter, mandans nichilominus, prehabita inquisitione premissa, predictus dominus cardinalis, precipiendo .. potestati, communi et consilio civitatis predicte et omnibus civibus supradictis, ut tertio die post adventum ejusdem domini cardinalis, ad curiam, coram eo in eadem curia legitime comparerent, ut, cum in publica audientia eos citari faceret, citati comparere curarent, in dicto negotio secundum quod jus dictaret, processuri, ipsum terminum eisdem pro peremptorio assignando. Cumque procurator dicti castellani et Nicolaus Travalla procuratorio nomine communis et predictarum specialium personarum in presentia dicti domini cardinalis in dicto comparuissent termino, idem Nicolaus, prout ex forma sui mandati poterat, apud Acta, magistrum Altegradum, in curia existentem, procuratorem ad omnia predicta substituisset, presentibus procuratoribus partium earundem, aperta fuit inquisitio supradicta et facte rubrice, ut moris est, ac examinator communiter electus extitit a partibus, qui rubricas examinaret predictas, qui eas diligenter examinare curavit, scilicet a procuratore predicti castellani traditas et formatas, procuratore communis Velletrensis et predictarum specialium personarum nullas exhibente rubricas nec exhibere volente, licet ad id faciendum terminum peremptorium habuisset. Fuit etiam postmodum, ex parte domini pape, ipsi domino cardinali demandatum, ut per depositiones secundorum testium, in secunda inquisitione receptorum, ad sententiam procederetur in causa predicta, cum testes in prima inquisitione productos nullius reputaret esse valoris. Unde, cum procuratores predicti de communi voluntate concluserint in causa predicta, renuntiando omnibus allegationibus et rationibus tam facti quam juris, et instanter sententiam petierint, supradictus summus pontifex nobis, Guillelmo, miseratione divina tituli sancti Marci presbitero cardinali, specialiter mandavit, et sepius oraculo vive vocis injunxit ut diffinitivam sententiam proferremus in negotio supradicto.

« Nos autem, vocatis dictis partibus in audientia publica, ut est moris, ad sententiam audiendam, Johanne Parmensi, notario, pro dicto castellano, cujus est procurator, et magistro Altegrado, superius nominato, pro jamdictis communi Velletrensi et specialibus personis, quorum se esse asserit procuratorem, presentibus coram nobis, et instanter ferri sententiam petentibus, visis et diligenter inspectis attestationibus in dicta inquisitione secunda receptis, et dictis in eadem contentis, necnon et rubricis predictis per communem examinatorem approbatis, ac aliis omnibus que in predicto judicio producta et probata fuerunt, declaramus omnia predicta feuda pertinere ad roccam de Lariano predictam, et ea esse de territorio ipsius rocce et infra fines territorii sita, ac ea esse a predictis temere occupata, in prejudicium dicte rocce, condempnantes dictum commune et predictas omnes singulares personas ac predictos Nicolaum et Altegradum, procuratores eorum, nomine eorumdem, dicto Johanni, procuratori dicti castellani, et pro ipso

et rocca predicta, ad restitutionem ipsorum feudorum faciendam ipsi rocce et eidem castellano pro ipsa rocca; in quibus omnibus supradictis eos sententialiter condempnamus. Super fructibus vero et expensis factis similiter condempnamus eosdem, quantitatem eorum nostre taxationi, prout jura decernunt, reservantes. In hujus itaque rei evidentiam pleniorem, presentem sententiam per infrascriptum notarium nostrum scriptam, nostri sigilli fecimus munimine roborari. Lata et recitata apud Urbemveterem, in domo nostri, Guillelmi, cardinalis predicti, sub anno Domini M°CC°LXIIII°, indictione VII^a, mense martio, die XXVII^a, pontificatus domini Urbani pape IIII anno III°, presentibus magistro Angelo advocato, magistro Guillelmo Pampilonensi, magistro Pagano procuratore . . episcopi Andegavensis, magistro Jordano Merleti, magistro Gerardo de Florentia notario, magistro Petro de Perona, Bartholomeo de Florentia, notario, et pluribus aliis testibus vocatis et rogatis. Et ego, Guillelmus Nicolai, auctoritate sancte Romane ecclesie notarius, et prefati domini Guillelmi cardinalis scriba, prolationi et recitationi predicte sententie presens fui, et, ut supra legitur, de ipsius domini cardinalis mandato, scripsi et in publicam formam redegi meoque signo signavi. »

Nulli ergo nostre confirmationis, etc. Datum apud Urbemveterem, III idus aprilis, anno III°. »

792 Orvieto, 12 avril 1264.

Infrascriptis praedictae committit executionem sententiae. (Reg. 28, fol. 101 v°, cur. ann. III, n° 79.)

« . . *episcopo Anagnino, et Nicolao de Anagnia, capellano nostro, nepoti felicis recordationis G. pape, predecessoris nostri.* In causa que —. Datum apud Urbemveterem, II idus aprilis, anno III°. »

793 Orvieto, 24 avril 1264.

De roborandis nonnullis contractibus contra inhibitiones apostolicas in provincia Campaniae et Maritimae initis in favorem R., Sancti Angeli diaconi cardinalis. (Reg. 28, fol. 101, cur. ann. III, n° 79.)

« *R., sancti Angeli diacono cardinali.* Romane ecclesie cujus regimini, licet immeriti, auctore Domino, presidemus indempnitatibus precavere, ac prospero et tranquillo provincie Campanie Maritimeque statui apostolica sollicitudine providere volentes, olim universis baronibus, militibus, civibus et generaliter omnibus utriusque sexus Campanie ac Maritime predictarum, unicuique videlicet baroni et baronisse, sub mille, militi vero et mulieri de militari genere prodeunti sub quingentarum, singulis autem civibus et aliis quibuscunque utriusque sexus sub trecentarum librarum provenientium penis auctoritate apostolica duximus districtius inhibendum, ne castra, feuda, homines, vassallos, terras, domos, vineas aut possessiones alias seu alia quecunque bona immobilia sive jura ipsorum in partibus earundem Campanie vel Maritime consistentia, alicui vel aliquibus ecclesiasticis secularibusve personis, cujuscunque status, dignitatis, ordinis vel condicionis forent, que non essent de eisdem Campania vel Maritima et exinde oriunde, et que non essent etiam de foro rectoris ejusdem provincie, vendere, distrahere, donare, permutare, locare aut ad censum vel emphyteosim dare, aut alio quocunque modo, vel titulo alienare presumerent. Nos ergo extunc omnem contractum, siquem, contra hujusmodi nostram inhibitionem, fieri vel celebrari contingeret, irritum penitus, vacuum decernimus et inane, ac nullius prorsus existere firmitatis, et nichilominus venerabili fratri nostro . . episcopo Anagnino, nostris sub certa forma in virtute obedientie districte dedimus litteris in preceptis ut hujusmodi inhibitionem nostram in sua civitate ac in omnibus castris et locis sue diocesis per se vel per alium seu alios sollempniter publicaret, faciens exinde confici publica instrumenta, et nichilominus publicationem hujusmodi, singulis diebus dominicis et festivis, in ecclesiis earundem civitatis et diocesis faceret innovari. Contradictores etc. Idem vero episcopus, sicut accepimus, mandatum nostrum exequens diligenter, inhibitionem et constitutionem hujusmodi sollempniter publicavit.

Nuper autem, intellecto quod nobiles viri Johannes Rogerii de Vallemontone et Petrus Rogerii, ejus nepos, Johannes de Canturano, necnon et heredes quondam Tholomei de Vallemontone et Johannes de Sarmineto, cives Anagnini, contra inhibitionem nostram temere venientes, etiam post ejusdem inhibitionis publicationem, de vassallis, terris, domibus aliisque possessionibus et bonis que habebant in castro Sarmineti, Terracinensis diocesis, quemdam alienationis contractum, contra formam dicte inhibitionis, fecerant, propter quod penas incurrerant in eadem inhibitione nostra contentas, nos eidem episcopo in virtute obedientie per alias nostras firmiter precepimus litteras, ut contractum hujusmodi, cum quacunque persona ecclesiastica vel

seculari, cujuscunque status, dignitatis, ordinis vel condicionis existeret, que non esset de predictis Campania vel Maritima et exinde oriunda, et que non esset etiam de foro rectoris memorate provincie, initum, publice et sollempniter denuntiaret irritum, vacuum et inane et nullius existere firmitatis, omnibus predictis nobilibus auctoritate nostra firmiter et districte precipiens ut, infra tres dies post preceptum hujusmodi, predictum contractum dissolverent et publice revocarent, non obstantibus quibuslibet penis, obligationibus et etiam juramentis super hoc interpositis, a quibus eos duximus absolvendos, et faceret de revocatione hujusmodi confici publicum instrumentum, quod ad nos per suum nuntium destinaret. Quod si dicti nobiles ejusdem episcopi immo potius nostro non acquiescerent in hac parte precepto, idem episcopus illos, ex parte nostra, peremptorie citare curaret ut, infra octo dies post citationem suam, comparerent personaliter coram nobis, satisfacturi nobis de pena in quam inciderant, et alias nostra super hiis audituri mandata et efficaciter impleturi. Verum, quia, sicut tu nobis exponere curasti, Johannes Rogerii aliique predicti tecum hujusmodi iniere contractum, tuque vassallorum terrarum, domorum ac possessionum et bonorum predictorum, pretio eisdem nobilibus persoluto, antequam ad ipsum episcopum hujusmodi secunde nostre littere pervenissent, possessionem adeptus fueras eorumdem, nos, hec attente pensantes et considerantes etiam quod nostre intentionis non extitit in hujusmodi generalitate verborum, videlicet *cum quacunque persona ecclesiastica vel seculari, cujuscunque status, dignitatis, ordinis, vel condicionis existat*, te vel alium comprehendere cardinalem, tuis supplicationibus inclinati, processum predicti episcopi Anagnini, si quis in hac parte per eum contra nobiles et contractum predictos per secundas litteras nostras ad eum super hoc directas, est habitus, auctoritate presentium totaliter revocamus, decernentes eosdem nobiles penas in predicta inhibitione nostra contentas, nullatenus incurrisse, ipsosque a necessitate veniendi propter hoc ad nostram presentiam, occasione citationis hujusmodi, absolventes. Nulli ergo nostre revocationis, constitutionis et absolutionis etc. Datum apud Urbemveterem, VIII kalendas maii, anno III°. »

794 Orvieto, 25 avril 1264.

Ne ad praesentiam apostolicam, ratione citationis sibi factae, veniant. (REG. 28, fol. 102, cur. ann. III, n° 80.)

« *Nobilibus viris Johanni Rogerii de Vallemontone, necnon Petro Rogerii, Johanni de Canturano ac heredibus quondam Tholomei de Vallemontone et Johanni de Sarmineto, civibus Anagninis, fidelibus nostris.* Cum nos processum venerabilis fratris nostri .. episcopi Anagnini, occasione cujusdam contractus quem contra inhibitionem nostram fecisse dicebamini de vassallis, domibus, terris, possessionibus et aliis bonis et juribus que habebatis in castro Sarmineti, Terracinensis diocesis, contra vos et eundem contractum per quasdam nostras ad eum directas super hoc litteras habitum, duxerimus totaliter revocandum, decernentes vos penas in predicta inhibitione nostra contentas, nullatenus incurrisse, vosque a necessitate veniendi propter hoc ad nostram presentiam, pretextu citationis facte contra vos hac de causa per eundem episcopum, absolventes, prout in apostolicis litteris, quas dilecto filio nostro R., sancti Angeli diacono cardinali, cum quo contractum iniistis hujusmodi, super hoc concessimus, plenius continetur, nobilitati vestre per apostolica scripta mandamus quatinus ad nos, occasione citationis hujusmodi, nullatenus veniatis. Datum apud Urbemveterem, VII kalendas maii, anno III°. »

795 Orvieto, 1er mai 1264.

Infrascripto cardinali mandat casset et irritet electionem Landonis de Montelongo in capitaneum civitatis Ferentinatis factae. (REG. 28, fol. 102, cur. ann. III, n° 81.)

« *J., sanctorum Cosme et Damiani diacono cardinali, Campanie Maritime rectori.* Olim, sicut accepimus, Jordanus Symonis Sarraceni, Petrus Gambapalumbi, Riccobene judex et Raynaldus Johannis Bovis, cives Ferentinates, in consules communis Ferentinatis per concordem electionem assumpti, regimen ipsius communis inceperunt prosequi diligenter. Medio autem tempore, inter milites de Ferentino, ex parte una, et populares loci ejusdem, ex altera, pretextu quorundam proventuum seu reddituum qui *territoria* vulgariter appellantur, discordia suscitata, dicti consules ab incoati prosecutione regiminis destiterunt, sicque, dictis popularibus nobilem virum Landonem de Montelongo ad vitam in capitaneum suum assumentibus et Orlanducio, nato ejusdem nobilis, recipiente capitaniam hujusmodi, nomine ipsius nobilis, in eorum civitate, gravis extitit per hoc orta dissentio et ob id inibi grave videbatur periculum imminere. Unde, cum hec ad nostram notitiam pervenissent, nos, attendentes

quod talia erant non solum in ipsius civitatis, sed totius provincie scandalum et ecclesie Romane prejudicium attemptata, presumptam electionem, creationem seu nominationem hujusmodi, quocumque nomine censeretur, cassavimus et irritavimus, reprobavimus, evacuavimus ac decrevimus nullius existere firmitatis, dantes nichilominus venerabili fratri nostro . . episcopo Ferentinati, in virtute obedientie et sub pena excommunicationis, firmiter nostris litteris in preceptis, ut, dicte civitatis populo convocato, ipsis sub certa pena, ex parte nostra, districte preciperet, quod pro cassa et irrita dictam electionem, creationem seu nominationem habentes, ac eam, quatenus de facto presumpta extitit, infra certum tempus in eisdem litteris comprehensum, penitus retractantes, eidem O. vel prefato nobili seu eorum vicario non obedirent vel intenderent aliquatenus in premissis, dicto autem O. preciperet, ex parte nostra, similiter ut publice capitaniam ipsam omnino dimitteret, ac eidem prorsus renuntians, de ipsa se intromittere nullatenus attemptaret, sicut in eisdem nostris litteris plenius habebatur. Demum vero dictus O. et quidam ambassatores dictorum popularium ad nostram presentiam accedentes, electioni hujusmodi et regimini ejusdem capitanie renuntiarunt expresse et ab hiis penitus recesserunt, prout de nostro processit beneplacito et mandato, ac nichilominus hoc idem prefati O. et populares publicari in eadem civitate fecerunt, sicut dictus episcopus per suas nobis litteras intimavit. Verum iidem populares, alia via dissentionis inventa, ut esset error non minus priore dampnabilis, memoratum O. in eorum rectorem usque ad triennium eligere presumpserunt, per quod fomes exorti scandali succensus est potius quam extinctus. Unde, cum velimus obviare periculis que possent ex premissis emergere, quorumque pretextu tota provincia de facili turbaretur, cum hoc verisimiliter causa pernitiosi exempli foret et ipsius ecclesie prejudicium contineret, discretioni tue mandamus quatinus per te vel per alium memoratos consules ad dicti communis regimen facias penitus reassumi, ac ab eis observari omnia ad que obligarunt se juramento, tempore quo fuerunt assumpti ad officium consulatus, nisi fuerint talia que forte duxerimus revocanda, vel que possent in ejusdem ecclesie dispendium seu prejudicium redundare, electionem de dicto O. factam per populares eosdem, cassans penitus et annullans ac nullius firmitatis esse decernens, juramentis super hoc inde prestitis omnimode relaxatis, dictis quoque popularibus, sub pena de qua videris expedire, districte inhibeas vel facias inhiberi, ne talia vel similia ulterius attemptare presumant, decernens irritum et inane, si secus ab eis extiterit attemptatum. Nos enim penas quas propter hoc tuleris in rebelles, ratas etc., usque observari. Si vero super aliquibus inter milites et populares eosdem aliquid fuerit questionis, facias in hiis, tam auctoritate nostra quam tua, quod, suadente justitia, videris faciendum. Datum apud Urbemveterem, kalendis maii, anno III°. »

796 Orvieto, 13 avril 1264.

Magistro Miloni, suo in partibus Franciae nuntio, quindecim libras tur. mensuales, de bonis Senensium percipiendas, assignat. (Reg. 28, fol. 102 v°, cur. ann. III, n° 82.)

« *Magistro Miloni, forisdecano Brivatensi, nuntio nostro.* Olim experiri volentes an reprobis Senensibus, pro sua indevotione per sedem apostolicam vinculo excommunicationis astrictis, daret salubris vexatio intellectum et eos ad devotionem ecclesie revocaret, te ad partes Francie propter hoc duximus destinandum, tibi per litteras nostras injuncto, ut eosdem Senenses tanquam excommunicatos faceres ab omnibus artius evitari, et interdiceres debitoribus eorumdem, ne ipsis Senensibus, sic ligatis, de suis debitis satisfacerent, sine nostra licentia speciali; et postmodum quod de ipsis debitis, usque ad summam sex milium marcarum sterlingorum, dilectis filiis civibus Lucanis, quos dicti Senenses graviter afflixerant, faceres exhiberi. Verum, quia, sicut asseris, super percipiendis procurationibus ab aliquibus ecclesiis nullam tibi concessimus facultatem, pro equis et vestibus tuis non minimam de proprio expendisti pecunie quantitatem; quare nobis humiliter supplicasti, ut providere tibi super hoc misericorditer dignaremur. Volentes igitur quod, singulis mensibus pro tempore quo de cetero negotio institeris supradicto, quindecim libras turonensium habeas de pecuniis Senensium predictorum, quas de mandato nostro ab eorum debitoribus exegisti vel exiges in futurum, presentium tibi auctoritate concedimus ut easdem quindecim libras de cetero pro singulis mensibus exigere, percipere valeas et habere ac contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, coartare. Non obstante —. Datum apud Urbemveterem, idus aprilis, anno III°. »

797 Orvieto, 6 mai 1264.

Episcopo Sabinensi, legato apostolico in Anglia, mandat revocet citationem qua ad sedem apostolicam citati erant episcopi Londoniensis, Wigorniensis et Wintoniensis (Reg. 28, fol. 102 v°, cur. ann. III, n° 83.)

« . . *episcopo Sabinensi, apostolice sedis legato.* Olim in proposito nostro resedit ut venerabiles fratres nostros . . Londoniensem, . . Wigorniensem, et . . Wintoniensem episcopos, personaliter ex certis causis ad nostram citari presentiam faceremus; sed non recolimus utrum a nobis emanavit hujusmodi citatio contra eos. Verum, quia legationis officium in regno Anglie tibi duximus committendum, cupientes ut ea que sollicitudo tua gerenda suscepit, in omnibus, auctore Domino, prospere dirigantur, fraternitati tue presentium auctoritate concedimus, ut, si contingat eosdem episcopos, prout dictum est, esse citatos, vel super hoc a nobis litteras emanasse, ac negotio tibi commisso vel alias utile fore cognoveris et videris expedire, suspendere valeas predicte citationis effectum aut injungere illis quibus dicte littere diriguntur, quod ad citationem hujusmodi non procedant, ita quod dicti episcopi, citatione vel litteris eisdem nequaquam obstantibus, laborare propter hoc ad sedem apostolicam non cogantur, donec super hoc duxerimus aliter providendum. Ad hec, cum . . Lincolniensis episcopus, auctoritate nostra citatus, comparere personaliter coram nobis superbe contempserit et nos ipsum propter hoc reputaverimus contumacem, nolumus quod de hujusmodi citationis que contra eum emanavit negotio, te aliquatenus intromittas, cum intendamus tanquam contra contumacem procedere contra eum —. Datum apud Urbemveterem, II nonas maii, anno III°. »

798 Orvieto, 25 avril 1264.

Ad perpetuam rei memoriam. Diffinitio inter fratres super senatu Urbis et regno Sicilie dando nobili viro Andegavie ac Provincie comiti [1]. (Reg. 28, fol. 103, cur. ann. III, n° 84; Potthast 18858.)

« Dicit Jeremias quod omne malum ab aquilone pandetur; nos autem dicimus quod non jam ab aquilone, sed a regno Sicilie nobis et vobis panditur omne malum; nam de ejus divitiis magna pars mundi corrumpitur, ecclesie patrimonium laceratur et vie nostre et ad nos venientium ex parte jam maxima sepiuntur. Ut autem tot malis, quibus modis poterimus, occurramus, aliqua cogimur tolerare, que, hujusmodi causis cessantibus, minime pateremur. Unde, quia, procedente tractatu inter nos et dilectum filium nobilem virum Carolum, Andegavie ac Provincie comitem, de regno Sicilie sub certis conditionibus ei dando, contigit eundem comitem in senatorem Urbis assumi, nos, qui nullum principem preter Romanum pontificem, si vel prosperitas arrideret vel saltem levior urgeret calamitas, dominari vellemus in Urbe, nunc, malis crescentibus, eidem comiti in senatoria dignitate ad tempus obtinenda, ad hoc ut liberior et facilior aditus ei ad dictum regnum exinde pateat, cogimur assentire. Quamvis autem vestra in hac parte fuerint diversa consilia, omnibus tamen provida meditatione pensatis, nobis videtur utile et hoc tempore necessarium ut, juxta ejusdem comitis et carissimi in Christo filii Ludovici, Francorum regis illustris, desiderium, dilectum filium nostrum S., tituli sancte Cecilie presbiterum cardinalem sine more dispendio destinemus ad ipsos, qui ad primam de illis duabus viis, quas dilectus filius magister Albertus notarius noster eidem comiti nuper secum tractando proposuit, comitem ipsum, diligentibus monitis et quibuscumque poterit modis, inducat; ad quod obtinendum eundem cardinalem per nostras litteras ad ipsos regem et comitem dirigendas juvare curabimus, scribendo eisdem, quanto affectuosius scribere poterimus in hac parte. Veruntamen, si nullo modo possent induci ad hujusmodi primam viam, volumus quod idem cardinalis, antequam oporteat predicti regni dissolvi tractatum, transeat ad secundam viam seu formam senatus articulum contingentem, et si cum eodem comite volente juxta formam cavere secundam, super ipsius regni negotio convenire potuerit, procedat in utroque negotio juxta formas inferius annotatas.

Due autem vie seu forme proposite dicto comiti de senatu sunt ille quas vobis supra legimus et nunc iterum recitamus.

Prima forma cautionis, que videtur a comite requirenda, hec est : prefigetur ei tempus triennii vel quadriennii vel ad plus quinquennii, ultra quod nequeat tenere senatum, et dabit suas patentes litteras et promittet, sub penis infrascriptis, quod si, infra tempus, de quo conventum fuerit, regnum Sicilie totum vel majorem partem ejus, cui minor non possit resistere, acquisierit, ad mandatum Romani Pontificis, qui pro tempore fuerit, senatum dimittet omnino, ex tunc per

1. Ce résumé est donné par le registre.

se vel per alium non resumpturus eundem, et hec omnia et singula se firmiter ac fideliter servaturum firmabit proprio juramento. Quod si contra premissa vel aliquid de premissis venerit vel fecerit, preter reatum perjurii, idem comes excommunicationis, et terra sua ubilibet constituta interdicti incurrent sententias, eo ipso; quas sententias si per mensem sustinuerit, eo ipso cadat jure senatus; et si postea de facto senatum tenere contenderit, seu per se vel per alium de ejus regimine seu quoquomodo intromiserit, cadat eo ipso ab omni jure sibi quesito in regno Sicilie.

Secunda forma hec est: promittat comes quod bona fide dabit operam, ut Romanis non juret regere Urbem ad vitam, sed quamdiu sibi placuerit, tenere senatum; quod si obtinere hoc poterit, juret comes quod non tenebit senatum ultra quinquennium, seu ultra illud tempus citra quinquennium, de quo conventum fuerit inter ipsum et dictum cardinalem; et quod, si infra illud tempus, de quo conventum fuerit, regnum Sicilie totum vel majorem ejus partem, cui minor nón possit resistere, acquisierit, ad mandatum Romani Pontificis, qui fuerit pro tempore, dimittet senatum omnino, extunc per se vel per alium non retenturus eundem. Si autem dictus comes a populo Romano obtinere non possit, quod non teneatur Urbem regere vita sua, promittet comes quod, postquam concesserimus ei regnum Sicilie, et ipse totum illud vel majorem partem ipsius acquisierit, vel si forte, quod absit, illud acquirere non poterit, postquam de hoc liquido constiterit, ipse mittet senatum, cum a nobis vel successore nostro de plano, non servata juris solempnitate, decretum fuerit, quod illum debeat dimittere, adjecto expresse in eodem decreto quod senatum, sine ecclesie Romane prejudicio et anime sue periculo, tenere non potest, et quod dictum senatum potest dimittere de jure, sine offensa juramenti quod prestitit et prestabit in adventu suo Romanis; et tunc, ut dictum est, eundem senatum omnino dimittet. Et hec omnia jurabit et promittet quod in dimissione senatus dabit operam bona fide, ut idem senatus ad ordinationem Romani Pontificis et ecclesie revertatur, cives scilicet Romanos ad hoc, sicut melius et honestius poterit, inducendo. Jurabit etiam quod, dum senatum tenuerit, nichil scienter in terris ecclesie, demaniis scilicet et feudis, in ejusdem ecclesie prejudicium vel suorum, faciet contra ipsam ecclesiam et ecclesiasticam libertatem. Quod si ipse vel sui fecerint, id sine more dispendio revocabit, et iste cautiones omnino habeantur ad minus, et meliores, si poterunt obtineri. Si autem dictus comes predictas promissiones et cautiones facere recusaverit, idem cardinalis, dimisso regni negotio, ad sedem apostolicam revertatur, premissa protestatione de jure Romane ecclesie in senatu, et reddet in hoc placabilem regem Francie, Romanam ecclesiam excusando, cum per eam non stet, quin negotium cum eodem comite modo debito consumetur. Hoc autem modo super senatus articulo datis consiliis diffinimus, hoc addito quod, si eidem cardinali super regni negotio cum dicto comite non potuerit convenire, nec in prima nec in secunda forma, nec in alia qualibet procedat super senatus articulo cum eodem; immo jus nostrum et Romane ecclesie in dicti regis presentia contestetur eidem, et dicat expresse quod, sine anime sue periculo et Romane ecclesie prejudicio, nequeat susceptum Urbis regimen retinere.

Sane, super dicti regni negotio diffinimus dandum fore a nobis potestatem cardinali predicto super modificationibus ex parte dicti comitis postulatis, ita quod idem cardinalis negotietur prudenter cum eo, nec se nimis exhibeat facilem ad assensum, sed cum deliberatione morosa stet pro utilitate ecclesie, quantum poterit et possit, censum, de quo est actum, minuere in duobus milibus unciarum et non ultra; et ad hanc diminutionem simul non veniat sed gradatim. Circa articulum etiam juramenti regnicolarum reddat se omnino difficilem, et temptet si illum, sicut jacet, poterit obtinere; et si hoc non potest, remittatur in vita comitis hujusmodi juramentum; et si nec hoc potest, extendatur ejusdem juramenti remissio ad primum heredem; et si nec istud, inquirat dictus cardinalis an aliquam securitatem aliam in locum juramenti hujusmodi velit idem comes offerre. Quod si in hiis omnibus defecerit et in aliis conveniri non poterit cum eodem, possit articulum juramenti totaliter amovere.

De aliis autem condicionibus, quarum modificatio petitur, sicut eas legimus nuper vobis, potestatem habeat cardinalis modificandi et limitandi easdem cum predicti regis consilio, prout honori Dei et ejus ecclesie ac nostro et felici promotioni negotii viderit expedire, provisurus attentius quod expressionem taxati numeri militum non remittat, nisi dictus comes possit eidem ostendere manifeste quod id expediens sit negotio potius quam persone. Ceterum, postquam super omnibus supradictis cum eodem comite concordaverit, scribantur vel legantur omnia in ejusdem regis presentia. Et possit prefatus cardinalis promittere dicto comiti, nostro et ecclesie Romane nomine, quod postquam, sine gravi scandalo ecclesie gallicane,

de assignanda sibi decima quam petiit, ordinatum fuerit et concessum, et negotium, pro quo carissimus in Christo filius noster, rex Anglorum illustris, et Eadmundus, natus ejus, sunt auctoritate nostra citati, fuerit per nos, Deo favente, decisum, et pax inter carissimam in Christo nostram Margaritam, illustrem Francorum reginam, et ipsum comitem fuerit reformata, vel saltem per eundem cardinalem vel per alium seu alios, quos idem Francorum rex duxerit deputandos, super pace hujusmodi talis tractatus processerit, quo ipse Francorum rex contentus existat, dabitur eidem a nobis regnum Sicilie cum juribus et pertinentiis suis sub conditionibus tractatis et hinc inde firmatis seu acceptatis, non mutandis nec augendis vel minuendis in totum vel aliquam sui partem; et de sic dando regno predicto dabit suas litteras dicto comiti cardinalis, et de sic recipiendo comes versa vice suas dabit litteras cardinali. Finalem autem concessionem et investituram regni predicti nobis duximus reservandam. Et hec super senatus et regni predictorum negotio diffinimus, et hujusmodi nostram diffinitionem volumus firmam, inconcussam et stabilem ac immutabilem et inviolabilem permanere. Actum apud Urbemveterem, in camera palatii episcopalis, presente fratrum nostrorum collegio, VII kalendas maii, anno tertio. »

799 Orvieto, 6 mai 1264.

S., tituli S. Ceciliae presbytero cardinali, apostolicae sedis legato, concedit facultatem in negotio senatus Urbis et regni Siciliae sibi commisso, juxta diffinitionem praedictam, cujus tenorem mittit interclusum, procedendi. (REG. 28, f° 104, cur. ann. III, n° 85; POTTHAST 18893.)

« *S., tituli sancte Cecilie presbitero cardinali, apostolice sedis legato.* Super regni Sicilie —. Datum apud Urbemveterem, II nonas maii, anno III°. »

800 Orvieto, 8 mai 1264.

Eidem cardinali mittit modificationes quas Carolus, Andegaviae et Provinciae comes, super negotio regni Sicilae et senatus Urbis magistro Alberto notario proposuit. (REG. 28, fol. 104, cur. ann. III, n° 86; POTTHAST 18899.)

« *Eidem cardinali.* Cum in diffinitione nostra, quam super negotio regni Sicilie et senatus Urbis inter fratres nostros nuper edidimus tibique bullatam tradidimus, inter alia contineatur expresse dandum tibi fore potestatem a nobis super modificationibus ex parte dilecti filii nobilis viri Caroli, Andegavie ac Provincie comitis, postulatis, presentium tenore scire te volumus, quod de illis modificationibus et non aliis intelligimus, quas, sicut ab eodem petite sunt comite, et continentur in litteris dilecti filii magistri Alberti, presentibus fecimus annotari, quarum tenor talis est :

« Cum ecclesia, omni casu contingente, intendat et velit habere censum annuum decem milium unciarum, nec intendat aliquid de censu remittere, etiamsi dominus comes expenderet omnes proventus totius regni vel majorem partem proventuum in defensione regni vel ecclesie, et iste census videatur gravis et nimis magnus domino regi et domino comiti, maxime cum iste census, propter cladem aliquam seu casum supervenientem, secundum intentionem ecclesie non debeat remitti nec etiam diminui, petit dominus comes quod in principio contractus minuatur census, et super moderatione dicti census detur potestas cardinalibus, maxime cum videatur domino regi et domino comiti quod, etiamsi idem comes non reciperet in se periculum casuum supervenientium, nichilominus predicta summa decem milium unciarum esset diminuenda. Unde, cum dominus comes, propter pacem et voluntatem ecclesie, recipiat in se pericula casuum supervenientium, ecclesia debet esse favorabilior et promptior ad faciendam majorem diminutionem summe predicte, et ad istam diminutionem faciendam debet de facili induci ecclesia, maxime quia oportebit eum multas donationes, et in mobilibus et in immobilibus, facere propter suam novitatem, et quia extraneus erit in terra illa, et quia opertebit quod multos magnates ducat secum, quos, sine magnis donationibus, non posset in illis partibus de facili retinere.

« Secundo, petit dominus comes quod dilatetur successio collateralium superiorum, ut puta patrini et avunculi, amite et matertere, et sursum usque ad quartum gradum, et collateralium inferiorum, utpote nepotis vel neptis ex fratre vel sorore, et inferius usque ad quartum gradum; petit etiam quod in collateralium successione et aliis articulis de feminis loquentibus, admittantur nupte sicut inupte, dum tamen sint nupte fidelibus et devotis ecclesie. Videtur enim domino comiti quod, si excluderentur nupte femine, expectantes successionem regni, differrent contrahere matrimonium propter spem successionis : et ita ex hoc posset citius deficere genus, et ita ex hoc etiam posset dari feminis occasio delinquendi. Et est notandum quod dominus comes petit dilatari succes-

sionem collateralium ex eo provenientium et non collateralium, quos nunc habet dominus comes; sed in illis collateralibus remaneat ordinatio facta.

« Tertio, petit dominus comes quod ubicumque prohibetur ut ipse vel heres non recipiat majorem partem Tuscie vel Lombardie, addatur ibi *scienter*, quia posset esse quod dominus comes vel ejus heres ignorarent que esset major pars Tuscie vel Lombardie; sed bene vult dominus comes quod, si etiam ignoranter reciperet majorem partem Tuscie vel Lombardie, teneatur eam dimittere ad mandatum ecclesie; et si tunc dimitteret ad mandatum ecclesie, non incideret in penam statutam in illo articulo. Si vero monitus non dimitteret ad mandatum ecclesie, bene remaneat pena, prout est statuta in illo articulo.

« Quarto, petit dominus comes quod in illo articulo, ubi dicitur quod, post delatam successionem regni, tamen ante adeptam possessionem, ille cui fuerit delata successio regni, convolaverit ad imperium vel regnum Alamannie vel dominium Tuscie vel Lombardie vel majoris partis earundem, deferatur regni successio ad sequentem masculum, provideatur feminis descendentibus et collateralibus, sicut provisum est masculis.

« Quinto, petit idem comes quod, si vadat in propria persona ad acquirendam possessionem regni, numerus militum suo arbitrio relinquatur; et dominus comes promittat, bona fide, quod veniet ad acquirendam possessionem regni bene munitus, secundum quod utilitati sancte Romane ecclesie et negotii et persone viderit expedire; et hoc petit idem comes propter multas rationes, quas bene dicet cardinalibus quando venerint; et credit pro certo quod cardinales reputabunt eas bonas, sed non vult eas mandare per litteras.

« Sexto, petit dominus comes quod amoveantur totaliter juramenta comitum et baronum et magnatum et aliorum regni Sicilie et innovatio dictorum juramentorum de decennio in decennium facienda; et hoc petit quantum ad personam suam et heredes suos, quia videtur domino regi et domino comiti quod talia juramenta non consueverint exigi, nisi contra tales qui consueverint esse infideles et indevoti dominis suis. Videtur etiam domino comiti quod juramentum suum et heredum suorum debeat sufficere sacrosancte Romane ecclesie, cum aliis penis sententiarum excommunicationis et interdicti et privationis regni et amissionis regni Sicilie ipso facto, que etiam pene multis videntur graves et etiam inhoneste. »

Datum apud Urbemveterem, VIII idus maii, anno III°. »

801 — Orvieto, 7 mai 1264.

Eidem concedit potestatem procedendi, cum consilio Ludovici, regis Francorum, ad modificationes a Carolo, comite Andegaviae et Provinciae, petitas. (Reg. 28, fol. 104 v°, cur. ann. III, n° 87; Potthast 18897.)

« *S., tituli S. Cecilie presbitero cardinali, apostolice sedis legato.* Cum in diffinitione —. Datum apud Urbemveterem, nonis maii anno III°. »

802 — Orvieto, 3 mai 1264.

Eidem cardinali plenae legationis officium in regno Franciae committit. (Reg. 28, fol. 104 v°, cur. ann. III, n° 88; Potthast 18883.)

« *Eidem cardinali.* Desideravit et desiderat ancxie Romana mater ecclesia, ut populus ille regni Sicilie, qui tanto tempore duces sequendo nequitie, declinavit a semita mandatorum Domini et per inobedientie invium oberravit, ad viam rediret rectitudinis et salutis, et, cecitatis excussa caligine, in lumine recte intelligentie ambulans, regrederetur ad ipsius ecclesie gremium et sinceris ac devotis ejus filiis ad salutem preceptorum suorum observantiam uniretur; ut ad fidelium communionem reversus, in devotione cum eis stabili mente persisteret et omnipotentis iram, quam diutinis provocavit offensis, sedula humilitate placaret. Affectavimus etiam quod scelestus ille malitie fomes et minister sevitie, Manfredus videlicet, quondam princeps Tarentinus, ad cor suum de tot prevaricationibus rediens, dimissis ejus pravitatibus et perversitatibus, in quibus obfirmatus existit, sue indurate contumacie deponeret supercilia, et sub potenti manu Dei humiliter se prosternens, predicte ecclesie, pro tot injuriarum et offensarum cumulis, quos in eam non expavit congerere, satisfactionem plenariam exhiberet. Vehementer quoque optavimus et optamus ut prefatum regnum quod, velut ovis devians, ignorantie tenebris obscuratum, in precipitia labitur, ad aliorum fidelium regnorum consortium, vere lucis illustratum radio, remearet, et, ut regnum ipsum quod assiduis doloribus premitur, affligitur angustiis, gravatur dispendiis et jugi discrimine ruit et vastatur in suis, tot instantia sibi pericula cogitaret et, infra se suum miserabilem lapsum et casum attendens, de sua foret salute sollicitum et studeret a tot flagellis eripi totque oppressionibus liberari. Sed illud tanquam miserum statuens oculos suos declinare in

terram, ut quasi sua et suorum mala non cernat, et dire servituti dorsa summittens, ad ferendam cujuslibet gravaminis sarcinam, de sua dissipatione suoque curare opprobrio, tamquam ebes, languens et torpidum, non videtur, quin immo ex assueta impositione ponderum, ac si callosam in humeris jam contraxisset duritiam, sine querela et murmure serviliter mala sustinet universa. Unde nos, illi miserabili populo, qui prostrato animo et inflexa cervice, ad ruinam perditionis per eundem Manfredum, absque clamore, libere trahitur, paterno compatientes affectu, ipsum de faucibus illius draconis eripere ac reducere ad statum tranquillitatis et pacis, post diversos tractatus per predictam ecclesiam super dicti regni negotio cum diversis catholicis mundi principibus habitos, tandem ad devotum et strenuum principem, videlicet dilectum filium nobilem virum Carolum, Andegavie ac Provincie comitem, germanum carissimi in Christo filii nostri Ludovici, Francorum regis illustris, oculos mentis nostre direximus, sperantes negotium ipsum in personam ejus, si Dominus ex alto concesserit, efficaciter promovere.

Quia igitur tanti negotii promotio personam exigit, que sua instanti diligentia et providentia eximia summaque insuper experientia illius magnitudini congruat, providimus te ad regnum Francie pro eodem negotio, tamquam illum de cujus circumspectione, industria et maturitate inter ceteros fratres nostros, Romane videlicet ecclesie cardinales, plenam et firmam obtinemus fiduciam, specialiter destinare. Ideoque discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatenus hujusmodi onus prona et prompta mente suscipiens, ad regnum ipsum, de divina gratia et apostolica auctoritate confisus, accedas, omnem circa negotium ipsum ejusque promotionem diligentiam sollertiam impensurus. Ut autem eo liberius et efficacius hoc exequi valeas, quo ampliori circa id fueris potestate munitus, tibi in predicto regno Francie et in terris ad dilectam in Christo filiam nobilem mulierem . . comitissam Flandrie, ratione dominii vel feudorum suorum in Cameracensi et Tornacensi diocesibus spectantibus, nec non in comitatu Provincie et aliis predicti comitis et vassallorum suorum terris, ac Lugdunensi, Viennensi, Ebredunensi, Tarentasiensi et Bisuntina provinciis, in aliis quoque terris ad quas ratione ipsius negotii te devenire contigerit, plene legationis officium de fratrum nostrorum consilio, presentium auctoritate committimus, ut ibidem evellas et destruas, dissipes et disperdas, edifices et plantes, sicut videris expedire, concessa tibi contradictores et rebelles quoslibet per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendi, quibuscumque privilegiis seu indulgentiis apostolicis, per que nullum umquam in hac parte volumus afferri suffragium, nequaquam obstantibus, libera facultate. Datum apud Urbemveterem, v nonas maii, anno III°. »

803 Orvieto, 3 mai 1264.

Inscriptis mandat quatenus S., tituli s. Ceciliae presbyterum cardinalem, apostolicae sedis legatum, benigne et honorifice excipiant eique humiliter et devote intendant. (Reg. 28, fol. 105, cur. ann. III, n° 89; Potthast 18871.)

« *Universis archiepiscopis et episcopis, ac dilectis filiis abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis, prepositis et aliis ecclesiarum prelatis, nec non capitulis, collegiis, conventibus ceterisque personis ecclesiasticis, secularibus et regularibus, exemptis et non exemptis, per regnum Francie ac terras ad dilectam in Christo filiam, nobilem mulierem . . comitissam Flandrie, ratione dominii vel feudorum suorum in Cameracensi et Tornacensi diocesibus pertinentes, per comitatum etiam Provincie et alias dilecti filii nobilis viri Caroli, Andegavie ac Provincie comitis, et vassallorum suorum terras, ac per Lugdunensem, Viennensem, Ebredunensem, Tarantasiensem et Bisuntinam provincias constitutis.* Desideravit et desiderat —. Datum apud Urbemveterem, v nonas martii, anno III°. »

804 Orvieto, 3 mai 1264.

Infrascriptis mandat exsolvant decimam omnium ecclesiasticorum proventuum Carolo, Andegaviae ac Provinciae comiti, ecclesiae Romanae adversus Manfredum, quondam principem Tarentinum, defensori. (Reg. 28, fol. 105 v°, cur. ann. III, n° 90.)

« *Eisdem prelatis et aliis.* Dolorum urgentium multitudo —. Liquet namque omnibus qualiter a diebus quondam Frederici, olim Romanorum imperatoris, Sicilie regnum vim patitur, et viperea ejus generatio predatione illud dirupit violenta, quoniam idem Fredericus ejusque nati et posteri, aliorum tyrampnorum excedentes tyrampnidem, gravioribus illud affecerunt injuriis et oppressionibus durioribus afflixerunt, et velut in cedem et exterminium ejus tendentes furoris arcum et sevitatis gladium acuentes, diris illud tribulavere flagellis et usque ad interiora, profundis illatis vulneribus, sauciarunt, quia in hoc pravo genere, patrum in filios cum sanguine derivata

malitia, sicut carnis propagatione sic imitatione operum nati genitoribus successerunt. Et licet predicta ecclesia, memorato Frederico et Conrado, ipsius nato, sublatis de medio, ad predictum regnum habens materne compassionis affectum, ardenti consurrexerit desiderio ut regnum ipsum, quod ad eam pertinet pleno jure, et de cujus opulentia ejus persecutores et emuli multipliciter impinguati, ipsam sub diversitate temporum oppugnaverunt graviter, ad optate salutis, libertatis solite pacisque solide statum plene reduceret, et illud in ea firma stabilitate, favente Domino, perseveraret, quia tamen Manfredus, quondam princeps Tarentinus, cujus personam ecclesia eadem in regno ipso beneficiis largis et amplis extulerat, suis in dicto regno processibus dampnabiliter obviavit, ineundo colligationes malignitatis cum Sarracenis Lucerie, cum quibus exercitum ejusdem ecclesie, pro ipsius regni commodo et tranquillitate directum, offendit graviter, infidelium agmina commovens contra catholicos et fideles, non potuit ipsa ecclesia, juxta pii affectus plenitudinem, salubre de regno ipso sue intentionis propositum obtinere.

Nam idem Manfredus, eorumdem Sarracenorum contra ipsam ecclesiam telis armatus, ad occupationem ipsius regni presumptuosa cupiditate procedens, ut Sarrecenos ipsos haberet sibi contra ecclesiam favorabiles et sue consentaneos pravitati, nonnulla loca ipsius regni, que nec prece, nec pretio, nec violentia poterat ab ecclesie fidelitate ac devotione subducere, proditionaliter a Sarracenis eisdem, qui fidelium eorumdem locorum sitiebant sanguinem, nocturno tempore capi fecit, illaque funditus dissipari ac in cinerem redigi et favillam, eorumdem locorum incolas utriusque sexus, preter illos quos indifferenter manus inimica peremit, eorumdem Sarracenorum, in injuriam Christiane fidei, subjiciens servituti. Postquam autem regnum ipsum cum eorumdem Sarracenorum auxilio totaliter occupavit, sic protinus in superbie altitudinem est elatus et in sevitie acerbitatem obriguit, quod de divina virtute non tremuit, humanamque parvipendit potentiam, et honorem predicte ecclesie ac libertatem ecclesiarum et hominum dicti regni tyrampnide furibunda depressit. De multiplicis namque necessitatis angusto, in quo serpens iste latuerat, ad affluentis copie amplitudinem famelicus et sitibundus exiliens, rabido cepit ore regnum laniare prefatum. Nam Sarracenorum ritus amplectens ac ipsos in cotidianis obsequiis notabiliter secum tenens, illorum precipue consilio et favore, prefatum regnum ad tantam exinanitionem servitutemque redegit, quod omnibus ejus incolis pene penitus nichil habentibus et quampluribus exinde probis ejectis, illos qui remanserunt ibidem, sub servili vivere condicione compellit, sicque in bona et personas ipsius regni anxia exarsit et exardet ingluvie, quod hoc insatiabili rapacitate discerpens, illud proh dolor! ferus plus fera qualibet, fere penitus absorbuit in utrisque, nec sexum nec etatem nec ordinem pretermittens; neque ecclesias etiam et personas ecclesiasticas ipsius regni eorumque jura et bona ejus furor preteriit, sed in hoc eo excanduit ferocius, quo quicquid ecclesiastico discernitur nomine, abhorret odio graviori, quoniam archiepiscopales, episcopales et alias predicti regni ecclesias et monasteria detinet, seu detineri facit dampnabiliter occupata, in eorum aliqua fictos et pernitiosos intrudendo ministros, vel jam intrusos nefarie confovendo, quedam vero pro suo commendando libito, et illorum in usus proprios convertendo periculose proventus. Quid plura? tanta impietate corpus ibidem obtrectavit ecclesie, quod ipsum fere ad nichilum jam redegit. Nam illud rabiosis demembrans morsibus, totam demum carnem voravit ipsius, corrosit etiam ossa et insuper medullas exsuxit.

Idem quoque Manfredus, multis injuriis et diversis offensis, quibus memoratam in ejusdem regni occupatione inhumaniter vexavit ecclesiam, non contentus, ad Anconitanam Marchiam et quamplures alias terras ipsius ecclesie, et demum ad quandam partem Tuscie que Romano Imperio subjacet, Uberto, marchione Pelavicini, et nonnullis aliis ejusdem ecclesie persecutoribus et proditoribus sibi per iniquarum colligationum federa contra ipsam ecclesiam copulatis, avidas et occupatrices manus extendens, et eandem ecclesiam in quadam quodammodo sagena concludens, continuis illam aggressibus impetit, assidua vexatione concutit, rabie tyrampnica distrahit et diversis aliis tribulationum generibus incessanter affligit, adeo quod, eadem ecclesia tot malis afflicta, tot attrita molestiis totque flagellis oppressa, vix potest ab hujusmodi oppressionibus respirare, quoniam ex hoc pullulant fere ubique per Italiam hereses, cultus divinus minuitur, fides catholica premitur, immo deprimitur et opprimitur status fidelium, ancillantur ecclesiastice libertates et jura ecclesiastica conculcantur. Prelati quoque et alii clericali militia presigniti, penas subire coguntur exilii, capiuntur et ignominiose tractantur ac in atroces detruduntur carceres, mutilantur et morte turpissima condempnantur. Spoliantur sacra et pia loca, tam religiosa quam alia, possessionibus et aliis bonis suis, et cum sint

divino dicata cultui, ad usus deputantur illicitos et prophanos, despiciuntur et abhominationibus ac spurcitiis sordidantur. Nonnulli quoque clerici divina coguntur officia in locis ecclesiastico interdicto suppositis, in contemptum clavium, celebrare et exhibere sceleratis et excommunicatis ac impiis ecclesiastica sacramenta. Pontificalis parvipenditur auctoritas et potestas, ecclesiastica censura contempnitur, pereunt anime, trucidantur corpora, incenduntur urbes, destruuntur castra, infringitur stratarum securitas, spoliantur viatores, Sarraceni et scismatici Christicolis preferuntur, defenduntur heretici, adeo quod in nonnullis locis non audemus procedere contra ipsos. In aliquibus vero terris, predicatores evangelice veritatis Verbum Dei proponere fidelibus prohibentur et hereses publice predicantur. Quamplura insuper alia detestabilia et abhominabilia committuntur, que divine oculos majestatis offendunt, scandalum in ecclesia commovent et tremendum ecclesiastice censure vigorem debilitant et conculcant. Nec potest ipsa ecclesia, predicti Manfredi invalescentibus viribus, oportunum super hiis remedium adhibere, cum nuper etiam idem Manfredus truculentas manus in viscera ejus immittens, quosdam Theutonicos, sue utique persecutionis ministros, in Patrimonium beati Petri in Tuscia, in quo nos cum tota nostra curia residemus, destinare presumpserit, in asperiorem et duriorem vexationem ipsius ecclesie, turbationem provincie nostrorumque fidelium nocumentum.

Quia igitur a predicto regno Sicilie panditur omne malum ipsius ecclesie, et tantorum periculorum, tam animarum quam corporum, causa procedit, omnino expedit eidem ecclesie circa statum ipsius regni aliter cogitare, quoniam, si ecclesia plena sua libertate ac auctoritate in regno gauderet eodem et aliquis princeps catholicus ejus gubernaculis presideret, innumerabilia et extimabilia bona non solum eidem Romane, verum etiam universali ecclesie, et potissimum Terre sancte ac Constantinopolitano Imperio spiritualiter et temporaliter provenirent, nec oporteret eandem Romanam ecclesiam sic frequenter ad ultramontanas ecclesias pro ejus necessitatibus habere recursum ipsasque totiens aggravare. Sufficerent enim ei suum patrimonium et regni census ejusdem, si hec pacifice possideret multaque temporalia bona perciperet ab ecclesiis dicti regni, que suas necessitates non modicum relevarent, quemadmodum temporibus devotorum et catholicorum regum Sicilie hec percipere consuevit. Cogitantes itaque et diligentius inquirentes vias et modos, quibus ecclesia ipsa hoc tempore juvari valeat et a tot calamitatibus liberari, universorum orthodossorum regum et principum orbis terre aptitudine ad hoc et promptitudine cum multa deliberatione pensatis, tandem ad dilectum filium nobilem virum Carolum, Andegavie ac Provincie comitem, principem utique strenuum, industrium et fidelem, ac de illa regia stirpe progenitum de qua suscepit semper et suscipit eadem ecclesia filios benedictionis et gaudii, filios factis et fama pollentes, filios oportuni auxilii et favoris, in quibus suavem delibat dulcorem reverentie filialis et innate devotionis insumit odorem, oculos mentis nostre convertimus, dereximus animum, intentionem extendimus et in ipso, immo potius in carissimo in Christo filio nostro Ludovico, illustri rege Francorum, cujus germanus existit, ac famosissimo et christianissimo regno suo, post Deum quoad ipsius ecclesie ab inimicis ejus, qui in circuitu ejus sunt, liberationem, firmiter defiximus anchoram spei nostre, sperantes in illo qui reges et regna constituit et qui dominatur super regnum hominum, et qui illud cuicunque vult liberaliter elargitur. Quod si negotium predicti regni Sicilie in personam ejusdem Caroli, divina favente clementia, promoveri, et regnum ipsum in eum transferri contigerit, illam eandem liberationem illamque consolationem in hujusmodi necessitatis articulo predicta per eum consequetur ecclesia, quam per clare memorie magnificum Carolum, Pipini filium, ejusdem progenitorem comitis, in cujus personam Romanum Imperium ecclesia de Grecis transtulit in Germanos, eidem ecclesie legitur antiquis temporibus in necessitate simili provenisse.

Verum, quia idem comes tam arduum tamque difficile negotium, pensatis ejus facultatibus, magnificentius aggredi, sicut foret expediens, sine magno et prompto ecclesie subsidio non valeret, ad vos principaliter, tamquam ad illos qui estis bases immobiles, super quas ejusdem ecclesie structura nobilis pro majori parte consurgens, indeficientis soliditatis obtinet firmamentum, fiducialiter duximus recurrendum, universitatem vestram monentes, rogantes et hortantes attentius, ac per apostolica vobis scripta districte precipiendo mandantes, ac obsecrantes nichilominus per aspersionem sanguinis Jhesu Christi quatinus, tot sanguinum qui ad nos et ad vos etiam de terra clamant, effusi vocibus provocati, tot lacrimarum fluentium ab oculis innocentium commoti decursibus, totque angustiarum et tribulationum querimoniis excitati, condoleatis dolenti ecclesie et compatiamini passionibus proximorum, eandem ecclesiam ac predictum comitem in tam utilis tamque pii promotione

negotii, in quo non solum Romane et universalis ecclesie relevatio, verum etiam exaltatio et promotio fidei, salus animarum, corroboratio status fidelium, infidelium debilitatio et divini cultus angmentum agitur, efficacibus et promptis subventionibus adjuvetis, eidem comiti decimam omnium vestrorum ecclesiasticorum proventuum per triennium, divine majestati intuitu, ob reverentiam quoque apostolice sedis et nostram et dicti regis obtentu, pro ipsius promotione ac prosecutione negotii, libenter et liberaliter concedentes, ita quod exinde vestra devotio celestis benedictionis gratiam consequi mereatur et predicta ecclesia id in eterne memorie libro conscribens, vobis et ecclesiis vestris remaneat ob hoc perpetuis temporibus obligata, idemque comes ac etiam predictus rex, qui progenitorum suorum inherendo vestigiis, semper fuit in conservatione libertatis ecclesiastice pervigil et attentus, in ecclesiarum aliorumque piorum locorum constructione benivolus, in eorum dotatione ac dilatione largifluus, et in gratiis ac beneficiis erga personas ecclesiasticas, seculares et regulares, valde munificus, teneantur pro tanto pietatis opere, tam vobis quam predictis vestris ecclesiis grata, pro loco et tempore vicissitudine, respondere.

Ceterum, quia dilectum filium nostrum S., tituli sancte Cecilie presbyterum cardinalem, quem inter alios fratres nostros, Romane videlicet ecclesie cardinales, benivolentia multa prosequimur, ad partes illas, commisso ei pro ejusdem negotii promotione plene legationis officio, de fratrum nostrorum consilio destinemus, omnino volumus ut eidem cardinali in cujus labiis infusa est celitus gratia, ut sciat necessarium proferre sermonem tempore oportuno, fidem indubitatam in hiis que vobis super premissis ex parte nostra dixerit, adhibere, illaque efficaciter adimplere curetis. Datum apud Urbemveterem, v nonas maii, anno III°. »

805 Orvieto, 3 mai 1264.

Infrascripto cardinali mandat exhortetur archiepiscopos et episcopos aliosque ad solvendas per triennium Carolo, Andegaviae ac Provinciae comiti, decimas. (Reg. 28, fol. 106 v°, cur. ann. III, n° 91; Potthast 18882.)

« *S., tituli sancte Cecilie presbitero cardinali, apostolice sedis legato.* Cum nos venerabiles fratres nostros archiepiscopos et episcopos, et dilectos filios abbates, priores, decanos, archidiaconos, prepositos et alios ecclesiarum prelatos, nec non capitula, collegia et conventus ceterasque personas ecclesiasticas, seculares et regulares, exemptas et non exemptas, per regnum Francie ac terras ad dilectam in Christo filiam nobilem mulierem.. comitissam Flandrie, ratione dominii vel feudorum suorum in Cameracensi et Tornacensi diocesibus pertinentes, per comitatum etiam Provincie et alias dilecti filii nobilis viri Caroli, Andegavie ac Provincie comitis, et vassallorum suorum terras, ac per Lugdunensem, Viennensem, Tarantasiensem, Ebredunensem et Bisuntinam provincias constitutos, per nostras sub certa forma litteras, expositis eis doloribus, tribulationibus, angustiis et pressuris quibus Romana mater ecclesia, durius et asperius solito hiis diebus affligitur, fiducialiter requiramus, ut compatientes eidem ecclesie passionibus pio corde, decimam omnium suorum ecclesiasticorum proventuum dicto comiti, pro prosecutione negotii regni Sicilie, quod in personam ipsius comitis, pro liberatione dicte ecclesie ab imminentibus ei periculis, promovere, Domino favente, proponimus, prompta per triennium liberalitate concedant, discretioni tue, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta mandamus quatinus archiepiscopos aliosque predictos generaliter et singulariter, prout expedire videris, attentis et efficacibus inductionibus exhorteris, ut se in hoc faciles, benignos et benivolos exhibentes, preces et mandata apostolica in hac parte studeant promptis animis adimplere, ipsos ad id, si necesse fuerit, auctoritate nostra, sublato cujuslibet appellationis obstaculo, compellendo; non obstante si eis vel ipsorum aliquibus a sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari, quodque ad exhibendum alicui subsidium pecuniarum compelli non possint per litteras apostolicas, plenam et expressam ac de verbo ad verbum non facientes de indulto hujusmodi mentionem, et quibuslibet aliis prefate sedis indulgentiis, cujuscumque tenoris existant, per que hujusmodi negotium impediri valeat vel differri et de quibus in nostris litteris mentio fieri debeat specialis. Datum apud Urbemveterem, v nonas maii, anno III°. »

806 Orvieto, 3 mai 1264.

Eadem mandantur Ludovico, regi Francorum. (Reg. 28, fol. 107, cur. ann. III, n° 92; Potthast 18889.)

« *Ludovico, illustri regi Francorum.* Ecce, fili carissime, dilectum filium nostrum S., tituli sancte Cecilie presbyterum cardinalem, pro negotio regni Sicilie in personam dilecti filii nobilis viri Caroli, Andegavie ac Provincie comitis, germani tui, auctore Domino, promovendo, ad christianissimum regnum tuum, de fratrum nostrorum consilio commisso ei plene legationis officio, destinamus. Verum, quia universos prelatos regni tui nec non Lugdunensis, Viennensis, Tarantasiensis, Ebredunensis, et Bisuntine provinciarum per officiales litteras, per quas eis dolores, afflictiones, angustias et pressuras, quibus Romana mater ecclesia durius et asperius solito hiis diebus atteritur, et ipsius ecclesie in Italie partibus statum debilem et flebilem seriatim exponimus, cum omni attentione ac affectione requirimus ut, dolenti ecclesie condolentes, decimam omnium suorum ecclesiasticorum proventuum per triennium predicto comiti, pro ejusdem promotione ac prosecutione negotii, prompta et prona liberalitate concedant, serenitatem regiam, in qua sola post Deum eadem ecclesia sue spei fundamenta locavit, et quam ejusdem ecclesie passionibus ex intimo cordis affectu compati novimus, rogandam duximus attentius et hortandam quatinus, cum a benignitate tua tota ejusdem negotii promotio dependere noscatur, ob reverentiam apostolice sedis et nostram, oportunam, juxta datam tibi celitus gratiam, impendas opem et operam ad hoc, ut dicti prelati in concessione hujusmodi decime liberales se ipsi comiti exhibeant, favorabiles et benignos. Et cum venerabiles fratres nostri .. Rothomagensis archiepiscopus, ac .. Baiocensis, et .. Ebroicensis episcopi, quos regia magnitudo quodam sibi vinculo familiaritatis astrinxit, inter prelatos dicti regni magnum locum magnumque favorem in eorum consiliis et congregationibus obtinere dicantur, ipsos reddas sollicitos et attentos, ut et ipsi ad hujusmodi concessionem decime faciles se exhibeant, et prelatos alios qui eorum in talibus consueverunt adherere consiliis, attentis et efficacibus inductionibus exhortentur ad hoc, ut nostro in hac parte beneplacito plenarie satisfiat. Ceterum predictum cardinalem, qui innatam ad te devotionem ab annis teneris habuisse dinoscitur, sic favore regio et in hujusmodi et in aliis commissis sibi ab apostolica sede negotiis prosequaris, ut et nos qui eum mittimus, et ipse qui mittitur, condignum honorem exinde, tuo interveniente consilio et auxilio, ad laudem et gloriam divini nominis reportemus. Datum apud Urbemveterem, v nonas maii, anno III°. »

807 Orvieto, 3 mai 1264.

Carolum, Andegaviae et Provinciae comitem, rogat ut cum S., tituli s. Ceciliae presbytero cardinali, apostolico legato, de senatoria dignitate in Urbe ab ipso retinenda, colloquatur. (Reg. 28, fol. 107, cur. ann. III, n° 93 ; Potthast 18870.)

« *Nobili viro Carolo, Andegavie et Provincie comiti.* Fili, ab illis christianissimis progenitoribus originem produxisti, qui Romanam matrem ecclesiam devotissime venerantes, jura ipsius sub diversitate temporum multipliciter adauxerunt, potenter eidem defensionis presidio in conservatione hujusmodi jurium assistentes; et ideo nequaquam nobis venit in dubium quin tu eis sicut carnis propagatione, sic piorum operum imitatione succedens, velis et desideres jura et jurisdictiones ipsius ecclesie integra et illibata servari, maxime in loco illo, ubi ecclesia ipsa, divina institutione locata, stabili firmitate persistit, et ubi orthodoxa firmis est fundata radicibus et sacrum sumpsit exordium religio christiana. Cum igitur Urbis dominium et institutio senatoris ad eandem ecclesiam plene pertineat, nos, qui sicut alias tibi scripsisse meminimus, nullatenus pateremur, quod aliquis, quantumcumque nobis et ecclesie predicte devotus, Urbem ipsam perpetuo vite sue tempore gubernaret, nobilitatem tuam rogandam, monendam attente duximus et hortandam, mandantes quatenus, attendens provide quod maximum ipsi ecclesie prejudicium fieret, si ejusdem Urbis senatoriam dignitatem toto vite tue tempore retineres, divine majestatis intuitu, ob reverentiam quoque apostolice sedis et nostram, circa senatus negotium, primam de illis duabus viis, quas dilectus filius magister Albertus, notarius noster, nuper tibi tecum tractando proposuit, pro nostre et fratrum nostrorum quiete mentium, sublato cujuslibet obstaculo difficultatis, acceptes, quoniam, etsi tibi olim ratione facilioris promotionis negotii regni Sicilie per nostras litteras duximus suadendum, ut electioni a Romano populo ad Urbis regimen de te facte libere consentires, in eisdem tamen tunc expressimus, et adhuc in presentibus exprimimus litteris, quod nostre intentionis extitit et existit, quod ad tempus et non perpetuo regimen obtineas supradictum. Taliter igitur preces in hac parte nostras tua impleat magnitudo, ut noster et dictorum fratrum animi, qui propter hoc multipliciter fluctuant, tranquillentur, nosque reddamur exinde ad promovenda tua spiritualia et temporalia commoda proniores. Et cum dilectum filium nostrum S., tituli sancte Cecilie presbiterum cardinalem, ad christianissimum regnum Fran-

corum pro exaltatione tui nominis et honoris, quem idem cardinalis vehementer affectat, commisso ei plene legationis officio, de fratrum nostrorum consilio destinemus, ejus super dicto senatus negotio salutaribus monitis et inductionibus acquiescas, ita quod idem cardinalis hujusmodi exaltationem tuam possit, ad laudem et gloriam divini nominis et honorem predicte ecclesie, liberius et efficacius promovere. Datum apud Urbemveterem, v nonas maii, anno III. »

808 Orvieto, 3 mai 1264.

Ludovico, regi Francorum, de eodem scribit negotio. (Reg. 28, fol. 107 v°, cur. ann. III, n° 94; Potthast 18890.)

« *Ludovico, illustri regi Francorum.* Ab illis christianissimis progenitoribus dilectus filius, nobilis vir Carolus, Andegavie ac Provincie comes, germanus tuus, produxit originem, qui Romanam ecclesiam devotissime venerantes etc., ut in superiori proxima, verbis competenter mutatis, usque gubernaret, eundem comitem per nostras sub certa forma requisivimus litteras ut, attendens provide etc. usque expressimus litteris, et in illis, quas nunc ei destinamus, exprimimus etc. usque supradictum. Ideoque serenitatem tuam, quam in terris ad consolationem ipsius ecclesie reservavit Altissimus, rogandam duximus attentius et hortandam, in remissionem tibi peccaminum nichilominus suadentes, quatenus predictum comitem ad acceptandam hujusmodi primam viam, juxta indultam tibi celibus gratiam, attentis et efficacibus inductionibus exhorteris, ita quod noster et fratrum nostrorum animi, qui propter hoc multipliciter fluctuant, tranquillentur nosque reddamur exinde ad procuranda ipsius comitis spiritualia et temporalia commoda promptiores. Ceterum, quia dilectum filium nostrum S., tituli sancte Cecilie presbyterum cardinalem, ad christianissimum regnum tuum pro exaltatione ipsius comitis, quam idem cardinalis vehementer affectat, commisso sibi plene legationis officio, de fratrum predictorum consilio destinamus, quesumus ut eidem suadeas comiti, quod ejusdem cardinalis super dicti senatus negotio salutaribus monitis acquiescat. Datum apud Urbemveterem, v nonas maii, anno tertio. »

809 Orvieto, 3 mai 1264.

Eidem regi mandat ut Simoni, cardinali presbytero S. Ceciliae, apostolicae sedis legato, auxilium praestet et favorem. (Reg. 28, fol. 107 v°, cur. ann. III, n° 95.)

« *Eidem regi.* Ecce, fili carissime, Manfredus, quondam princeps Tarentinus, innumerabilibus injuriis et offensis, quibus Romanam hactenus vexavit ecclesiam, non contentus, pretextu negotii regni Sicilie, quod inter nos et dilectum filium, nobilem virum Carolum, Andegavie ac Provincie comitem, germanum tuum, agitur, durius et asperius solito continuis ecclesiam ipsam aggressibus impetit, assidua persecutione concutit, rabie tyrampnica distrahit et diversis aliis tribulationum generibus incessanter affligit, adeo quod eadem ecclesia tot malis afflicta, tot attrita molestiis totque flagellis oppressa, vix potest ab hujusmodi oppressionibus respirare. Nam, propter id quod idem Manfredus, qui Sarracenorum ritus amplectitur ac illos in cotidianis ejus obsequiis notabiliter secum tenet et prefert eos, in obprobrium catholice fidei, Christianis, Sarracenorum ipsorum precipue consilio, auxilio et favore, predictam impugnat ecclesiam, propter illud etiam quod archiepiscopales, episcopales et alias predicti regni Sicilie ecclesias et monasteria detinet seu detineri facit dampnabiliter occupata, in eorum aliqua fictos et pernitiosos intrudendo ministros vel jam intrusos nefarie confovendo, quedam vero pro suo commendando libito, et illorum convertendo in usus proprios periculose proventus, pullulant fere ubique per Italiam hereses, cultus divinus minuitur, fides orthodoxa premitur, immo deprimitur et opprimitur status fidelium, ancillantur ecclesiastice libertates et jura ecclesiastica conculcantur. Prelati quoque et alii clericali militia presigniti penas subire coguntur exilii, capiuntur et ignominiose tractantur, ac in atroces detruduntur carceres et morte turpissima condempnantur. Spoliantur sacra et pia loca, tam religiosa quam alia, possessionibus et aliis bonis suis, et cum sint divino dicata cultui, ad usus deputantur illicitos et prophanos, despiciuntur et abhominationibus sordidantur. Nonnulli quoque clerici divina coguntur officia in locis ecclesiastico interdicto suppositis, in contemptum clavium ecclesie, celebrare et exhibere sceleratis, excommunicatis et impiis ecclesiastica sacramenta. pontificalis parvipenditur auctoritas et potestas, ecclesiastica censura contempnitur, pereunt anime, trucidantur corpora, incenduntur urbes, destruuntur castra, infringitur stratarum securitas, spoliantur viatores, Sarraceni et scismatici Christicolis preponuntur, defenduntur heretici, adeo quod in nonnullis locis non audemus procedere contra ipsos. In aliquibus vero terris predicatores evangelice veritatis verbum Dei proponere fidelibus prohibentur, in quibusdam vero hereses publice predicantur. Quamplura insuper alia detesta-

bilia et abhominabilia committuntur, que divine oculos majestatis offendunt, scandalum in ecclesia commovent et tremendum ecclesiastice censure vigorem debilitant et conculcant. Nec potest ipsa ecclesia, predicti persecutoris invalescentibus viribus, oportunum super hiis remedium adhibere, cum nuper etiam idem Manfredus truculentas manus in viscera ejus immittens, quosdam Theutonicos, sue utique persecutionis ministros, in patrimonium beati Petri in Tuscia, in quo nos cum tota nostra curia residemus, destinare presumpserit, in nostrum et ipsius ecclesie obprobrium, turbationem provincie, suorumque fidelium nocumentum. Alias etiam militum copias in ducatum Spoletanum disponit mittere, ut nos et predictam ecclesiam in quadam quodammodo sagena concludens, sic artet undique vias et sepiat transitus, ut nullus ad nos venire valeat vel nos aliquos extra curiam nostram destinare possimus.

Verum, quia celestis altitudo consilii liberationem predicte ecclesie tibi tueque christianissime domui reservavit, et velle videtur ut jugum oneris ejusdem ecclesie et sceptrum exactoris ejus per tui regni potentiam superentur, ecce dilectum filium nostrum S., tituli sancte Cecilie presbiterum cardinalem, ad christianissimum regnum tuum, pro negotio dicti regni Sicilie, a quo utique regno panditur omne malum ipsius ecclesie et tantorum periculorum causa procedit, in personam memorati comitis, in quem, sue devotionis et strenuitatis pensatis meritis, oculos mentis nostre direximus, auctore Domino, promovendo, commisso ei plene legationis officio, de fratrum nostrorum consilio destinamus. Ideoque serenitatem tuam rogandam duximus attentius et hortandam, in remissionem tibi peccaminum nichilominus suadentes, quatinus predictum cardinalem, de tua utique benevolentia plurimum confidentem, ob reverentiam apostolice sedis et nostram, regia benignitate recipiens, et honorificentia condigna pertractans ac habens propensius commendatum, sibi in hujusmodi promotione negotii, quoad illa expedienda que ipsius negotii natura requirit, cum omni diligentia et prompta exhibitione consilii et favoris assistas; et quia novimus quod piissimum et benignissimum pectus tuum, misericordie affluentia et divine gratie ubertate repletum, predicte ecclesie super tot ejus calamitatibus, tribulationibus et pressuris, ex multa humanitate, compatitur, nos, mansuetudinis tue clementiam copiosis exinde laudum titulis efferentes, ac referentes magnitudini tue gratiarum multiplices actiones, supplicamus Altissimo, qui dat salutem regibus, ut te nobis et predicte ecclesie salvum atque incolumen per tempora longiora conservet, ac dies super dies regis adjiciens, vitam tuam florenti regno protendat detque tibi tranquilla tempora et ad laudem sui nominis copiosa. Quesumus ergo, christianissime princeps, ut hujusmodi tue compassionis affectum, in promotione prefati negotii, per quam speramus predictam ecclesiam ab inimicis ejus qui in circuitu ejus sunt, favente Domino, liberari, potenter et libenter ostendas, ita quod, etiam post tui dissolutionem corporis, numquam tam pii tamque salubris operis memoria celebris moriatur, sed extendatur ob hoc tui gloria nominis in generationibus seculorum. Ne vero, pretextu discordie que inter carissimam in Christo filiam nostram Margaritam, Francorum reginam illustrem, uxorem tuam, et predictum comitem orta dicitur, tantum ecclesie bonum impediri valeat vel differri, tu, quem tanquam pacis angelum, in regno tuo providentia divina constituit, et qui ex indulto tibi pacifici regis dono, nosti discordiarum eradicare zizanias et serere semen pacis, sic hujusmodi discordiam amicabili compositione sopias et decidas, impendendo ad hoc omnem opem et operam efficacem, ut cujuslibet inter eos scandali causa cessante, dictus comes memoratum negotium securius aggredi valeat et liberius ac efficacius promovere, tibique a Deo exinde premium et a nobis cumulata proveniat actio gratiarum. Datum apud Urbemveterem, v nonas maii, anno tertio. »

810 Orvieto, 3 mai 1264.

Eumdem regem rogat sopiat discordiam inter Carolum, Andegaviae et Provinciae comitem, et Margaritam, reginam Franciae, exortam. (Reg. 28, fol. 108, cur. ann. III, n° 96.)

« *Eidem regi.* Cum per alias nostras litteras magnitudinem tuam affectuose rogemus, ut ne, pretextu discordie, que inter carissimam in Christo filiam nostram Margaritam, illustrem reginam Francorum, uxorem, et dilectum filium nobilem virum, Carolum, Andegavie ac Provincie comitem, germanum tuos, exorta esse dicitur, promotio negotii regni Sicilie quomodolibet impediri contingat, hujusmodi discordiam amicabili compositione sopias, impendendo ad hoc omnem opem et operam efficacem, nos, qui eandem dicti promotionem negotii, per quam Romana ecclesia ab imminentibus undique sibi periculis speramus, favente Domino, liberari, cunctis desideriis affectamus, serenitatem tuam iterato rogandam duximus attentius et

hortandam, in remissiomem tibi peccaminum nichilominus suadentes, quatinus predictam reginam ad hoc quod facilem, tractabilem et benignam se in hujusmodi negotio pacis exhibeat, attentis et efficacibus inductionibus exhorteris et, si demum ipsam, quod absit, in hoc inveneris nimis duram et inflexibilem, tue magnitudini placeat, quod predictum negotium regni Sicilie tam pium, tam salubre, tam utile, tot laboribus totque tractatibus inchoatum et jam pro majori parte completum, nullius propter hoc dispendia impedimenti seu retardationis incurrat, sed libere, hoc non obstante, procedat, ad laudem et gloriam divini nominis, christiane religionis augmentum et predicte ecclesie statum pacificum et quietum. Datum apud Urbemveterem, v nonas maii, anno III°. »

811 Orvieto, 3 mai 1264.

Margaritam, reginam Franciae, hortatur ad pacem reformandam inter ipsam et Carolum, Andegaviae et Provinciae comitem. (Reg. 28, fol. 108 v°, cur. ann. III, n° 97.)

« *Margarite, illustri regine Francorum.* Experimento cognoscimus christianissima —. Cum igitur omne malum ipsius ecclesie a Sicilie regno pandatur, nos, diligentius attendentes quod, si eadem ecclesia plena sua libertate ac auctoritate in regno gauderet eodem, et aliquis princeps catholicus ejusdem gubernaculis presideret, innumerabilia et inextimabilia bona non solum ipsi Romane, verum etiam universali ecclesie, et rei publice totius christianitatis ab ipso regno, a quo hiis diebus tot mala totque pericula prodeunt, spiritualiter et temporaliter provenirent, disposuimus ejusdem regni negotium in personam dilecti filii nobilis viri Caroli, Andegavie ac Provincie comitis, germani carissimi in Christo filii nostri .. illustris regis Francorum, viri tui, ejusdem regis et regie dominationis intuitu, auctore Domino, promovere. Ne vero, pretextu discordie que inter te et predictum comitem exorta esse dicitur, tantum ecclesie bonum impediri valeat vel differri, excellentiam tuam rogandam duximus attentius et hortandam, in remissionem tibi peccaminum nichilominus suadentes, quatinus necessitatis articulum in quo est hoc tempore predicta ecclesia constituta, diligenter advertens, et attente considerans quod vinculum caritatis et pacis hominem amabilem proximis et placidum Deo reddit, divine majestatis intuitu, ob reverentiam quoque apostolice sedis et nostram, animum tuum inclines ad pacem et concordiam inter te et ipsum comitem, favente divina clementia, reformandam, reddendo te in hujusmodi pacis negotio facilem, tractabilem et benignam, ita quod exinde rex pacificus qui ascendens in celum pacis condidit testamentum, et qui in pacis pulchritudine delectatur, thronum tuum continuis incrementis amplificet et prosperis successivis adaugeat, et predictam ecclesiam tibi et heredibus tuis, ob hoc, constituas perpetuis temporibus obligatam. Datum ut supra. »

812 Orvieto, 3 mai 1264.

De eodem argumento, de regno Siciliae senatuque Urbis scribit Carolo, Andegaviae et Provinciae comiti. (Reg. 28, fol. 109, cur. ann. III, n° 98.)

« *Nobili viro Carolo, Andegavie ac Provincie comiti.* Filii, quia divine bonitatis —. Et ecce dilectum filium nostrum S., tituli sancte Cecilie presbyterum cardinalem, virum utique experte prudentie ac examinate virtutis tueque exaltationis fervidum zelatorem, ad regnum Francie propter hoc specialiter, de fratrum nostrorum consilio, commisso ei plene legationis officio, destinamus. Ideoque nobilitatem tuam rogamus, monemus et hortamur attente, mandantes quatinus eundem cardinalem, ob reverentiam apostolice sedis et nostram, devote recipiens, et honorificentia condigna pertractans, tractabilem ac facilem te exhibeas et benignum, tam super predicto ipsius regni Sicilie, quam etiam super senatus Urbis negotio, ac super aliis que naturam negotii utriusque contingunt. Et quia mora que in promotione negotii predicti regni Sicilie adhibetur, magnum periculum ad se trahit, cessent quesumus deinceps omnes difficultates et omnes dubietates de tui armario pectoris auferantur, quoniam, si negotium ex animo constanter assumpseris, ea que tibi videntur aspera, convertentur in plana et difficilia facilia videbuntur. Ne vero, pretextu discordie que inter te et carissimam in Christo filiam nostram Margaritam, Francorum reginam illustrem, orta esse dicitur, idem negotium ejusque promotio impediri valeat vel differri, sic animum tuum libenter inclines ad pacem cum eadem regina, favente Domino, reformandam, ut omnis de medio scandali sublata materia, dictum negotium securius assumere valeas et liberius ac efficacius promovere. Datum ut supra. »

813 Orvieto, 3 mai 1264.

Facultas commutandi votum crucis ab Alphonso, Pictavensi ac Tolosano comite, emissum. (Reg. 28, fol. 109, cur. ann. III, n° 99.)

« *S., tituli sancte Cecilie presbytero cardinali, apostolice sedis legato.* Cum promotio negotii Terre Sancte et Constantinopolitani Imperii a negotio regni Sicilie pro majori parte dependere noscatur, nos, attendentes quod facilior erit eorundem terre ac Imperii liberatio, si hujusmodi ejusdem regni negotium fuerit efficaciter, Deo favente, promotum, discretioni tue, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, absolvendi dilectum filium virum Alfonsum, Pictavensem et Tholosanum comitem, a voto crucis quod in subsidium dicte terre dicitur emisisse, illudque in susceptionem et executionem prefati ejusdem regni negotii commutandi plenam et liberam concedimus auctoritate presentium potestatem. Nos enim eundem comitem, voto hujusmodi taliter commutato, illa indulgentia illoque privilegio ac ea immunitate gaudere volumus, que predicte terre succurrentibus in generali concilio sunt concessa. Datum ut supra. »

814 Orvieto, 3 mai 1264.

Eidem cardinali concedit facultatem votum crucis in susceptionem et executionem Siciliae regni negotii, in partibus suae legationis commutandi. (Reg. 28, fol. 109, cur. ann. III, n° 100.)

« *Eidem cardinali.* Cum promotio negotii —, etc., ut in alia usque in finem [1]. »

815 Orvieto, 8 mai 1264.

Eidem cardinali concedit facultatem suspendendi, a festo b. Johannis Baptistae proximo venturo usque ad annum, passagium de regno Franciae ad ultramarinas partes, ad Terrae Sanctae succursum. (Reg. 28, fol. 109, cur. ann. III, n° 101.)

« *Eidem cardinali.* Discretioni tue de —. Datum apud Urbemveterem, VIII idus maii, anno III° [2]. »

1. En marge : *Istis non utatur sine speciali mandato domini pape.*

2. En marge, d'une écriture de la fin du XIIIe ou du XIVe siècle : *hic dimisis* (*sic*) *Nicholaus de Nascia.*

816 Orvieto, 7 mai 1264.

Archiepiscopum Cusentinum S., tituli S. Ceciliae presbytero cardinali adjungit, ad negotium regni Siciliae promovendum. (Reg. 28, fol. 109, cur. ann. III, n° 102.)

« . . *archiepiscopo Cusentino.* Experimento cognovimus quod pro negotio regni Sicilie in personam dilecti filii nobilis viri Caroli, Andegavie ac Provincie comitis, promovendo, apud carissimum in Christo filium nostrum Ludovicum, Francorum regem illustrem, adeo multipliciter et efficaciter laborasti, quod ejusdem regis animum sapienter et discrete ad dictum negotium attraxisti. Et ideo, tue laudabilis circumspectionis industriam, dignis exinde in Domino laudibus efferentes ac referentes tibi gratiarum multiplices actiones, quia nolumus te abesse ab hujusmodi complemento negotii, pro cujus promotione ac prosecutione multos te novimus subiisse labores, fraternitatem tuam de qua plene confidimus, monemus, rogamus et hortamur attente, mandantes quatinus ad regnum Francie cum dilecto filio nostro S., tituli sancte Cecilie presbytero cardinali, apostolice sedis legato, quem illuc, commisso ei plene legationis officio, de fratrum nostrorum consilio destinamus, protinus revertaris, una cum eo promotioni et expeditioni dicti negotii apud eundem regem solitam diligentiam et vigilantiam impensurus, ac moraturus cum eodem cardinali cum quo jam ordinavimus quod tibi necessaria subministret, quandiu dictum negotium hinc inde fuerit acceptatum. Eodem vero acceptato negotio, ad sedem apostolicam redeas, procurationes in tuo percepturus reditu consuetas auctoritate litterarum nostrarum quas tibi dirigimus et quibus nisi in tuo reditu non utaris. Si vero te ipsi legato jungi non posse contigerit, eisdem litteris uti te nolumus donec pervenias ad eundem. Datum apud Urbemveterem, nonis maii, anno III°. »

817 Orvieto, 4 mai 1264.

De verbo Crucis contra Manfredum et Sarracenos in regno Franciae praedicando. (Reg. 28, fol. 109, cur. ann. III, n° 103; Potthast 18891.)

« *S., tituli sancte Cecilie presbytero cardinali, apostolice sedis legato.* Pia matris ecclesie [1] —. Datum apud Urbemveterem, IV nonas maii, anno III°. »

1. Cette lettre est rédigée à peu près dans les mêmes termes que la lettre n° 809.

818 Orvieto, 3 mai 1264.

Eidem cardinali concedit facultatem concedendi in dedicationibus ecclesiarum, in translationibus reliquiarum, in sollemnibus festivitatibus necnon in sollemnibus praedicationibus et congregationibus, quas illum facere pro regni Siciliae negotii promotione contigerit, unius anni indulgentiam. (Reg. 28, fol. 110, cur. ann. III, n° 104.)

« *Eidem cardinali.* Ut eo efficacius —. Datum apud Urbemveterem, v nonas maii, anno III°. »

819 Orvieto, 3 mai 1264.

Eidem concedit facultatem concedendi trium annorum indulgentiam in diebus dedicationum ecclesiarum Carnotensis, Rothomagensis et Laudunensis, si earum dedicationibus illum interesse contigerit, omnibus vere poenitentibus et confessis qui ad easdem ecclesias, in diebus dedicationum ipsarum, accesserint. (Reg. 28, fol. 110, cur. ann. III, n° 105; Potthast 18880.)

« *Eidem cardinali.* Ut eo efficacius —. Datum ut supra. »

820 Orvieto, 10 mai 1264.

Eidem cardinali concedit facultatem convocandi etiam concilium generale. (Reg. 28, fol. 110, cur. anno III, n° 106.)

« *Eidem cardinali.* Ut eo efficacius —. Datum apud Urbemveterem, vi idus maii, anno III°. »

821 Orvieto, 3 mai 1264.

Eidem concedit « ut, si qui prelati vel alie persone ecclesiastice sue legationis, excommunicando contra tenorem constitutionis felicis recordationis Innocentii pape, suspensionis sententiam incurrerunt, et sic suspensi, se divinis officiis ingesserunt, » possit cum eis super irregularitate sic contracta, dispensare. (Reg. 28, fol. 110, cur. ann. III, n° 107.)

« *Eidem cardinali.* Ut eo efficacius —. Datum apud Urbemveterem, v nonas maii, anno III°. »

822 Orvieto, 3 mai 1264.

Eidem cardinali concedit ut absolutionis beneficium valeat impertiri « illis qui per delegatos apostolice sedis vel subdelegatos eorum excommunicationis sunt sententia innodati et absolvi non possunt, cum hujusmodi judices viam sint universe carnis ingressi vel alias excommunicatorum suorum jurisdictio expirarit. » (Reg. 28, fol. 110, cur. ann. III, n° 108; Potthast 18873.)

« *Eidem cardinali.* Ut eo efficacius —. Datum apud Urbemveterem, v nonas maii, anno III°. »

823 Orvieto, 3 mai 1264.

Eidem cardinali indulget ut dispensare valeat super irregularitate cum eis qui excommunicationis et interdicti innodati sententiis, sacros ordines recipere vel in eis ministrare praesumpserint. (Reg. 28, fol. 110, cur. ann. III, n° 109.)

« *Eidem cardinali.* Ut eo efficacius —. Datum ut supra. »

824 Orvieto, 3 mai 1264.

Eidem cardinali concedit facultatem ut « cum cujuslibet religionis personis, cujuscumque sint ordinis, que dato aliquo pro acquirendis vel recepto pro exhibendis locis in monasteriis, commiserunt symoniacam pravitatem, » possit, prout expedire viderit, dispensare. (Reg. 28, fol. 110, cur. ann. III, n° 110.)

« *Eidem cardinali.* Ut eo efficacius —. Datum ut supra. »

825 Orvieto, 3 mai 1264.

Eidem cardinali concedit facultatem cum clericis suae legationis super defectu natalium dispensandi. (Reg. 28, fol. 110, cur. ann. III, n° 111; Potthast 18876.)

« *Eidem cardinali.* Ut eo efficacius —. Datum ut supra. »

826 Orvieto, 3 mai 1264.

Eidem cardinali indulget ut cum personis ecclesiasticis dispensare valeat ut, defectu ordinum et aetatis non obstante, beneficia ecclesiastica, etiamsi beneficia habeant animarum annexa, assequi possint. (Reg. 28, fol. 110, cur. ann. III, n° 112; Potthast 18884.)

« *Eidem cardinali.* Ut eo efficacius —. Datum ut supra. »

827 Orvieto, 3 mai 1264.

Eidem cardinali indulget ut clericis suis beneficiorum ecclesiasticorum proventus cum integritate ministrari faciat, non obstante quod residentiam non fecerint personalem. (Reg. 28, fol. 110, cur. ann. III, n° 113.)

« *Eidem cardinali.* Ut eo efficacius —. Datum apud Urbemveterem, v nonas maii, anno III°. »

828 Orvieto, 27 avril 1264.

De nonnullis religiosis personis a sententia excommunicationis absolvendis privilegium. (Reg. 28, fol. 110 v°, cur. ann. III, n° 114.)

« *S., tituli sancte Cecilie presbytero cardinali, apostolice sedis legato.* Cum, sicut accepimus, felicis recordationis G., papa, predecessor noster, et bone memorie Guala, tituli sancti Martini presbyter cardinalis, tunc in regno Francie apostolice sedis legatus, in nonnullis monasteriis tue legationis statuta quedam preceperint observari, decernentes eos qui contra illa venire presumerent, excommunicationis vinculo subjacere, presentium tibi auctoritate concedimus ut, siquas religiosas personas inveneris hujusmodi sententiam incurrisse, ipsis absolutionis beneficium impertiri valeas et si forsan sic ligate sacros susceperint ordines vel ministrarint in illis, cum eisdem super irregularitate hujusmodi, prout animarum suarum saluti expedire videris, dispensare. Datum apud Urbemveterem, v kalendas maii, anno III°. »

829 Orvieto, 3 mai 1264.

Eidem cardinali indulget facultatem assumendi et retinendi ad sua obsequia quotcumque et quoscumque voluerit de fratribus Praedicatorum et Minorum ordinum. (Reg. 28, fol. 110 v°, cur. ann. III, n° 115; Potthast 18879.)

« *Eidem cardinali.* Ut eo efficacius —. Datum apud Urbemveterem, v nonas maii, anno III°. »

830 Orvieto, 1er mai 1264.

Eidem cardinali indulget ut evectiones, ultra numerum in concilio Lateranensi taxatum, habere valeat. (Reg. 28, fol. 110 v°, cur. ann. III, n° 116; Potthast 18868.)

« *Eidem cardinali.* Ut eo efficacius —. Datum apud Urbemveterem, kalendis maii, anno III°. »

831 Orvieto, 3 mai 1264.

Eidem cardinali concedit facultatem dispensandi cum quinque personis utriusque sexus, etiamsi magnates fuerint, super quarto consanguinitatis gradu, ad matrimonium contrahendum. (Reg. 28, fol. 110 v°, cur. ann. III, n° 117; Potthast 18877.)

« *Eidem cardinali.* Ut eo efficacius —. Datum apud Urbemveterem, v nonas maii, anno III°. »

832 Orvieto, 3 mai 1264.

Eidem cardinali concedit facultatem dispensandi cum quinque clericis super beneficiorum pluralitate. (Reg. 28, fol. 110 v°, cur. ann. III, n° 118; Potthast 18884.)

« *Eidem cardinali.* Ut eo efficacius —. Datum apud Urbemveterem, v nonas maii, anno III°. »

833 Orvieto, 3 mai 1264.

Eidem cardinali concedit facultatem « concedendi licentiam fratribus ordinum Predicatorum et Minorum, quos ad sua obsequia duxerit retinendos, equitandi libere et ingrediendi monasteria monialium quorumcumque ordinum, mittendi quoque ipsos pro eisdem negotiis singulariter, cum expedire viderit. » (Reg. 28, fol. 110 v°, cur. ann. III, n° 119.)

« *Eidem cardinali.* Cum te in —. Datum apud Urbemveterem, v idus maii, anno III°. »

834 Orvieto, 3 mai 1264.

Eidem cardinali concedit facultatem faciendi recipi quinque ex clericis suis in totidem cathedralibus vel aliis suae legationis et providendi eis de praebendis et duobus ex eis de personatibus. (Reg. 28, fol. 111, cur. ann. III, n° 120; Potthast 18878.)

« *Eidem cardinali.* Ut eo efficacius —. Datum apud Urbemveterem, v nonas maii, anno III°. »

835 Orvieto, 3 mai 1264.

Eidem cardinali concedit facultatem instituendi in ecclesiis cathedralibus et aliis collegiatis clericos idoneos et faciendi eos recipi in canonicos et in fratres. (Reg. 28, fol. 111, cur. ann. III, n° 121.)

« *Eidem cardinali.* Ut eo efficacius —, ut in superiori, usque in finem. »

836 Orvieto, 3 mai 1264.

Eidem cardinali concedit facultatem censuram ecclesiasticam in quoscumque, cujuscumque dignitatis et condicionis existant, exercendi. (REG. 28, fol. 111, cur. ann. III, n° 112.)

« *Eidem cardinali.* Ut eo efficacius —. Datum ut supra. »

837 Orvieto, 29 avril 1264.

Episcopo Sabinensi mandat quatenus cardinalis tituli s. Ceciliae adventum praestoletur, facturus ea quae per eumdem cardinalem injuncta fuerint. (REG. 28, fol. 111, cur. ann. III, n° 123.)

« . . *episcopo Sabinensi, apostolice sedis legato.* Cum dilectus filius —. Datum apud Urbemveterem, III kalendas maii, anno III°. »

838 Orvieto, 29 avril 1264.

Ludovicum, regem Francorum, hortatur ut episcopum Sabinensem inducat ne de praedicto regno recedat, donec cardinalis tituli s. Ceciliae illuc accesserit. (REG. 28, fol. 111, cur. ann. III, n° 124.)

« *Ludovico, illustri regi Francorum.* Cum dilectus filius —. Datum ut supra. »

839 Orvieto, 30 mai 1264.

Jacobo Gantelmi significat se destinasse ad eum Heliam, capellanum suum, et Sinitium, camerae suae clericum, ut cum his de machinis et aliis instrumentis bellicis faciendis pro expellendo Petro de Vico ex castro de Vico, colloquatur. (REG. 28, fol. 111 v°, cur. ann. III, n° 125; POTTHAST 18930.)

« *Nobili viro Jacobo Gantelmi* [1], *vicario in Urbe dilecti filii Caroli, Andegavie ac Provincie comitis, senatoris Urbis.* Fili, gaudemus, gaudemus in Domino eique copiosas gratiarum exolvimus actiones pro eo quod corda Romani populi sic unanimiter et concorditer ad nostra et Romane ecclesie vota convertit, quod idem populus, sub tuo studioso ducatu et domini tui signis felicibus, ad persequendam et vindicandam injuriam ipsius ecclesie contra illum perfidum ejusdem ecclesie proditorem, videlicet Petrum de Vico, contra quem spiritualiter et temporaliter, exigente sua iniquitate, processimus, communiter et universaliter exercitu congregato, procedens, territorium castri de Vico, in quo utique castro idem proditor proditionum et iniquitatum suarum telas contra ecclesiam propriam ordiri consueverat, potenter ingressus, positis in eodem territorio victricibus castris suis, castrum ipsum, ad persuasiones et preces nostras, nobili obsidione vallavit. Tuam quoque sollicitudinem, quam ad attrahendum et inducendum predictum populum ad honorem et bonum ipsius ecclesie in hujusmodi negotio, quod est nostrum et ejusdem ecclesie proprium, promovendum, adhibuisse dinosceris, condignis laudum preconiis fore decrevimus attollendam, intendentes tam tibi quam eidem populo, in hiis que ad bonum et prosperum statum Urbis pertinent, grata propter hoc pro loco et tempore, favente Domino, vicissitudine respondere. Verum, quia nobis fideliter intimasti quod dictum castrum de facili capi posset, si duo milia librarum proveniensium pro construendis machinis et aliis instrumentis bellicis haberentur pre manibus, et tibi a nobis pro hujusmodi prosecutione negotii mitterentur, nos, cupientes quod predicta Romana ecclesia de castro ipso sue intentionis propositum, ad laudem et gloriam divini nominis, efficaciter consequatur, ecce dilectos filios magistros Heliam, cappellanum nostrum, et Sinitium, camere nostre clericum, ad te propter hoc specialiter duximus destinandos, quibus in hiis, que tibi super hoc ex parte nostra dixerint, adhibeas firmam fidem. Datum apud Urbemveterem, III kalendas junii, anno III°. »

1. On peut lire aussi *Gaucelmi.*

840 Orvieto, 14 mai 1264.

Archiepiscopo Burdegalensi mandat quatenus, non obstante inhibitione contraria, P., electum Agennensem episcopum, permittat in sua vocatione ministrare. (REG. 28, fol. 111 v°, cur. ann. III, n° 126.)

« . . *archiepiscopo Burdegalensi.* Affectui nostro quem ad ordinationem Agennensis ecclesie de pastore ydoneo gerebamus, satisfactum esse confidimus, dum attendimus virtutes et merita que de venerabili fratre nostro P., in episcopum ejus assumpto, nobis fidedignorum testimoniis referuntur, cum per tales nobis detur intelligi quod idem P. sit vir litteratus et providus ac in spiritualibus et temporalibus circumspectus zelator, precipuus catholice fidei et sincerus apostolice sedis

amator, a te et in episcopum consecratus antequam de inhibitione quam super hoc tibi et ipsi capitulo feceramus, ad tuam vel ejusdem capituli notitiam perveniret. Volumus et presentium tibi auctoritate mandamus quatenus, eadem inhibitione nostra nequaquam obstante, ipsum P. in hujusmodi sua vocatione permittas libere ministrare. Datum apud Urbemveterem, II idus maii, anno III°. »

841 Orvieto, 31 mai 1264.

Archiepiscopo Mediolanensi significat quibus conditionibus marchionem de Monteferrato ab excommunicatione absolvere valeat. (Reg. 28, fol. 111 v°, cur. ann. III, n° 127.)

« . . *archiepiscopo Mediolanensi.* Per tuas nobis humiliter litteras supplicasti ut, cum nos olim Ubertum, marchionem Pelavicinum, exigentibus gravissimis culpis suis, necnon et omnes prebentes ei consilium, auxilium vel favorem, publicum vel occultum, excommunicationis vinculo duxerimus innodandos, ac nobilis vir . . marchio de Monteferrato, desideret ab hujusmodi excommunicationis sententia, quam favendo eidem Pelavicino incurrit, absolvi, eidem marchioni absolutionis impendi beneficium mandaremus. Nos igitur, de circumspectione tua plenam in Domino fiduciam obtinentes, hujusmodi tibi negotium duximus committendum, fraternitati tue, presentium auctoritate, mandantes quatinus circa absolutionem marchionis ejusdem de Monteferrato, infrascriptam formam studeas observare videlicet, quod idem marchio de Monteferrato, prestet ante omnia de stando mandatis ecclesie corporaliter juramentum, et fidejussoriam nichilominus cautionem, sub pena de qua videris expedire, cui mandabis sub debito prestiti juramenti quod deinceps ab ipso Pelavicino nec litteras nec nuntios neque munera magna vel parva recipiet, neque mittet eidem, quamdiu idem Pelavicinus in excommunicatione lata contra ipsum per sedem apostolicam duxerit persistendum. Insuper, ab omnibus confederationibus, juramento, promissionibus sive pactis, si quibus se ipsi Pelavicino hactenus obligavit, omnino recedet. Super hiis autem mandatis et acceptatione ipsorum, que omnia publice fieri volumus, presentibus multis personis ecclesiasticis, religiosis et secularibus et multis etiam laicis, confici facias publicum instrumentum, illud nobis fideliter transmissurus. Ad que omnia te procedere volumus, salvis aliis mandatis nostris, que circa hoc eidem marchioni de Monteferrato semel vel pluries per nos vel alios duxerimus facienda. Hiis vero, ut premissum est, rite peractis, eidem marchioni de Monteferrato super hujusmodi excommunicationis sententia, juxta formam ecclesie, beneficium absolutionis impendas. Datum apud Urbemveterem, II kalendas junii, anno III°. »

842 Orvieto, 4 juin 1264.

Episcopo Bononiensi mandat publicet Bertoldum Balugani, civem Bononiensem, nunquam et nusquam officio potestariae fungi valere. (Reg. 28, fol. 112, cur. ann. III, n° 128.)

« . . *episcopo Bononiensi.* Nobilis vir Bertoldus Balugani, civis Bononiensis, anno proximo preterito, quo potestarie officium in Spoletana exercuit civitate, seditionem in populo Spoletano et rebellionem contra Romanam ecclesiam procuravit, in qua utique rebellione adhuc populus ipse perdurans, reddere nobis denegat jura devotionis et reverentie filialis ; propter quod nos eundem Bertoldum excommunicationis vinculo duximus innodandum. Verum, quia idem Bertoldus ad apostolicam sedem nuper accedens, a nobis petiit, ut ab hujusmodi excommunicationis vinculo absolvi mandaremus eundem, nos ejus petitionem ad exauditionis gratiam admittentes, fecimus ei ab hujusmodi vinculo, prestito prius ab eo corporaliter juramento quod nostris et ecclesie pareret precise mandatis, juxta formam ecclesie, beneficium absolutionis impendi, mandantes eidem, in nostra et fratrum nostrorum presentia constituto, sub debito prestiti juramenti, ut nullo unquam tempore, potestarie officium, in aliqua civitate vel in aliquo castro seu loco alio per se vel per alium exerceat in vita sua. Ideoque fraternitati tue per apostolica scripta, in virtute obedientie, districte precipiendo mandamus quatinus hujusmodi processum et mandatum nostrum in majori et aliis ecclesiis civitatis Bononiensis, per te vel per alium seu alios, sollempniter publicans, predictum Bertoldum ad observationem predicti mandati, si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compellas. Datum apud Urbemveterem, II nonas junii, anno III°. »

843 Orvieto, 2 juin 1264.

Hominibus castri de Stroncone inhibet ne Narniensibus ad eorum servitium milites mittant. (Reg. 28, fol. 112, cur. ann. III, n° 129.)

« *Hominibus castri de Stroncone, Narniensis diocesis, fidelibus nostris.* Intelleximus quod .. potestas, .. capitaneus, consilium et commune Narnienses nuper vobis de facto per suas litteras mandaverunt, quod infra certum diem in eisdem expressum litteris, duos milites, ita quod eorum quilibet haberet tres equos ad eorum servitium, mitteretis. Quia igitur castrum vestrum, quod est Romane ecclesie speciale demanium, nullum alium preter Romanum pontificem et eandem ecclesiam superiorem et dominum recognoscit, nos, nolentes ut iidem Narnienses hujusmodi vel alia indebita sibi jura vendicent in eodem, volumus et universitati vestre sub debito fidelitatis quo nobis et ecclesie predicte tenemini, et pena centum marcarum argenti, auctoritate presentium districtius inhibemus, ne predictos vel aliquos alios eis milites mittere presumatis. Nos ergo, si secus presumpseritis, contra vos et terram vestram ad exactionem predicte pene et alias etiam spiritualiter et temporaliter, prout expedire viderimus, auctore Domino, procedemus. Volumus autem ut cum per nos requisiti fueritis, milites vel pedites ad exercitum ecclesie transmittatis. Datum apud Urbemveterem, IIII nonas junii, anno tertio. »

In eundem modum hominibus castri de Utriculo, fidelibus nostris. Intelleximus, etc., ut in superiori proxima per totum usque in finem. »

844 Orvieto, 3 juin 1264.

Narnienses hortatur ne fideles castrorum de Stroncone et de Utriculo ad milites sibi mittendos obligent. (REG. 28, fol. 112, cur. ann. III, n° 130; POTTHAST, n° 18933.)

« . . *potestati, . . capitaneo, consilio et communi Narniensibus spiritum consilii sanioris.* Intelleximus quod vos —. Datum apud Urbemveterem, III nonas junii, anno III°. »

845 Orvieto, 4 juin 1264.

Episcopo Bononiensi mandat moneat Bononienses cives ut villas Medicinam et Argelatam Romanae ecclesiae liberas dimittant et de perceptis fructibus ex eisdem satisfactionem impendant. (REG. 28, fol. 112, cur. ann. III, n° 131; POTTHAST, 18936.)

« . . *episcopo Bononiensi.* Cum duas villas, Medicinam videlicet et Argellatam, Bononiensis diocesis, que sunt Romane ecclesie speciales, Bononienses cives longo tempore pro sue voluntatis libito tenuisse, ac fructus earum qui eidem ecclesie provenisse debuerant, percepisse noscantur, nos, qui terras et alia bona ipsius ecclesie ab aliis detenta illicite, ad jus et proprietatem ejusdem ecclesie revocare pro posse intendimus, per nostras tibi dedimus litteras in mandatis, ut cives ipsos ex parte nostra moneres ac induceres, ut predictas villas liberas et expeditas nobis et eidem ecclesie dimittere ac de perceptis ex ipsis fructibus satisfacere procurarent. Sed tu, quod indigne non immerito ferimus et moleste, civibus ipsis, ut accepimus, contrarium suggessisti. Ne igitur dicti cives detentioni villarum ipsarum incumbant ulterius, in suarum dispendium animarum, fraternitati tue, in virtute obedientie ac sub pena excommunicationis, per iterata scripta districte precipiendo mandamus quatinus cives ipsos, juxta priorum continentiam litterarum, efficaciter moneas et inducas, ut villas prefatas nobis liberas et expeditas dimittant, et de perceptis fructibus ex eisdem, plenariam satisfactionem impendant. Si vero, post restitutionem et satisfactionem hujusmodi nobis factas, cives predicti voluerint de villis eisdem sub censu annuo ab ecclesia ipsa tenendis, tractare nobiscum, eos libenter ad tractatum hujusmodi admittemus. Quod autem inde feceris, per tuas nobis litteras presentium seriem continentes, studeas fideliter intimare. Datum apud Urbemveterem, II nonas junii, anno tertio. »

846 Orvieto, 5 juin 1264.

Senenses, nisi ab infestando castro de Radicofano desistant, minatur multa in temporalibus et spiritualibus mala. (REG. 28, fol. 112, cur. ann. III, n° 132; POTTHAST 18942.)

« . . *potestati, . . capitaneo, . . priori viginti quatuor, et eisdem vigintiquatuor, consilio et communi Senensibus in exercitu apud Campiliam existentibus, spiritum consilii sanioris.* Licet multa enormia multaque perversa opera et actibus contraria devotorum contra Romanam ecclesiam, matrem vestram, commiseritis hactenus, ac multas et diversas injurias nobis et eidem ecclesie intuleritis, nos et ecclesiam ipsam vestris pravis actibus multipliciter offendendo, speravimus tamen quod ad cor penitens redientes, et considerantes vos graviter adversus predictam ecclesiam deliquisse, de commissis peniteretis omnimodo, ac studeretis vos coram rege humiliare celesti, et nostrum nostrorum-

que fratrum animos contra vos, vestris culpis exigentibus, provocatos, condigne satisfactionis et devotionis obsequiis complacare. Sed vos, quod dolentes referimus, vestre quasi prorsus salutis obliti, non cessatis mala malis adjicere, offensas inculcare offensis et injurias injuriis cumulare, dum Manfredi, quondam principis Tarentini, et aliorum aversorum ab utero ejusdem matris ecclesie filiorum dampnatis adherendo vestigiis, christiane societatis impugnatis pacem et ipsius ecclesie membra malignitate viperea laceratis, ponendo spem vestram in vestris temporalibus viribus et divitiis, quibus abuti contra Deum, qui eas vobis contulit, non timetis.

Ecce siquidem ad nostrum pervenit auditum quod vos, diversis persecutionum generibus, quibus predictam vexastis hactenus et vexari procurastis ecclesiam, non contenti, postquam omnipotens Dominus, aliquorum forsan provocatus offensis, sustinuit et permisit vos de rocca Campilie vestre intentionis propositum obtinere, ad hoc ut daretis intelligi quod nequaquam a Deo recognoscitis id quod de rocca ipsa contingere toleravit, disposuistis ipsum in sua ecclesia solito gravius impugnare, intendentes territorium castri de Radicofano, quod utique castrum predicte ecclesie camera specialis existit, hostiliter ingredi et aggredi, in divine majestatis contemptum ac nostram et predicte ecclesie contumeliam et jacturam, nec aliquatenus attendentes quod, etsi mirabiles sint elationes maris, mirabilior tamen permanet Dominus in excelsis. Cum igitur ex hoc videamini velle in ipsius ecclesie viscera manus immittere truculentas, nos quibus, licet immeritis, defensionem ejusdem ecclesie suorumque bonorum et jurium commisit Altissimus, tantum ipsius ecclesie dispendium tantumque obprobrium tolerare nullatenus proponentes, quin exaremus et vibremus in vos, si adversus castrum ipsum taliter processeritis, gladium ecclesiastice potestatis, universitati vestre de fratrum nostrorum consilio, auctoritate apostolica, districtius inhibemus ne contra dictum castrum ejusque territorium hostiliter procedere presumatis. Alioquin, cum nos frequenter vobis fuerimus comminati, quod personas et bona Senensium civium, ubicumque invenirentur, exponeremus libere occupanda fidelibus, et civitatem vestram episcopali privaremus dignitate, ac nichilominus debitores eorumdem Senensium civium, cujuscumque status, conditionis vel honoris forent, tam in ultramontanis et citramontanis, quam in ultramarinis partibus constitutos, omnibus debitis pecuniariis et aliis in quibus eisdem tenentur civibus, nec non a juramentis pro debitorum ipsorum solutione prestitis apostolica auctoritate absolvere ac liberare, et instrumenta confecta super eisdem debitis cassare et evacuare penitus curaremus; et processus, si quos ratione debitorum ipsorum a quibuscumque judicibus ordinariis vel a sede apostolica delegatis haberi contingeret, decerneremus irritos et inanes ac nullius existere firmitatis. Privaremus etiam omnes filios et nepotes eorumdem civium per descendentem lineam, clericos omnibus personatibus, dignitatibus, prebendis et aliis ecclesiasticis beneficiis que obtinent, et redderemus eos prorsus inhabiles ad illa vel alia in posterum obtinenda. Quia, si contra hujusmodi inhibitionem nostram venire temptaveritis, procedendo hostiliter contra predictum castrum ejusve territorium, ex hoc vos principales hostes et impugnatores ipsius ecclesie liquidius ostenderitis, nos ex nunc de predictorum fratrum consilio predictas penas vos incurrere decernimus ipso facto, exponentes bona Senensium civium, ubicumque inventa fuerint, libere occupanda fidelibus, et personas eorum capiendas et etiam detinendas, ac civitatem Senensem episcopali dignitate privantes, et nichilominus omnes hujusmodi debitores eorumdem civium auctoritate apostolica ab omnibus debitis et juramentis hujusmodi absolventes et etiam liberantes, ac instrumenta super eisdem confecta debitis cassantes et evacuantes, ac processus si quos ratione debitorum ipsorum coram quibuscumque judicibus ordinariis vel delegatis a predicta sede haberi contigerit, decernentes irritos et inanes ac nullius existere firmitatis, omnesque filios et nepotes eorundem civium per descendentem lineam, clericos omnibus personatibus, dignitatibus, prebendis et aliis ecclesiasticis beneficiis, que obtinent, premissa auctoritate privantes et reddentes eos prorsus inhabiles ad illa vel alia in posterum obtinenda. Et ecce dilectum filium, fratrem Rufinum, cappellanum et penitentiarium nostrum, virum utique providum et discretum, religione conspicuum, ac nobis et fratribus nostris sue meritis probitatis acceptum, ad vos propter hoc specialiter destinamus. Vos ergo ipsum benigne recipientes et honeste tractantes, indubitatam ei in eis, que vobis super premissis ex parte nostra dixerit, adhibere fidem illaque studeatis efficaciter adimplere. Datum apud Urbemveterem, nonis junii, pontificatus nostri, anno III°. »

847 Orvieto, 4 juin 1264.

Fratri Rufino mandat moneat Senenses qui apud Campiliam in exercitu commorantes, injunxerant hominibus castri papalis de Radicofano quaedam ab eis requisita adimplere, ut infra octo dies ecclesiae Romanae de hac injuria emendam plenariae satisfactionis impendant. (REG. 28, fol. 113, cur. ann. III, n° 133; POTTHAST 18934.)

« *Fratri Rufino, ordinis Minorum, capellano et penitentiario nostro.* Quia, sicut intelleximus —. Datum apud Urbemveterem, II nonas junii, anno tertio. »

848 Orvieto, 23 mai 1264.

Michaeli Palaeologo nuncios destinat episcopum videlicet Cotronensem et fratres Gerardum et Raynerium, de ordine Minorum, eumque hortatur ut negotium unionis ad perfectum finem acceleret. (REG. 28, fol. 113, cur. ann. III, n° 134.)

« *Paleologo, illustri imperatori Grecorum, gratiam in presenti per quam obtineat gloriam in futuro.* Mediator Dei et hominum Deus et homo, Dominus Jhesus Christus, qui ecclesiam suam congregatam ex gentibus, non habentem maculam neque rugam, super gentes et regna constituit, extenditque palmites ejus usque ad mare et usque ad terminos terre ipsius propagines dilatavit, ad hoc beatum Petrum, apostolorum principem, ipsius ecclesie caput instituit et magistrum, ut tam ipse quam ejus ceteri successores oves dominicas eidem apostolorum principi confidenter a summo pastore verbo ter repetito commissas, fidei catholice documentis imbuerent, morum instruerent disciplina et vivendi norma dirigerent in celestium semitam mandatorum, ac super ipsas vigiles observantes excubias, illam de ipsis curam gererent illamque circa eas sollicitudinem adhiberent, ut ipsas in unum ovile collectas, sub unitatis glutino et caritatis vinculo ad divina obsequia retinerent, et siquas disgregatas a grege conspicerent, indesinentibus studiis et laboribus indefessis ad gregis consortium revocarent.

Nos igitur qui, licet immeriti, super oves ipsas pastoralis officii magisterium per divine dispositionis providentiam obtinemus, et qui totis ad hoc desideramus affectibus ut Christiana plebs, sub uno vere fidei cultu proficiat, et varie gentium nationes extra Romane matris ecclesie gremium evagantes, in unum sub ejusdem vexillo fidei congregate, ad catholicam redeant unitatem, et in illa stabili, auctore Deo, firmitate persistant, recepta et perlecta nuper excellentie imperialis epistola, quam nobis venerabilis frater noster Nicholaus, Cotronensis episcopus, presentavit, intellectis quoque hiis que idem episcopus nobis ex parte tue magnitudinis narravit oretenus, eo majoris gaudii fuimus jocunditate perfusi, eoque uberioris letitie fructu horrea mentis nostre replevimus, quo certiorem nobis spem et fiduciam firmiorem de tua tuique salute imperii ejusdem episcopi fidelis et discreta relatio et ipsius epistole series attulerunt. In eadem namque tue sublimitatis epistola, in ipso videlicet salutationis exordio, vidimus contineri quod tu, ex reverentia qua Deam Syon et ejus vicarii veneraris, nos, quamvis indignos et meritis infirmos, *beatissimum veteris Rome papam* et non solum tui patrem Imperii, verum etiam *patrem patrum et summum apostolici throni Pontificem* humiliter recognoscens, filialem nobis reverentiam, cum honore christianorum fidei et divinis conveniente canonibus, obtulisti, adiciens qualiter, in omnibus orationibus tuis, nostram et fratrum nostrorum filiali affectu agis memoriam apud Deum, ut Conditor orbis et Dominus nobis, quos fateris locum primi perfectoris inter omnes obtinere Pontifices, septiformem Paracliti gratiam, in qua totum ecclesie corpus, unitur, consolidatur, sanctificatur et regitur in presenti vita concedat, et hujusmodi gratiam per nos ad te et cetera membra ipsius ecclesie sua virtute transmittat, et tandem nos in futuro seculo cum beatissimis Petro et Paulo, summis chori apostolorum principibus, coronare dignetur. Deinde vero in eadem epistola subjunxisti quod, licet multotiens, predecessorum tuorum imperatorum Grecorum temporibus, legati ad ipsos ab apostolici throni presulibus, qui fuere pro tempore, et ab illis ad eosdem presules fuerint pro pace et unitate, quam scismatici laceraverant, in Dei ecclesia reformanda transmissi, iidem tamen legati tam profundo vulneri de nullo medicine remedio providerunt; sed magis semper hujusmodi scisma succrevit, pro eo quod dicti legati expositionem sermonis divine pagine ac sacrarum explanationem dogmatum, que in sanctorum patrum libris habentur, minus perspicue minusque depromebant dilucide et sine interprete medio loqui ad invicem nesciebant. Propter quod contigit quod ipsi legati, cum interpretes hujusmodi insufficientes scientia et impotentes existerent, ad intentiones illorum, prout erat expediens, exprimendas, ad veritatis centrum et ad normam vere pervenire fidei nequiverunt, ex quo inter utrumque populum rancor processit et odium, fuerunt livores accensi, mote contentiones et lites, suscitata jurgia, et animi ad pertinaciam et con-

tumaciam, ad armorum quoque strepitum et effusionem sanguinis et ad alia etiam quamplura crudelia et enormia concitati.

Cumque tu, sicut ejusdem epistole tenor innotuit, postquam Imperii tui solium conscendisti, ex quadam voce letitie que tuis insonuit auribus, percepisses, quod predictus Nicholaus Cotronensis episcopus, qui tanquam planta fructifera fuerat de viventi et florido patrie tue viridario tueque gentis origine, ad ortum memorate Romane matris ecclesie transplantatus, vir erat diligens Dei cultor, discretus et verus catholice predicator fidei, et reuniende communis matris ecclesie sine personarum acceptione zelator, ac sacrarum explanator intelligens scripturarum, tuas eidem episcopo litteras transmisisti, rogans instanter eundem, ut Dei sueque amore patrie, occulte ad tuam presentiam personaliter se transferret, ut immediate ex ore ipsius veritatem fidei, quam sancta et catholica Romana Dei ecclesia profitetur, et divinarum scripturarum doctrinam, quam ad eruditionem eadem Romana proponit ecclesia, formamque nostri divini sacramenti seu ritus greci relatione sermonis audires et haurires nostram et fratrum nostrorum plenarie voluntatem. Idem vero episcopus, spiritu divino premonitus, ad tuum imperium a te sic vocatus accessit, in cujus aspectu magnam te scripsisti concepisse letitiam ac si nostram desiderabilem tibi faciem inspexisses, et tandem episcopus ipse tibi et tuis omnia que sunt vere fidei per ordinem reseravit, que tu corde et animo illustratus recte suscipiens, sanctam Dei Romanam repperisti ecclesiam, non alienatam a te in divinis sue fidei dogmatibus, sed eadem fere tecum sentientem, sapientem, consonam seu concordem, dicto namque episcopo tibi doctrinam ipsius Romane ecclesie et sanctorum patrum ejus, Silvestri videlicet, Damasi, Celestini, Agathonis, Adriani, utriusque Leonis, magni videlicet atque novi, necnon Gregorii dyalogi, Ylarii Pictavensis, Ambrosii Mediolanensis, Augustini, Jeronimi, Fulgentii et aliorum expositiones, ac recte fidei dogmata fideliter explanante, sicut in eadem asseruisti epistola, sanctorum patrum Grecorum, scilicet Athanasii Alexandrini, Basilii Cesarie Capadocie, Gregorii magni theologi, Gregorii Nisseni, Johannis Crisostomi, et utriusque Cirilli sermonibus hec consona et consentanea penitus invenisti, in ipsa epistola confitendo, quod ea fide sincerissima suscipis, honoras, credis et tenes; et omnes perfectivas operationes, idest sacramenta ejusdem Romane ecclesie, veneraris, credens ea effectum habere in animabus justis, que Deo uniuntur, configurantur, conformantur et etiam confirmantur. Unde, a nobis cum multa instantia petivisti ut nos, qui principatum habemus omnium sacerdotum, sumusque doctores universalis catholice ecclesie, ad uniendam amodo hanc ecclesiam, cui constanter affirmas Deum nos loco beati Petri singulariter prefecisse, ardenti semper desiderio laboremus, presertim cum ad hoc tua tranquillitas seu benignitas adeo in omnibus et per omnia prompta sit, exposita penitus et parata quod predicte Romane ecclesie, matri tue, tanquam totius ecclesie catholice corpori preposite ac magistre, omnes nationes et gentes cunctasque patriarchales sedes, extenso per divine virtutis gratiam precelso Imperii tui brachio, sicut tua serenitas obtulit, plene subjicies, ad laudem et gloriam divini nominis et christiane religionis augmentum. Demum autem nos instanter et affectuose rogasti, ut predictum episcopum, quem cum hujusmodi tuis litteris tue vere et non ficte catholice fidei, cum bona conscientia et mente sincera, divino accensus spiritu, ad hoc ad sedem apostolicam destinabas, ut ipse omnia que apud te et una tecum et tu cum eo protulisti et etiam ordinasti, ac tuam voluntatem tuumque propositum nostris auribus intimaret, cum aliis discretis et sanctis viris instructis, nostrisque responsionibus premunitis, qui tibi plenarie nostram voluntatem et affectionem referant, et una tecum omnia que sunt vere fidei uniende ecclesie, opere infallibili valeant percomplere, ad tuum remittere imperium curaremus.

Hujusmodi ergo excellentie imperialis epistola, nostris comprehensa luminibus, et ad fratrum nostrorum solempniter, prout tanti negotii exigebat qualitas, deducta notitiam, nos iidemque fratres, ex amena lectione ipsius, veluti ex presentialibus tue serenitatis affatibus recreati, Patri luminum, a quo est omne datum optimum et omne donum perfectum medullatum cum omnimode devotionis incenso, gratiarum obtulimus holocaustum, exultantes alacriter et unanimiter collaudantes et benedicentes Dominum, qui tantam nobis dignatus est facere gratiam, quod in diebus nostris per tue sollicitudinis ministerium aperiatur via compendii salutaris, per quam ecclesia Dei ad antiqua et tranquilla prioris unitatis secula redeat, et grex dominicus ad caulam unam eandemque congestus, sub unius pastoris regimine, in vere professione fidei gubernetur salubrius et in ejus observantia firmius solidetur. Et quidem digne gaudemus, excellentissime Imperator, quod ex hiis que in premissa continentur epistola, ferventem te cognoscimus erga nos et fratres nostros ac eandem Romanam ecclesiam sinceri-

tatis affectum et ad utriusque unionem ecclesie zelum ardentis caritatis habere; dum inter occupationes multiplices quibus animum tuum continua rei publice cura sollicitat, et procellosus agendorum secularium fluctus involvit, pro nobis eisdemque fratribus, et ecclesia, intentis frequenter, ut scripsisti, apud Deum vacas orationibus, et pro unitate renovanda in ecclesia Dei adeo utiliter et efficaciter laborasti, quod, agnita per eundem episcopum concordi variarum et diversarum scientia scripturarum, quas sancti patres tam Latini quam Greci, in orthodoxe fidei fulcimentum, sub diversitate temporum, ediderunt, et quadam laudabili ejusdem professione fidei, in predicta epistola, ex tui perspicacitate ingenii et animi puritate fideliter expressa et simpliciter denotata, illud desideranter appetis et constanter prosequi velle videris, quod eadem Romana desiderat et sepius desideravit ecclesia, et quod etiam predecessores nostri, Romani Pontifices, a tempore cujus non extat memoria, cunctis studiis cunctisque nisibus penes predecessores tuos Grecorum imperatores studuerunt, licet eorum studia desideratum fructum non produxerint, promovere. Letamur etiam et merito in jubilum superne laudis assurgimus, quod preparata est jam materia et via etiam expedita ipsi ecclesie, ad sui animi desiderium sueque intentionis propositum de unione hujusmodi celeriter obtinendum, cum nunquam ita certa de hoc spes firmaque fiducia sibi exhibita fuerit, quemadmodum memorate tenor epistole et ea que predictus episcopus, quem tanquam virum circumspectum et providum, eruditum in lege Domini, ac fervidum tui honoris et nominis zelatorem, et in nostris et predictorum fr trum nostrorum oculis multipliciter gratiosum, benigne recepimus et diligenter audivimus, nostro appellatui expressit oretenus, nobis de ipsius unionis negotio prebuerunt. Gloria igitur in excelsis Deo, et in terra pax populis benivole voluntatis, quia ecce nunc acceptabile tempus advenit, ecce nunc dies salutis gratia plenus adest. Exurgant ergo omnes fidei catholice zelatores, et una cum predicta Romana ecclesia, eorum matre, immensa jocunditate l tentur et gaudeant, quod Imperator tante potentie, et qui tam magni imperii moderatur habenas, promptum se exponit et offert ad fidem catholicam propagandam in gentibus, ad exaltationem ipsius ecclesie apud nationes etiam barbaras procurandam, et ad cultum divinum sub apostolice sedis magisterio ubilibet ampliandum. Sed non minus ex premissis in te, Imperator inclite, Imperator eximie, debet exultationis causa consurgere, non minus tuum debet cor arduum tuusque magnificus animus in gaudiis dilatari, pensando namque primum quod tibi, pro tante pietatis opere, divina dispensatio compensabit, considerando quoque quod pro re tam sancta, tam utili tamque Deo et ecclesie fructuosa, funiculi tue magnitudinis et potentie per cuncta mundi climata extendentur latius, et dilatabitur amplius vita tua, et post tui dissolutionem corporis, numquam tui memoria nominis morietur, potes utique non immerito Deo salutari tuo, pro cujus honore tantum ecclesie, sponse sue, bonum promoves, jubilare, sibique devotas gratiarum actiones exsolvere, pro eo quod tibi scire, posse ac velle de alto concessit inveniendi ac prosequendi vias et modos, quibus, remotis a tanto negotio cujuslibet veteris difficultatis obstaculis, tam damnosa gentis utriusque dissentio de facili a modo, divina favente clementia, sopiatur.

Licet itaque ab olim dilectos filios Symonem de Alvernia, et Petrum de Moras, Petrum de Trista et Bonifatium de Yporia, fratres ordinis Minorum, apocrisarios nostros, super hujusmodi negotio sufficienter instructos, ad tuam magnitudinem duxerimus destinandos, propter quod ipsi satis ad ea que scripsisti sufficere videbantur, tuis tamen gratis et placidis illecti oblationibus, et ex concepte de complemento negotii spei certitudine confortati, excitati quoque tue serenitatis affectu, quem ad nos et predictum negotium te gerere ipsius tenor epistole ac memorati Cotronensis episcopi expressio attestantur, tue saluberrime petitionis instantia debita cum fratribus nostris attentione pensata, et petitioni satisfaciendum fore decrevimus et petenti. Et ecce apocrisarios nostros, videlicet predictum episcopum, nec non dilectos filios Gerardum de Prato et Raynerium de Senis, fratres ordinis Minorum, pauperes utique pauperis Christi servos, religione conspicuos, providos et discretos, ac nobis et fratribus nostris gratos multipliciter et acceptos, ad imperialem excellentiam, de ipsorum fratrum nostrorum consilio, destinamus, ut iidem Gerardus et Raynerius, hiis que premissa continebat epistola et que idem episcopus ex parte tue celsitudinis nobis retulit, ex ore tuo plenius intellectis, simul cum predicto episcopo animum tuum in hujusmodi tam sancto proposito corroborent et confirment, teque ad melius salutaribus eorum monitis incessanter inducant ac nostra et eorumdem fratrum nostrorum vota tibi plenius exprimentes, una tecum et cum predictis aliis apocrisariis nostris, si presentes in tua curia fuerint, alioquin per se ipsos diligenter et ferventer intendant, ad preparanda illa que ad finalem dicti consummatio-

nem negotii fuerint oportuna. Ideoque imperialem mansuetudinem rogamus attentius et hortamur, obsecrantes te per aspersionem sanguinis Jhesu Christi, quatinus attendens provide, quod mora semper extitit nociva paratis, quodque tante salutis opus non est aliquatenus differendum, nostras et predictorum fratrum nostrorum animas ulterius non suspendas, sed tamquam solaris radius de cujuslibet obscure dubietatis caligine, in auroram lucidam festinanter erumpas, et consurgens in ecclesie firmamento, patefacias toti mundo tue bone super hoc intentionis splendorem tuique laudabilis propositi claritatem. Accelera quesumus ad paratos tibi cum desiderio materne susceptionis amplexus, et confidenter paterne caritatis brachiis te committas, itaquod mater sub longiori expectatione ulterius non languescat nec patris fauces exclamando ad te altius rauce fiant. Ceterum, predictos episcopum, Gerardum et Raynerium cum omni benignitate recipias, eorumque exhortationibus aures tue serenitatis inclines. Ipsi enim sinceritatem amoris, favoris plenitudinem et puritatis affectum, quibus te tuumque imperium prosequi, Deo auctore, proponimus, ac nostram ac dictorum fratrum nostrorum intentionem tibi apertius poterunt indicare. Datum apud Urbemveterem, x kalendas junii, anno III° ».

849 Orvieto, 14 juin 1264.

Decernit homines castri s. Gemini pro Narniensibus masnadam seu exercitum ac pacem et guerram facere debere. (Reg. 28, fol. 114 v°, cur. ann. III, n° 135.)

« .. *episcopo, et .. potestati, consilio et communi Narniensibus.* Olim inter vos, filii, potestas, consilium et commune, ex parte una, et homines castri Sancti Gemini, Narniensis diocesis, ex altera, dissentione suborta, vos dictis hominibus denegantibus respondere de quibusdam juribus que ipsi dicebant vos ab eis indebite petere, dampna plurima, contra prohibitionem apostolicam, intulistis, propter quod nos, preter diversas excommunicationis quas in vos, et interdicti quam in civitatem vestram sententias duximus proferendas, certas vobis penas imposuimus, in quas contumaciter incidistis, et tandem castrum ipsum, nec non territorium, ecclesias et habitatores ipsius ab omni jurisdictione, quantum ad spiritualia et temporalia, quam ecclesia, civitas et cives Narnienses in castrum, ecclesias et habitatores predicta sibi vendicare nitebantur, seu tunc habebant vel habuerant, eximimus, de fratrum nostrorum consilio, et apostolice plenitudine potestatis, castrum, ecclesias et habitatores prefata sedi apostolice dumtaxat et nulli alii spiritualiter et temporaliter subesse in posterum decernentes. Quia igitur vos, filii potestas, consilium et commune, ducti spiritu consilii sanioris, ad nostra et ecclesie mandata humiliter rediistis ac, satisfactione prestita super hiis pro quibus predicte sententie in vos et eandem civitatem late fuerant, meruistis a nobis absolutionis beneficium ab hujusmodi excommunicationis vinculo, juxta formam ecclesie, obtinere, ac interdictum relaxari predictum, nos, quorum viscera plena sunt ubere caritatis ad gratiam et mansuetudinem pietatis ad veniam circa illos qui, superbie ac contumacie supercilia deponentes, sub potenti manu Dei humiliter se prosternunt, humilitatem vestram condignis prosequi favoribus cupientes, exemptionem et decretum hujusmodi omnesque temporales processus, per nos vel alios auctoritate nostra contra vos et predictam ecclesiam Narniensem, occasione et tempore dissentionis hujusmodi, vel occasione injuriarum seu dampnorum illatorum a predicta civitate prefatis hominibus dicti castri, et concessiones sive indulgentias eisdem hominibus, castro vel ipsorum hominum aliquibus, propter hoc factas aut concessas per apostolicam sedem, super quibuscunque libertatibus et immunitatibus contra vos communiter aut aliquem de dicta civitate specialiter, occasione dissentionis predicte, de fratrum predictorum consilio apostolica auctoritate revocamus, ita quod nullum tibi, frater episcope, et ecclesie Narniensi quo ad omnia jura vestra, et vobis, filii, potestas, consilium et commune quantum ad illa tantummodo in que vos et dictorum hominum sancti Gemini syndici, a vobis et predictis hominibus habentes super hoc plenum et speciale mandatum, unanimiter consenserunt, videlicet quod iidem homines faciant exercitum et masnadam seu partem masnade ac pacem et guerram pro vobis et quod istis sitis contenti, et nichil amplius exigatis ab hominibus et castro predictis —. Omnes quoque penas et banna civitati predicte ejusque hominibus generaliter et specialiter, hac occasione, imposita, premissa vobis et eidem civitati auctoritate remittimus; decernentes vos et vestrum quemlibet, ad solutionem penarum et bannorum hujusmodi non teneri. Cassamus nichilominus et irritamus omnes processus habitos omnesque sententias latas per vos tempore dissensionis predicte contra prefatos homines dicti castri, decernentes processus et sententias hujusmodi nullius existere firmitatis. Nulli ergo —. Datum apud Urbemveterem, XVIII kalendas julii, anno III°. »

850 Orvieto, 22 juin 1264.

Januensibus significat se ad eos fratrem Ambrosium, ordinis Praedicatorum, destinare. (Reg. 28, fol. 115, cur. ann. III, n° 136.)

« *Nobili viro . . potestati, consilio et communi Januensibus spiritum consilii sanioris.* In vexatione presenti —. Nos igitur, vestre super hoc circumspectionis industriam vestreque sinceritatis perseverantiam dignis exinde in Domino laudibus efferentes, ac referentes vobis gratiarum multiplices actiones, universitatem vestram monemus, rogamus et hortamur attente mandantes quatinus antiquam vestram immo jam antiquatam erga predictam ecclesiam puritatem constantibus animis conservantes, illam infici venenosis quorumlibet suggestionibus nullatenus permittatis, ita quod crescatis exinde meritis apud Deum, penes nos gratia et apud homines clara fama. Et ecce dilectum filium, fratrem Ambrosium, priorem fratrum Predicatorum Urbevetanorum, virum utique religione conspicuum, providum et discretum et in nostris et fratrum nostrorum oculis gratiosum, ad vos propter hoc specialiter duximus destinandum, qui integritatem amoris et favoris plenitudinem, quibus vos et predictam civitatem prosequimur, vobis oretenus indicabit. Vos ergo ipsum benigne recipientes et honeste tractantes, ejus exhortationes et monita libenter admittere illaque efficaciter adimplere curetis. Datum apud Urbemveterem, x kalendas julii, anno III°. »

851 Orvieto, 17 juin 1264.

Fratri Ambrosio, Januam nuncio destinato, mandat ut interdictum in Januenses prolatum, usque ad festum S. Michaelis suspendat (Reg. 28, fol. 115 v°, cur. ann. III, n° 137.)

« *Fratri Ambrosio, priori fratrum Predicatorum Urbevetanorum.* Cum te ad civitatem Januensem pro bono et prospero ejusdem civitatis statu ac pro quibusdam nostris et ecclesie Romane negotiis destinemus, eademque civitas, occasione favoris quem ejus cives impendunt Paleologo, scismatico, sit ecclesiastico supposita interdicto, discretioni tue, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta mandamus quatinus . . potestate, consilio et civibus Januensibus pronis et promptis existentibus in adimplendis hiis pro quibus te mittimus ad eosdem, quia intendimus inter ipsos et Venetos, auctore Deo, pacis federa reformare, interdictum ipsum ad hoc ut interim in hujusmodi pacis negotio possit procedi liberius, presertim cum quamplures ipsorum civium tam mares quam mulieres pro eo quod dicto scismatico favorem aliquem non impendunt, excommunicationis sententiam in cives Januenses propter hoc latam, nequaquam incurrisse dicantur, usque ad festum sancti Michaelis proximo venturum, auctoritate nostra suspendas, concedens venerabili fratri nostro . . archiepiscopo, et dilectis filiis capitulo et clero Januensibus, ut libere, usque ad predictum festum, divina officia celebrent, excommunicatis exclusis, liberam facultatem. Datum apud Urbemveterem, xv kalendas julii, anno III°. »

852 Orvieto, 20 juin 1264.

De pace reformanda inter Januenses et Venetos. (Reg. 28, fol. 115 v°, cur. ann. III, n° 138.)

« . . *potestati, consilio et communi Januensibus spiritum consilii sanioris.* Inter omnia nostre sollicitudinis studia, hoc novimus precipuum, ut inter discordes, quos idem Christiani nominis titulus et ejusdem fidei professio consortes efficit, pacis consilia cogitemus, et ideo nos qui tam remotos quam proximos desideramus invicem esse pacificos, in illis precipue reconciliationis spiritum suscitare debemus, quorum commotionibus ex vicinitate turbatur ecclesie Romane tranquillitas, et ex compassione caritatis ejus viscera fortius commoventur. Circumspicientes igitur totam fere Italiam laceris ab olim in se ipsa partibus fluctuare ac in ea effrenem ferri debachari licentiam et mutuo ejus populos furore collidi, videntes etiam quod non solum eadem regio continuis guerrarum insultibus in terra concutitur, sed in utroque ipsius mari Adriatico videlicet et Tyrreno, discordiarum et per consequens alternorum bellorum dispendia sustinet, cum non minus bellorum quam ventorum hujusmodi maria fluctibus agitentur, tristamur utique ac fremimus spiritu vehementi, dolore valido pulsante cor nostrum, et ad excogitanda remedia quibus mala ingruentia sopiantur, intentius apponimus mentem nostram. Verum, quoniam a vobis et Venetis tante dissentionis in mari caput et origo processit, ex qua utique dissentione mare ipsum frequenter fuit multorum fidelium sanguine rubricatum, debilitata est multipliciter Terre Sancte condicio, et Constantinopolitani status imperii quasi totaliter enervatus, in vobis et eisdem Venetis principalius intendimus pacis funda-

menta locare, a quibus tantorum malorum parietes contra dictum imperium specialius excreverunt. Scimus etenim, et in superni Regis pacifici virtute confidimus quod, si odiorum et rancorum faces in vestris et ipsorum Venetorum pectoribus extinguantur, vastabilis divisionum ignis, qui predictum imperium devorat, ulterius non procedet sed, subtractis fomitibus, passim decrescendo deficiet, nec habebit materiam in qua ejus furor flammivomus depascatur. Cupientes itaque ut, nobis communiter mediantibus, exclusa prorsus tristium peste bellorum, jocunda inter utrumque populum pacis adhibeantur remedia et concordie federa reformentur, disposuimus jam in animo nostro quam possumus ad reformationem pacis et concordie hujusmodi, opem et operam adhibere. Ideoque universitatem vestram monendam, rogandam attente duximus et hortandam, mandantes quatinus, pensantes provide quod irreparabilia detrimenta non solum vobis et Venetis, verum etiam ecclesie ac rei publice totius christianitatis ex vestra discordia contigerunt, ac propter hoc animos vestros habilitantes et inclinantes ad pacem, sollempnes ambassatores seu nuntios habentes plenam a vobis super hujusmodi pacis reformatione mandatum, infra festum Assumptionis beate Virginis proximo venturum, ad nostram presentiam destinetis, ita quod, nobis interponentibus efficaciter partes nostras, tantum bonum, auctore Domino valeat provenire, nosque exinde specialiter holocaustum medullatum, cum omnimode devotionis incenso, offerre Altissimo teneamur. Et ecce predictis Venetis similes propter hoc litteras duximus dirigendas. Datum apud Urbemveterem, xII kalendas julii, anno III°. »

In eundem modum dilecto filio, nobili viro Raynerio Zeno, duci, consilio et communi Venetorum. »

853 Orvieto, 8 juillet 1264.

Inhibet ne comes vel domini Acerrarum aliquam masnadam Manfredi, principis Tarentini, aliorumve ecclesiae indevotorum in castrum Montis S. Johannis introducere valeant. (Reg. 28, fol. 116, cur. ann. III, n° 139.)

« *Ad futuram rei memoriam.* Inter ceteras sollicitudines que mentem nostram in vigiliis excitant, super eo specialiter nostri versantur affectus ut provincie Campanie, ortum sedis apostolice predilectum, in statu prospero conservemus. Nam, quanto potius ipsam provinciam visceribus dicte sedis connexam esse prospicimus, tanto de ipsius quiete in qua nos non indigne quiescimus, vigilantius cogitamus. Ne igitur per castrum Montis sancti Johannis, Verulane diocesis, hostibus ecclesie Romane vicinum, aliquid emergere valeat, quod cedat in ipsius castri vel prefate provincie lesionem, auctoritate apostolica districtius inhibemus, ne nobiles viri .. comes Acerrarum, vel aliqui illorum qui partem habent in dominio dicti castri, aliquam masnadam militum, balistarum vel peditum Manfredi, quondam principis Tarentini, vel quorumvis indevotorum ejusdem ecclesie illuc introducere seu introductam retinere vel quomodolibet receptare presumant. Nos ergo illos qui secus attemptare presumpserint, omnibus bonis, juribus et dominio que obtinent in eodem castro, apostolica ex nunc perpetuo auctoritate privamus, illa nichilominus ecclesie Romane de nostre potestatis plenitudine confiscantes, ac mandantes universis dicti castri hominibus ut dilecto filio nobili viro, Aymoni de Aquino, in devotione ipsius ecclesie persistenti, de bonis, juribus et dominio illorum ad quos contigerit sententiam hujusmodi privationis extendi, respondeant, sibique in hiis, ecclesie prefate nomine, plenarie studeant obedire, ut reis culpa propria redundet in penam, et boni de sue merito bonitatis consequi premia dinoscantur. Datum apud Urbemveterem, vIII idus julii, anno III°. »

854 Orvieto, 8 juillet 1264.

Ne recipiant exercitus Manfredi aliorumve ecclesiae indevotorum. (Reg. 28 fol. 116, cur. ann. III, n° 140.)

« *Aymoni et aliis dominis nec non militibus et universis hominibus castri Montis Sancti Johannis.* Ad manutenendam et gubernandam in statu quieto et prospero Campanie provinciam, utpote specialem et predilectam ecclesie Romane cameram, studia nostra mente vigili convertentes, intenta sollicitudine precavemus, ne aliqui devotionis ignari, nequitie spiritu concitati, quietem ipsius provincie turbare valeant vel quicquam in ipsa zizanie seminare. Volentes igitur nonnullis que per terram vestram hostibus ecclesie predicte vicinam, possent emergere, periculis obviare, universitati vestre, sub debito fidelitatis qua ipsi ecclesie tenemini, et pena mille marcarum argenti quam eo ipso vos incurrrere volumus, si prevaricatores apostolici mandati fueritis, districte precipimus quatinus nullos fautores nullamque masnadam militum seu quorumcumque armatorum Manfredi, quondam prin-

cipis Tarentini, vel quorumvis ejusdem indevotorum ecclesie recipere vel receptare quomodolibet presumatis. Pro certo scituri quod penam eandem a vobis exigi faciemus, si secus duxeritis presumendum, processuri nichilominus contra vos alias spiritualiter et temporaliter, prout exegerit excessus qualitas et viderimus expedire. Datum ut supra. »

855 Orvieto, 7 juillet 1264.

Ludovico, regi Francorum, petenti concedi ut fratres Praedicatorum Ambianenses ad locum qui dicitur *Coquerel*, in Ambianensi civitate situm, se transferant, nunciat praedictum negotium legato apostolico commissum esse. (Reg. 28, fol. 116, cur. ann. III, nº 141; Potthast 18965.)

« *Ludovico, illustri regi Francorum.* Per tuas nuper, christianissime princeps, litteras nos rogasti ut, cum dilecti filii . . prior et fratres Predicatorum Ambianensium, propter inaptitudines et incommoditates plurimas illius loci in quo nunc habitant, ad quendam alium locum qui dicitur *Coquerel*, in Ambianensi civitate situm, desiderent se transferre, et parati sint dilectis filiis . . abbati et conventui monasterii sancti Johannis Ambianensis, Premonstratensis ordinis, pro jure ipsorum parrochiali satisfacere competenter, et tam eis quam eorum parrochiis de indempnitate plenarie precavere, provideremus taliter in hac parte quod dicti prior et fratres, nemini nocumentum vel injuriam inferre sed omnibus prodesse volentes, et propter lucrum evidens animarum translationem affectantes hujusmodi, libere in eodem loco de Coquerel, morari et divina celebrare secure valeant et quiete. Petiisti etiam ut aliquibus personis committeremus ydoneis quod, facta recompensatione congrua pro hujusmodi jure parrochiali abbati et conventui supradictis, juxta personarum arbitrium earundem, si qui super hoc contradictores existerent, eos ut ab hujusmodi contradictione desisterent, auctoritate apostolica coarctarent. Sane, fili carissime, licet preces tue maximum in pectore nostro locum obtineant et favorem, nostrique propositi fuerit et sit semper illas, cum geramus te inter ceteros catholicos mundi reges et principes in cordis visceribus predilectum, et audire libenter, et quantum cum Deo possumus, favorabiliter exaudire, volentes tamen sic tuis in hoc satisfacere votis, quod eisdem abbati et conventui non faciamus injuriam nec inferamus eis in ipsorum juribus lesionem, ecce dilecto filio nostro S., tituli sancte Cecilie presbitero cardinali, apostolice sedis legato, per nostras committimus litteras ut, recompensatione hujusmodi per se vel per alium seu alios diligenter inspecta, si ei de ipsius recompensationis congruitate et ydoneitate constiterit, interponat apud eosdem abbatem et conventum efficaciter partes suas, tractando super hoc sollicite cum eisdem, ac eos attentis monitis inducendo ut, eadem recompensatione recepta, dictos priorem et fratres libere hujusmodi locum de Coquerel obtinere permittant, nullumque ipsis in illo impedimentum vel obstaculum interponant, non obstantibus litteris apostolicis, per quas in forma communi hujusmodi negotium venerabili fratri nostri . . episcopo, et dilecto filio . . archidiacono Laudunensibus, suadente justitia, duximus committendum. Si vero dicti abbas et conventus recompensationem eandem acceptare forte noluerint, idemque legatus non confidat posse super hoc proficere apud ipsos, rescribat nobis causam, propter quam iidem abbas et conventus recompensationem eandem recusaverint acceptare, ut ex sua insinuatione sufficienter instructi, oportunum per nos in hac parte remedium, in quantum secundum Deum et justitiam fieri poterit, apponatur. Quod si dicti prior et fratres sufficientem et ydoneam recompensationem eisdem abbati et conventui exhibere noluerint, legatus ipse auctoritate nostra episcopo et archidiacono predictis injungat, ut in eodem negotio procedant efficaciter, juxta predictarum nostrarum continentiam litterarum. Cum igitur non deceat sedis apostolice gravitatem quempiam et specialiter religiosas personas ac sacra et pia loca invita compellere ad alienandum spiritualia vel temporalia jura sua, nosque illam geramus de regia circumspectione fiduciam, quod quomodolibet non intendat nos per suas preces inducere ad faciendum injuriosum aliquid vel etiam inhonestum, mansuetudinem tuam rogandam duximus attentius et hortandam quatinus, cum adeo sis fervidus justitie rectique zelator, quod de te merito dici potest, quod justitia ante te ambulat et ponit in via tue rectitudinis gressus suos, omnibus, ut decet, recte prospectis, rationabiliter arbitreris, quod non foret conveniens maturitati apostolice abbatem et conventum predictos ad alienandum quomodolibet jura sua contra eorum cogere voluntatem. Datum apud Urbemveterem, nonis julii, anno III°. »

856 Orvieto, 7 juillet 1264.

Cardinali S. Ceciliae, apostolicae sedis legato, praedictum negotium committit exequendum. (Reg. 28, fol. 116 v°, cur. ann. III, nº 142.)

« *S., tituli sancte Cecilie presbitero cardinali, apostolice sedis legato.* Significantibus nobis olim dilectis filiis . . abbate, et conventu monasterii sancti Johannis Ambianensis, Premonstratensis ordinis, quod . . prior et fratres ordinis Predicatorum Ambianenses, loco, ecclesia jam pro magna parte constructa, domibus et aliis edificiis que habent in civitate Ambianensi, licet eorum ordini apta existant et sue habitationi ac commoda, non contenti, aliud sibi locum in parrochiis ecclesiarum sancti Germani et sancti Firmini in valle Ambianensi, in quibus iidem abbas et conventus jus obtinent patronatus, et quarum alteram, videlicet sancti Germani, in proprios usus se asserunt obtinere et in qua faciunt per suos canonicos deserviri, et ex cujus proventibus pro aliqua parte conventus ipsius monasterii sustentatur, emptis ibidem quibusdam domibus eisdem abbati et conventui censualibus, ipsis nullo modo requisitis, non sine gravi eorum prejudicio duxerant eligendum; quodque, cum idem prior et fratres ibidem edificare cepissent, quidam ex canonicis dicti monasterii se super hoc opponentes eisdem, studuerant id etiam eis per novi denuntiationem operis prohiberi, ac eisdem abbate et conventu instanter petentibus ut, cum prenominati prior et fratres in loco hujusmodi edificare, absque populi scandalo et gravi ecclesiarum ipsarum ac dicti monasteri detrimento, non possent, salubre super hoc remedium apponere curaremus, nos venerabili fratri nostro .. episcopo, et dilecto filio . . archidiacono Laudunensibus, nostris sub certa forma dedisse dicimur litteris in mandatis, ut causam, partibus convocatis, audirent et, appellatione remota, fine debito terminarent, facientes quod statuerent, per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Verum, quia, sicut ex parte ipsorum abbatis et conventus fuit nuper propositum coram nobis, eisdem priore ac fratribus excipientibus quod eorum ordini erat ab apostolica sede indultum, quod fratres ipsius ordinis conveniri non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulti hujusmodi mentionem, propter quod per litteras ipsas, in quibus de ordine ipso ac indulto mentio nulla erat, conveniri de jure non poterant nec debebant, nullus per eosdem episcopum et archidiaconum in causa hujusmodi, earundem litterarum auctoritate, habitus est processus, nos, ad eorundem abbatis et conventus instantiam, nolentes, occasione hujusmodi, eis in sua deesse justitia, in qua sumus omnibus debitores, eisdem episcopo et archidiacono per alias nostras injunximus litteras ut, si essent ita, exceptione ac indulto hujusmodi nequaquam obstantibus, in causa ipsa procedant juxta priorum continentiam litterarum. Porro, carissimus in Christo filius noster Ludovicus, rex Francorum illustris, per suas nos litteras devote rogavit ut, cum dicti prior et fratres parati sint eisdem abbati et conventui pro jure parrochiali satisfacere competenter, et tam eis quam eorum parrochiis de indempnitate plenarie precavere, provideremus taliter in hac parte, quod dicti prior et fratres nemini nocumentum vel injuriam inferre, sed omnibus prodesse volentes, et propter lucrum evidens animarum translationem affectantes hujusmodi, in eodem secundo loco morari et divina celebrare secure valeant et quiete. Petiit quoque idem rex ut aliquibus personis committeremus ydoneis, quod, facta recompensatione congrua pro jure parrochiali abbati et conventui supradictis, juxta personarum arbitrium earundem, si qui super hoc contradictores existerent, auctoritate apostolica coarctarent. Nos igitur, licet preces ipsius regis, utpote devotissimi et christianissimi principis, maximum in pectore nostro locum obtineant et favorem, nostrique propositi fuerit et sit semper illas, cum geramus regem ipsum inter ceteros catholicos mundi reges et principes in cordis visceribus predilectum, et audire libenter et, quantum cum Deo possumus, favorabiliter exaudire, volentes tamen sic ejus in hoc satisfacere votis ut eisdem abbati et conventui non faciamus injuriam, nec inferamus eis in ipsorum juribus lesionem, discretioni tue, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, presentium tibi auctoritate committimus ut, recompensatione hujusmodi per te vel per alium seu alios diligenter inspecta, si tibi de ipsius recompensationis gravitate et ydoneitate constiterit, interponas apud eosdem abbatem et conventum efficaciter partes tuas, tractando super hoc sollicite cum eisdem, ac eos, attentis monitis, inducendo ut, recepta recompensatione ipsa, dictos priorem et fratres libere hujusmodi secundum locum obtinere permittant nullumque ipsis super hoc impedimentum vel obstaculum interponant, non obstantibus predictis nostris litteris directis super hujusmodi negotio ad episcopum et archidiaconum supradictos. Si vero dicti abbas et conventus recompensationem eandem acceptare forte noluerint, tuque non confidas posse super hoc proficere apud ipsos, rescribas nobis causam, propter quam iidem abbas et conventus recompensationem eandem recusaverint acceptare, ut, ex insinuatione tua sufficienter instructos, oportunum per nos in hac parte remedium, in quantum secundum Deum et justitiam fieri poterit, apponatur. Quod si dicti prior et fratres sufficientem et ydoneam

recompensationem eisdem abbati et conventui exhibere noluerint, tu predictis episcopo et archidiacono auctoritate nostra injungas, ut in eodem negotio procedant efficaciter, juxta predictarum nostrarum continentiam litterarum. Datum apud Urbemveterem, nonis julii, anno III°. »

857 Orvieto, 10 juillet 1264.

Infrascriptis mandat ne permittant exercitum Manfredi, principis Tarentini, per civitatem Ortanam transire nunciatque se ad eos destinare magistrum Claudium, capellanum apostolicum. (Reg. 28, fol. 117, cur. ann. III, n° 143.)

« . . *potestati, consilio et communi Ortanis, fidelibus nostris.* Cum exercitus illius tyrampni precipui persecutoris ecclesie, Manfredi videlicet, quondam principis Tarentini, intendat, sicut accepimus, per partes vestras procedere versus ipsius ecclesie terras vobis viciniores, in ecclesie Romane suorumque fidelium nocumentum, nos, quia, pensatis antique vestre fidelitatis meritis, certam de vobis spem et fiduciam obtinemus quod constanter stabitis pro ecclesia, pro libertate, pro patria contra hostes, et obfirmabitis vultus vestros adversus predictum M., mala quibus ecclesia hiis diebus atteritur, pestiferis sue iniquitatis flatibus commoventem, universitatem vestram monemus, rogamus et hortamur attente, per apostolica vobis scripta, sub debito fidelitatis, quo nobis et ecclesie predicte tenemini, districte precipiendo, mandantes quatinus eidem exercitui, si per predictas partes transire voluerit, potenter et patenter, cum per Dei gratiam adsit ad hoc possibilitas, resistentes, non permittatis exercitum ipsum seu aliquos ipsius Manfredi milites per partes transire predictas. Ecce dilectum filium, magistrum Claudium de Urbe, cappellanum nostrum, virum utique providum et discretum ac in nostris et fratrum nostrorum oculis multipliciter gratiosum, ad vos propter hoc specialiter duximus destinandum, cujus super hoc monitis et mandatis pareatis humiliter et efficaciter intendatis, ita quod nos devotionis vestre promptitudinem dignis exinde in Domino laudibus merito commendantes, fidei vestre zel un condignis gratiarum actionibus prosequamur. Datum apud Urbemveterem, vi idus julii, anno III°. »

858 Orvieto, 10 juillet 1264.

Infrascriptis mandat ut ad praesentiam apostolicam syndicos infra festum b. Mariae Magdalenae destinent. (Reg. 28, fol. 217, cur. ann. III, n° 144.)

« . . *potestati, consilio et communi Perusinis, fidelibus nostris.* Quia tyrampnus ille et precipuus persecutor ecclesie, Manfredus videlicet princeps Tarentinus, aliis diversis persecutionum generibus, quibus Romanam hactenus vexavit ecclesiam, non contentus, nisi durioribus eam offendat molestiis et asperioribus tribulationibus incessanter affligat, intendit, sicut accepimus, universas suarum virium copias in unum congerere et suorum agminum undique coacervare catervas contra nos et Romanam ecclesiam ac civitatem Urbevetanam, in qua cum tota curia residemus, in ipsius ecclesie obprobrium, suorumque fidelium nocumentum, nos, intendentes cum consilio et auxilio vestro et aliorum fidelium ipsius ecclesie, tam temerariis ejusdem Manfredi ausibus, non solum in dicte civitatis territorio, sed alibi etiam in terris ecclesie predicte resistere, ipsiusque tam pravis presumptionibus obviare, universitatem vestram monendam, rogandam attente duximus et hortandam, per apostolica vobis scripta, sub debito fidelitatis quo nobis et ecclesie Romane tenemini, districte precipiendo mandantes, quatinus, super premissis deliberato consilio, infra festum sancte Marie Magdalene proximo venturum, sollempnes ambassatores et syndicos cum mandato plenario ad nostram presentiam destinetis, ad tractandum super hiis nobiscum et ad audiendum ac faciendum ea que in hac parte per nos et fratres nostros, auctore Domino, fuerint ordinata. Datum apud Urbemveterem, vi idus julii, anno III°. »

In eundem modum Tudertinis, Spoletanis, Narniensibus et Asisinatibus potestatibus, capitaneis, consiliis et communibus; Fulginatibus, de Mevania, de Spello, de Montefalcone, Nucerinis, Interampnensibus, Reatinis, Callensibus, Eugubinis, Ortanis, Ameliensibus, Balneoregensibus, Viterbiensibus, Tuscanensibus, de Corneto, de Monte alto, de Vetralla, de Monteflascone, Castrensibus, Sutrinis, Civitatis Castellane, Nepesinis, de Radicofano et de Centumcellis potestatibus, consiliis et communibus singulariter. »

859 Orvieto, 15 juillet 1264.

Infrascriptos hortatur ut exsurgant ad subveniendum necessitatibus ecclesiae Romanae eisque nunciat se ad eos O., s. Adriani diaconum cardinalem, destinare. (Reg. 28, fol. 117 v°, cur. ann. III, n° 145.)

« . . *potestati, . . capitaneo, consilio et communi Perusinis, fidelibus nostris.* Clamat instanter ad vos, tanquam

ad precipuos uteri sui filios, pro festino succursu Romana mater ecclesia, in angustiis vehementibus posita, et secundum dolorum suorum multitudinem, sue lamentationis voces ad vos replicat et exaltat. Ecce namque venerunt gentes in hereditatem Domini, que templa et alia sacra et pia loca polluunt et prophanant. Ecce Sarraceni et infideles alii truculentas eorum manus in ejus viscera, instigante illo tyrampno et totius iniquitatis filio Manfredo, videlicet quondam principe Tarentino, immittere presumpserunt. Ecce legis Machometice professores sponsam Christi ecclesiam et fidem catholicam in ipsarum fundamento invadere ac concutere non pavescunt, dum e regni Sicilie finibus erumpentes, ipsius ecclesie patrimonium violenter ingressi, Christi vicarium et apostolorum principis successorem, rectorem fidei, universalem Christianorum patrem et gubernatorem navicule Petri, immo potius ipsam naviculam in eodem hostiliter impetere ac impuguare non desinunt, in perpetuum christianitatis obprobrium, fidei orthodoxe dispendium et fidelium ignominiam et contemptum. Quis ergo fidelis ad voces clamantis ecclesie claudere potest aures? Quis nunquam potest non compati ejus passionibus tam acerbis? Certe, si bene a fidelibus et diligenter attenditur in quantum animarum dispendium, detrimentum fidei et ecclesie contumeliam hujusmodi violentus eorumdem Sarracenorum et infidelium redundet adventus, non jussi, non rogati, non moniti animis deberent promptis consurgere, ac in unum omnes in illorum exterminium potenter congerere vires suas, ut nullum possent ecclesie inferre amplius nocumentum.

Cum igitur predicta intendat ecclesia ad ejiciendam pestem tam noxiam de terris suis, conflare totaliter, Deo favente, sue molimina potestatis, vestrum eo confidentius in hoc requirit auxilium, quo promptiores invenire vos sperat in suis necessitatibus adjutores. Exurgite itaque, o filii, in subsidium matris vestre et accingimini, o potentissimi, gladio supra femur, et cedite ad prelia Domini contra sui blasphemos nominis preliandum. Nos ergo dilectum filium nostrum O., sancti Adriani diaconum cardinalem, magnum utique ac honorabile membrum ipsius ecclesie vestrique honoris et prosperi status fervidum promotorem, ad vos propter hoc specialiter duximus destinandum, universitatem vestram rogantes, monentes attentius et hortantes, ac per apostolica vobis scripta sub debito fidelitatis quo nobis et ecclesie predicte tenemini, firmiter injungentes, quatinus eundem cardinalem, immo potius nos in ipso, devote suscipientes et tractantes honore condigno, ea que vobis super faciendo statim exercitu contra Sarracenos et infideles predictos, ex parte nostra, vobis injunxerit, celeriter et efficaciter adimplere curetis; sciturі pro certo quod in hoc specialiter quantum fidei et devotionis zelum ad nos et predictam habeatis ecclesiam, volumus experiri; et ideo sic vos ad faciendum protinus id quod predictus cardinalis vobis in hac parte mandaverit, pronos ostendatis et promptos, ut predicta Romana ecclesia hujusmodi memoriale perpetuum in eterne memorie libro conscribens, preconia vestre laudis attollat in generationibus seculorum. Datum apud Urbemveterem, idus julii, anno tertio. »

In eundem modum . . potestatibus, capitaneis, consiliis et communibus Tudertinis et Asisinatibus, singulariter cuilibet.

In eundem modum . . potestati, . . capitaneo, consilio et communi Narniensibus Clamat etc. usque : nos ergo dilectum filium nostrum fratrem Anibaldum, basilice duodecim apostolorum presbyterum cardinalem, etc. usque in finem.

In eundem modum . . potestati, . . capitaneo, consilio et communi Spoletanis. Clamat etc. usque : nos ergo dilectum filium nostrum M., sancte Marie in Porticu diaconum cardinalem etc. usque in finem. »

860 Orvieto, 15 juillet 1264.

O., s. Adriani diaconum cardinalem, ad Perusinam, Tudertinam et Assisinatem civitates destinat, ad praedicandum adversus Manfredum verbum Crucis. (Reg. 28, fol. 146, cur. ann. III, n° 146.)

« *O., sancti Adriani diacono cardinali.* Clamat instanter pro festino succursu Romana mater ecclesie in augustiis vehementibus posita, et secundum dolorum suorum multitudinem sue lamentationis voces replicat et exaltat. Ecce namque etc. usque : Cum igitur apostolica sedes pro predicte defensione fidei eamque impugnantium debellatione salubri, ad remotiora mundi climata copiosa subsidia consueverit destinare, suffragantibus ad hoc largas remissiones et indulgentias concedendo, nos, attendentes quod pestis hujusmodi predicte ecclesie matri fidelium tam vicina, pestilentior esse posset, si ad ejusdem exterminium, ne deterius graviusque circumposita loca corrumpat, si sue provisionis apponere opportuna consilia sueque ulterius ipsa ecclesia conflare differret molimina potestatis, mandamus quatinus tam per te quam per alios

quos ad hoc ydoneos esse cognoveris, proponens, juxta datam tibi a Deo prudentiam, per Perusinam, Tudertinam et Assisinatem civitates et dioceses Christi fidelibus verbum Crucis, eos ut contra Manfredum et Sarracenos predictos eorumque complices et fautores tamquam contra ipsius hostes fidei signum crucis assumant, et posito cum Moyse gladio supra femur, in nostrum et ipsius ecclesie auxilium viriliter exurgentes, ad conterendam ipsorum insolentiam et pestem tam noxiam de terris ipsius ecclesie repellendam absque tarditate procedant, studeas sedulis monitis, et studiosis inductionibus exhortari. Nos ergo, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, auctoritate confisi, et ex illa quam nobis, licet indignis, Deus ligandi atque solvendi contulit potestate, omnibus qui nobis et ipsi ecclesie, in instantis prosecutione negotii, contra Manfredum Sarracenosque predictos, eorumque complices et fautores efficax in personis vel bonis juvamen impenderint, illam suorum peccaminum de quibus corde contriti et ore confessi fuerint, veniam indulgemus, ipsosque illo privilegio eaque volumus immunitate gaudere, que Terre Sancte subvenientibus in generali concilio sunt concessa. Datum apud Urbemveterem, idus julii, anno III°. »

In eundem modum fratri A., basilice duodecim apostolorum presbytero cardinali. Clamat etc. usque per Narnienses civitatem et diocesim etc. usque in finem.

In eundem modum M., sancte Marie in Porticu diacono cardinali. Clamat etc. usque per Spoletanas civitatem et diocesim etc. usque in finem. »

861 Orvieto, 20 juillet 1264.

Episcopo Cumano mandat revertatur in diocesim suam, ad curiam Romanam rediturus infra festum b. Martini. (Reg. 28, fol. 118, cur. ann. III, n° 147.)

« . . *episcopo Cumano.* Quia dilecti filii . . potestas, consilium et commune Mantuani per suos nobis nuntios suasque litteras humiliter supplicarunt, ut tibi redeundi ad ecclesiam tuam de benignitate apostolica licentiam largiremur, nos, sperantes quod hujusmodi tuus reditus ecclesie utilis esse debeat et multipliciter fructuosus, mandamus quatinus ad predictam ecclesiam tuam protinus revertaris, et postquam ad partes tuas fueris, Deo duce, reversus, quecumque ad honorem et exaltationem apostolice sedis in eisdem partibus redundare cognoveris, cunctis studiis cunctisque viribus opereris, ita quod apostolice benedictionis gratia te, tuis exigentibus meritis, preveniat et sequatur. Verumtamen volumus tibique in virtute obedientie et sub pena excommunicationis quam eo ipso incurras, si preceptum super hoc nostrum non adimpleveris, auctoritate apostolica, districte precipimus ut infra festum beati Martini proximo venturum, ad nostram presentiam personaliter revertaris. Datum apud Urbemveterem, XIII kalendas augusti, anno III°. »

862 Orvieto, 15 mars 1264.

Correctionem ordinis Cisterciensis infrascriptis committit. (Reg. 28, fol. 118, cur. ann. III, n° 148.)

« . . *episcopo Trecensi,* . . *abbati Majoris Monasterii Turonensis, ordinis sancti Benedicti, et fratri Gaufrido de Bello loco, de ordine Predicatorum.* In summi apostolatus —. Licet autem commissa nobis ex alto potestatis ecclesiastice plenitudo nos constituat omnibus debitores, tamen ad ordinem Cisterciensem eo diligentius aciem nostre considerationis extendimus, quo majori coruscat privilegio sanctitatis, et quo magis virtutum Domino displiceret, si massam caritatis ejusdem ordinis fermenti contingeret intici pravitate. Cum enim idem ordo prefulgidus illustret immensi nitore luminis aulam Dei, ne illud quevis nubes operiat, sollicitum est studium per sedis apostolice providentiam adhibendum. Sane audivimus, et digne materiam turbationis habemus, quod dictus ordo divinitus institutus, non solum minoris solito diligentie cura dirigitur, immo etiam nimia negligitur incuria status ejus et ab ipsius directo regimine dampnabili negligentia deviatur. Nam, licet idem ordo a sui fundamenti primordiis, per primitivos ejusdem ordinis patres munitus et ordinatus extiterit regularibus institutis, que *caritatis carta* in eodem ordine communiter nominantur, quibus sydereo semper fulgore prefulsit in ecclesie firmamento, eodem tamen ordine jam capitis sentiente languorem, ad membra ejus dolor immergitur hactenus dolore non solita, totius compagine corporis solida dudum sine macula persistente. Hec siquidem caritatis carta veluti veri tabula testamenti, a predictis instituta patribus et a nonnullis predecessoribus nostris Romanis pontificibus sollempniter confirmata, de modo eligendi Cisterciensem abbatem, et quibus, vacante Cistercensi monasterio,

cura ejus immineat, nec non de visitatione Cistercii et aliis ad hoc pertinentibus, formam continet salutarem, a qua unquam, sicut fertur, presuntuosa temeritate receditur, et ejus observantie presumptione temeraria derogatur.

Quamquam enim in ejusdem institutis contineatur expresse quod, cum idem monasterium abbate vacare contigit, quatuor primi abbates ejusdem ordinis provideant, et sit super eos cura domus illius, donec in ea fuerit abbas electus et etiam institutus, patrem vero abbatem dicti quatuor et aliqui ex aliis coabbatibus suis, qui de corpore Cistercii prodierint et quos iidem primi abbates ac dicti monasterii fratres ydoneos esse cognoverint, certa die congregati pro futuri substitutione pastoris, juxta prescripte carte tenorem, eligere debeant, et eidem monasterio providere per electionem canonicam de abbate, tamen ab hujusmodi forma satis deformiter, sicut accepimus, est recessum, quia nec primi quatuor nec alii coabbates tractatui hujusmodi electionis intersunt, nec ad id etiam requiruntur; immo prior ejusdem monasterii, diem ad eligendum pretigere, ac abbates quos sibi forsan circa suum propositum sperat fore propitios, convocare presumit, et tandem, contra predictam caritatis cartam per priorem et monachos dicte domus electione presumpta, dicti primi quatuor electionem taliter celebratam, impugnare minime permittuntur, nec sic electam, licet sit minus ydonea, reprobare personam, sed quantumcunque fuerit in persona electa vel in electionis forma peccatum, nichilominus tamen oportet quod hujusmodi electio sortiatur effectum. Preterea Cisterciensis electus sic assumptus, curam a nemine recipit sed sigillum tantummodo suscipit a priore, propter quod religiosarum mentium penetral anxie dubitationis pungens subintrat aculeus, et frequenter inter fratres ejusdem ordinis dubitatur, an idem Cisterciensis abbas de ipsis forsan curam non habeat, et per consequens, cum opus esset, curare non possit eosdem. Huic etiam et alius error subsequitur, videlicet quod abbas Cisterciencis, qui est pro tempore, a jugo regiminis, quando vult, nullius interveniente auctoritate, se eximit, illud motu proprio, sigillo dumtaxat super altari posito, dimittendo, per quod non est dubium et utilitati ordinis detrahi, et tam animarum saluti, que absque pastore dimisse, facilius insidiatorum morsibus exponuntur, quam unitati etiam derogari, cum se abdicando quis sibi commissum imperium non amittat.

In visitatione vero Cistercii, premissis non modicum detrahi dicitur institutis. Nam, si quando visitatores, prout ipsorum officium exigit et hactenus juxta instituta predicta fieri consuevit, diem ad visitandum monasterium predictum assignant, idem abbas Cistercii, in dictorum quatuor primorum abbatum et eorum intentionis elusionem, non sine ipsorum gravi prejudicio, statuti diei assignationem immutat. Et si quando fortasse conveniunt, eo tempore, memoratus abbas qui fuerat visitandus, pro suo arbitrio, in capitulo et visitatione, partes presidentis usurpans, officium visitatoris exercet, emergentia negotia expedit, penas infert, absolutiones indulget et penitentias, juxta sue arbitrium voluntatis, injungit, nonnunquam minas ipsis visitatoribus incutit, quas interdum exequitur, penas eis nichilominus inferendo; sicque jurisdictio visitatorum eluditur, et inutilis reddita, debito frustratur effectu, nonnulla maleficia necessario impunita relinquuntur, et, sicut pluries accidisse dicitur, prefatum Cisterciense monasterium necessarie correctionis et visitationis carentia debite, sepe in abyssum corruit debitorum, ex quorum gravi pondere totum oportet interdum ordinem onerari.

In capitulo quoque generali ubi abbatum congregatio, inibi ex more convenientium, universum ordinem representat, et ubi de observatione regule, de commodo caritatis et pacis, ac de animarum, juxta prefate carte caritatis tenorem, debet salute tractari, statuta eduntur inutilia, juri contraria et grave inferentia ordini nocumentum. Porro, quia non solum per malum et inordinatum pastorum ingressum, verum etiam per egressum similem seu depositionem eorum qui utiliter et laudabiliter presidebant, dictus ordo miserabilia detrimenta jam sustinuit, de inordinatis institutionibus et destitutionibus abbatum rumor frequenter ascendit ad capitulum generale, ac tandem, super hoc inquisitoribus contra formam solitam deputatis, nonnunquam evenit quod sine sufficienti vel justa causa viri probate virtutis et laudabiliter in ministerio administrationis experti, non sine gravi ordinis dispendio, deponuntur.

Ceterum, in diffinitoribus eligendis, quorum interest statum totius ordinis per diffinitionum remedia, cum expedit, reformare, per eundem Cisterciensem abbatem predictis quatuor primis abbatibus antiqua libertas et consueta licentia denegatur, ita ut ipsi nec nominare diffinitores hujusmodi, sicut consueverunt, nec eligere permittantur, propter quod libere in capitulo generali excitari dissentiones incipiunt et gravis materia scandali suscitari. Hiis illud grave nimis et intolerabile ac dispendiosum adjicitur, quod Cisterciensis abbas, quamcumque diversis temporibus in visi-

tationibus, depositionibus, electionibus vel quovis alio modo, etiam si in capitulo generali delinquat, nullatenus proclamatur, nec ejus excessus licet ex predicta carta caritatis aliud habeatur, ibidem ab aliquo vel aliquibus corriguntur. Sicque frequenter evenit, quod languescentis capitis morbus in corpus effluit diversisque gravantur membra langoribus, capite non curato.

Ad hec tam dictus Cisterciensis quam nonnulli alii patres abbates, qui se deberent speculum et exemplar religionis et abstinentie claustralibus et visitandis fratribus exhibere, sumptuosas faciunt, sicut fertur, et curiosas expensas, carnibus in monasteriorum cameris, nec debilitatis nec infirmitatis urgente necessitate, vescuntur cum multitudine sociorum, contra regale preceptum, statuta patrum et ipsius ordinis honestatem, in grave scandalum plurimorum.

Alias quoque in suis processibus nec jus ordinis nec ordinem juris observant. Nam electiones abbatum quantumcunque canonicas, unanimiter et concorditer de personis ydoneis celebratas, pro libito sue voluntatis impugnant, personas approbatas, utiles et honestas ex confictis reprobando, sine aliqua examinatione, defectibus, et indebite recusando ac inverecunde ponendo maculam in electis. Circa eligendas autem se malitiose gerentes, electoribus minas et terrores incutunt, nec quiescunt donec inutiles, dampnosos et quandoque sinistre opinionis homines, consanguineos, domesticos aut alias eorum benivolentiam obtinentes, eligi faciant aut intrudant. Abbates insuper quos innocentia propria probat insontes, minarum eorumdem patrum abbatum illatione perterriti, et alias malitiosis ipsorum involutionibus circumventi, nonnunquam inviti cedere compelluntur, et, si forsan aliquis velit apud illos juris presidio relevari, omnis in hoc ei via precluditur et justitie remedia denegantur. Nam, si petat articulos super quibus debet haberi processus, vel copia attestationum productorum testium contra ipsum, in hiis ejus petitio non auditur nec admittitur super objectis, licet probata non sint, oblata purgatio, nec ad superioris audientiam permittitur appellari. Contingit etiam quod per inquisitiones clandestinas et suspectas, que interdum ab ipso Cisterciensi et nonnullis aliis patribus abbatibus attemptantur, vel etiam nulla inquisitione premissa, causa, immo potius occasione conficta, persone utiles et honeste suis dejiciuntur honoribus, a locis et administrationibus deponuntur, nullo contra eos vitio probato, immo de puritate vite ac meritis conversationis honeste laudabili eis testimonio suffragante.

Preterea iidem Cistercienses et nonnulli alii patres abbates filios abbates indifferenter, sine causa evidenti vel justa, et eorum monachos, cum in ipsos, secundum antiquam ordinis consuetudinem, nisi visitationis tempore, jurisdictionem non habeant, citare coram se extra proprias abbatias et excommunicare, suspendere, interdicere ac alias animadvertere presumunt in ipsos, et eis frequenter, nulla alia citatione seu competenti monitione premissa, in virtute obedientie et sub pena excommunicationis late sententie, quod ad ipsos accedant vel quod aliquid aliud faciant precipere non verentur.

In cumulum autem malorum et illud accedere dicitur quod, cum aliquod ipsius ordinis monasterium vacare contingit, dictus Cisterciensis abbas sigillum dicti monasterii recipit, ipsumque sigillum ad libitum retinet, donec sit vacanti monasterio de abbate provisum, ex quo tam circa obligationes falsas et clandestinas, quam circa alia possent multa provenire pericula ejusdem ordinis monasteriis et personis. In hiis quidem et aliis per que, sicut audivimus, ipsius ordinis splendor caligine infamie ac detractionis obducitur, inficitur puritas, gloria maculatur, nos, qui ad eundem ordinem, more pii patris, afficimur, ad ipsum paterne gerimus compassionis affectum. Audivimus enim et verisimiliter creditur quod, dum tam ceteris ejusdem ordinis institutis et consuetudinibus approbatis, quam predicte caritatis carte detrahitur, fratrum caritas vulneratur, subit eorum corda discordia, et qui habitare debuerunt in concordie unitate concordes, in votorum diversitate discordant, pax extinguitur, accenduntur fomites odiorum, quies claustralibus debita in inquietudinem transiens, redditur inquieta, cedit silentium in murmurationem, sussurria et tumultus, sancte contemplationis otium impeditur.

Propter quod, salubrem ipsius ordinis statum plenis desideriis affectantes, ac intendentes sic agrum ejus excolere, quod idem ordo, evulsis inde spinis et tribulis, sparsisque in ipso virtutum seminibus amabilium, acceptorum Domino fructuum affluat ubertate, discretioni vestre, in virtute obedientie, per apostolica scripta firmiter precipimus et mandamus quatinus vos vel duo vestrum personaliter ad prefatum Cisterciense monasterium vel ad alia loca que ad hoc oportuna videritis, accedentes, et habentes pre oculis solum Deum, inquiratis super premissis et aliis injuriis et gravaminibus a dictis Cisterciensibus

illatis, ut dicitur, tam monasteriis quam personis, nec non et super aliis in quibus similiter ordinem ipsum audieritis deformatum, sublato appellationis diffugio, et absque judiciorum strepitu sollicite veritatem, et, convocatis tam patribus abbatibus, quam aliis personis ejusdem ordinis, quorum presentiam ad hoc videritis oportunam, studeatis ordinem ipsum per tractatus pacificos et viam concordie in premissis, si Dominus dederit, reformare. Contradictores etc. Non obstantibus quibuslibet consuetudinibus vel statutis contrariis, indictione pene vel quacumque alia obligatione seu communitione vallatis, etiam si dicatur in eis quod contra ipsa vel eorum aliquid nullus impetret litteras apostolicas vel a quocunque impetratis seu concessis utatur, ad que dilectum filium .. abbatem Claverallensem, et adherentes eidem in hujusmodi negotii prosecutione ac ceteros prosecutores ejusdem volumus non teneri, seu aliquibus privilegiis, indulgentiis aut aliis litteris eidem ordini vel quibuscunque personis ipsius, sub quavis forma verborum ab eadem sede concessis, de quibus quorumque toto tenore mentio fieri debeat specialis, et per que presentium effectus impediri valeat vel differri, aut si aliquibus est a prefata sede concessum quod interdici, excommunicari nequeant vel suspendi, et indulgentia tibi, fili G., vel fratribus tui ordinis ab apostolica sede concessa, quod vos intromittere minime teneamini de causis vel negotiis, que vobis per litteras apostolicas committuntur. Quod si forsan in ejusdem ordinis reformatione pacifica se difficultas ingesserit, vos tam ea que per hujusmodi fuerint inquisitionem inventa, quam etiam vias si quas vobis ad ipsius ordinis tranquillitatem et pacem hujusmodi tractatus aperient, nec non et cetera omnia que in hac parte duxeritis facienda, in scriptis redacta, nobis sub sigillis vestris per fidelem nuntium mittere procuretis. Prefixo tam eidem patri abbati, quam aliis de quibus videritis expedire, termino peremptorio competenti, quo per se vel per ydoneos procuratores nostro se conspectui representent, audituri et recepturi quod ad Dei laudem et gloriam ac felicem ejusdem ordinis statum circa premissa, cooperante divina clementia, duxerimus faciendum. Datum apud Urbemveterem, idus martii, anno III°. »

863 Orvieto, 17 juillet 1264.

Fratri Florasio administrationem monasterii S. Pauli de Urbe, propter Frederici abbatis excessus, committit. (Reg. 28, fol. 119 v°, cur. ann. III, n° 149; Potthast, n° 18988.)

« *Fratri Florasio, ordinis Minorum, capellano nostro.* Cum nuper contra —. Datum apud Urbemveterem, XVI kalendas augusti, anno III°. »

In e. m. decano et conventui monasterii S. Pauli de Urbe.

In e. m. universis vassallis monasterii S. Pauli de Urbe.

864 Orvieto, 23 juillet 1264.

Facultas emendi possessiones in Campaniae vel Maritimae partibus. (Reg. 28, fol. 120, cur. ann. 150.)

« *Nobili viro Guillelmo dicto Pagano.* Cum, sicut accepimus, inter te et dilectum filium nostrum J., sanctorum Cosme et Damiani diaconum cardinalem, de vendendis sibi parte dominii, domibus, vassallis, juribus, terris, vineis, possessionibus et ceteris bonis que obtines in castro Sunnini, Terracinensis diocesis, habitus sit tractatus, nobilitati tue presentium auctoritate concedimus ut, si contingat venditionem hujusmodi celebrari, de pecunia quam de predictis bonis receperis, alias possessiones ad opus tuum in Campanie vel Maritime partibus emere libere valeas, non obstante si, etc. Datum apud Urbemveterem, X kalendas augusti, anno III°. »

865 Orvieto, 25 juillet 1264.

Episcopo Lucano mandat colligat bona ecclesiae Romanae a Paulo, archidiacono Lucano, legata. (Reg. 28, fol. 120, cur. ann. III, n° 151.)

« .. *episcopo Lucano.* Cum quondam Paulus, archidiaconus Lucanus, olim felicis recordationis Innocentii, pape IIII, predecessoris nostri, cappellanus et familiaris, anime sue, ut credimus, intendens consulere, omnium possessionum suarum proventus, usque ad certum tempus, Romane ecclesie in suo legaverit testamento, nos, ne jus dicte ecclesie in hac parte negligere videamur, fraternitati tue per apostolica scripta, in virtute obedientie, districte precipiendo mandamus quatinus dictos proventus, juxta tenorem ipsius testamenti, integre nostro ac ejusdem ecclesie nomine per aliquem fidelem colligi faciens, contradictores, si qui fuerint vel rebelles, auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, eos, quousque super hoc aliud tibi scripserimus, stu-

deas sollicite conservare, quid et quantum inde perceperis, per tuas litteras nobis quamcito poteris, fideliter rescripturus. Datum apud Urbemveterem, viii kalendas augusti, anno III°. »

866 Orvieto, 18 juillet 1264.

Patriarchae Jerosolimitano mandat nunciet excommunicatos Christianos Sarracenis arma et alia vitae necessaria deferentes. (Reg. 28, fol. 120, cur. ann. III, n° 152.)

« . . *patriarche Jerosolimitano, apostolice sedis legato.* Ne glorientur reprobi —. Sane, sicut dolentes audivimus, et cum multa cordis turbatione narramus, animos quorumdam mercatorum diversarum civitatum, communitatum et locorum aliorumque quamplurium de partibus transmarinis, qui gloriantur nomine christiano, ita seva cupiditas occupavit, ut arma, ferrum et lignamina galearum deferant Sarracenis et pares aut superiores etiam illis fiant, dum ad impugnandos christianos arma eis, frumentum et alia vite necessaria hoc potissimum tempore nequiter subministrant, quo predicti Sarraceni christianum populum crudeliter opprimunt et incessanter affligunt. Quia vero illos qui talia presumunt efficere, non est dubium involvi canone sententie promulgate, mandamus quatinus presumptores hujusmodi, singulis diebus dominicis et festivis, pulsatis campanis et candelis accensis, per omnes ecclesias et loca maritima in quibus expedire videris usque ad satisfactionem condignam, appellatione remota, excommunicatos publice nunties, et per alios nuntiari facias ac ab omnibus artius evitari; manum tuam aggravando nichilominus, ac etiam invocando seculare brachium contra ipsos, prout meruerit eorum protervia vel iniquitas obstinata. Datum apud Urbemveterem. xv kalendas augusti, anno III°. »

867 Orvieto, 18 juillet 1264.

Infrascriptos ad pacem inter ipsos reformandam hortatur. (Reg. 28, fol. 120, cur. ann. III, n° 153.)

« . . *patriarche Jerosolimitano, apostolice sedis legato, archiepiscopis et episcopis. ac dilectis filiis ceteris ecclesiarum prelatis, nec non . . Militie Templi, . . sancti Johannis, . . sancte Marie Theutonicorum domorum magistris, et Gaufrido de Sarziniis senescalco, Henrico bajulo, Johanni de Biblio marescalco, Johanni comiti Joppensi, et Johanni domino Beritensi, aliisque nobilibus, communitatum consulibus, fraternitatum rectoribus et cunctis Christifidelibus in regno Jerosolimitano constitutis.* Anxietas spiritus et multa nobis ferit cordis afflictio, postquam horridus ille rumor auribus nostris insonuit. quod aliqui ex vobis non parvi aut mediocres sed famose statum potentie obtinentes, instigante principe tenebrarum, frequenter ad illius dissentionis et discordie nequitiam, nec non ad alia perversitatis opera dilabuntur, de quibus non solum personarum et rerum ac deploranda perditio animarum sequitur, sed Terre Sancte negotio gravissime derogatur, gloriante de hiis non modicum impietate sevissima paganorum, qui multe subsannationis et derisionis materiam principaliter ex eo concipiunt, quod quidam ex predicte dissensionis auctoribus cum eis in occulto, non sine pernitiose fraudis nota turpissima, treugas ineunt speciales, ex quibus non gloriam Altissimi seu profectum populi christiani provenire cupiunt, sed sua privata commoda consequi moliuntur. O Deus, tua humilis et devota christiana religio, a longis retro temporibus in personis et rebus ad hoc intenta vigilanter extitit, ad hoc ferventissime desudavit, ut terra ipsa, tui Filii sanguine pretioso conspersa, per suum ministerium posset eripi de manibus impiorum, apostolica sede omne quod scivit et potuit, super hoc auxilium adhibente. ita quod, licet de redemptione hujusmodi nondum completum fuerit desiderium populi christiani, per tuam tamen gratiam, pie Creator omnium, sic terra ipsa usque in hodiernum diem subsistit, quod infidelium perversitas suum de illo propositum obtinere nequivit. O Deus, mens hominum extimare non sufficit quid sumptuosi et angustiosi laboris seu quid doloris acerrimi et lacrimosa compassione dignissimi sub hujusmodi negotii prosecutione sit habitum, et quantum de fidelium sanguine sit effusum! Quam dira igitur est impietas, quam ferina crudelitas, nunc timore imminente de Tartaris, nunc excrescente formidine de paganis, illos per quos negotium fidei deberet principaliter prosperari, suorum damnabilem in hoc exercere cordium levitatem, ut causa Regis eterni non vigeat et predicte terre residuum turbetur facilius ab insultibus perfidorum. Pro Deo viri providi, pro Deo filii predilecti, omne nubilum quod ex frementium prodit turbine voluntatum, a personis in predicta dissentione positis, excludi penitus procurantes, ac illas etiam a predictis treugis particularibus et damnabilibus cohibentes, prudenter advertite ac discutite diligenter, quid sit, hujusmodi occasione dissidii, tantum periculum exoriri. Numquid ejusdem dissentionis actoribus utilitas vel honor producitur,

si prefata terra, caput utique catholice fidei, per aliquam ipsorum incuriam vel negligentiam, novo incursu discriminum involvatur? Certe, ut de perennis subtractione glorie taceamus, cujus respectu quicquid in rerum natura conspicitur, digne pro nichilo reputatur, si predictam terram, quod absit, perdi contingeret, necessitas jacture multiplicis eis exinde immineret, presertim cum sit generaliter orbi terre cognitum, quod ipsis de predicta terra provenit et potentie magne preconium et rerum affluentia votivarum. Si ergo, illis volentibus aut permittentibus ut predicta terra de manibus fidelium transiret ad dominium hostium spurcidorum, quid eis meriti preter incursum supplicii sempiterni apud omnium Conditorem accresceret, vel quid ipsis erga Christi fideles nisi odium et maledictio cum tristitia proveniret? Porro non aliud, si consulte speculum rationis inspicitur et erronee voluntatis impetus cohibetur. Cum itaque super hoc et aliis que sunt oportuna fieri, vobis tanquam viris multa discretione conspicuis, magna intelligentia debeat suffragari, universitatem vestram, sub divini obtestatione judicii, duximus obsecrandam per apostolica vobis scripta districte precipiendo mandantes quatinus ad pacis et concordie federa inter discordes hujusmodi reformanda, vestri virtutem animi et acumen ingenii totaliter effundatis, presertim cum sit omnino decens et congruum ut, quando, perduce salutis angelo, ad partes illas peregrinorum pervenerit multitudo, ibi delicias pacis et concordie per vestre diligentie studium, favente nostri clementia Redemptoris, gaudeat repperisse. Ad hec pro firmo teneat vestra sinceritas quod, cum nil tristius vel amarius nobis posset accidere quam quod in diebus nostris fidei negotium caderet vel periret, nobis ad presens nullum carius seu jocundius prestare potestis obsequium, quam quod de reformatione hujusmodi grata Deo et cunctis votiva fidelibus cor nostrum letitia perfundatis. Nec mirum quia nostris gladium reputamus immitti visceribus, dum Crucis hostibus insultandi materia ex eo conceditur, quod ministri discordie memorate, procurando vel sustinendo predicte terre periculum, quantum in eis est, fidem destruunt, qui pro illius exaltatione magnifica corpus et animam ponere tenerentur. Ceterum, cum Dei vocentur filii, qui pacem faciunt, et proculdubio Sathane sint filii qui confundunt, tam periculose discordie patratores, scire volumus quod, nisi, resumpto spiritu intellectus et consilii, super culpa tam nepharia, tam iniqua ducantur penitudine salutari, seque sine dilatione convertant ad illius unitatis et concordie studium, quod sit ejusdem terre necessitatibus fructuosum, presumptionem ipsorum taliter, auctore Domino, castigare curabimus, quod ipsi eorumque similes agnoscent per evidentiam operis, quantum sepedicta discordia nostro contradicat affectui et divine sit opposita voluntati. Datum apud Urbemveterem, xv kalendas augusti, anno III°. »

868 Orvieto, 17 juillet 1264.

De centesima colligenda et de proximo futuro passagio in Terrae Sanctae succursum eosdem certiores facit. (Reg. 28, fol. 120 v°, cur. ann. III, n° 154.)

« *Eisdem.* Affectionis materne pietas —. Sane felicis recordationis Romani pontifices, predecessores nostri, dolorum confossi jaculis que de persequentium Terram Sanctam nefandis manibus procedebant, multa excogitare consilia et impertiri remedia studuerunt, per que terra ipsa posset a periculis eripi et in salutis gaudia reformari. Hanc siquidem predecessorum ipsorum piam sollicitudinem et diligentiam efficacem, nos corde humili et mente vigili attendentes, ac meditantes cum profundis suspiriis et gemitibus lacrimosis, quod in procurandis dicte terre profectibus pro cunctis hominum filiis esse illa de causa solliciti debeamus, quia divine dignatio majestatis nos a patriarchatus Jerosolimitani regimine transtulit, et ad dignitatis apostolice preminentiam, licet immeritos, evocavit, sumus absque intermissione vigiles et devotis precibus Regis eterni clementiam implorantes, ut ipse terram eandem, in qua pro salute humani generis dignatus nasci voluit, quamque sui pretiosi aspersione sanguinis consecravit, de infidelium manibus potenter eripiat et ad christiani cultus reverentiam sua ineffabili pietate reducat. Inde fit quod nos centesimam omnium proventuum ecclesiasticorum pro ipsius terre ac vestro subsidio colligi et verbum Crucis generaliter facimus predicari. Et quia jam multi fideles, divina gratia inspirante, zelo devotionis accensi, Crucis caracterem assumpserunt et incessanter assumunt, nos animo constanti et mente firmissima jam cogitare incepimus ac etiam procurare studemus, quomodo parlamentum crucesignatorum jam Parisiis celebratum, et tractatus de duce sive capitaneo qui exercitui crucesignatorum ipsorum presit viriliter et prudenter, necnon de festino in succursu sepedicte terre passagio habitus, finem desiderabilem Deo propitio sortiantur. Vos igitur, nobis in Christo carissimi, et condignam

favoris nostri gratiam jugiter obtenturi, clementissimi Conditoris omnium veniam expectetis, circa devotarum orationum studia vigiles, et piis ferventes operibus insistentes, sub illius jocunditate fiducie quod Dominus fortis et potens in prelio cunctaque disponens in ictu oculi, prout sue complacet majestati, humilitatis nostre ac devotionis vestre desideria, sicut de ipsius pietate confidimus, de redemptione sepedicte terre ita implere dignabitur, quod noster et vester spiritus exultationis multitudine hostium crucis dejectione previa perfundetur. Datum apud Urbemveterem, xvi kalendas augusti, anno III°. »

869 Orvieto, 17 juillet 1264.

De reparatione castri Joppensis. (Reg. 28, fol. 121, cur. ann. III, n° 155.)

« . . *archiepiscopo Tyrensi.* Dilectus filius frater Guillelmus, de ordine Predicatorum, fidelium Christi manentium in terra sancta nuntius, retulit coram nobis quod circa civitatem Acconensem, quedam sumptuosa opera construuntur, per que a Tartarorum seu paganorum et quorumlibet infidelium nationum incursibus dicta civitas, divina potentia suffragante, salubriter protegi et feliciter valeat liberari. Quare dictus frater a nobis instanter et humiliter postulavit, ut tum pro subsidio hujusmodi operum, tum pro reparatione ac defensione castri Joppensis, ad quam dilectus filius nobilis vir . . ipsius castri dominus, per se sufficiens non habetur, venerabili fratri nostro . . patriarche Jerosolimitano, apostolice sedis legato, et dilecto filio, nobili viro Gaufrido de Sarziniis, qui ad perfectionem operum ipsorum ferventer invigilant et principaliter elaborant, aliquam pecunie summam de centesima que ad opus Terre Sancte colligitur, mittere sine dilatione aliqua dignaremur. Licet igitur nos olim tibi scripserimus ut ad hoc de hujusmodi centesima, cujus collectio tibi est ab apostolica sede commissa, in passagio martii proximo preteriti aliquod illuc subsidium destinares, quia tamen nullum exinde commodum esse dicitur subsecutum, mandamus quatinus illam pecunie quantitatem, in quam carissimus in Christo filius noster . . illustris rex Francie, consenserit ac etiam viderit expedire, prefatis patriarche et G. de Sarziniis sine aliqua dilatione transmittas, per manus eorum in subsidium predictorum operum et ipsius castri Joppensis reparationem ac defensionem integre convertenda. Quod autem inde feceris, nobis per tuas exponere litteras non moreris. Datum ut supra. »

870 Orvieto, 28 juillet 1264.

Episcopo Parisiensi mandat ut verbum Crucis contra Manfredum in patrimonio b. Petri in Tuscia proponat. (Reg. 28, fol. 121, cur. ann. III, n° 156.)

« . . *episcopo Parisiensi*[1]. Ascendente ac diffundente —. Datum apud Urbemveterem, v kalendas augusti, anno tertio. »

In eundem modum singulis episcopis infrascriptis, videlicet . . Tudertino, . . Urbevetano, . . Assisinati, . . Spoletano, . . Eugubino, . . Nucerino, . . Interampnensi, . . Reatino, . . Narniensi, . . Ortano, . . Balneoregensi, . . Ameliensi, . . Viterbiensi, . . Castrensi, . . Civitatis Castellane, . . Nepesino, . . Sutrino, ac . . guardiano fratrum Minorum Fuliginatum in Fuligino et quondam Fuliginatis diocesis.

In eundem modum . . ministro fratrum Minorum Romane provincie. Ascendente, etc., usque quatinus tam per te quam per fratres tui ordinis quos ad hoc ydoneos esse cognoveris, proponens per Romanam provinciam Christi fidelibus, etc.

In eundem modum . . ministro provinciali fratrum Minorum administrationis beati Francisci. »

871 Orvieto, 29 juillet 1264.

Johanne de Marerio, Pandulfo de Alabro et dominis roccae de Accarino, qui in ipsorum terras Sarracenos introducere praesumpserunt, nuntiatis excommunicatis, nisi infra certum terminum ipsis praefixum, mandatis ecclesiae obtemperarent, Pandulfo terminum peremptorium prorogat quo mandatis ecclesiae obtemperare debeat. (Reg. 28, fol. 121 v°, cur. ann. III, n° 157.)

« *Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis.* Quia Johannes de Marerio, Pandulfus de Alabro et domini rocce de Accarino fidelitatis debito quo Romane tenebantur ecclesie, temere violato et christiana religione contempta, Sarracenorum et aliorum infidelium exercitum in terras ipsius ecclesie introducere dampnabiliter presumpserunt, factique ipsius ductores et conductores exercitus, eorumdem Sarracenorum et infidelium agmina direxerunt contra catholicos et fideles in favorem Manfredi, quondam principis Tarentini,

1. Sans doute pour *Perusino.*

cui adherere contra predictam ecclesiam non pavescunt, nos nolentes tantam eorum perfidiam sub dissimulatione transire, nuper, presente fidelium multitudine, Johannem, Pandulfum dominosque predictos, tanquam manifestos ipsius Manfredi fautores, denuntiantes excommunicationis sententie, late per sedem apostolicam contra prefati Manfredi fautores et complices, subjacere, ipsos apostolica auctoritate manifeste monuimus, eisque districte precipimus ut infra kalendas mensis augusti proximo venturi, quas pro peremptorio eis prefiximus termino, ab omni favore quem predictis Manfredo, Sarracenis et infidelibus aliis exhibent, desistentes, comparerent personaliter coram nobis, nostris super hiis precise mandatis et beneplacitis parituri, et impensuri nobis cautiones ydoneas quas exigeremus ab ipsis. Nos ergo ipsos extunc, si nostris monitis et preceptis parere contempserint, excommunicationis innodavimus vinculo, et nichilominus ipsos omnibus baroniis, castris, feudis et juribus ceterisque bonis que in terris predicte ecclesie obtinent, omnes insuper fratres, filios et nepotes eorum per descendentem lineam clericos, omnibus personatibus, dignitatibus, prebendis, ecclesiis et aliis ecclesiasticis beneficiis, cum cura et sine cura, que habent, apostolica duximus auctoritate privandos, ac reddidimus eos inhabiles ad illa vel alia in posterum obtinenda, concedentes illis ad quos sive sua ordinaria, sive apostolice sedis vel legatorum ejus auctoritate, predictorum personatuum, dignitatum, prebendarum ecclesiarum et beneficiorum collatio pertinet, conferendi ea extunc personis ydoneis et ecclesie Romane devotis liberam facultatem. Verum, quia de predicto Pandulfo de Alabro nobis relatum extitit, per fidedignas personas, quod idem se deliquisse graviter contra Deum et Romanam ecclesiam recognoscens, intendit ad mandata ecclesie predicte redire, ac offerre nobis et eidem ecclesie pecunie dona et contriti cordis ac humiliati spiritus holocausta, nos qui vices illius in valle seculi hujusmodi exequimur, qui non mortem sed potius vitam desiderat peccatorum, volentes, quantumcumque dictus Pandulfus graviter nos et ecclesiam predictam offenderit, tempus sibi adhuc, infra quod conceptum hujusmodi sue intentionis propositum producere valeat ad effectum, misericorditer indulgere, et uti circa ipsum mansuetudine potius quam rigore, prefixum eidem et premissis aliis predictarum kalendarum terminum, quo ad ipsum Pandulfum solum, usque ad octavas Assumptionis beate Virginis proximo venturas, tenore presentium prorogamus hujusmodi privationis sententiam latam in eundem Pandulfum, et per consequens in dilectum filium Sinibaldum de Alabro, germanum suum, et sententie ipsius effectus, etiam si predictus Pandulfus infra predictas kalendas nostris non paruerit beneplacitis et mandatis, usque ad jamdictas octavas de benignitate apostolica suspendentes, ac districtius inhibentes, ne aliquis, hujusmodi nostri processus pretextu, ipsius Sinibaldi beneficia, cum cura et sine cura, interim aliis conferre personis vel de illis quicquam aliud disponere quoquomodo presumat, ac decernentes irritum et inane quicquid contra hujusmodi inhibitionem nostram apostolica vel quavis alia auctoritate contigerit attemptari. Quod si prefatus Pandulfus mansuetudine predicte sedis abutens, infra easdem octavas a favore predictorum Manfredi, Sarracenorum et infidelium non destiterit, nec comparuerit personaliter coram nobis, pariturus nostris super premissis precise mandatis, et cautiones nobis ydoneas quas ab eo exegerimus, impensurus, apostolica auctoritate decernimus tam ipsum quam eundem Sinibaldum extunc predictam privationis sententiam incurrisse. Nulli ergo, etc. Datum apud Urbemveterem, IIII kalendas augusti, anno III°. »

872 Orvieto, 29 juillet 1264.

Salvus conductus pro Sinibaldo de Alabro, Alabrum destinatum. (Reg. 28, fol. 122, cur. ann. III, n° 158.)

« *Universis episcopis, abbatibus, prioribus et aliis ecclesiarum prelatis, ac nobilibus viris comitibus, baronibus, potestatibus, rectoribus, consiliis et communitatibus tam civitatum quam castrorum aliorumque locorum ac ceteris nostris et ecclesie Romane fidelibus per terras ipsius ecclesie constitutis, ad quos littere iste pervenerint.* Cum nos dilecto filio, Sinibaldo de Alabro, camerario dilecti filii nostri O., sancte Marie in Via lata diaconi cardinalis, eundi usque Alabrum et redeundi exinde per terras ecclesie facultatem liberam duxerimus concedendam, hujusmodi facultate usque ad octavas Assumptionis beate Virginis proximo venturas, et non amplius duratura, universitatem vestram monemus, rogamus et hortamur attente per apostolica vobis scripta firmiter precipiendo mandantes, quatinus eundem Sinibaldum per predictas terras ire ac redire exinde permittentes, nullam eidem in personis vel rebus suis inferatis injuriam, molestiam vel offensam, presentibus post predictas octavas minime valituris. Datum apud Urbemveterem, IIII kalendas augusti, anno III°. »

In eundem modum nobili viro Bonifatio de Canossa, marescallo nostro et exercitus ecclesie capitaneo generali, ceterisque particularibus capitaneis necnon universis militibus et peditibus in predicto exercitu commorantibus. »

873 Orvieto, 5 août 1264.

Episcopum Bononiensem hortatur inducat Bononienses ut, infra octo dies, villas Medicinae et Argelatae magistro Heliae Peleti, nomine ecclesiae Romanae, restituant, sub pœna excommunicationis. (Reg. 28, fol. 122, cur. ann. III, nº 159.)

« . . *episcopo Bononiensi.* Volumus et presentium tibi auctoritate, in virtute obedientie et sub pena excommunicationis, districte precipiendo mandamus quatinus dilectos filios . . potestatem, consilium, et commune Bononienses, ex parte nostra, diligenter moneas et inducas, ut Medicine et Argelate villas, tue diocesis, ad ecclesiam Romanam spectantes, quas ipsi occupatas detinent, infra octo dies post monitionem tuam, dilecto filio magistro Helye Peleti, cappellano nostro, quem ad eos propter hoc misimus, nostro et ecclesie Romane nomine, restituant et resignent. Quod si tuis, immo nostris potius in hac parte monitis acquiescere forte noluerint, tu in potestatem Bononiensem excommunicationis sententiam auctoritate nostra promulgans, facias illam ubi et quando expedire videris, sollempniter publicari. Contradictores, etc. Non obstante si predicto potestati a sede apostolica sit indultum quod excommunicari nequeat per litteras apostolicas, in quibus de indulto hujusmodi plena et expressa mentio non habetur. Volumus autem ut de hujusmodi processu tuo confici facias publicum instrumentum tuoque sigillo muniri, illud nobis fideliter transmissurus. Datum apud Urbemveterem, nonis augusti, anno III°. »

874 Orvieto, 11 août 1264.

Institutio festi Corporis Christi [1]. (Reg. 28, fol. cur. ann. III, nº 160; Potthast 18998.)

« . . *patriarche Jerosolimitano, apostolice sedis legato, et universis archiepiscopis et episcopis per patriarchatum Jerosolimitanum constitutis.* Transiturus de mundo ad Patrem, Salvator noster Dominus Jhesus Christus, cum tempus sue passionis instaret, sumpta cena, in memoriam mortis sue instituit summum et magnificum sui Corporis et Sanguinis sacramentum, corpus in cibum et sanguinem in poculum tribuendo. Nam quotiescumque panem hunc manducamus et calicem bibimus, mortem Domini nuntiamus. In institutione quidem hujus salutiferi sacramenti, dixit ipse apostolis : « hoc facite in meam commemorationem, » ut precipuum et insigne memoriale sui amoris eximii, quo nos dilexit, esset nobis hoc precelsum et venerabile sacramentum. Memoriale, inquam, mirabile ac stupendum, delectabile ac suave, carissimum et super omnia pretiosum, in quo innovata sunt signa et mirabilia immutata, in quo habetur omne delectamentum et omnis saporis suavitas, ipsaque dulcedo Domini degustatur, in quo utique vite suffragium consequimur et salutis. Hoc est memoriale dulcissimum, memoriale sanctissimum, memoriale salvificum, in quo gratam redemptionis nostre recensemus memoriam, in quo a malo retrahimur, confortamur in bono, et ad virtutum et gratiarum proficimus incrementa, in quo profecto reficimur ipsius corporali presentia Salvatoris, quia in hac sacramentali Christi commemoratione, ipse Christus presens, sub alia quidem forma sed in propria vere substantia est nobiscum. Ascensurus enim in celum, dixit apostolis eorumque sequacibus : « Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi, » benigna ipsos promissione confortans, quod remaneret et esset cum eis etiam per presentiam corporalem. O digna et nunquam intermittenda memoria, qua mortem nostram recolimus mortuam, nostrumque interitum vite obitu interisse ac lignum vivificum ligno mortis affixum, fructum nobis attulisse salutis ! Hec est commemoratio gloriosa, que fidelium animos replet gaudio salutari, et cum infusione letitie, devotionis lacrimas subministrat. Exultamus nimirum nostram rememorando liberationem, et recolendo passionem dominicam per quam liberati sumus, vix lacrimas continemus. In hac itaque sacratissima commemoratione, adsunt nobis suaviter gaudium simul et lacrime, quia in ea et gaudemus pie lacrimantes, et lacrimamus devote gaudentes, letas habendo lacrimas et letitiam lacrimantem. Nam et cor, ingenti perfusum gaudio, dulces per oculos stillat guttas. O divini amoris immensitas, divine pietatis superabundantia, divine affluentia largitatis ! Dedit enim Dominus nobis sua, quia subjecit omnia sub pedibus nostris, et super universas terre creaturas, contulit nobis dominii

1. Ce résumé est donné en marge du Registre par une écriture du xvie siècle.

principatum. Ex ministeriis etiam spirituum supernorum nobilitat et sublimat hominis dignitatem; amministratorii namque sunt omnes in ministerium propter eos qui hereditatem salutis capiunt, destinati.

Et cum tam copiosa fuerit erga nos ejus munificentia, volens adhuc ipse in nobis suam exuberantem caritatem precipua liberalitate monstrare, semetipsum nobis exhibuit, et transcendens omnem plenitudinem largitatis omnemque modum dilectionis excellens, tribuit se in cibum. Quam singularis et ammiranda liberalitas, ubi donator venit in donum et datum est idem penitus cum datore! Quam laxa et prodiga largitas, cum tribuit quis se ipsum, et sic, largiendi superabundat affectio, quod amplis rerum sparsa donariis, in largitionem insuper effunditur largitoris, tanto plenius adimpleta quanto copiosius est effusa! Dedit igitur se nobis Salvator in pabulum ut, quia per cibum in mortem homo corruerat, et per cibum ipse relevaretur ad vitam; cecidit homo per cibum ligni mortiferi, relevatus est homo per cibum ligni vitalis; in illo pependit esca mortis, pependit in isto vite alimentum; illius opus intulit lesionem, istius gustus attulit sanitatem; gustus sauciavit et gustus curavit, indeque unde vulnus est ortum, prodiit et medela; et unde mors subiit, exinde vita venit. De illo siquidem gustu dicitur : « quocumque die comederis morte morieris; » de isto autem legitur : « si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in eternum. » Hic est cibus qui plene reficit, vere nutrit summeque impinguat non corpus sed cor, non carnem sed animam, non ventrem sed mentem. Homini ergo, quia spirituali etiam alimonia indigebat, Salvator ipse misericors, de nobiliori et potiori hujusmodi alimento pro anime refectione pia dispensatione providit. Condecens quoque caritatis liberalitas extitit et convertens operatio pietatis, ut Verbum Dei eternum, quod rationalis creature cibus est et refectio, factum caro, se rationalis creature, carni counite homini videlicet, in edulium largiretur. Panem enim angelorum manducavit homo, et ideo Salvator ipse ait : « Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus. » Hic cibus sumitur sed non consumitur, manducatur sed non transmutatur, quia in edente minime transformatur, sed si digne recipitur, sibi recipiens conformatur. O excellentissimum sacramentum, adorandum, venerandum, colendum, glorificandum, amandum et amplectendum, precipuis magnificandum laudibus, summis preconiis exaltandum, cunctis honorandum studiis, devotis prosequendum obsequiis, et sinceris mentibus retinendum! O memoriale nobilissimum, intimis commendandum precordiis, firmiter animo alligandum, diligenter in cordis reservandum utero, et meditatione ac celebratione sedula recensendum! Hujusmodi memorialis continuam debemus celebrare memoriam, ut illius, cujus ipsum fore memoriale vere cognoscimus, semper memores existamus, quia cujus donum vel munus frequentius aspicitur, hic in ventre memorie strictius retinetur.

Licet igitur hoc memoriale sacramentum in cotidianis missarum sollempniis frequentetur, conveniens tamen arbitramur et dignum, ut de ipso semel saltem in anno, ad confundendum specialiter hereticorum perfidiam et insaniam, memoria celebrior et sollempnior habeatur. In die namque Cene Domini, quo die ipse Christus hoc instituit sacramentum, universalis ecclesia pro penitentium reconciliatione, sacri confectione crismatis, adimpletione mandati circa lotionem pedum et aliis plurimum occupata, plene vacare non potest celebritati hujus maximi sacramenti. Hoc enim circa sanctos quos per anni circulum veneramur, ipsa observat ecclesia, ut quamvis et in letaniis et in missis ac alias etiam ipsorum memoria sepius renovetur, nichilominus tamen eorum natalicia certis diebus per annum sollempnius recolat, festa propter hoc eisdem diebus specialia celebrando. Et quia forte in hujusmodi festis circa sollemnitatis debitum, aliquid a fidelibus per negligentiam vel rei secularis occupationem, aut alias ex humana fragilitate omittitur, statuit ipsa ecclesia certam diem, in qua generalis omnium sanctorum commemoratio fieret, ut in hac ipsorum celebritate communi, quod sic in propriis eorum festivitatibus omissum existeret, solveretur. Potissime igitur id exequendum est erga hoc mirificum sacramentum Corporis et Sanguinis Jhesu Christi, qui est sanctorum omnium gloria et corona, ut festivitate ac celebritate prefulgeat speciali, quatinus in eo quod in aliis missarum officiis circa sollempnitatem est forsan pretermissum, devota diligentia suppleatur, et fideles, festivitate ipsa instante, infra se preterita memorantes, id quod in ipsis missarum sollempniis, secularibus forsan agendis impliciti, aut alias ex negligentia vel fragilitate humana, minus plene gesserunt, tunc attente in humilitate spiritus et animi puritate restaurent.

Nos itaque, ad corroborationem et exaltationem catholice fidei, digne ac rationabiliter duximus statuendum, ut de tanto sacramento, preter cotidianam commemorationem quam de ipso facit ecclesia, specialior et sollempnior annuatim memoria celebretur, certum ad hoc designantes et describentes diem, vide-

licet feriam quintam proximam post dominicam festum Pentecosten primo sequentem, ut in ipsa quinta feria, devote turbe fidelium propter hoc ad ecclesias affectuose concurrant, ut tunc cleri et populi pariter congaudentes, in cantica laudis surgant, tunc omnium corda et vota, ora et labia ymnos personent letitie salutaris, tunc psallat fides, spes tripudiet, exultet caritas, devotio plaudat, jubilet puritas et sinceritas jocundetur, tunc singuli alacri animo promptaque voluntate conveniant, sua studia laudabiliter ad exequenda tanti festi sollempnia transfundentes, et utinam ad Christi servitutem sic ejus fideles ardor dilectionis inflammet, ut per hec et alia proficientibus ipsis meritorum cumulo apud eum, ipse qui se pro illis dedit in pretium tribuitque se ipsis in pabulum, tandem post hujusmodi vite decursum, eis se in premium largiatur.

Ideoque universitatem vestram monemus et hortamur in Domino, per apostolica vobis scripta mandantes quatinus tam excelsum et tam gloriosum festum, predicta quinta feria singulis annis, cum novem lectionibus, cum responsoriis, versiculis, antiphonis, psalmis, ymnis et orationibus ipsi festo specialiter congruentibus, que cum proprio misse officio vobis sub bulla nostra mittimus interclusa, devote ac sollempniter celebretis, et faciatis studiose per universas ecclesias vestrarum civitatum et diocesium celebrari, subditos vestros in prefata dominica, dictam quintam feriam proximo precedente, salutaribus monitis sollicite per vos et per alios exhortantes, ut per veram et puram confessionem, elemosinarum largitionem, attentas et sedulas orationes ac alia devotionis et pietatis opera, taliter se studeant preparare, quod hujus pretiosissimi sacramenti, largiente Domino, mereantur fieri participes, possintque ipsum dicta quinta feria suscipere reverenter ac ejus virtute augmentum consequi gratiarum. Nos enim christifideles, ad colendum et celebrandum venerabiliter tantum festum, donis volentes spiritualibus animare, omnibus vere penitentibus et confessis, qui matutinali officio festi ejusdem, in ecclesia in qua illud celebrabitur, interfuerint, centum, qui vero misse totidem, qui autem in primis ipsius feste vesperis intererint similiter centum, qui vero in secundis totidem. Illis quoque qui Prime, Tertie, Sexte, None ac Completorii officiis interfuerint, pro qualibet horarum ipsarum quadraginta. Eis autem qui per octavas ipsius festi, matutinalibus, vespertinis, misse, ac predictarum horarum officiis intererint, centum dies singulis octavarum ipsarum diebus, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, auctoritate confisi, de injunctis sibi penitentiis misericorditer relaxamus. Datum apud Urbemveterem, III idus augusti, anno III°. »

875 Orvieto, 9 août 1264.

Mathaeo, S. Mariae in Porticu diacono cardinali, rectoriam Patrimonii b. Petri in Tuscia committit. (Reg. 28, fol. 123 v°, cur. ann. III, n° 161; Potthast 18997.)

« *M., sancte* [*Marie*] *in Porticu diacono cardinali, rectori Patrimonii beati Petri in Tuscia, apostolice sedis legato.* In suppremo speculationis vertice cui nos, licet indignos, apostolice dignitatis gradus pertulit, constituti, cogimur universa fere mala quibus terrarum orbis atteritur, quasi nostris subjecta conspectibus intueri, propter quod profunda frequenter suspiria et amara producimus, dum videmus quod sic jam seculum declinavit ad malum, quod, excrescentibus et invalescentibus in eo noxiis, quasi vix locus in ipso salutaribus invenitur, et exclusa fere inde concordia, stabilem habet ibi discordia mansionem. Forte nos sumus ad quos devenerunt seculorum fines, cum non solum gens contra gentem insurgat, non solum regnum regno minetur, sed armatur etiam temeraria filiorum procacitas in parentes, fratres, sanguinis violato federe, seviunt contra fratres, et generaliter indomita imbecillitatis humane superbia insatiabiliter furit in sanguinem, implacabiliter spirat in cedem et insanabiliter gestit in mortem, sicque ubique mortales in concertationis insanam prorupere dementiam, quod gratis pacem odiunt socialem, et alterno studentes exitio, videntur impie conspirasse cum morte. Hinc procedit, pro dolor! quod sancta Romana mater ecclesia, hiis presertim diebus, persecutionum circumquaque insurgentium malleis flagellatur, cum non solum hii qui nunquam eam matrem sue professione fidei agnoverunt, vires exerceant contra ipsam, sed quam multi etiam, quos baptismi regeneratione parturivit in filios, et qui dulcia ejus ubera in multorum beneficiorum perceptione suxerunt, effecti jam degeneratione privigni, diversarum in eam impugnationum armis insurgunt. Nam quam horribiliter hactenus Manfredus, quondam princeps Tarentinus, ecclesiam ipsam sue furentis tyrampnidis morsibus in temporalibus ejus substantiis laniarit, et adhuc ferali scandescat rabie contra illam omnibus plene liquet, quam detestabiles etiam modos eamdem ledendi ecclesiam aliqui nobiles et potentes de Patrimonio beati Petri in Tus-

cia et de aliis terris ipsius ecclesie, qui eam et condigna honorificentia prosequi ejusque procurare quietem ac ipsam a suis oppressoribus defensare deberent, in ipsius Manfredi favorem, noviter adinvenerint, et quam dolosas machinas, callida illius persuasione ac iniquitatis ejus fermento corrupti, paraverint, ad ipsius ecclesie suorumque fidelium nocumentum, proximis jam innotuit et remotis, dum tales nobis in eodem patrimonio residentibus, copiosa Theutonicorum agmina, quos dictus tyrampnus in sue furentis persecutionis ministros assumpserat, in patrimonium ipsum ante oculos nostros immittere presumpserunt, sicque cum Theutonicis ipsis et aliis complicibus et fautoribus eorundem predictam ecclesiam in suis fidelibus continuis aggressibus impetunt et molestant; quod eadem ecclesia videns precipuos uteri sui filios in ejus opprimi gremio, angustiatur vehementius et gravius in se ipsa turbatur et apertis compassionis visceribus circa eos cogitare non desinit vias et modos, quibus eos possit a tam duris et diris oppressionibus et persecutionibus liberare.

Verum, incumbente nobis varietate negotiorum innumera, licet in diversas partes mentis sollicitudine distrahamur, quia tamen nequimus ubilibet nostram presentiam exhibere, nec possumus fines humane condicionis excedere, ut simul in diversis partibus existendo, potestatem, nobis a Domino traditam, presentialiter exequamur, ad instar illius qui exercens commisse sibi legationis officium in regione peccantium, in universum mundum discipulos quos elegerat, destinavit, suum per hoc instruendo vicarium, ut ejus exemplo nonnunquam alios in sollicitudinis partem assumat, ubi officii sui debitum exolvere prohibet absentia corporalis, illos ad onera nostra comportanda nobiscum fiducialiter advocamus, de quorum, traditis a Domino sibi virtutibus, plenam fiduciam obtinemus. De tue igitur circumspectionis industria, quam experientia longa probavimus, plenius confidentes, rectoriam predicti Patrimonii tam in spiritualibus quam in temporalibus, plenarie tibi presentium auctoritate committimus, concedentes tibi disponendi, ordinandi, statuendi, precipiendi et faciendi in eodem patrimonio quicquid honori et commodo memorate ecclesie, et utilitati ac prospero statui fidelium in patrimonio ipso degentium, expedire cognoveris, ac contradictores et rebelles quoslibet spirituali et temporali districtione, appellatione postposita, compescendi liberam facultatem. Ut autem hujusmodi regimen eo efficacius exequi valeas, quo majori per nos fueris auctoritate munitus, tam in eodem Patrimonio, quam etiam in tota Tuscia plene legationis officium tibi, ut evellas, et destruas, dissipes et disperdas, edifices et plantes, sicut expedire videris, duximus committendum. Ideoque mandamus, quatinus hujusmodi rectorie ac legationis onera prompta mente suscipiens, et submittens fortitudinis tue collum ad tante sollicitudinis sarcinam mente stabili deferendam, sic ecclesie negotium in predictis partibus studeas promovere, quod apostolice benedictionis gratia te, tuis exigentibus meritis, preveniat et sequatur. Nos enim sententias, penas et banna que spiritualiter et temporaliter in rebelles predicti patrimonii, sententias etiam quas in alios rebelles legationis tibi commisse tuleris, rata habebimus et faciemus, auctore Domino, inviolabiliter observari. Datum apud Urbemveterem, v idus augusti, anno III°. »

876 Orvieto, 9 août 1264.

Infrascriptis mandat quatenus praedictum cardinalem, tanquam rectorem Patrimonii b. Petri in Tuscia, recipiant honorifice ejusque monitis pareant et intendant. (Reg. 28, fol. 124, cur. ann. III, n° 162.)

« *Universis episcopis, abbatibus, prioribus, prepositis, archidiaconis, plebanis, archipresbiteris et aliis ecclesiarum prelatis et clericis, fratribus quoque domorum Militie Templi et Hospitalium s. Johannis et s. Marie Theutonicorum Jerosolimitanorum, ceterisque religiosis, exemptis et non exemptis, per Tusciam et Patrimonium beati Petri in Tuscia constitutis.* In suppremo speculationis —. Datum ut supra. »

In e. m. nobilibus viris universis comitibus et baronibus necnon potestatibus, capitaneis et consiliis civitatum, castrorum aliorumque locorum per Patrimonium b. Petri in Tuscia constitutis, fidelibus nostris.

877 Orvieto, 9 août 1264.

Rectoriam et legationem diacono cardinali s. Mariae in Porticu in civitatibus Tudertina, Narniensi, Reatina et Interamnensi committit. (Reg. 28, fol. 124, cur. ann. III, n° 163.)

« *M., sancte Marie in Porticu diacono cardinali, rectori Patrimonii beati Petri in Tuscia, apostolice sedis legato.* Cum nos tibi rectoriam Patrimonii beati Petri in Tuscia et legationis officium tam in eodem patrimonio quam in tota Tuscia duxerimus committenda[m], considerantes quod per Tudertinam, Narniensem, Reatinam, et Interamnensem civitates multa pote-

runt, commisso tibi ecclesie Romane negotio, utilia, favente Domino, provenire, hujusmodi rectorie ac legationis officia specialiter in eisdem civitatibus eorumque districtibus providentie tue apostolica auctoritate committimus, non obstante commissione quacumque facta per nos dilecto filio nostro S., tituli sancti Martini presbytero cardinali, apostolice sedis legato, in civitatibus et districtibus supradictis. Ideoque mandamus quatinus hujusmodi rectorie et legationis officia in predictis civitatibus et districtibus ad laudem et gloriam divini nominis, honorem predicte ecclesie, ac felicem promotionem prefati negotii utiliter et efficaciter exequaris. Nos enim sententias, penas et banna que spiritualiter et temporaliter tuleris in rebelles, rata habebimus etc. Datum apud Urbemveterem, v idus augusti, anno III°. »

878 Orvieto, 9 août 1264.

Potestati, capitaneo, consilio et communi Tudertinis mandat quatenus praedicto eorum rectori obediant et intendant. (Reg. 28, fol. 124, cur. ann. III, n° 164.)

« . . *potestati*, . . *capitaneo*, *consilio et communi Tudertinis*, *fidelibus nostris*. Cum nos dilecto —. Datum ut supra. »

In e. m.. potestati, consilio et communi Reatinis, fidelibus nostris.

In e. m.. potestati, consilio et communi Narniensibus, fidelibus nostris.

In e. m.. potestati, consilio et communi Interamnensibus, fidelibus nostris.

879 Orvieto, 6 août 1264.

M., s. Mariae in Porticu diacono cardinali, mandat ut lites judicio terminet exortas inter Spoletanos et dominos de Arrone et de Castro Lacus, Spoletanisque restituat castrum Peroculi. (Reg. 28, fol. 124, cur. ann. III, n° 165.)

« *M., sancte Marie in Porticu diacono cardinali*, *rectori Patrimonii beati Petri in Tuscia*, *apostolice sedis legato*. Ecclesie Romane negotium quod tue industrie commisimus promovendum, votive prosperitatis augmenta suscipere per tue diligentie studium cupientes, discretioni tue, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, terminandi judicio seu concordia controversias sive lites que inter . . potestatem, consilium et commune Spoletanos, ex parte una, et nobiles viros dominos de Arrone et de Castro-lacus, ex altera, verti dicuntur, restituendi quoque Spoletanis eisdem castrum Peroculi, Spoletane diocesis, quod nos in manibus nostris tenemus, et remittendi eis penas et banna in que iidem Spoletani, ratione rebellionis preterite contra nos attemptate, incidisse noscuntur, ac statuendi, disponendi, ordinandi, percipiendi et faciendi super premissis quicquid ad honorem nostrum et Romane ecclesie et pacificum statum illarum partium, expedire videris, plenam et liberam concedimus auctoritate presentium facultatem. Nos ergo quicquid super premissis et singulis premissorum feceris, ratum habebimus atque firmum. Datum apud Urbemveterem, viii idus augusti, anno III°. »

880 Orvieto, 12 août 1264.

Fratri Raymundo mandat quatenus de castro Peroculi faciat quicquid videbitur M., diacono cardinali S. Mariae in Porticu. (Reg. 28, fol. 124 v°, cur. ann. III, n° 166.)

« *Fratri Raymundo*, *ordinis Militie Templi*, *castellano castri Peroculi*. Volumus et presentium tibi auctoritate mandamus quatenus de castro Peroculi, tue commisso custodie, libere facias quicquid tibi ex parte nostra injunxerit dilectus filius noster M., sancte Marie in Porticu diaconus cardinalis, restituendo illud ad mandatum ipsius sibi vel ei aut eis quos ipse tibi duxerit exprimendos. Verumtamen balistas et alia arma que tibi tradita pro ipsius castri munitione fuerunt, retineas per te nostre camere fideliter resignanda —. Datum apud Urbemveterem, ii idus augusti, anno III°. »

881 Orvieto, 13 août 1264.

Conradum, ducem Sueviae, hortatur det operam ut Theutonici a persecutione ecclesiae desistant. (Reg. 28, fol. 124 v°, cur. ann. III, n° 167.)

« *Nobili viro Corrado, duci Suevie*. Speramus in potentia virtutis Altissimi, quem, sicut evidentibus indiciis demonstrare diceris, puritate cordis et animi revereris, quod ipsa te, veluti propriam sibi peramabilem plantulam, superne benedictionis rore perfundens, in mente tua zelum devotionis accendet, ut inter electos ejus numerari merito valeas, precelse bonitatis titulis presignitus. Accepimus ergo quod, dum quidam iniquitatis filii, qui nec Deum diligere nec tui honoris desiderare videbantur augmentum, nequiter tibi suggererent, quod ecclesia Romana multipliciter tuos progenitores offenderat, ac eis graves injurias irrogarat, teque niterentur inducere ut pro loco et tempore hujusmodi offensas et injurias vindicares, tu non de-

victus prave suggestionis instantia, sed potius spiritu veritatis inductus, iniquis consiliariis consulte ac provide respondisti te nolle sequi dictorum progenitorum vestigia in eo quod eandem ecclesiam offenderent, presertim cum in hoc eisdem progenitoribus non sic prospere ac bene successerit, quod videri tibi debeat utile ipsorum in hac parte vestigiis inherere, quinimmo ecclesiam ipsam revereri tanquam matrem more devoti filii proponebas. Letamur itaque quod ex hiis, si vera sunt, tenellam etatem tuam sic virtutum constantia roborare videris, ut malignorum reprobato consilio, sinceritatem mentis in laudabili et honesto proposito studeas conservare, de quo tanto majoris laudis preconio promereris attolli, quanto te aptiorem exhibere assereris, ad divini nominis gratiam promerendam. Ceterum, cum ille dampnationis filius Manfredus, quondam princeps Tarentinus, tui nominis emulus et persecutor ejusdem ecclesie manifestus, nonnullos Theutonicos secum retineat, et cum eis prefatam ecclesiam ejusque fideles continue persequatur, nobilitatem tuam rogamus et hortamur attente mandantes quatinus opem et operam studiosus impendas, ut iidem Theutonici ab ipsius persecutoris subsidio et ecclesie memorate vexationibus retrahantur, ac nichilominus ad propria revocentur, ita quod per hoc, communis hostis debilitatis viribus, eadem ecclesia possit, auctore Domino, contra eum potentius et celerius triumphare, ac tu nostram et apostolice sedis gratiam exinde plenius consequi merearis. Datum apud Urbemveterem, idus augusti, anno III°. »

882 Orvieto, 11 août 1264.

Prorogatio termini peremptorii Pandulpho de Alabro praefixi. (Reg. 28, fol. 124 v°, cur. ann. III, n° 168.)

« *Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis.* Quia Johannes de Marerio, Pandulfus de Alabro, et domini rocce de Accarino etc., prout habetur in littera eorundem retro, folio IIII capitulo CLVII, usque infra kalendas augusti proximo preteriti, etc. usque facultatem. Sed quia dilectus filius noster O., sancte Marie in Via lata diaconus cardinalis, nobis per suas litteras supplicavit ut, cum dilectus filius Sinibaldus de Alabro, camerarius suus, germanus predicti Pandulphi, intenderet, personaliter assumpto labore, ad eundem se transferre Pandulphum, ipsumque ad mandata nostra et devotionem ac fidelitatem predicte ecclesie revocare, nec posset id facere propter predicti termini brevitatem, prorogare adhuc hujusmodi terminum, ut commodius suam super hoc intentionem ad effectum posset perducere, de benignitate apostolica curaremus. Nos, qui eundem cardinalem utpote magnum et honorabile ecclesie membrum, precipua dilectione prosequimur, hujusmodi preces ejus ad exauditionis gratiam favorabiliter admittentes, prefixum eidem Pandulpho et premissis aliis predictarum kalendarum terminum, quo ad ipsum Pandulphum solum, usque ad octavas Assumptionis beate Virginis proximo venturas, de speciali gratia sub certa forma duximus prorogandum, prout in apostolicis litteris super hoc confectis plenius continetur. Nuper autem predictus cardinalis per dilectum filium nostrum U., sancti Eustachii diaconum cardinalem, fecit nos cum instantia multa rogari, ut, quia idem Sinibaldus gravi langore detentus, in egritudinis lecto decumbit, propter quod nequit suam in hac parte intentionem prosequi et exequi, sicut vellet, ampliorem adhuc etiam dicto Pandulpho concedere terminum dignaremur. Nos igitur, volentes clementius experiri utrum nostra benignitas possit ejusdem Pandulphi cor lapideum emollire, predictorum cardinalium precibus inclinati, hiis que de infirmitate dicti Sinibaldi premittuntur, veris existentibus, hujusmodi predictarum octavarum terminum usque ad festum sancti Michaelis proximo futurum tenore presentium prorogamus, hujusmodi privationis sententiam latam in predictum Pandulphum et per consequens in Sinibaldum eundem, et sententie ipsius effectum, etiam si predictus Pandulphus infra predictas octavas Assumptionis nostris non paruerit beneplacitis et mandatis, usque ad jam dictum festum de benignitate apostolica suspendentes, ac districtius inhibentes ne aliquis, hujusmodi nostri processus pretextu, ipsius Sinibaldi personatus, dignitates et beneficia, cum cura et sine cura, interim aliis conferre personis, vel de istis quicquam aliud disponere quoquomodo presumat, et decernentes irritum et inane quicquid contra hujusmodi inhibitionem nostram apostolica vel quavis alia auctoritate contigerit attemptari. Quod si prefatus Pandulphus mansuetudine dicte sedis abutens, infra predictum festum a favore predicti Manfredi non destiterit, nec comparuerit personaliter coram nobis, pariturus nostris super premissis precise mandatis, et cautiones nobis ydoneas quas ab eo exegerimus, impensurus, apostolica exnunc auctoritate decernimus tam ipsum quam eundem Sinibaldum ex tunc predictam privationis sententiam incurrisse. Nulli ergo nostre prorogationis, suspensionis, inhibitionis, constitutionis et decreti etc. Datum apud Urbemveterem, III idus augusti, anno III°. »

INCIPIUNT LITTERE DE BENEFICIIS

883 Orvieto, 31 octobre 1263.

Guillelmo Imberti camerariam monasterii Aureliacensis, ipsi ab episcopo Sabinensi collatam, auctoritate apostolica confirmat. (Reg. 28, fol. 125, ann. III.

« *Guillelmo Imberti, camerario monasterii Aureliacensis, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis S. Benedicti, Claromontensis diocesis.* Licet ea que —. Datum apud Urbemveterem, II kalendas novembris, anno III°. »

884 Orvieto, 31 octobre 1263.

Archidiacono Aureliacensi in ecclesia Claromontensi et sacristae Mimatensi praedicti committit executionem mandati. (Reg. 28, fol. 125, ann. III, benef. n° 2.)

« .. *archidiacono Aureliacensi in ecclesia Claromontensi, et .. sacriste Mimatensi.* Petitio dilecti filii —. Datum apud Urbemveterem, II kalendas novembris, anno tertio. »

885 Orvieto, 28 octobre 1263.

Episcopo Parisiensi mandat ut praebendam et canonicatum personae idoneae conferat in ecclesia Noviomensi, resignatione a Symone de Sipera prius recepta (Reg. 28, fol. 115, ann. III, benef. n° 3)

« .. *episcopo Parisiensi.* Accepimus, dilecte filii —. Datum apud Urbemveterem, v kalendas novembris, anno III°. »

886 Orvieto, 28 octobre 1263.

Episcopo Carnotensi mandat quatenus ab Henrico de Tornod, ecclesiae s. Aniani Aurelianensis canonico, canonicatus et praebendae libera resignatione recepta, personae idoneae canonicatum et praebendam sic vacantes conferat. (Reg. 28, fol. 125 v°, ann. III, benef. n° 4.)

« .. *episcopo Carnotensi.* Innotuit nobis dilectus —, ut in alia usque in finem. »

887 Orvieto, 29 octobre 1263.

Episcopo Albensi mandat quatenus Henrico de Ast, clerico et familiari O., s. Adriani diaconi cardinalis, nullum adhuc beneficium ecclesiasticum assecuto, ecclesiam S. Germani de Brayda, Taurinensis diocesis, conferat, quae tanto vacavit tempore, quod ad sedem apostolicam ejus collatio, juxta Lateranensis statuta concilii. est devoluta. (Reg. 28, fol. 125 v°, ann. III, benef. n° 5; Potthast 18695.)

« .. *episcopo Albensi.* Dilectus filius Henricus —. Datum apud Urbemveterem, IIII kalendas novembris, anno tertio. »

888 Orvieto, 18 octobre 1263.

Riccardo de Theuraio canonicatum in ecclesia Magdunensi, Aurelianensis diocesis, confert. (Reg. 28, fol. 125 v°, ann. III, benef. n° 6.)

« *Riccardo de Theuraio, clerico venerabilis fratris nostri .. episcopi Albanensis.* Cum in ecclesia Magdunensi, Aurelianensis diocesis, ad venerabilem fratrem nostrum .. Aurelianensem episcopum, spectare dicatur collatio prebendarum, idemque episcopus per suas nobis humiliter litteras supplicaverit, ut providere tibi in eadem ecclesia de benignitate apostolica curaremus, nos, ipsius episcopi precibus inclinati, intuitu quoque venerabilis fratris nostri.. Albanensis episcopi, cujus clericus et familiaris existis, canonicatum ipsius ecclesie Magdunensis cum plenitudine juris

canonici ac prebendam integram non sacerdotalem, nulli alii de jure debitam, si qua in predicta ecclesia vacat ad presens, apostolica tibi auctoritate conferimus, tibique de illis liberaliter providemus, investientes te per nostrum anulum presentialiter de eisdem. Quod si nulla talis prebenda inibi vacat ad presens, nos hujusmodi prebendam in eadem ecclesia proximo vacaturam, conferendam tibi donationi apostolice reservamus, decernentes irritum et inane si secus de hujusmodi canonicatu et prebenda, apostolica vel quavis alia auctoritate, contigerit attemptari. Non obstante — Datum apud Urbemveterem, xv kalendas novembris, anno tertio. »

889 Orvieto, 23 octobre 1263.

Infrascriptis praedicti committit executionem mandati. (Reg. 28, fol. 126, ann. III, benef. nº 7.)

« . . *de Vulcassino Normanno in Rothomagensi et de Gaceio in Lexoviensi ecclesiis archidiaconis.* Cum in ecclesia —. Datum apud Urbemveterem, x kalendas novembris, anno III°. »

890 Orvieto, 25 octobre 1263.

Ferrico de Erlons negotium subthesaurariae Tullensis terminandum committit. (Reg. 28, fol. 126, ann. III, benef. nº 8.)

« *Ferrico de Erlons, canonico Virdunensi.* Significavit nobis dilectus filius Johannes de Treblencort, canonicus ecclesie Tullensis, quod nos, intellecto quod Huardus de Misemburg, archidiaconus de Romaricomonte in ecclesia ipsa, antequam archidiaconatum de Romaricomonte fuisset adeptus, subthesaurariam ipsius ecclesie obtinebat, et quod per receptionem ejusdem archidiaconatus subthesauraria ipsa vacabat et tanto tempore vacaverat quod ejus collatio erat ad sedem apostolicam, secundum statuta Lateranensis concilii, legitime devoluta, dilecto filio Petro de Vireio, canonico Metensi, nostris dedimus litteris in mandatis, ut, si esset ita, dictam subthesaurariam eidem Johanni per se vel per alium conferre et assignare curaret, inducens eum in illius corporalem possessionem et defendens inductum, amoto ab ea quolibet illicito detentore. Contradictores etc. Sane tu, cui dictus Petrus commiserat super hoc totaliter vices suas, eundem archidiaconum qui subthesaurariam ipsam detinet, propter hoc ad tuam presentiam evocasti. Sed dicto archidiacono coram te proponente, quod ipse subthesaurariam ipsam possidebat eandem, de quo in nostris litteris mentio non fiebat, quodque a tempore collationis sibi facte de dicto archidiaconatu, non effluxerat tantum tempus, quod ipsius subthesaurarie collatio esset ad eandem sedem, secundum ipsius statuta concilii, devoluta, et quod cum dicto archidiacono, postquam assecutus fuerat subthesaurariam predictam, dispensatum erat auctoritate sedis ipsius ut propter beneficia ecclesiastica que obtinebat, posset in regno Alamannie alia beneficia personales vel dignitates, etiam si curam animarum haberent et ei canonice offerrentur, licite recipere, et cum obtentis libere retinere, constitutione generalis concilii super hoc edita non obstante, quodque idem Johannes beneficia ecclesiastica, curam animarum habentia, sine dispensatione apostolica retinebat, tu hujusmodi negotio suspendere curasti. Quare dictus Johannes nobis humiliter supplicavit ut providere sibi super hoc paterna sollicitudine curaremus. Quocirca mandamus quatinus, si est ita, non obstante quod predicta subthesauraria, tempore impetrationis hujusmodi litterarum, tanto tempore, prout idem archidiaconus asseruit, non vacarat, quod ad dictam sedem esset ejus collatio, secundum predicti Lateranensis statuta concilii, devoluta, dummodo ad presens tantum temporis effluxerit, quod ad nos ipsius collatio devoluta existat, aut dispensatione predicta, cum fuisse nec credatur intentio dispensantis ut idem archidiaconus, pretextu dispensationis hujusmodi, unam dignitatem et unum officium in eadem obtineret ecclesia, quorum alterum ab alio non dependet, seu quod predictus archidiaconus subthesaurariam detinebat predictam, et adhuc dicitur detinere, sive quod dictus Johannes absque dispensatione apostolica, dicta beneficia ecclesiastica obtinet, et ex ipsis fructus perceperit quibus cura imminet animarum, cum ea, prout asserit, sit resignare paratus, que nos, cum subthesaurariam eandem pacifice fuerit assecutus, omnino vacare decernimus, in predicto negotio procedas per te vel per alium, juxta predictarum directarum ad eundem Petrum continentiam litterarum. Datum apud Urbemveterem, viii kalendas octobris, anno tertio. »

891 Orvieto, 29 octobre 1263.

Magistro Petro Juliani, juxta nominationes regis Portugallie et diaconorum cardinalium s. Mariae in Cosmedin et ss. Cosmae et Damiani, prioratum ecclesiae Vimmeranensis, Bracha-

rensis diocesis, confert. (Reg. 28, fol. 126 v°, ann. III, benef. n° 9.)

« *Magistro Petro Juliani, archidiacono Bracharensi, priori secularis ecclesie sancte Marie Vimmeranensis, Bracharensis diocesis.* Ex paterna quam —. Sane in nostra proposuisti presentia constitutus quod, cum olim ad ecclesiam sancte Marie Vimmeranensis, Bracharensis diocesis, a carissimo in Christo filio nostro .. Portugallie rege illustri, ejusdem ecclesie patrono, fuisses venerabili fratri nostro .. Bracharensi archiepiscopo, presentatus, nos tandem, personam tuam prerogativa favoris et gratie prosequentes, ecclesiam eandem ad presentationem dicti regis tibi contulimus, te instituentes in priorem in ipsa, curam animarum plebis ejusdem ecclesie tue sollicitudini committendo. Verum, cum super institutione, collatione ac commissione hujusmodi littere apostolice confecte fuissent, nos, intellecto, priusquam ipse littere bullarentur, quod prefato archiepiscopo ab eadem sede fuerat indultum, ut predictam ecclesiam una cum archiepiscopatu Bracharensi posset, usque ad certi temporis spatium, retinere, hujusmodi litteras ac effectum institutionis, collationis et commissionis predictarum duximus suspendendum. Demum vero, audito quod dictus archiepiscopus annuerat institutioni predicte, dilectis filiis nostris J., sancte Marie in Cosmedin, et J., sanctorum Cosme et Damiani diaconis cardinalibus commisimus viva voce ut inquirerent super hoc diligentius veritatem, et quicquid expedire viderent in hac parte, facere procurarent. Ipsi vero, pensatis et inquisitis diligenter que circa premissa pensanda et inquirenda fuerunt, institutionem, collationem et commissionem predictas auctoritate nostra decreverunt robur firmitatis habere, teque instituerunt in priorem ecclesie supradicte, ac nichilominus tibi conferentes ejusdem ecclesie prioratum investierunt te presentialiter per suos anulos de eodem, curam plebis ipsius ecclesie tue sollicitudini committendo, ac decernendo irritum et inane, si secus de ipsa ecclesia post institutiones, collationes et commissiones hujusmodi attemptatum esset, vel in posterum apostolica seu quavis alia auctoritate contigerit attemptari, prout in litteris inde confectis, sigillo eorundem cardinalium munitis, plenius continetur. Nos itaque, tuis supplicationibus inclinati, quod ab eisdem cardinalibus factum est in hac parte, ratum et firmum habentes, illud auctoritate apostolica confirmamus etc. usque communimus. Tenorem dictarum litterarum de verbo ad verbum presentibus inseri facientes, qui talis est :

« *Miseratione divina Jacobus sancte Marie in Cosmedin, et Jordanus sanctorum Cosme et Damiani diaconi cardinales discreto viro magistro Petro Juliani, archidiacono Bracharensi, salutem in Domino.* Fame suavis odor ex eminentis scientie dono, merito conversationis et vite ac multiplicis probitatis studioque vestrarum actionum laudabilium resolutus tanquam odor agri pleni, cui Dominus benedixit, totam replet ex sui fragrantia Dei domum, et multipliciter domini pape sensus delectat, apud eum quodam juris debito vindicans ut vos in hiis que vobis ad proventum honoris et commodi cedere debeant, experiamini eundem dominum omni tempore liberalem. Sane, cum olim ad ecclesiam sancte Marie Vimmaranensis, Bracharensis diocesis, a magnifico principe domino .. Portugalie rege illustri, ejusdem ecclesie patrono, fuissetis venerabili in Christo patri domino M., Bracarensi archiepiscopo, presentati, prout in litteris ipsius regis suo sigillo munitis, confectis exinde, plenius continetur, tandem sanctissimus pater dominus Urbanus, divina providentia papa IIII, considerans eminentem litterarum scientiam, gravitatem morum, vite munditiam et alia persone vestre merita, quibus in suis et fratrum suorum oculis exhibetis vos multipliciter gratiosos, ac volens ob id circa presentationem hujusmodi vos prosequi prerogativa favoris et gratie specialis, vestrisque in hac parte supplicationibus acquiescens, vobis, ad presentationem regis ejusdem, eandem ecclesiam contulit, et in ea vos instituit in priorem, curam animarum plebis ipsius ecclesie vestre sollicitudini committendo. Verum, cum super institutione, collatione ac commissione hujusmodi littere apostolice confecte fuissent, idem dominus papa, intellecto, priusquam ipse littere bullarentur, quod prefato archiepiscopo ab apostolica sede fuerat indultum, ut predictam ecclesiam una cum archiepiscopatu Bracarensi posset usque ad certi temporis spatium retinere, hujusmodi litteras ac effectum institutionis, collationis ac commissionis predictarum suspendit. Postmodum vero, memoratus dominus noster, audito quod dictus archiepiscopus institutioni hujusmodi duxerat annuendum, nobis viva voce commisit, ut inquireremus super hoc diligentius veritatem et faceremus super hoc quicquid expediens videremus. Nos igitur, inspectis litteris a dicto archiepiscopo super hoc quibusdam ex venerabilibus patribus sancte Romane ecclesie cardinalibus et quibusdam aliis personis transmissis, invenimus quod idem archiepiscopus annuit institutioni predicte. Invenimus quoque, ex relatione discreti viri P. Garsie, archidiaconi Bra-

charensis, ad hoc coram nobis specialiter evocati, et ex litteris ab eodem archiepiscopo ad ipsum transmissis et nobis ostensis ab ipso, eundem archiepiscopum dictas institutionem, collationem et commissionem ratas et gratas habere, sibique placere ut vos per eas dictam ecclesiam haberetis. Predictas etiam litteras dicti regis inspeximus, et ad majorem certitudinem earum tenorem de verbo ad verbum presentibus fecimus annotari, qui talis est :

« *A., Dei gratia rex Portugalie et comes Bolonie,* « *reverendo in Christo patri et amico karissimo M., per* « *eandem archiepiscopo Bracharensi, salutem et sincere* « *dilectionis affectum.* Ad ecclesiam sancte Marie Vimaranensis vobis magistrum Petrum Juliani, de- « canum Ulixbonensem, archidiaconum vestrum, pre- « sentamus, vos rogantes quatinus eam sibi dignemini « confirmare. Datum Colimbrie XII die decembris, et « rege mandante, per cancellarium D. Petrus fecit M. « CC nonagesimo V. »

« Premissis igitur omnibus consideratis, pensatisque persone vestre meritis, quibus vos in prefati domini pape ac fratrum suorum oculis gratiosos multipliciter exhibetis, institutionem, collationem ac commissionem predictas auctoritate ejusdem domini pape nobis in hac parte commissa, firmitatis robur decernimus obtinere; et ad majorem efficaciam, vos eadem auctoritate instituimus in priorem ecclesie memorate, ac nichilominus vobis ejusdem ecclesie conferimus prioratum, vos investiendo per nostros annulos presentialiter de eodem, curam plebis ipsius ecclesie vestre sollicitudini committentes. Non obstante predicta indulgentia eidem archiepiscopo ab eadem sede concessa, cum idem archiepiscopus, licet tempus reservationis in eadem indulgentia comprehensum adhuc duraret, institutionem et collationem per eundem dominum papam de predicta ecclesia vobis factas, ratas habuerit easque duxerit acceptandas, seu quod in Ulixbonensi ecclesia magisterium scolarum ac decanatum, in aliis quoque ecclesiis beneficia cum animarum cura et sine cura, ex dispensatione apostolica, obtinetis, seu quacumque predicte sedis indulgentia, per quam effectus hujusmodi gratie impediri possit vel quomodolibet retardari. Nos insuper auctoritate apostolica decernimus irritum et inane si secus de predicta ecclesia post hujusmodi institutiones, collationes et commissiones attemptatum est vel in posterum apostolica seu quavis alia auctoritate contigerit attemptari, presertim cum prescripto tempore in eadem indulgentia comprehenso, durante, postquam institutionem et collationem predictas idem archiepiscopus acceptasset, eadem ecclesia non vacaret, sicque nullus ad eam interim de jure presentari vel in ea institui potuerit, absque ipsius archiepiscopi voluntate. In cujus rei testimonium, presentes litteras sigillorum nostrorum munimine fecimus roborari. Datum apud Urbemveterem, XIII kalendas novembris, pontificatus domini Urbani pape IIII, anno tertio. »

Nulli ergo etc. nostre confirmationis etc. Datum apud Urbemveterem, IIII [1] [kalendas] novembris, anno III°. »

892 Orvieto, 30 octobre 1263.

Archiepiscopo Bracharensi praedicti committit executionem mandati. (Reg. 28, fol. 127, ann. III, benef. n° 10.)

« . . . *archiepiscopo Bracharensi.* Ex paterna quam. — Datum apud Urbemveterem, III kalendas novembris, anno III° »

893 Orvieto, 18 octobre 1263.

Alberto de Castrobarto mandat ut Petro archipresbyteratum ecclesiae s. Mariae de Cisano, Veronensis diocesis, inquisitione praemissa, conferat. (Reg. 28, fol. 127, ann. III, benef. n° 11.)

« *Alberto de Castrobarto, canonico Veronensi.* Cum, sicut dilectus filius Petrus, presbyter ecclesie sancti Martini de Leges, Veronensis diocesis, exposuit coram nobis, archipresbyteratus ecclesie sancte Marie de Cisano, ejusdem diocesis, de jure tanto tempore jam vacavit, quod illius collatio est ad apostolicam sedem, secundum Lateranensis statuta concilii, legitime devoluta, idem Petrus nullum adhuc beneficium ecclesiasticum sit adeptus, nisi quoddam in prefata ecclesia sancti Martini, cujus redditus et proventus sunt adeo tenues et exiles quod ex eis nequit commode sustentari, nos eundem presbyterum beneficium hujusmodi, ut ipse asserit, libere resignare paratum, quem per dilectum filium magistrum Petrum, archidiaconum Broliensem in ecclesia Agennensi, socium dilecti filii magistri Michaelis, sancte Romane ecclesie vicecancellarii, examinari fecimus diligenter, quique in litteratura competenter ydoneus repertus extitit, ad archipresbyteratum hujusmodi obtinendum prosequi favorabiliter intendentes, mandamus quatinus, si quod de vacatione

1. Le registre donne cette date incomplète. La lettre suivante semble indiquer qu'il faut suppléer *kalendas*.

ipsius archipresbyteratus proponitur, veritate fulcitur, tuque, circa vitam et conversationem prefati presbyteri inquisitione diligenti premissa, eum vite laudabilis et honeste conversationis esse repereris aliudque canonicum non obsistat, ipsi presbytero de predicto archipresbyteratu auctoritate nostra per te vel per alium studeas providere, inducens ipsum in corporalem possessionem ejusdem archipresbyteratus ac defendens inductum, amoto ab ipso archipresbyteratu quolibet illicito detentore. Non obstante —. Datum apud Urbemveterem, xv kalendas novembris, anno III°. »

894 Orvieto, 25 octobre 1263.

Abbati S. Petri Vivi Senonensis mandat ut Henrico, cantori ecclesiae Chableiarum, de praebenda in eadem ecclesiae provideat. (Reg. 28, fol. 127 v°, ann. III, benef. n° 12.)

« . . *abbati sancti Petri Vivi Senonensis*. Exposuit nobis dilectus filius Henricus, cantor ecclesie Chableiarum, Lingonensis diocesis, quod nos quondam .. preposito ipsius ecclesie, in qua collatio ad prepositum pertinet prebendarum, nostris mandavimus litteris ut magistro Waltero de Villa-Mauri, rectori ecclesie sancti Medardi, ejusdem diocesis, de prebenda, si qua in eadem ecclesia Chableiarum tunc vacabat vel quam primum ad id se offerret oportunitas, provideret, faciens eum ad prebendam ipsam, postquam de illa vacante sibi provisum foret, in predicta Chableiarum ecclesia in canonicum recipi et in fratrem, contradictores etc. usque compescendo. Decrevimus quoque irritum et inane si secus de prebenda hujusmodi contingeret attemptari. Sane, vacantibus post presentationem litterarum hujusmodi cantoria et prebenda in prefata ecclesia Chableiarum per mortem Petri, ejusdem ecclesie cantoris, dictus prepositus cantoriam et prebendam easdem auctoritate propria Henrico contulit supradicto. Verum, predictus rector eundem cantorem super prebenda ipsa, ut asserit, coram .. officiali Trecensi, auctoritate apostolica multipliciter inquietat. Quare dictus cantor humiliter petiit ut, cum ipse dictam prebendam eidem rectori ob reverentiam apostolicam libere dimittere sit paratus, provideri sibi de alia prebenda in sepedicta ecclesia, ne inane canonici et cantoris nomen teneat, mandaremus. Nos itaque, ipsius precibus annuentes, mandamus quatinus, si est ita, eidem cantori prebendam ipsam prefato rectori primo in dicti officialis manibus dimittenti libere, sicut offert, provideas auctoritate nostra per te vel per alium de prebenda alia nulli alii de jure debita, si vacat ibidem ad presens vel quamprimum ad id obtulerit se facultas, inducens eum in corporalem possessionem ipsius et defendens inductum, ac faciens eidem interim cotidianas distributiones sicut uni ex aliis ejusdem ecclesie canonicis, si de ipsius ecclesie prepositi et capituli voluntate processerit, ministrari. Non obstantibus —. Datum apud Urbemveterem, VIII kalendas novembris, anno III°. »

895 Orvieto, 31 octobre 1263.

De praebenda in ecclesia Cameracensi magistro Gerardo de Linea conferenda. (Reg. 28, fol. 127 v°, ann. III, benef. n° 13.)

« *Magistro Gerardo de Linea, cappellano nostro, canonico Cameracensi*. Inducunt nos tue —. Sane petitio tua nobis exhibita continebat quod felicis recordationis Alexander papa, predecessor noster, venerabili fratri nostro .. episcopo Cameracensi, faciendi recipi duos clericos suos in Cameracensi ecclesia, in qua collatio prebendarum ad eum pertinet, in canonicos et in fratres, ac providendi eorum utrique de prebenda, si qua tunc vacabat ibidem, vel quamprimum ad id se offerret oportunitas, nec non contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendi, concessit per suas litteras liberam facultatem, quarum auctoritate idem episcopus te, clericum et consanguineum suum, recipi fecit in canonicum et in fratrem in ecclesia ipsa, in qua nondum es prebendam aliquam assecutus. Ut autem tibi possit de prebenda in dicta ecclesia citius et facilius provideri, tuis supplicationibus inclinati, auctoritate tibi presentium indulgemus ut, premissis veris existentibus, nullus receptus post te, exceptis dilectis filiis Johanne de Brueriis et magistro Angelo Tiniosi, advocato in curia nostra, vel recipiendus etiam quacumque auctoritate in eadem ecclesia tibi preferri possit in assecutione prebende, nisi forsitan id alicui sit vel fuerit apostolica specialiter concessum. Nulli ergo nostre concessionis etc. Datum apud Urbemveterem, II kalendas novembris, anno III°. »

896 Orvieto, 3 novembre 1263.

Ut Godefrido de Trajecto-supra-Mosam de aliqua praebenda in ecclesia Tungrensi provideat. (Reg. 28, fol. 127 v°, ann. III, benef. n° 14.)

« *Macualdo, preposito ecclesie Tungrensis, Leodiensis diocesis.* Probitatis et scientie —. Datum apud Urbemveterem, III nonas novembris, anno III°. »

897 Orvieto, 25 octobre 1263.

Ut Petrum Raymundi de Montepessulano in canonicum recipiant. (Reg. 28, fol. 128, ann. III, benef. n° 15.)

« *Capitulo Biterrensi.* Dilectus filius Petrus Raymundi de Montepessulano, clericus, nepos venerabilis fratris nostri .. episcopi Agathensis, nobis humiliter supplicavit, ut recipiendi eum in ecclesia vestra, in qua prebendarum collatio ad vos communiter dicitur pertinere, in canonicum et in fratrem, et providendi sibi de prebenda, si qua in ecclesia ipsa vacat ad presens vel quamprimum ad id se facultas obtulerit, non obstante certo ipsius ecclesie canonicorum numero, juramento, confirmatione sedis apostolice vel quacumque alia firmitate vallato, aut si in predicta ecclesia pro aliis direximus scripta nostra, quibus per hoc nullum prejudicium generatur, vobis licentiam concedere dignaremur. Nos itaque, dilecti filii nostri .. archidiaconi Agathensis, capellani nostri et familiaris venerabilis fratris nostri .. episcopi Sabinensis, cujus archidiaconi idem clericus nepos existit, supplicationibus annuentes, licentiam vobis auctoritate presentium concedimus postulatam, prefato statuto post receptionem ipsius clerici in suo nichilominus robore duraturo. Datum apud Urbemveterem, VIII kalendas novembris, anno III°. »

898 Orvieto, 23 octobre 1263.

Episcopo Hamarensi et magistro Andreae, canonico Stawangrensi, mandat ut Admundo, rectori ecclesiae de Stranwig presbytero, Bergensis diocesis, unam praebendarum in ecclesia Osloensi vacantium conferant. (Reg. 28, fol. 128, ann. III, benef. n° 16; Potthast 18693.)

« .. *episcopo Hamarensi, et magistro Andree, canonico Stawangrensi.* Sicut dilectus filius —. Datum apud Urbemveterem, X kalendas novembris, anno III°. »

899 Orvieto, 28 octobre 1263.

De canonicatu et praebenda in ecclesia Nivernensi magistro Thecelino de Thousono conferendis. (Reg. 28, fol. 128, ann. III, benef. n° 17.)

« .. *priori de Bonayo, Autisiodorensis diocesis.* Dilectus filius magister Thecelinus de Thousono, clericus commensalis venerabilis fratris nostri .. episcopi Nivernensis, exposuit coram nobis quod, vacante in ecclesia Nivernensi quadam prebenda per mortem magistri Ade, dicti *Heron*, ipsius ecclesie canonici, dictus episcopus, ad quem prebendarum collatio in eadem ecclesia pertinere dicitur, prebendam ipsam vacantem auctoritate propria eidem magistro T. conferre curavit, ad quam capitulum dicte ecclesie receperunt eum in canonicum et in fratrem. Verum, quia compertum extitit quod eadem prebenda de jure alii, super cujus provisione scripseramus, in predicta ecclesia debebatur, predictus magister T. apostolicam sedem adiens, nobis humiliter supplicavit ut, cum ipse lites execrans, jus si quod in predicta prebenda sibi ex collatione hujusmodi competebat, libere resignarit, sibi, qui nullum est beneficium ecclesiasticum assecutus et per plures annos in jure civili Bononie studuit et profecit laudabiliter in eodem, in eadem ecclesia provideri de benignitate apostolica mandaremus. Nos itaque, ipsius supplicationibus inclinati, intendentes eum ob sue probitatis merita prosequi favore gratie speciali, mandamus quatenus eundem magistrum T., si de ipsius episcopi voluntate processerit, in prefata ecclesia per te vel per alium recipi facias in canonicum et in fratrem, ac ei de prebenda nulli alii debita, si qua ibidem vacat ad presens vel quamprimum ad id se facultas obtulerit, studeas providere. Non obstante certo ipsius ecclesie canonicorum numero, etc. — Contradictores, etc. — Nos enim decernimus, etc. — Datum apud Urbemveterem, V kalendas novembris, anno III°. »

900 Orvieto, 3 novembre 1263.

De beneficio Guillelmo de Bruerea conferendo. (Reg. 28, fol. 128 v°, ann. III, benef. n° 18.)

« .. *archiepiscopo Bisuntino.* Dilectum filium Guilelmum de Bruerea, clericum domus Militie Templi, obtentu fratris Almaurici de Rupe, ordinis ejusdem Militie Templi, favore benivolo prosequentes, mandamus quatenus eidem clerico, dummodo sit ydoneus, de aliquo ecclesiastico beneficio prebendali vel alio, etiam si curam habeat animarum, ad cujuscumque ecclesiastice persone collationem vel presentationem spectante, de cujus beneficio alii per nostras litteras non mandaverimus provideri, si quod in tua civitate, diocesi vel provincia vacat ad presens vel quamprimum ad id

se facultas obtulerit, per te vel per alium studeas providere, faciens eundem clericum ad beneficium ipsum, postquam de ipso vacante sibi provisum fuerit, si in collegiata ecclesia fuerit, recipi in canonicum et in fratrem, non obstante certo ipsius ecclesie canonicorum numero, etc. — Contradictores, etc. — Volumus tamen, etc. — Datum apud Urbemveterem, III nonas novembris, anno III°. »

901 Orvieto, 27 octobre 1263.

Magistro Aymerico Brunelli canonicatum et praebendam in ecclesia Pictavensi confert. (Reg. 28, fol. 128 v°, ann. III, benef. n° 19.)

« *Magistro Aymerico Brunelli, clerico Pictavensis diocesis*. Sedes apostolica provide —. Hinc est quod nos, attendentes probitatis et scientie tue merita, quibus juvari dinosceris, ac propter hoc et consideratione dilecti filii magistri Petri dicti *Veteris*, decani ecclesie sancti Hylarii Pictavensis, capellani nostri, cujus nepos existis, te gratiose prosequi ac favorabiliter intendentes, canonicatum ejusdem ecclesie ad Romanam ecclesiam nullo, ut dicitur, medio pertinentis, in qua non est, ut asseris, certus canonicorum numerus nec distinctio prebendarum, cum plenitudine juris canonici, tibi de gratia conferimus speciali, providemus tibi de illo teque de ipso per nostrum anulum investimus. Non obstante, etc. — Nulli ergo, etc. — Datum apud Urbemveterem, VI kalendas novembris, anno III°. »

902 Orvieto, 27 octobre 1263.

Briocensi et Thoarcensi archidiaconis executionem praedictae collationis committit. (Reg. 28, fol. 128 v°, ann. III, benef. n° 20.)

« . . *Briocensi, et . . Thoarcensi archidiaconis in ecclesia Pictavensi*. Sedes apostolica, etc. — Datum apud Urbemveterem, VI kalendas novembris, anno III°. »

903 Orvieto, 30 octobre 1263.

Dispensatio super absentia. (Reg. 28, fol. 129, ann. III, benef. n° 21.)

« *Magistro Petro, dicto* Veteri, *capellano nostro, generali causarum nostri palatii auditori, decano ecclesie sancti Ylarii Pictavensis*. Tue devotionis merita, etc., — usque, nos tuis precibus inclinati, ut a festo Assumptionis beate Virginis proximo preterito, quo te causarum palatii nostri generalem deputavimus auditorem, quousque nostris institeris obsequiis, officium hujusmodi exercendo, proventus quocumque accensamento scilicet vel alio nomine censeantur, decanatus ecclesie sancti Ylarii Pictavensis et aliorum beneficiorum tuorum cum ea integritate percipere possis, cotidianis distributionibus que dantur hiis, qui canonicis horis intersunt, dumtaxat exceptis, cum qua illos perciperes si personaliter in ecclesiis in quibus beneficia ipsa obtines, resideres, contraria ecclesiarum ipsarum consuetudine vel statuto juramento, confirmatione sedis apostolice vel quacumque firmitate vallato, sive quavis indulgentia dicte sedis, de qua cujusque toto tenore de verbo ad verbum oporteat in nostris litteris plenam et expressam mentionem fieri, et per quam effectus presentium impediri quomodolibet vel differri valeat, non obstante, auctoritate tibi presentium indulgemus. Nulli ergo nostre concessionis, etc. — Datum apud Urbemveterem, III kalendas novembris, anno III°. »

904 Orvieto, 5 novembre 1263.

Dispensatio super absentia. (Reg. 28, fol. 129, ann. III, benef. n° 22.)

« *Magistro Guillelmo Bergere, cantori Andegavensi, subdiacono nostro*. Meritis devotionis tue, etc. — Hinc est quod nos, tuis supplicationibus inclinati, tibi auctoritate presentium indulgemus ut insistens per triennium studio theologice facultatis seu juris canonici, in locis in quibus hujusmodi studium vigeat, possis proventus cantorie Andegavensis et decanatus ruralis de inter Sartam et Meduanam, cujus decanus existis, ac aliorum beneficiorum tuorum cum ea integritate percipere, cotidianis distributionibus dumtaxat exceptis, cum qua illos perciperes, si in ecclesiis in quibus beneficia ipsa obtines, personaliter resideres, et interim ad suscipiendum ordinem sacerdotii compelli non possis invitus, non obstantibus contrariis ipsarum, etc. — Datum apud Urbemveterem, nonis novembris, anno III°. »

905 Orvieto, 31 octobre 1263.

Dispensatio super absentia. (Reg. 28, fol. 129, ann. III, benef. n° 23.)

« *Albertino de Montesilici, camerario dilecti filii nostri S., tituli sancti Martini presbiteri cardinalis, canonico Tervisino.* Tue probitatis merita et dilecti filii nostri S., tituli sancti Martini presbiteri cardinalis, cujus capellanus existis, consideratio nos inducit ut personam tuam speciali benivolentia prosequamur. Hinc est quod nos, tuis supplicationibus inclinati, ut dicti cardinalis insistens obsequiis, tamquam ejus in hospitio suo domesticus commensalis, redditus et proventus prebende tue quam in ecclesia Tervisina obtines, cum ea integritate percipere valeas, cotidianis distributionibus dumtaxat exceptis, cum qua illos perciperes si in eadem ecclesia personaliter resideres, non obstantibus, etc. (indulgemus). Datum apud Urbemveterem, II kalendas novembris, anno III°. »

906 Orvieto, 27 octobre 1263.

Ut Petrum Petri, procuratorem episcopi Legionensis, in portionarium ecclesiae Legionensis admittant. (Reg. 28, fol. 129, ann. III, benef. n° 24.)

« . . *episcopo et capitulo Legionensibus.* Specialis dono gratie —. Datum apud Urbemveterem, VI kalendas novembris anno III°. »

907 Orvieto, 5 novembre 1263.

Ut Johannem clericum, natum Nicolai, dicti Zorn, militis Argentinensis, in canonicum recipere valeant. (Reg. 28, fol. 129 v°, ann. III, benef. n° 25.)

« . . *decano et capitulo Honaugensibus, Argentinensis ecclesie et diocesis.* Supplicastis nobis per —. Datum apud Urbemveterem, nonis novembris, anno III°. »

908 Orvieto, 31 octobre 1263.

Ut Marinum, presbiterum, ecclesiae Constantinopolitanae canonicum, in canonicum Mothonensem recipi faciat. (Reg. 28, fol. 129 v°, ann. III, benef. n° 26.)

« . . *archiepiscopo Cretensi.* Tunc sedes apostolica, etc. — Cum igitur dilectus filius Marinus, presbiter ecclesie Constantinopolitane canonicus, per Grecos scismaticos ab ecclesia ipsa ejectus, exilii cogatur tedia experiri, nos, paterno sibi super hoc compatientes affectu ac eidem, obtentu venerabilis fratris nostri . . patriarche Constantinopolitani, nobis pro ipso personaliter supplicantis, alicujus consolationis suffragium adhibere volentes, mandamus quatenus ipsum vel ejus procuratorem seu alium, ejus nomine, auctoritate nostra per te vel alios seu alium in ecclesia Mothonensi recipi faciens in canonicum et in fratrem, provideas sibi de prebenda, si vacat ibidem ad presens vel quam primum ad id obtulerit se facultas. Non obstante statuto —, aut si dictus presbiter alias beneficiatus existit vel presens non fuerit ad prestandum de observandis ipsius statutis et consuetudinibus juramentum, ita tamen quod illud ad presens per procuratorem prestet et, cum presens fuerit, per seipsum. Contradictores, etc. — Nos enim irritum et inane decernimus, si secus de prebenda hujusmodi apostolica vel alia quavis auctoritate contigerit attemptari. Volumus autem quod idem presbiter, prout ipsius prebende onus requiret, personaliter in ecclesia resideat supradicta, alioquin hujusmodi gratia nullius penitus sit momenti. Datum apud Urbemveterem, II kalendas novembris, anno III°. »

909 Orvieto, 31 octobre 1263.

Ut Stephanum Longobardum, presbiterum ecclesiae Constantinopolitanae canonicum, in Thebanum canonicum recipi faciant. (Reg. 28, fol. 129 v°, ann. III, benef. n° 27.)

« . . *decano, et Petro de Frugerio, canonico Nigripontensibus.* In eundem modum. Tunc sedes apostolica, etc., usque consolatur. Cum igitur dilectus filius Stephanus Longobardus, presbiter ecclesie Constantinopolitane canonicus, per Grecos scismaticos ab ecclesia ipsa ejectus, exilii cogatur tedia experiri, nos, paterno sibi super hoc compatientes affectu ac eidem, obtentu venerabilis fratris nostri . . patriarche Constantinopolitani, nobis pro ipso personaliter supplicantis, alicujus consolationis suffragium adhibere volentes, mandamus quatenus ipsum vel ejus procuratorem seu alium, ejus nomine, auctoritate nostra vos vel alter vestrum per vos vel alios sive alium in ecclesia Thebana recipi facientes in canonicum et in fratrem, etc., ut in proxima superiori per totum, verbis competenter mutatis.

910 Orvieto, 31 octobre 1263.

Ut Blasium, presbiterum ecclesiae Constantinopolitanae canonicum, in canonicum Atheniensem recipi faciant. (Reg. 28, fol. 130, ann. III, benef. n° 28.)

« . . *archidiacono, et thesaurario Thebanis.* Tunc sedes apostolica —, verbis competenter mutatis. »

911 Orvieto, 30 octobre 1263.

Ut Jacobum de Spello, ecclesiae Constantinopolitanae canonicum, in Nigripontensem canonicum recipi faciant. (Reg. 28, fol. 130, ann. III, benef. n° 29.)

« . . *archidiacono, et Alberto, presbitero canonico Thebanis.* Tunc sedes apostolica —. Datum apud Urbemveterem, III kalendas novembris, anno III°. »

912 Orvieto, 25 septembre 1263.

De provisione congrua assignanda in Hungaria episcopo Aquinati. (Reg. 28, fol. 130, ann. III, benef. n° 30.)

« *R., sancti Angeli diacono cardinali.* Trahimur amara suspiria et multa mentis perturbatione movemur, dum prelatos ecclesiarum pro Romane ecclesie devotione ab ecclesiis suis exulare conspicimus et deprimi gravissima egestate. Specialiter autem circa personam venerabilis fratris nostri . . episcopi Aquinatis, qui ab ecclesia sua per inimicos ejusdem Romane ecclesie fugatus, experiri cogitur insolita incommoda paupertatis, paterne gerentes pietatis affectum ac dignum respicientes, ut ei pro fidei sue meritis, a nobis subventionis saltem proveniat remedium congruentis, mandamus quatinus predicto episcopo, pro se et quinque personis ac tribus equitaturis, provisionem congruam, juxta tue dispositionis arbitrium, ab ecclesiis et monasteriis Ungarie, exemptis vel non exemptis, Cisterciensi et Sancti Damiani ordinibus dumtaxat exceptis, usque ad triennium, per te vel alium facias assignari. Non obstante, etc. — Datum apud Urbemveterem, VII kalendas octobris, anno III°. »

913 Orvieto, 3 novembre 1263.

Ut magistrum Johannem, dictum *Pucin*, in possessionem praebendae et canonicatus in ecclesia Lexoviensi inducant. (Reg. 28, fol. 130, ann. III, benef. n° 31.)

« *Magistris Johanni de Monsiaco, canonico Parisiensi, capellano nostro, et Nicolao de Ostrahan, canonico Constantiensi.* Personam dilecti filii magistri Johannis dicti *Pucin*, rectoris ecclesie sancte Marie de Bellafago, Lexoviensis diocesis, consideratione dilecti filii magistri Gregorii de Neapoli, capellani nostri, qui pro eo, familiari suo, apostolicam gratiam imploravit, gratiose prosequi ac favorabiliter intendentes, eidem magistro Johanni canonicatum Lexoviensis ecclesie ac prebendam, cotidianas distributiones annexas habentem, sique tunc vacabant ibidem, conferendos duximus, investientes eum per nostrum anulum de eisdem. Si vero aliqua prebenda tunc inibi non vacabat, prebendam ibi proximo vacaturam conferendam eidem magistro Johanni donationi apostolice reservavimus, decernentes extunc irritum et inane, si secus de illa contingeret attemptari, dilectis filiis . . cantore, et . . thesaurario Rothomagensibus super hoc executoribus deputatis. Sed venerabili fratre nostro . . Lexoviensi episcopo, ad quem in eadem ecclesia pertinere dicitur collatio prebendarum, in negotio provisionis hujusmodi difficultatem, sicut intelleximus, adhibente, dictus magister Johannes, sicut asserit, non est facte sibi in hac parte gratie obtatum commodum assecutus, quamvis pluries ad hoc obtulerit se facultas; propter quod idem magister Johannes super hoc apostolice providentie remedium imploravit. Quocirca, mandamus quatinus vos vel alter vestrum, per vos vel alios seu alium, prebendam nulli alii de jure debitam, si quam post reservationem et decretum hujusmodi, vacasse reppereritos, (*sic*) dicto magistro Johanni auctoritate nostra conferre et assignare curetis, inducentes ipsum in illius corporalem possessionem et defendentes inductum, amoto ab ea quolibet illicito detentore. Alioquin, provideatis ei de alia nulli alii debita, ibidem proximo vacatura, juxta priorum continentiam litterarum. Et ne provisionem hujusmodi per ipsius episcopi diffugia impediri vel prorogari contingat, volumus ut eum, si super hoc decetero difficultatem adhibuerit et per nos monitus diligenter desistere non curaverit, auctoritate nostra tamdiu a collatione prebendarum ecclesie supradicte suspendatis, donec fuerit ipsi magistro Johanni de prebenda cum effectu provisum, decernentes irritum et inane, si contra suspensionem eandem episcopus ipse quidcumque de illis duxerit attemptandum. Non obstante, etc. — Datum apud Urbemveterem, III nonas novembris, anno III°. »

914 Orvieto, 1er novembre 1263.

Hugoni de Faugere canonicatum et praebendam in ecclesia s. Radegundis Pictavensis confert. (Reg. 28, fol. 130 v°, ann. III, benef. n° 32.)

« *Hugoni de Faugere, clerico Pictavensis diocesis.* Personam tuam —. Datum apud Urbemveterem, kalendis novembris, anno III°. »

915 Orvieto, 3 novembre 1263.

Episcopo et capitulo Salamantinis mandat ut Petrum, dictum *Amicum*, in ecclesia Salamantina in portionarium recipiant. (Reg. 28, fol. 130 v°, ann. III, benef. n° 33.)

« . . *episcopo et capitulo Salamantinis.* Affectionis paterne studium —. Datum apud Urbemveterem, III nonas novembris, anno III°. »

916 Orvieto, 31 octobre 1263.

Praeposito ecclesiae Ariensis mandat ut magistrum Jacobum dictum *Leparchier*, rectorem ecclesiae s. Nicolai de Maullens, Atrebatensis diocesis, in capellanum ecclesiae Ariensis recipiat, rectoria prius dimissa. (Reg. 28, fol. 130 v°, ann. III, benef. n° 34.)

« . . *preposito ecclesie Ariensis, Morinensis diocesis.* Meritis probitatis et —. Datum apud Urbemveterem, II kalendas novembris, anno III°. »

917 Orvieto, 3 novembre 1263.

Ut Symonem rectorem ecclesiae de Heso, Cathalaunensis diocesis, obtentu episcopi Cathalaunensis, ejusdem Symonis avunculi, in ecclesia Cathalaunensi in canonicum recipi faciat. (Reg. 28, fol. 131, ann. III, benef. n° 35.)

« . . *cantori ecclesie sancti Germani Montisfalconis, Remensis diocesis.* Dilectum filium Symonem —. Datum apud Urbemveterem, III nonas novembris, anno III°. »

918 Orvieto, 3 novembre 1263.

Ut Manerium de Cretosa in ecclesia s. Mathaei de Folliaco in canonicum recipi faciant. (Reg. 28, fol. 131, ann. III, benef. n° 36.)

« *Arnalpho de Altaribus et Waltero de Foilloy, canonicis Ambianensibus.* Volentes dilecto filio Manerio de Cretosa, clerico familiari dilecti filii magistri O. Capucii, archidiaconi Cameracensis, pro ipso clerico nobis humiliter supplicantis, facere gratiam specialem, mandamus quatinus vos vel alter vestrum, per vos vel alium aut alios, eundem clericum, dummodo sit idoneus, in ecclesia beati Mathei de Folliaco prope Corbeiam, Ambianensis diocesis, recipi facientes in canonicum et in fratrem, ei de prebenda, si qua ibidem vacat ad presens vel quamprimum ad id se facultas obtulerit, providere curetis, dummodo in eadem ecclesia per litteras nostras executorias non mandaverimus aliquem alium recipi in canonicum et in fratrem. Non obstante certo canonicorum numero, etc. Datum apud Urbemveterem, III nonas novembris, anno III° »

919 Orvieto, 28 octobre 1263.

Ut Jofridum in ecclesia s. Macuti de Barro-super-Albam, in canonicum recipi faciant. (Reg. 28, fol. 131, ann. III, benef. n° 37.)

« . . *decano ecclesie sancti Macuti de Barro-super-Albam, Lingonensis diocesis.* Devotionis tue precibus inclinati, tibi recipiendi dilectum filium Jofridum, clericum, filium Nicolai dicti de Cremona, militis Trecensis diocesis, in canonicum et in fratrem ecclesie sancti Macuti de Barro super Albam, in qua ad te, ut asseris, collatio pertinet prebendarum, ac providendi sibi de prebenda, si vacat ibidem ad presens vel quamprimum ad id obtulerit se facultas, ac contradictores etc. usque compescendi. Non obstante statuto — (conferimus facultatem.) Datum apud Urbemveterem, V kalendas novembris, anno III°. »

920 Orvieto, 26 octobre 1263.

Ut Jacobum in ecclesia Novariensi in canonicum recipi faciat. (Reg. 28, fol. 131, ann. III, benef. n° 38.)

« . . *episcopo Novariensi.* Dilectus filius Jacobus, pauper clericus, natus Donati de Mercaria, civis Novariensis, nobis exposuit quod, cum felicis recordationis Alexander papa, predecessor noster, sub ea forma secundum quam pro pauperibus clericis beneficiandis eorum diocesanis interdum consuevit scribere, tibi suis dederit litteris in mandatis, ut ei de aliquo beneficio ecclesiastico competenti, ad tuam vel alterius collationem spectante, cum cura vel sine cura, si in Novariensi civitate vel diocesi tunc vacabat, vel quamprimum ad id se facultas offerret, per te vel per alium provideres, faciens eum in ecclesia in qua sibi duceres providendum, si collegiata existeret, in canonicum et in

fratrem, contradictores etc., tu eundem Jacobum in ecclesia sancti Gaudentii Novariensis recipi mandavisti in canonicum et in fratrem auctoritate hujusmodi litterarum. Verum .. preposito et capitulo ipsius ecclesie ad quos collatio prebendarum in ea pertinet, se sibi super hoc opponentibus, dictus Jacobus nullum est ex hoc commodum assecutus. Quare dictus Jacobus nobis humiliter supplicavit ut, cum tu non habeas nisi tria vel quatuor beneficia ad tuam collationem spectantia, ipsum in predicta ecclesia sancti Gaudentii recipi manderemus. Nos igitur, obtentu dilecti filii fratris Guillelmi, penitentiarii nostri, pro ipso clerico apostolicam super hoc gratiam implorantis ejusdem clerici supplicationibus inclinati, mandamus quatinus, si est ita, eundem J., dummodo sit ydoneus, in ea recipi faciens per te vel per alium in canonicum et in fratrem, ei de prebenda, si qua ibidem vacat ad presens vel quamprimum ad id obtulerit se facultas, providere procures. Non obstante certo, etc. — Datum apud Urbemveterem, VII kalendas novembris, anno tertio. »

921 Orvieto, 12 novembre 1263.

Ut Jobertum de aliquo personatu vel dignitate ad collationem episcopi Suessionensis spectante provideant (Reg. 28, fol. 131 v°, ann. III, benef. n° 39.)

« .. *preposito ecclesie sancti Gaugerici Cameracensis, et magistro Johanni de Perona, canonico ecclesie sancti Timothei Remensis.* Dilectus filius Jobertus, decanus ecclesie Rosetensis, in nostra proposuit presentia constitutus, quod venerabilis frater noster .. Suessionensis episcopus, gerens erga eum affectum benivolentie specialis, ei de aliquo personatu vel dignitate Suessionensis ecclesie, ad suam collationem spectante, quamcito ibidem vacare contingeret, liberaliter providere promisit, prout in litteris inde confectis, dicti episcopi sigillo munitis, plenius dicitur contineri. Unde, cum ex promissione hujusmodi nullum adhuc, sicut asserit, fuerit commodum assecutus, nos, volentes ut in hac parte sue consequatur intentionis effectum, mandamus quatinus, si est ita, vos vel alter vestrum de personatu vel dignitate ad collationem dicti episcopi pertinente, cum cura vel sine cura, si quis vel si qua in eadem ecclesia Suessionensi vacat ad presens vel quamcito ad id se facultas obtulerit, per vos vel per alium seu alios prefato decano providere curetis, ipsumque vel ejus procuratorem, suo nomine, in hujusmodi personatus vel dignitatis possessionem inducatis vel induci faciatis et defendatis inductum. Non obstante etc. — Datum apud Urbemveterem, II idus novembris, anno tertio. »

922 Orvieto, 9 novembre 1263.

Ut Warnero, scolastico ecclesiae Palaciolensis, Treverensis diocesis, de aliqua praebenda in eadem ecclesia provideat. (Reg. 28, fol. 131 v°, ann. III, benef. n° 40.)

« .. *decano ecclesie Metensis.* Dilectus filius magister —. Datum apud Urbemveterem, V idus novembris, anno tertio. »

923 Orvieto, 1er novembre 1263.

Ut Hugonem de Faugere in possessionem canonicatus et praebendae (Cf. n° 914) inducat. (Reg. 28, fol. 132, ann. III, benef. n° 41.)

« .. *cantori ecclesie S. Frontonis Petragoricensis.* Personam dilecti filii —. Datum apud Urbemveterem, kalendis novembris, anno tertio. »

924 Orvieto, 6 novembre 1263.

Magistro Hugoni, dicto *Burgundo*, de canonicatu in ecclesia S. Germani Autisiodorensis Parisiensis providet. (Reg. 28, fol. 132, ann. III, benef. n° 42.)

« *Magistro Hugoni, dicto* Burgundo, *canonico ecclesie sancti Mederici Parisiensis.* Probitatis et scientie —. Hinc est quod nos te nobis de vita ac bonis moribus multipliciter commendatum, propter hoc et obtentu dilecti filii, nostri A., tituli sancte Praxedis presbiteri cardinalis pro te, capellano suo, apostolicam gratiam implorantis, gratiose prosequi ac favorabiliter intendentes, canonicatum ecclesie sancti Germani Autisiodorensis Parisiensis, cum plenitudine juris canonici, ac prebendam, si qua vacat ibidem ad presens, tibi conferimus de gratia speciali, providemus tibi de illis dictumque cardinalem investimus tuo nomine de eisdem. Si vero nulla prebenda vacat ibidem ad presens, prebendam inibi proximo vacaturam conferendam tibi donationi apostolice reservamus, ac decernimus irritum et inane si secus de illa a quoquam contigerit attemptari. Non obstante etc. — Volumus tamen quod locum et prebendam ecclesie sancti Pauli de sancto Dyonisio, Pari-

siensis diocesis, cujus existis canonicus, quos, cum prebendam hujusmodi pacifice fueris assecutus, vacare decernimus, omnino dimittas. Nulli ergo etc. — Datum apud Urbemveterem, VIII idus novembris, anno tertio. »

925 Orvieto, 7 novembre 1263.

Infrascriptis praedictae committit executionem collationis. (Reg. 28, fol. 132, ann. III, benef. n° 43.)

« *Magistro Guillelmo de Matiscone, canonico Belvacensi, et . . officiali majoris archidiaconatus Remensis.* Probitatis et scientie —. Datum apud Urbemveterem, VII idus novembris, anno III°. »

926 Orvieto, 8 novembre 1263.

Ut Rogerium, natum Guidonis de Cumis, in ecclesia Vercellensi in canonicum recipi faciat. (Reg. 28, fol. 132, ann. III, benef. n° 44.)

« . . *abbati monasterii sancti Andree Vercellensis.* Probitatis et scientie meritis dilecti filii nobilis viri Guidonis de Cumis, professoris juris civilis, deberi percipimus, ut in hiis que sunt favoris et gratie, nos sibi et suis propitios gaudeat invenisse. Hinc est quod nos dilectum filium Rogerium, clericum, natum ipsius nobilis, nobis de bona conversatione et vita laudabili commendatum, obtentu ejusdem nobilis pro eo apostolicam gratiam implorantis, gratiose prosequi ac favorabiliter intendentes, discretioni tue mandamus quatinus eundem clericum, dummodo sit ydoneus, vel procuratorem suum, ejus nomine, in ecclesia Vercellensi per te vel alium recipi facias in canonicum et in fratrem, eique provideas de prebenda, si vacat ibidem ad presens vel quamprimum ad id obtulerit se facultas. Non obstante statuto, etc. — Contradictores, etc. — Nos enim, etc., usque attemptari. Datum apud Urbemveterem, VI idus novembris, anno tertio. »

927 Orvieto, 22 septembre 1263.

Ut Theodericum, qui duos litterarum apostolicarum falsarios cepit, in ecclesia S. Mariae in Herfordia, Maguntinae diocesis, in canonicum recipi faciat. (Reg. 28, fol. 132 v°, ann. III, benef. n° 45.)

« . . *thesaurario ecclesie Novi Monasterii Herbipolensis.* Sicut dilectus filius Theodericus presbiter, rector ecclesie Omnium Sanctorum in Herfordia, nobis insinuare curavit, ipse motus tam ex zelo justitie quam ex pure devotionis promptitudine, quam ad personam nostram et Romanam habet ecclesiam, duos litterarum nostrarum falsarios manifestos cepit, ipsosque detineri procuravit carcerali custodia mancipatos. Propter hoc siquidem necnon in meritorum consideratione laudabilium, quibus prefatus rector adjuvari proponitur, intendentes ipsum gratia prosequi et favore, discretioni tue mandamus quatinus, si est ita, rectorem eundem in ecclesia sancte Marie in Herfordia, Maguntinensis diocesis, per te vel per alium recipi faciens in canonicum et in fratrem, sibi de prebenda, siqua vacat ibidem ad presens vel quamprimum ad id se facultas obtulerit, studeas providere. Non obstante statuto, etc. — Contradictores, etc. — Nos enim, etc., — usque attemptari. Datum apud Urbemveterem, X kalendas octobris, anno tertio. »

928 Orvieto, 6 novembre 1263.

Ut Galterum clericum in ecclesia S. Pharaildis Gandensis, Tornacensis diocesis, in canonicum recipi faciat. (Reg. 28, fol. 132 v°, ann. III, benef. n° 46.)

« . . *scolastico ecclesie sancti Pauli Leodiensis.* Affectionis paterne studium, etc. — Hinc est quod, cum dilectus filius Gualterus, clericus, germanus dilecti filii Arnulphi, quondam officialis Leodiensis, commendatus de honestis moribus, nullum, prout asserit, beneficium ecclesiasticum sit adeptus, ac per dilectum filium magistrum Petrum, archidiaconum Broliensem in ecclesia Agennensi, examinatus diligenter, inventus fuerit in litterarum competenter ydoneus ad beneficium ecclesiasticum obtinendum, nos ipsum propter hoc pia benivolentia prosequentes, mandamus quatinus, si dictus clericus sit ydoneus moribus et etate nec aliquod beneficium habeat, eum in ecclesia sancte Pharaildis Gandensis, Tornacensis diocesis, si nondum pro alio in ea direximus scripta nostra, facias auctoritate nostra per te vel per alium in canonicum et in fratrem recipi, ac sibi de prebenda, siqua ibidem vacat ad presens vel quamcito ad id se facultas obtulerit, dummodo, prout requirit onus ipsius prebende, velit promoveri ad ordines, statutis temporibus, et residentiam facere in eadem, auctoritate nostra per te vel per alium providere procures. Non obstante, etc. —

Datum apud Urbemveterem, VIII idus novembris, anno tertio. »

929 Orvieto, 7 novembre 1263.

Adae administrationem ecclesiae S. Sepulchri de Aquapendente committit. (Reg. 28, fol. 132 v°, ann. III, benef. n° 47.)

« *Ade, canonico ecclesie Jerosolimitane, priori domorum et ecclesiarum ad eandem ecclesiam in regno Sicilie pertinentium, capellano nostro.* Circa curam quarumlibet ecclesiarum, etc. — Cum itaque fratri Guillelmo, qui pro abbate ecclesie sancti Sepulchri de Aquapendente, Urbevetane diocesis, ad Jerosolimitanam ecclesiam nullo medio pertinentis, licet esset propter ejus diversa crimina sententialiter amotus ab illius regimine, se gerebat, viva voce duxerimus injungendum, ut ad ipsam Jerosolimitanam ecclesiam se conferret, dispositioni venerabilis fratris nostri . . patriarche Jerosolimitani, in omnibus pariturus, et ipse in superbiam et contemptum elatus, id efficere non curavit, nos ipsi ecclesie sancti Sepulchri, ne pro defectu administratoris incurrat in temporalibus et spiritualibus detrimentum, volentes ex studio paterne diligentie providere, eam cum omnibus pertinentiis suis administrationi tue committimus in utrisque, te auctoritate apostolica in rectorem instituentes ejusdem. Tu itaque, una cum domibus et ecclesiis quas habet predicta Jerosolimitana ecclesia in regno Sicilie, tue administrationi commissis, ipsam ecclesiam sancti Sepulchri tam utiliter et sapienter dirigas, contradictores, etc., usque compescendo, quod inde tibi honor apud homines et penes nos favor et apud Deum gratia debeat merito provenire. Nulli ergo nostre commissionis et institutionis, etc. Datum apud Urbemveterem, VII idus novembris, anno tertio. »

930 Orvieto, 7 novembre 1263.

Infrascriptis praedicti committit executionem negotii. (Reg. 28, fol. 133, ann. III, benef. n° 48.)

« . . *magistro scolarum Antiocheno, capellano nostro, et . . archipresbitero Urbevetano.* Circa curam ecclesiarum —. Datum ut supra. »

931 Orvieto, 7 octobre 1263.

Episcopo Ebroicensi mandat ut Johannem, dictum *Aurifabrum*, clericum Acconensem, obtentu Adae, capellani apostolici, canonici dominici Sepulchri, in ecclesia Valaniensi in canonicum recipi faciat. (Reg. 28, fol. 133, ann. III, benef. n° 49.)

« . . *episcopo Ebroicensi.* Illis precipue nos —. Datum apud Urbemveterem, nonis octobris, anno tertio. »

932 Orvieto, 5 novembre 1263.

Ut magistro Johanni Mathaei, canonico ecclesiae Redonensi, de praebenda in Redonensi ecclesia provideri faciat. (Reg. 28, fol. 133, ann. III, benef. n° 50.)

« . . *scolastico ecclesie b. Martini Turonensis.* Dilectus filius magister —. Datum apud Urbemveterem, nonis novembris, anno tertio. »

933 Orvieto, 23 octobre 1263.

Ut Firmino de Braguetia, canonico ecclesiae Corisopitensis, de praebenda in Corisopitensi ecclesia provideri procuret. (Reg. 28, fol. 133, ann. III, benef. n° 51.)

« . . *officiali Venetensi.* Dilectus filius Firminus —. Datum apud Urbemveterem, x kalendas novembris, anno III°. »

934 Orvieto, 13 novembre 1263.

Petro de Ferentino canonicatum et praebendam ecclesiae Furnensis, Morinensis diocesis, confert. (Reg. 28, fol. 133, ann. III, benef. n° 52.)

« *Petro de Ferentino, dicto Romano, capellano nostro.* Placide familiaritatis obsequia —. Datum apud Urbemveterem, idus novembris, anno tertio. »

935 Orvieto, 13 novembre 1263.

Infrascriptis praedictae collationis committit executionem. (Reg. 28, fol. 133 v°, ann. III, benef. n° 53.)

« *Magistris Miloni Penestrine et Jordano Seniorili Gerboredensis, Belvacensis diocesis, ecclesiarum canonicis, Parisius commorantibus.* Placide familiaritatis obsequia —. Datum ut supra. »

936 Orvieto, 21 décembre 1263.

Succentori ecclesiae S. Aniani Aurelianensis mandat ut magistrum Nicolaum Boncelli, canonicum Turonensem, in ecclesia Dolensi in canonicum recipi faciat. (Reg. 28, fol. 133 v°, ann. III, benef. n° 54.)

« . . *succentori ecclesie S. Aniani Aurelianensis.* Licet ecclesiarum onera —. Datum apud Urbemveterem, xi kalendas januarii, anno III°. »

937 Orvieto, 7 octobre 1263.

Capitulo Toletano mandat ut Alphonsum Garsiae, portionarium ecclesiae Toletanae, in canonicum recipiat. (Reg. 28, fol. 134, ann. III, benef. n° 55.)

« *Capitulo Toletano.* Specialis dono gratie —. Datum apud Urbemveterem, nonis octobris, anno III°. »

938 Orvieto, 6 novembre 1263.

Episcopo Ariminensi mandat ut Malatestae ejusque filiis Johanni et Paulo viginti libras ab aliquibus monasteriis et ecclesiis provinciae Romaniolae solvi faciat, loco ecclesiae S. Salvatoris dominici Sepulchri, Ariminensis diocesis. (Reg. 28, fol. 134, ann. III, benef. n° 56.)

« . . *episcopo Ariminensi.* Significarunt nobis dilecti filii Malatesta et Johannes ac Paulus, filii ejus, cives Ariminenses, quod, licet nos eis pro sincera devotione quam gerunt ad Romanam ecclesiam, volentes facere gratiam specialem, tibi dederimus per nostras litteras in mandatis ut dictis Johanni et Paulo in quadam pecunie summa faceres a monasteriis et ecclesiis Romaniole per te vel alium provideri, ac a te vel subdelegatis tuis viginti libre de predicta pecunia ecclesie sancti Salvatoris dominici Sepulchri, Ariminensis diocesis, predicte Romaniole, fuerint imposite prefatis fratribus persolvende, quia tamen nos eandem ecclesiam a solutione ipsarum viginti librarum dicimur absolvisse, nondum eis de provisione hujusmodi est integre satisfactum. Quare ipsi humiliter petebant a nobis, ut providere super hoc de benignitate apostolica curaremus. Quocirca mandamus quatinus, si est ita, et ecclesiam ipsam tibi constiterit per nostras litteras a talibus absolutam, predictas viginti libras eisdem fratribus ab aliquibus aliis monasteriis et ecclesiis predicte provincie Romaniole proportionaliter, sicut expedire videris, juxta dictarum litterarum tibi directarum continentiam, facias exhiberi. Contradictores etc. Datum apud Urbemveterem, viii idus novembris, anno III°. »

939 Orvieto, 11 novembre 1263.

Archiepiscopo Strigoniensi mandat ut magistro Mathiae Bisseno, clerico Vesprimiensis diocesis, doctori nepotum Stephani, episcopi Penestrini, de praebenda vel beneficio ecclesiastico, cujus proventus valorem annuum quindecim marcarum argenti attingant, provideat. (Reg. 28, fol. 134, ann. III, benef n° 67; Potthast 18711.)

« . . *archiepiscopo Strigoniensi.* Apostolice benignitatis affectum —. Datum apud Urbemveterem, iii idus novembris, anno tertio. »

940 Orvieto, 29 octobre 1263.

Infrascriptis mandat ut Theobaldum, rectorem ecclesiae de Cappella-Ygerii, Meldensis diocesis, in ecclesia Lexoviensi in canonicum recipi faciant. (Reg. 28, fol. 134, ann. III, benef. n° 58.)

« *Henrico de Serbona Parisiensi et Guillelmo de Nangiis Rothomagensi canonicis.* Dilectum filium Theobaldum —. Datum apud Urbemveterem, iiii kalendas novembris, anno III°. »

941 Orvieto, 4 novembre 1263.

Dispensatio per triennium super absentia. (Reg. 28, fol. 134 v°, ann. III, benef. n° 59.)

« *Johanni Cofferii, subdiacono, archipresbytero de Monte Andronis, Xantonensis diocesis.* Clericis scolasticis insistere disciplinis digne apostolicus favor impenditur, quia exinde honor ecclesiis provenit cum earum iidem fiant obsequiis aptiores. Cum igitur, sicut asseris, ad juris canonici studium desideres te transferre, nos, venerabilis fratris nostri .. episcopi Albanensis, pro te nobis supplicantis, obtentu, volentes favorabiliter prosequi tuum in hac parte affectum, ut per triennium in predicto studere jure in loco sollempnis studii valeas, ac interim, dummodo in quatuor temporibus proxime Quadragesime te facias diaconum promoveri, proventus archipresbyteratus tui de Monte Andronis et ecclesie sancti Medardi de Salesio, Burdegalensis

diocesis, quos ex dispensatione apostolica, ut proponis, obtines, cum integritate percipere, et ad suscipiendum presbyteratus ordinem ac personalem in eisdem archipresbyteratu et ecclesia residentiam faciendam compelli a quoquam non possis, dummodo in eis facias per ydoneos vicarios deserviri, constitutione provinciali vel sinodali seu alia contraria non obstante, aut si venerabili fratri nostro . . Burdegalensi archiepiscopo, et . . episcopo Xantonensi, a sede apostolica sit indultum quod rectores et clericos ecclesiarum suarum civitatum et diocesium possint compellere ad suscipiendos superiores ordines et faciendam in ipsis ecclesis residentiam personalem, non obstantibus aliquibus litteris a sede impetratis eadem vel etiam impetrandis, que de indulto hujusmodi plenam et expresam ac de verbo ad verbum non fecerint mentionem, auctoritate tibi presentium de speciali gratia indulgemus. Nulli ergo nostre concessionis etc. Datum apud Urbemveterem, II nonas novembris, anno III°. »

942 Orvieto, 18 novembre 1263.

Episcopo Eduensi mandat ut Bernardo de Sedeloco de quodam beneficio provideat. (Reg. 28, fol. 134 v°, ann. III, benef. n° 60.)

« . . *episcopo Eduensi*. Constitutus in presentia nostra dilectus filius Bernardus de Sedeloco, clericus tue diocesis, exposuit coram nobis quod nos olim tibi sub certa forma per nostras litteras dedimus in mandatis, ut eidem clerico, parato resignare quandam ecclesiam quam tunc habebat, de aliquo ecclesiastico beneficio in tua diocesi, ad cujuscumque collationem spectante, provideres eidem. Et licet predictus clericus predictam ecclesiam resignaverit, tu tamen sibi de hujusmodi beneficio providere hactenus non curasti. Quare prefatus clericus nobis humiliter supplicavit ut sibi super hoc providere misericorditer curaremus. Nos itaque, quod de ipso clerico pie incepimus, volentes perducere ad effectum, fraternitati tue mandamus quatinus, si est ita, predicto clerico, quem per dilectum filium magistrum Petrum, archidiaconum Bruliensem in ecclesia Agennensi, socium dilecti filii magistri Michaelis, sancte Romane ecclesie vicecancellarii, examinari fecimus diligenter, quique inventus fuit in litteratura competenter ydoneus ad ecclesiasticum beneficium obtinendum, de hujusmodi beneficio, si quod in tua civitate vel diocesi vacat ad presens vel quamprimum ad id se facultas obtulerit, dummodo alias sit idoneus et velit in illo personaliter residere, et ad ordines quos ipsius beneficii onus requirit, se facere statutis temporibus promoveri, provideas, juxta priorum continentiam litterarum. Contradictores etc. Datum apud Urbemveterem, XIIII kalendas decembris, anno III°. »

INCIPIT REGESTUM ANNI QUARTI

DOMINI URBANI PAPE QUARTI

943 Orvieto, 8 septembre 1264.

Manfredo, Veronensi electo, omnia jura quae ecclesia Romana in castro de Carpo ejusque territorio obtinet, et quae quondam Bertolinus Tabernerius, civis Parmensis, ab eadem tenebat ecclesia, confert. (Reg. 28, fol. 137, ann. IV, n° 1; Potthast 19013.)

« *Manfredo, Veronensi electo.* Fili, dum angustias —. Considerantes igitur quod non habes unde hoc tempore valeas in eodem carcere commode sustentari, ac volentes tibi liberalitatis apostolice dexteram aperire, omnia jura omnesque jurisdictiones, fructus, redditus et proventus et cetera que Romana ecclesia in castro de Carpo ejusque territorio seu districtu, Mutinensis diocesis, obtinet, atque quondam Bertolinus Tabernerius, civis Parmensis, dum viveret, ab eadem tenebat ecclesia, apostolica tibi auctoritate conferimus, investientes dilectum filium Antonium, clericum tuum, per annulum nostrum de eisdem, ita quod illa teneas, possideas et percipias vita tua, et post tuum obitum ad predictam ecclesiam libere revertantur. Nulli ergo nostre collationis et investiture etc. Datum apud Urbemveterem, vi idus septembris, anno quarto. »

944 Orvieto, 8 septembre 1264.

Infrascriptis praedicti committit executionem mandati. (Reg. 27, fol. 137, ann. IV, n° 2; Potthast 19014.)

« . . *episcopo Ferrariensi et magistro Bernardo canonico Bononiensi.* Dum angustias et —. Datum ut supra. »

945 Orvieto, 8 septembre 1264.

Infrascriptis mandat ut nonnullis civibus et mercatoribus Florentinis, quorum nomina expressa habentur, ab ipsorum creditoribus in regno Franciae satisfactionem impendi faciant. (Reg. 28, fol. 137, ann. IV, n° 3.)

« *Magistris Homodeo de Crema, subdiacono nostro, et Bartholomeo de Turano, canonico ecclesie sancti Timothei Remensis.* Sua nobis dilecti filii Dulcis de Burgo, Castra Gualfredi, Spinellus et Hugettus Symonetti, Gualterus et Noctius de Burgo, Donatellus Octaviani, Johannes Bonajuti, Russus Bacarelli, Johannutius Baiamontis, et alii eorum socii, cives et mercatores Florentini, petitione monstrarunt quod nonnulli archiepiscopi, episcopi et abbates, priores, capitula, conventus, communitates, comites, barones, milites, burgenses et quidam alii clerici et laici regni Francie in quibusdam pecuniarum summis et bladi, vini ac lane quantitatibus et rebus aliis tenentur eisdem, prout in litteris vel instrumentis inde confectis, plenius dicitur contineri, de quibus eis non est statutis locis et terminis satisfactum, propter quod damna gravia et expensas non modicas se asserunt incurrisse. Quocirca mandamus quatinus vos vel alter vestrum, per vos vel alium seu alios, omnes hujusmodi debitores mercatorum ipsorum monere curetis ac inducere diligenter, ut de dictis pecuniarum summis et bladi, vini ac lane quantitatibus et rebus aliis in quibus tenentur eisdem, cum justis et moderatis expensis, ac debita restauratione dampnorum, usuris omnino cessantibus, infra tres menses post hujusmodi monitionem vestram, juxta rationabiles et justos litterarum vel instrumentorum ipso-

rum tenores, eis plenariam satisfactionem impendant. Quod si infra tempus hujusmodi satisfacere non curaverint, vos extunc debitores ipsos ad id per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compellatis. Et si in personas excommunicationis, et in terras eorum interdicti sententias propter hoc promulgari contigerit, eas usque ad satisfactionem condignam, ubi et quando et quotiens expedire videritis, pulsatis campanis et candelis accensis, per vos vel alium seu alios publicetis. Non obstantibus. — Si vero illi in quos hujusmodi sententias duxeritis proferendas, eas per duos menses animo sustinuerint indurato, ipsos ex parte nostra peremptorie citare curetis ut, infra competentem terminum, quem eis duxeritis prefigendum, per se vel per procuratores ydoneos nostro se conspectui representent, penam debitam pro meritis recepturi ac facturi super hoc quod ordo dictaverit rationis; ac nichilominus taliter excommunicatos, si archiepiscopi vel episcopi, abbates, priores aut ecclesiarum prelati fuerint, ab administratione spiritualium et temporalium suspendatis. Diem vero citationis et formam et quidquid super hiis duxeritis faciendum, nobis per vestras litteras, harum seriem continentes, studeatis fideliter intimare. Datum apud Urbemveterem, VIII idus septembris, anno quarto. »

In eundem modum eisdem judicibus pro eisdem mercatoribus contra clericos et laicos regni Anglie.

In eundem modum eisdem pro predictis mercatoribus contra clericos et laicos regni Scotie.

In eundem modum eisdem pro predictis mercatoribus contra clericos et laicos de Ibernia et Wallia.

In eundem modum eisdem pro predictis mercatoribus contra clericos et laicos regni Alamannie.

In eundem modum eisdem pro predictis mercatoribus contra clericos et laicos de Ispania.

In eundem modum eisdem pro predictis mercatoribus contra clericos et laicos regni Arelatensis, Provincie ac Tholosane comitatuum, de Wasconia, et Lugdunensis civitatis et diocesis ac Provincie. »

946 Orvieto, 9 septembre 1264.

Militiam Templi Jerosolimitani a praestatione centesimae pro Terrae Sanctae subsidio deputatae eximit. (Reg. 28, fol. 137 v°, ann. IV, n° 4.)

« *Magistro et fratribus ordinis Militie Templi Jerosolimitani.* Quia ordinem vestrum —. Eapropter, devotis dilectis filii fratris Amalrici de Rupe, vestri ordinis, familiaris nostri, precibus inclinati, a prestatione centesime omnium ecclesiasticorum proventuum, quam olim Terre Sancte subsidio, usque ad quinquennium, duximus concedendam, vos et domos vestras ubilibet constitutas, auctoritate apostolica penitus eximentes, eadem vobis auctoritate concedimus ut ad solvendam eandem centesimam vos et predicte domus, ac persone morantes in illis, minime teneamini, nec ad id a quoquam possitis quomodolibet coarctari. Nos ergo omnes interdicti, suspensionis et excommunicationis sententias, si quas in vos et domos et alia loca vestra, occasione hujusmodi, promulgari contigerit, irritas decernimus et inanes. Nulli ergo nostre exceptionis, concessionis et constitutionis etc. Datum apud Urbemveterem, V idus septembris, anno IIII°. »

947 Orvieto, 9 septembre 1264.

Archiepiscopum Tyrensem de exemptione praedicta certiorem facit. (Reg. 28, fol. 137 v°, ann. IV, n° 5.)

« .. *archiepiscopo Tyrensi, executori negotii Crucis in partibus gallicanis.* Quia ordinem dilectorum —. Datum ut supra. »

INCIPIT REGESTUM LITTERARUM CURIALIUM ANNI QUARTI

DOMINI URBANI PAPE QUARTI

948 Orvieto, 8 septembre 1264.

Provisionem ecclesiae Veronensis, si per mortem Manfredi, electi Veronensis, ab hostibus ecclesiae Romanae captivati, vacare contingat, sibi reservat. (Reg. 28, fol. 138, ann. IV, cur. n° 1.)

Ad futuram rei memoriam. Cum dilectus filius Manfredus, Veronensis electus, ab hostibus ecclesie captivatus et duris carceribus mancipatus existat, nos, non immerito dubitantes ne, si eundem electum in carceribus ipsis, quod absit, decedere vel ecclesie Veronensis regimini cedere forte contingat, aliqua persona suspecta ecclesie Romane ad ejusdem ecclesie Veronensis regimen assumatur, ac volentes in hac parte salubriter providere, provisionem ipsius Veronensis ecclesie, si per illius cessionem vel obitum aut alias quocunque modo ipsa vacaverit. nobis hac vice auctoritate apostolica reservamus, inhibentes dilectis filiis capitulo Veronensi ne. ipsa ecclesia Veronensi qualitercunque vacante, ad electionem, nominationem vel postulationem pastoris procedere quoquomodo presumant, ac decernentes irritum et inane quicquid per eos vel per quoscumque alios seu alium, contra hujusmodi reservationis et inhibitionis nostre tenorem, fuerit attemptatum. Nulli ergo nostre reservationis, inhibitionis et constitutionis etc. Datum apud Urbemveterem, vi idus septembris, anno quarto. »

949 Orvieto, 8 septembre 1264.

Episcopo Paduano mandat quatenus reservationem praedictam in civitate Veronensi et in aliis locis, ubi expedire viderit, publicari faciat. (Reg. 28, fol. 138, ann. IV, cur. n° 2.)

« .. *episcopo Paduano.* Cum dilectus filius —. Datum ut supra. »

950 Orvieto, 8 septembre 1264.

Infrascriptos declarat a sententiis excommunicationis exemptos, quae de his litteris expressam non fecerint mentionem. (Reg. 28, fol. 138, ann. IV, cur. n° 3).

« [1] *Johanni de Collumpna, potestati, et Theodoro de Brundusio, judici Anagninis.* Quia novimus te, fili Johannes, magnum ad apostolicam sedem habere devotionis affectum, ac speramus ex hoc quod Anagnine civitatis ecclesias et personas ecclesiasticas in earum juribus et libertatibus non solum aliquibus non gravabis molestiis, verum etiam a quibuslibet gravaminibus preservabis, ideo nos, hujusmodi de te concepta fiducia, tuis et communis Anagnini supplicationibus inclinati, ut vos, tempore dumtaxat presentis vestri regiminis, pro hiis que ad ipsius regiminis prosecutionem spectaverint, excommunicari per litteras apostolicas minime valeatis, nisi eedem littere plenam et expressam fecerint de hac indulgentia mentionem, auctoritate vobis presentium indulgemus. Per hoc autem nequaquam intendimus ulterius communi Anagnino vel quibuslibet aliis Campanie Maritimeque communibus similem facere gratiam, vel eximere vos a jurisdictione dilecti filii nostri Jordani, sanctorum Cosme et Damiani diaconi cardinalis, earundem Campanie Maritimeque rectoris, quin ipse libere valeat in vos, si

1. Le registre répète ici la rubrique : « *Incipit regestum litterarum curialium anni quarti domini Urbani pape quarti.* »

expedierit, censuram ecclesiasticam exercere. Nulli ergo nostre concessionis etc. Datum apud Urbemveterem, vi idus septembris, anno IIII°. »

951 Orvieto, 8 septembre 1264.

Cornetanis inhibet ne aliquem in potestatem vel capitaneum eligant, nisi prius papae significaverint personam in quam eorum animi dirigantur. (Reg. 28, fol. 138, ann. IV, curiales n° 4.)

« . . *potestati, consilio et communi Cornetanis, fidelibus nostris.* Cum jam tempus instare dicatur, in quo debetis vobis pro anno proximo futuro de potestate et capitaneo providere, nos, pensata moderni conditione temporis, cupientes ut persona fidelis et ecclesie Romane devota ad terre vestre regimen assumatur, universitati vestre, sub debito fidelitatis quo nobis et ecclesie predicte tenemini, et pena mille marcharum argenti, auctoritate presentium districtius inhibemus ne aliquem in potestatem seu capitaneum vobis eligere vel preficere presumatis, nisi prius significaveritis nobis personam in quam vestri animi diriguntur, et nisi eligentium et electi devotio atque fides per nos fuerit primitus approbata. Nos enim, si secus presumpseritis, decernimus irritum et inane, vobisque sub predicta pena precipimus ut electum taliter nullatenus admittatis, cum approbationem futuri potestatis seu capitanei vestri hac vice nobis duxerimus reservandam. Datum apud Urbemveterem, v idus septembris, anno IIII° ».

952 Orvieto, 8 septembre 1264.

Cinthio Campagnano, capitaneo Cornetano, mandat quatenus praedictam inhibitionem observari faciat. (Reg. 28, f° 138, cur. ann. IV, n° 5.)

« *Cinthio Campagnano, hostiario nostro, capitaneo Cornetano.* Cum jam tempus —. Datum ut supra. »

REGESTUM DOMINI URBANI PAPE QUARTI

DE LITTERIS BENEFICIORUM ET ALIARUM GRATIARUM CONCESSARUM ANNO III PONTIFICATUS EJUS

---

953 Orvieto, 24 décembre 1263.

Rata habita sententia ab Anchero, tituli s. Praxedis, et Guillelmo, tituli s. Marci presbyteris cardinalibus causaeque arbitris, prolata, Hugonem monasterio s. Nicolai in Bosco in abbatem praeficit et Johanni, priori de Monte-Acuto, diocesis Laudunensis, domum sive curtem de Choegni, Laudunensis diocesis, assignat. (Reg. 29, fol. 1, n° 1.)

« *Hugoni, abbati monasterii sancti Nicolai in Bosco, ordinis sancti Benedicti, Laudunensis diocesis.* Licet ea que —. Sane inter te, tunc monachum, et conventum monasterii sancti Nicolai in Bosco, ex parte una, et fratrem Johannem, quondam priorem de Monte-Acuto, diocesis Laudunensis, ex altera, super abbatia ipsius monasterii ad quam, per ipsum conventum te canonice proponebas electum, et de qua dictus Johannes sibi auctoritate apostolica dicebat esse provisum, materia questionis exorta in ea, per appellationem ad sedem apostolicam devoluta, dilectum filium nostrum G., tituli sancti Marci presbiterum cardinalem, dedimus partibus auditorem. Porrectis igitur hinc inde in hujusmodi causa libellis et super illis litis contestatione facta, positionibus et responsionibus subsecutis et formatis articulis in eadem, tandem, partibus ipsis bonum pacis et concordie affectantibus, tu personaliter et Johannes de Artre, clericus tuus, pro te, et magister Theobaldus, rector ecclesie de Monte-Acuto, tui ipsius et prefati Johannis procuratores, pro eodem Johanne, in dilectum filium nostrum Ancherum, tituli sancte Praxedis presbiterum, et predictum G. cardinales tamquam in arbitros, arbitratores et amicabiles compositores, super questione hujusmodi compromittere curavistis et eorum laudo, ordinationi, provisioni, arbitrio et voluntati super hoc vos totaliter summisistis —. Unde predicti cardinales, hujusmodi compromisso recepto et obtenta a nobis viva voce ordinandi, providendi, etc., inter alia te in abbatem ejusdem monasterii prefecerunt, precipientes [1] et mandantes quod ipsius monasterii et membrorum ejus monachi tibi tamquam eorum abbati in spiritualibus et temporalibus obediant, prefato Johanni super abbatia ejusdem monasterii perpetuum silentium imponendo ac ordinando pro ipso Johanne prout in litteris inde confectis et ipsorum cardinalium sigillo munitis, plenius continetur. Nos igitur, tuis supplicationibus inclinati, quod per cardinales ipsos pro te in hac parte factum est, ratum habentes et gratum, id auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus, tenorem litterarum ipsarum de verbo ad verbum presentibus inseri facientes, qui talis est :

« In nomine Domini amen. Orta dudum inter religiosos viros fratrem Johannem, quondam priorem de Monte-Acuto, Laudunensis diocesis, in abbatem monasterii sancti Nicolai de Bosco, ordinis sancti Benedicti, dicte diocesis, tunc vacantis per resignationem religiosi viri Ade, quondam abbatis ejusdem monasterii, per venerabiles viros T., quondam abbatem sancti Vincentii Laudunensis, et G., archidiaconum in ecclesia Laudunensi, executores a domino papa deputatos, apostolica auctoritate prefectum, ex parte una, et fratrem Henricum [2], monachum ipsius monas-

1. Le manuscrit porte, par erreur, *preficientes*.
2. Le même personnage est appelé *Hugo* dans la suscription de la bulle et ensuite *Henricus*.

terii sancti Nicolai, a conventu monasterii ejusdem in suum abbatem unanimiter electum, ipsumque conventum, ex altera, materia questionis, causa quoque hujusmodi per appellationem ad sedem apostolicam devoluta, sanctissimus pater dominus noster Urbanus, papa IIII[us], nos, Guillelmum, miseratione divina tituli sancti Marci presbiterum cardinalem, dedit in causa eadem partibus auditorem. Comparentibus igitur in judicio coram nobis prefato Henrico personaliter ac Johanne de Artre clerico pro eodem, ex parte una, et magistro Theobaldo, rectore ecclesie de Monte-Acuto, pro eodem fratre Johanne, eorumdem Henrici et Johannis procuratoribus legitimis ad causam hujusmodi prosequendam, porrectis hinc inde libellis in causa eadem, factis litis contestationibus super ipsis, prestitisque ab eisdem partibus de calumpnia et de veritate dicenda corporaliter juramentis, positiones hinc inde et responsiones subsecute necnon articuli dati postmodum extiterunt. Quibus taliter peractis, prenominati Johannes et Henricus pro se ipsis ac Guido de Faucompre, monachus et procurator conventus monasterii sancti Nicolai supradicti, a quibus super hoc cum suppletione defectus, siquis esset, auctoritate apostolica subsecuta, mandatum habebat sufficiens pro eisdem apud sedem apostolicam personaliter constituti, volentes vitare litigia, in nos, Ancherum, miseratione divina tituli sancte Praxedis, et Guillelmum predictum presbiteros cardinales, alte et basse, sponte et libere, tamquam in arbitros, arbitratores et amicabiles compositores, super causa et questione hujusmodi compromittere curaverunt, etc. Nos itaque cardinales, etc., ordinando, statuendo, providendo, mandando, precipiendo, arbitrando et diffiniendo de prenominato Henrico qui, ut premissum est, a conventu monasterii sancti Nicolai supradicti in abbatem ejusdem monasterii unanimiter est electus, eidem monasterio sancti Nicolai providemus ac ipsum eidem monasterio preficimus in abbatem, mandantes et precipientes quod ipsius monasterii et membrorum ejus monachi eidem Henrico tamquam abbati suo in spiritualibus et temporalibus obediant et intendant; prefato Johanni de quo, ut predictum est, provisum extitit monasterio antedicto, super eodem monasterio et ejus regimine silentium imponentes.

« Item ordinamus, etc., quod memoratus Johannes domum sive curtem de Choegni, Laudunensis diocesis, ad dictum monasterium pleno jure spectantem, cum omnibus juribus, pertinentiis et appenditiis suis, quandiu vixerit, habeat, teneat et possideat pacifice et quiete; de quibus domo sive curte, juribus, pertinentiis et appenditiis suis, sub forma predicta, eidem Johanni auctoritate apostolica et arbitraria providemus, ita tamen quod per hoc vel ob aliam causam monachatum in dicto monasterio, vocem in electione abbatis idem Johannes non habeat nec reclamet aut ad aliquos eorumdem abbatis et conventus tractatus vel negotia nullatenus admittatur, nec etiam in istis aut in aliquo alio, preter quam in domo sive curte predicta et pertinentibus ad eam, sibi jus possit aliquod vel debeat vendicare; ad hoc precipientes, mandantes, ordinantes et statuentes quod, si dicta domus sive curtis aliquibus ante ordinationem nostram teneatur debitis obligata, quod dicti abbas et conventus ad eorumdem solutionem debitorum, nisi pensiones, provisiones vel redditus fuerint perpetui, teneantur; et quod idem Johannes ab istis debitis penitus absolutus, edificia et clausuras dicte domus sive curtis cum juribus, pertinentiis et appenditiis suis propriis retineat sumptibus et expensis. Item ordinamus, statuimus, providemus, mandamus, arbitramur et pronuntiamus quod prelibatus Johannes monachum predicti monasterii in socium vel aliquem alium de eodem monasterio aut ex parte abbatis vel conventus predictorum nullatenus habere seu recipere teneatur, et quod iidem abbas et conventus nemora et bona immobilia domus sive curtis predicte, in eadem, tempore presentis ordinationis et provisionis, existentia, non distrahant nec distrahere seu alienare aut in alios usus quam ejusdem domus ponere seu convertere possint aut debeant; quod eisdem abbati et conventui specialiter inhibemus. Item ordinamus, statuimus, providemus, mandamus, precipimus, arbitramur et pronuntiamus quod, si processu temporis, dictum Johannem assumi in aliquo monasterio in abbatem aut cedere dicte domui sive curti seu decedere contigerit, quod, ipsius abbatie et regiminis ejusdem possessione adepta pacifice et quiete, aut eodem cedente, ut dictum est, vel etiam decedente, dicta domus sive curtis cum omnibus juribus, pertinentiis et appenditiis suis ipso facto, sine contradictione aliqua, ad prefatum monasterium libere revertatur.

« Item ordinamus, statuimus, providemus, mandamus, precipimus, arbitramur et pronuntiamus quod, si ab isto festo Nativitatis Domini proximo usque ad aliud festum ejusdem Nativitatis immediate subsequens, dictum Johannem cedere vel decedere contigerit et de bonis que inpresentiarum haberet, debita sua jam contracta et interim ex causa rationabili contrahenda, que summam quadrigentarum librarum turonensium non excedant, integre persolvi non possent, quod prefati

abbas et conventus ac monasterium et bona ejusdem in hoc casu ad eorumdem debitorum solutionem que remanerent, solvenda, teneantur obligata, et ea solvere teneantur, decernentes ipsum monasterium et bona ejusdem in eisdem debitis obligata. Item ordinamus, statuimus, providemus, mandamus, arbitramur et pronuntiamus quod ab cujusdam pecunie quantitate, ratione cujusdam pensionis videlicet viginti solidorum parisiensium pro die qualibet, predicto Johanni per regem Francie et per . . episcopum Laudunensem, taxata, necnon ab expensis quas petebat idem Johannes a predicto monasterio sibi reddi, dictum monasterium totaliter liberetur, a quibus pensione et quantitate pecunie ac ab expensis predictis apostolica et arbitraria auctoritate dictum Henricum et monasterium sepedictum duximus absolvendum.

« Item ordinamus, statuimus, providemus, mandamus, arbitramur et pronuntiamus quod abbas et conventus sepedicti, infra duos menses postquam prefati Henricus et Johannes a Romana reversi curia, ex parte ejusdem Johannis abbas et conventus predicti fuerint requisiti, litteras suas patentes sigillis propriis roboratas prenominato Johanni tradent et deliberent et tradere teneantur continentes quod provisionem hujusmodi ipsi Johanni de predicta domo sive curte, juribus, pertinentiis et appenditiis suis, ut dictum est, per nos factam, ratam habeant atque gratam et quod contra eam per se vel per alios non venient nec facient in futurum. In quorum omnium et singulorum predictorum evidentiam pleniorem, presens instrumentum per infrascriptum notarium de mandato nostro scriptum, nostrorum sigillorum munimine duximus roborandum. Acta et pronuntiata apud Urbemveterem, presentibus venerabilibus viris magistro Michaele, sacrosancte Romane ecclesie vicecancellario, G. abbate monasterii sancti Sepulchri Cameracensis, Durando de Palvello cantore Eduensi, Joberto decano Rosetensi, Guillelmo de Triangulo canonico Senonensi, magistro Felice de Trecis physico, magistro Gualtero Bursant canonico Trecensi, fratre Nicolao priore Vallis-scolarium Remensi, magistro Constantio canonico Cathalaunensi, et pluribus aliis testibus vocatis, sub anno Domini M.CC.LXIII, indictione VII, mense decembris, die XIX, pontificatus domini Urbani pape IIII[ti] anno III. »

Tenor supradicti compromissi talis est :

« In nomine Domini amen. Orta dudum inter religiosos viros, fratrem Johannem, quondam priorem » de Monte-Acuto, Laudunensis diocesis, in abbatem » monasterii sancti Nicolai in Bosco, ordinis sancti » Benedicti, dicte diocesis, tunc vacantis per resignationem religiosi viri Ade, quondam ejusdem monasterii abbatis, per venerabiles viros T., abbatem quondam monasterii sancti Vincentii, et G., archidiaconum » in ecclesia Laudunensi, executores a domino papa » deputatos, apostolica auctoritate prefectum, ex parte » una, et fratrem Henricum, monachum supradicti » monasterii sancti Nicolai, a conventu ipsius monasterii in abbatem suum unanimiter electum, ipsumque » conventum, ex altera, materia questionis, tandem » causa eadem per appellationem ad sedem apostolicam interjecta, sanctissimus pater dominus Urbanus, » papa IIII, reverendum patrem, dominum Guillelmum, tituli sancti Marci presbiterum cardinalem, » dedit in causa eadem partibus auditorem. Coram quo » dicto Henrico personaliter et Johanne de Artre clerico pro eodem, ex parte una, et magistro Theobaldo, » rectore ecclesie de Monte-Acuto, pro prenominato Johanne, eorumdem Henrici et Johannis legitimis procuratoribus ad causam hujusmodi prosequendam, ex » altera, in judicio constitutis, libellis, etc... Quibus » taliter peractis, prenominati Johannes et Henricus » monachi, pro se ipsis, ac Guido de Faucompre, monachus et procurator conventus et monasterii sepedicti, pro ipso conventu, a quibus super hoc mandatum habebat, apud sedem apostolicam personaliter » constituti, volentes vitare litigia, in reverendos patres, dominum Ancherum, tituli sancte Praxedis, et » dominum Guillelmum predictum presbiteros cardinales, presentes et acceptantes ac supplentes auctoritate apostolica defectum, si quis esset in mandato » seu procuratione quod vel quam prefatus Guido a » sepedicto conventu habebat, videlicet ad infrascripta » singula et omnia facienda, in presentia mei Guillelmi, » notarii, et subscriptorum testium rogatorum, alte et » basse, sponte et libere, tamquam in arbitros, arbitratores et amicabiles compositores, super causa et questione hujusmodi et pertinentibus ad eam, compromittere curaverunt, laudo, arbitrio, ordinationi, » provisioni, mandato et voluntati ipsorum duorum » cardinalium se super hoc totaliter summittentes, » volentes et consentientes quod iidem domini cardinales ordinare, statuere, providere, mandare, arbitrari, precipere, pronuntiare et diffinire dictumque » monasterium sancti Nicolai ac ipsius regimen alteri » eorumdem Johannis et Henrici committere et conferre et, reliquo super eodem monasterio ac ipsius » regimine silentii imposito, de bonis ipsius monasterii provisionem dare et assignare possint et debeant, » prout hec omnia eis placuerint et visum fuerit expe-

» dire, ab eisdem Johanne et Henrico in suas et a dicto » Guidone procuratore dicti conventus in ipsorum con» ventus animas, prestitis corporaliter juramentis quod » omnia et singula in predictis et circa predicta ac per» tinentia ad ea iidem domini cardinales ordinaverint, » statuerint, providerint, mandaverint, arbitrati fue» rint, pronuntiaverint et diffinierint, inviolabiter ob» servabunt, et quod contra ea vel aliquid ipsorum per » se vel per alium non venient in futurum, renuntiantes » ad invicem in hiis omnibus et singulis, omni excep» tioni doli et fraudis, beneficio restitutionis in inte» grum, constitutioni de duabus dietis concilii gene» ralis omnibusque apostolicis litteris contra predicta » impetratis et impetrandis, ac omni alii juris et legum » auxilio quod posset obici contra hoc instrumentum » hic factum. Actum apud Urbemveterem, presentibus » hiis testibus, videlicet venerabilibus viris domino » Durando de Palvello cantore Eduensi, magistro Fe» lice de Trecis physico, magistro Gualtero Bursaut[1] » canonico Trecensi, magistro Nicolao de Vignoit phy» sico, capellanis supradicti domini Ancheri, domino » Joberto decano Rosetensi, et magistro Constantio » canonico Cathalaunensi, capellanis predicti domini » Guillelmi, vocatis et rogatis, sub anno Domini » M.CC.LXIII, indictione VII, mense decembris, die » tertia decima, pontificatus domini Urbani pape IIII, » anno tertio. Et ego Guillelmus Nicolai, auctoritate » sancte Romane Ecclesie notarius, predictis compro» misso et aliis interfui et, ut supra legi, de voluntate » partium predictarum scripsi et in publicam formam » redegi meoque signo signavi rogatus, etc. »

Nulli ergo, etc. Datum apud Urbemveterem, VIIII kalendas januarii, anno tertio. »

954 Orvieto, 26 décembre 1263.

Infrascriptis committit praefati negotii executionem. (Reg. 29, fol. 2 v°, n° 2.)

« *Abbati s. Prejecti juxta s. Quintinum, Noviomensis diocesis, et Giloni dicto* Lesiart, *canonico Laudunensi.* Inter dilectos filios —. Datum apud Urbemveterem, VII kalendas januarii, anno tertio. »

955 Orvieto, 24 décembre 1263.

De ordinatione supra in capitulo 953 contenta, Johannem, quondam priorem de Monte-Acuto, certiorem facit. (Reg. 29, fol. 3, n° 3.)

1. On peut lire *Bursaut* ou *Bursant*.

« *Johanni, quondam priori de Monte-Acuto, monacho ordinis sancti Benedicti, Laudunensis diocesis.* Licet ea que —. Datum apud Urbemveterem, VIIII kalendas januarii, anno tertio. »

956 Orvieto, 25 décembre 1263.

Infrascriptis mandat quatenus praedictum Johannem in possessionem praedictae domus de Choogni inducant. (Reg. 29, fol. 3, n° 4.)

« .. *s. Vincentii et s. Johannis Laudunensium monasteriorum abbatibus.* Inter dilectos filios —. Datum apud Urbemveterem, VIII kalendas januarii, anno tertio. »

957 Orvieto, 20 décembre 1263.

Gregorio de Londoniis provisionem annuam quindecim marcarum sterlingorum assignat, a priori et conventu monasterii de Beremundeseya, Cluniacensis ordinis, Wintoniensis diocesis, non obstante ejusdem prioris contumacia, persolvendam. (Reg. 29, fol. 3, n° 5.)

« *Gregorio de Londoniis laico, familiari nostro.* Justis petentium desideriis etc. Exhibita siquidem nobis tua petitio continebat quod felicis recordationis Alexander papa, predecessor noster, .. decano ecclesie sancti Pauli Londoniensis, suis sub certa forma dedit litteris in mandatis ut tibi, quoad viveres, a .. priore, et conventu monasterii de Beremundeseya, Cluniacensis ordinis, Wintoniensis diocesis, in quindecim marcis sterlingorum faceret, annis singulis, provideri, contradictores etc. Tandem, quia iidem .. prior et conventus ab eodem decano moniti, diligenter tibi providere, juxta tenorem mandati apostolici, non curarunt, dictus decanus in eundem priorem et majores de ipso conventu excommunicationis et in predictum conventum interdicti sententias promulgavit, citans eosdem peremptorie, juxta tenorem litterarum ipsarum, ut infra tres menses post citationem suam, iidem prior et majores personaliter, conventus vero per procuratorem ydoneum apostolico se conspectui presentarent. Eis itaque non curantibus in hujusmodi termino comparere, prefatus decanus, auctoritate quarundam aliarum litterarum ejusdem predecessoris sibi super hoc directarum, .. priorem, .. suppriorem, .. cellararium, .. sacristam, ac ejusdem monasterii conventum, quia moniti diligenter, tibi, juxta mandatum apostolicum, providere non curarunt, excommunicatos et

suspensos fecit publice nuntiari, predictos nichilominus priorem, suppriorem, cellararium, sacristam quod personaliter, conventum vero quod per procuratorem ydoneum certo termino apostolico se conspectui presentarent, peremptorie citare curavit. Et licet tu in termino ipso comparueris coram nobis, nosque tibi venerabilem fratrem nostrum .. Prenestinum episcopum, dederimus super hujusmodi negotio auditorem, quia tamen pars altera in termino ipso et postmodum expectata diutius ac in audientia publica sepe citata, per se vel ydoneum responsalem comparere coram eodem episcopo contumaciter non curavit, idem episcopus, auditis et intellectis que tu proponere voluisti, ac visis juribus tuis et plene discussis eisque nobis fideliter recitatis, te quoque presente ac parte altera se per contumaciam hujusmodi absentante, de speciali mandato nostro, diffinitivam pro te sententiam promulgavit, declarans eosdem priorem, suppriorem, cellararium, sacristam et conventum, quos etiam reputavit idem episcopus contumaces, predictis excommunicationis et suspensionis sententiis esse ligatos ac ipsos a spiritualium et temporalium amministratione suspendens, eos tibi pro expensis in lite factis, in certa summa pecunie, taxatione prehabita et juramento a te prestito, condempnavit. Mandavit etiam idem episcopus easdem suspensionis et excommunicationis sententias, usque ad satisfactionem condignam tam dampnorum quam expensarum, juxta litterarum apostolicarum continentiam, diebus dominicis et festivis, pulsatis campanis et candelis accensis, in locis in quibus foret expediens, sollempniter publicari, prout in instrumento publico super hoc confecto, ipsius episcopi sigillo munito, plenius continetur. Nos itaque, tuis supplicationibus inclinati, quod ab eodem episcopo factum est in hac parte, ratum habentes et firmum, id auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus.

Tenorem autem predicti instrumenti presentibus de verbo ad verbum fecimus annotari, qui talis est :

« In nomine Domini amen. Felicis recordationis Alexandro papa IIII dante sub certa forma suis litteris in mandatis discreto viro .. decano ecclesie sancti Pauli Londoniensis, ut Gregorio, laico de Londoniis, qui parat aurifrixia domini pape, quoad vixerit, a .. priore et conventu monasterii de Beremundeseya, Cluniacensis ordinis, Wintoniensis diocesis, in quindecim marcis sterlingorum faceret annis singulis provideri, prefatus decanus in eundem priorem et majores de ipso conventu excommunicationis et in predictum conventum interdicti sententias, quia moniti diligenter ab eo, jamdicto Gregorio providere contumaciter non curarunt, prout ex beneficio litterarum hujusmodi poterat, promulgavit, citans eos peremptorie, juxta mandatum apostolicum, ut infra tres menses post citationem suam, iidem prior et majores personaliter, conventus vero per procuratorem ydoneum se conspectui apostolico presentarent. Eis itaque non curantibus in termino comparere, dictus dominus Alexander eidem decano sub certa forma iterato mandavit ut priorem et majores predictos excommunicatos et predictum conventum suspensum, quousque de premissis omnibus eidem Gregorio foret integre satisfactum, singulis diebus dominicis et festivis, in locis in quibus expedire videret, publice faceret nuntiari et ab omnibus artius evitari, et si per octo dies postquam essent taliter nuntiati, sententias hujusmodi sustinerent, ab amministratione spiritualium et temporalium suspenderet eosdem. Qui jam dictus decanus priorem, suppriorem, cellararium, sacristam ac ejusdem loci conventum, quia moniti diligenter, dicto Gregorio, juxta mandatum apostolicum, satisfacere non curarunt, in scriptis excommunicatos et suspensos, secundum formam sibi traditam, fecit publice nuntiari, predictos nichilominus priorem, suppriorem, cellararium et sacristam quod personaliter, conventum vero quod per procuratorem certo termino se conspectui apostolico presentarent peremptorie citare curavit, de quibus omnibus constat per litteras tam apostolicas quam dicti decani ab eodem Gregorio exhibitas coram nobis. Postmodum vero sanctissimus pater dominus noster Urbanus, papa IIII, nobis, Stephano, miseratione divina Prenestino episcopo, causam hujusmodi audiendam commisit et fine debito terminandam. Cumque prefati prior, supprior, cellararius, sacrista et conventus dicti monasterii citati sic in patria per decanum predictam, citati etiam ex parte nostra primo, secundo, tertio peremptorie, quarto etiam ad cautelam in audientia publica, ut est moris, non curaverunt in terminis nec etiam post expectati diutius comparere, libellum a prefato G. porrectum recepimus in hac forma :

« Coram vobis, reverende pater, domino episcopo » Prenestino, partibus infrascriptis auditore concesso, » proponit Gregorius de Londoniis, familiaris domini » pape, quod, cum ipse obtinuerit litteras a felicis re» cordationis domino Alexandro, papa IIII, ad decanum » ecclesie sancti Pauli Londoniensis ut sibi, quoad » vixerit, a .. priore et conventu monasterii de Bere» mundeseya, Cluniacensis ordinis, Wintoniensis dio» cesis, in quindecim marcis sterlingorum faceret » annis singulis provideri, contradictores per censu-

» ram ecclesiasticam, appellatione postposita, compes- » cendo, ipse dicto conventui, eodem priore absente, » mandavit auctoritate hujusmodi litterarum, ut pre- » dicto magistro Gregorio in dicta summa pecunie » providerent. Sed proposuit dictus conventus quod » predictus prior in remotis agebat, propter quod ei- » dem Gregorio providere minime tenebantur, propter » quam exceptionem frivolam idem decanus superse- » dit in negotio memorato. Nichilominus dictus domi- » nus Alexander per alias litteras, in virtute obedien- » tie, ipsi decano dedit districtius in mandatis ut » predicto Gregorio ab eisdem priore et conventu, si » dictus prior presens esset, alioquin ab eodem con- » ventu provideri faceret in hujusmodi summa pecu- » nie, juxta priorum continentiam litterarum, et si » dictus decanus in predictos priorem et conventum » propter hoc excommunicationis, suspensionis vel » interdicti sententias promulgare contigerit et ipsi » eas per unum mensem sustinuerint animo indurato, » ipse eos, ex parte dicti domini pape, peremptorie » citare curaret ut infra tres menses post citationem » ipsius, dictus prior et majores de dicto conventu » personaliter, iidem vero conventus per procuratorem » ydoneum in summi pontificis presentia compare- » rent, facturi super hoc summi pontificis beneplaci- » tum voluntatis et etiam pro meritis recepturi. Quare » idem decanus in eundem priorem et majores de » dicto conventu excommunicationis et in eundem » conventum interdicti sententias promulgavit pro eo » quod ipsi, juxta predictarum litterarum tenorem, ab » eodem moniti, diligenter eidem Gregorio providere » contumaciter non curarunt. Tandem, quia prior, » majores et conventus predicti hujusmodi sententias » sustinuerunt animo indurato, eos ex parte summi » pontificis peremptorie citare curavit, ut infra tres » menses post citationem suam, prior et majores per- » sonaliter, conventus vero per procuratorem ydoneum » summi pontificis se conspectui presentarent. Sed » prior, majores et conventus predicti per se vel pro- » curatorem aliquem coram summo pontifice in ter- » mino sibi prefixo, non absque contemptu sedis apos- » tolice, comparere minime curaverunt, propter quod » dictus Gregorius dampna gravia et expensas nosci- » tur incurisse. Et cum dictus Gregorius tam prioris » quam conventus malitiam cognosceret, qui nec » Deum nec hominem verebantur, iterato summo pon- » tifici supplicavit, ut sibi paterna curaret sollicitu- » tudine providere. Qui volens gratiam suam in ipso » Gregorio debitum sortiri effectum, mandavit iterato » eidem decano in virtute obedientie et sub pena ex- » communicationis, quam eo ipso incurrere voluit, si » mandatum ipsius super hoc nollet vel omitteret seu » negligeret adimplere, ut priorem et majores predic- » tos excommunicatos et predictum conventum sus- » pensum, quousque de premissis omnibus eidem Gre- » gorio foret integre satisfactum, singulis diebus » dominicis et festivis, publice nuntiarent in Winto- » niensi et Londoniensi civitatibus et diocesibus, et » ab aliis per omnia loca in quibus expedire videret, » nuntiari faceret, et ab omnibus artius evitari; et si » prior, majores et conventus predicti hujusmodi ex- » communicationis et suspensionis sententiam per » octo dies sustinerent, postquam ab eodem forent » taliter publice nuntiati, ab administratione spiritua- » lium et temporalium eosdem suspenderent, contradic- » tores —, invocato —, nolens etiam quod prior, ma- » jores et conventus predicti relaxationem predictarum » sententiarum obtineant, nisi se personaliter summi » pontificis conspectui representarent. Idem vero » postmodum decanus, nolens de negligentia vel omis- » sione argui, in executione dicti negotii procedens, » juxta traditam sibi formam, priorem, suppriorem, » cellararium et sacristam, ac ejusdem loci conven- » tum, quia moniti diligenter, de dictis quindecim » marcis annuis et expensis in ipsius negotii execu- » tione factis, sepedicto Gregorio satisfacere non » curarunt, in scriptis excommunicatos et suspen- » sos, juxta formam litterarum sedis apostolice, fecit » publice nuntiari, predictos nichilominus priorem, » suppriorem, cellararium et sacristam citando pe- » remptorie quod personaliter, conventum vero » quod per procuratorem certo termino in presentia » sedis apostolice comparerent, super hoc ipsius » beneplacitum facturi et etiam pro meritis recepturi. » Qui in prefixo eis termino, nec etiam post diutius » expectati comparuerunt, prout debuerunt, propter » quod idem Gregorius expensas et dampna gravia » noscitur incurrisse. Quare petit ut quod omissum » est per decanum jam dictum, vestra suppleat religio » judicantis, dictosque priorem et majores de con- » ventu, videlicet priorem, suppriorem, precentorem, » succentorem, cellararium, sacristam ac conventum » contumaces reputantes, ab administratione spiritua- » lium et temporalium sententialiter suspendatis, et » quod factum est per decanum jam dictum, quod » etiam dominus papa approbat, ratum habentes, con- » firmetis, ipsosque majores et dictum conventum in » dampnis et expensis factis, que incurrit, que etiam » extimat sexaginta marcas sterlingorum, sententiali- » ter condempnetis, dictisque sententiis ligatos esse

» declaretis, ipsas sententias aggravando ac alias quan-
» tum de jure videritis, contra eosdem procedendo, et
» ad solutionem quindecim marcarum sterlingorum
» teneri ipsi Gregorio, quoad vixerit, faciendam annis
» singulis, ipsosque de subtractis quindecim marcis
» annuis jam per quatriennium satisfaciendo eidem,
» eadem sententia condempnetis, ipsasque sententias,
» diebus singulis dominicis et festivis, candelis ac-
» censis, pulsatis campanis, locis quibus expedire
» videritis, faciatis sollempniter publicari, protestans
» autem expensas faciendas in lite, quas pro tempore
» declarabit, salvo jure addendi, mutandi etc. »

« Nos igitur, visis et inspectis cum diligentia libello hujusmodi et litteris apostolicis et clausula in eis inscripta, videlicet quod idem decanus rescriberet quicquid super hiis duceret faciendum —, quas idem Gregorius exhibuit coram nobis, facta insuper de premissis, Domino propitio, relatione fideli, et ab eo speciali mandato iterato recepto, ut in negotio hujusmodi procederemus sicut nobis videretur de jure, habito quoque super hiis consilio peritorum et plena deliberatione nobiscum, citatis partibus ad sententiam audiendam et dicto Gregorio comparente et altera parte se contumaciter absentante, cujus absentia Dei repleta presentia, in scriptis sententialiter pronuntiamus dictos priorem et conventum teneri tam ad solutionem quindecim marcarum sterlingorum ipsi Gregorio quoad vixerit, annis singulis, faciendam, quam ad satisfaciendum ei de subtractis quindecim marcis annuis a tempore quo idem decanus mandavit eis, auctoritate litterarum apostolicarum, ut dicto Gregorio in dicta summa pecunia providerent, eosdem ad solutionem et satisfactionem hujusmodi faciendam dicto Gregorio condempnantes ac approbantes quod per jamdictum decanum factum extitit in hac parte. Declaramus etiam eosdem priorem, suppriorem, cellararium, sacristam et conventum, quos etiam contumaces reputamus, predictis excommunicationis et suspensionis sententiis esse ligatos, ipsos ab administratione spiritualium et temporalium suspendentes; eos nichilominus in viginti marcis sterlingorum, a nobis taxatione prehabita et ipsius Gregorii super eis debito juramento secuto, prefato Gregorio, expensarum nomine, condempnando. Mandamus insuper easdem sententias usque ad satisfactionem condignam tam dampnorum quam expensarum, prout etiam in litteris apostolicis continetur, diebus dominicis et festivis, candelis accensis, pulsatis campanis, in locis in quibus expediet, sollempniter publicari. Actum et pronuntiatum apud Urbemveterem, in hospicio nostro, presentibus venerabilibus patribus Dei gratia A., Urgellensi et P., Aquinatensi episcopis, magistro Martino decano Amorensi, magistro Petro canonico Jauriensi et magistro Bernardino notario, Jacobino, Gerardo de Miressa, familiaribus nostris, testibus ad hoc vocatis specialiter et rogatis, anno Domini M.CC.LXIII, pontificatus domini Urbani pape IIII anno tertio, indictione VII, die quintadecima exeuntis octobris. In cujus rei testimonium, presens publicum instrumentum fieri fecimus et sigilli nostri munimine roborari. Et ego, Angelus de Palliano, sancte Romane ecclesie scriniarius, prolationi sententie hujusmodi interfui, et de mandato ejusdem domini cardinalis scripsi, et rogatus fideliter publicavi. »

Nulli ergo nostre confirmationis etc. Datum apud Urbemveterem, XIII kalendas januarii, anno tertio. »

958 Orvieto, 15 décembre 1263.

Priori et fratribus Hospitalis Jerosolimitani in Moravia et Polonia restituit decimas et jura parrochialia ecclesiae de Cumgelvelt [1], a rectore ecclesiae s. Jacobi de Brunna, Olomucensis diocesis, indebite occupata, non obstante ejusdem rectoris contumacia, praeposito ecclesiae Olomucensis executore deputato. (Reg. 29, fol. 5, n° 6.)

« *Preposito ecclesie Olomucensis.* Sua nobis dilecti filii .. prior et fratres Hospitalis Jerosolimitani in Moravia et Polonia, petitione monstrarunt quod, cum ipsi .. rectorem ecclesie sancti Jacobi in Brunna, Olomucensis diocesis, super quibusdam decimis ac juribus parocchialibus loci de Cumgelvelt ad Hospitale ipsum spectantibus, que idem rector occupaverat contra justitiam et occupata tenebat, coram .. abbate Montis-Syon, Premonstratensis ordinis, Pragensis diocesis, ejusque conjudicibus, auctoritate litterarum sedis apostolice, traxissent in causam, quia idem rector pluries citatus legitime, in prefixis sibi terminis peremptoriis comparere coram illis contumaciter non curavit, dicti abbas et conjudices eum, propter hujusmodi suas contumacias manifestas, in duodecim marcis Brunnensibus ponderis et puri argenti prefatis priori et fratribus, expensarum nomine, sententialiter condempnantes, tandem causam hujusmodi ad nos, prout ex beneficio dictarum litterarum poterant, legitime remiserunt, prefixo partibus termino peremptorio competenti, quo per se vel per procuratores ydo-

1. Dans cette même bulle, ce mot est écrit *Cumgelvelt* et *Simigelvelt*.

neos se ad prosequendum causam ipsam conspectui apostolico presentarent. Et licet procurator dictorum prioris et fratrum in hujusmodi termino comparuerit coram nobis, nosque dilectum filium nostrum S., tituli sancti Martini presbyterum cardinalem, in causa ipsa dederimus auditorem, ac ipse dictum rectorem primo, secundo et tandem peremptorie citari legitime fecerit in audientia publica, ut est moris, idem tamen rector in prefixo termino et post hujusmodi citationes diutius expectatus, comparere coram ipso contumaciter non curavit. Postmodum autem, pars dictorum prioris et fratrum ab eodem cardinali, in porrecto super hoc libello, instanter petiit possessionem decimarum et jurium hujusmodi dictis priori et fratribus, nomine ipsius Hospitalis, restitui ac dictum rectorem ad restitutionem hujusmodi, cum fructibus perceptis ex eis et qui percipi potuerunt per sex annos, per quos decimas et jura predicta tenuit occupata, quos singulis annis existimavit viginti marcas ejusdem ponderis et argenti, per cardinalem ipsum sententialiter condempnari, ac etiam ad solutionem predictarum duodecim marcarum compelli. Idem vero cardinalis, visis et diligenter inspectis processibus habitis coram abbate et conjudicibus supradictis, de consilio peritorum et secum plena deliberatione prehabita, eosdem priorem et fratres in possessionem vel quasi decimarum et jurium predictorum, in judicio peritorum, causa rei servande, decrevit, justitia exigente, fore mittendos, ipsosque decimarum et jurium eorumdem possessores vel quasi, causa rei servande, constituit propter hujusmodi evidentem contumaciam rectoris ejusdem. Dixit etiam idem cardinalis et interloquendo pronuntiavit dictos priorem et fratres esse mittendos in possessionem, causa rei servande, bonorum mobilium vel immobilium ad prefatum rectorem, ratione persone, spectantium, si bona mobilia non extarent ad valorem duodecim marcarum Brunnensium ponderis et puri argenti, in quibus ipse memoratis priori et fratribus per abbatem et conjudices supradictos extitit condempnatus, necnon et pro fructibus perceptis per dictum rectorem a sex preteritis annis de decimis et juribus parrocchialibus supradictis, in possessionem, causa rei servande, bonorum mobilium ad dictum rectorum ratione persone spectantium vel immobilium, si bona nobilia non extabant, usque ad valorem annuum decem marcarum similis argenti et ponderis pro quolibet dictorum sex annorum, pro modo debiti per dictum cardinalem, juramento a procuratore dictorum prioris et fratrum prestito, et deliberatione prehabita declarati, prout in publico instrumento confecto exinde ac sigillo cardinalis predicti signato, plenius continetur. Nos itaque, ipsorum prioris et fratrum supplicationibus inclinati, discretioni [tue] per apostolica scripta mandamus quatinus eos vel procuratorem eorum, nomine ipsorum, in possessionem vel quasi decimarum et jurium predictorum, necnon bonorum ipsius rectoris, juxta hujusmodi decretum et pronuntiationem cardinalis ejusdem, per te vel per alium auctoritate nostra inducas et defendas inductos, contradictores etc. usque compescendo, non obstante si aliquibus a sede apostolica sit indultum quod suspendi vel interdici aut excommunicari seu extra vel ultra certa loca conveniri non possint per litteras apostolicas de quibus in nostris fieri debeat mentio specialis, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Tenorem autem ipsius instrumenti de verbo ad verbum presentibus fecimus annotari, qui talis est :

« In nomine Domini amen. Orta dudum inter .. priorem et fratres Hospitalis Jerosolimitani in Moravia et Polonia, ex parte una, et .. rectorem ecclesie sancti Jacobi in Brunna, Olomucensis diocesis, ex altera, coram .. abbate Montis-Syon, Premonstratensis ordinis, Pragensis diocesis, .. scolastico Wissegradensi, et .. archidiacono Gradicensi, judicibus a sede apostolica deputatis, super quibusdam decimis et juribus parrocchialibus loci de Simigelvelt, predicte Olomucensis diocesis, ex altera, materia questionis, dicti judices rectorem ipsum, ejus contumaciis exigentibus, in duodecim marcis Brunnensibus ponderis et puri argenti dictis priori et fratribus sententialiter condempnarunt, et causam ad sedem apostolicam, prout ex beneficio litterarum sedis ejusdem poterant, tempore debito remiserunt. Quam causam sanctissimus pater et dominus, dominus Urbanus, Dei gratia papa IIII, nobis, Symoni, miseratione divina tituli sancti Martini presbytero cardinali, audiendam commisit et fine debito terminandam. Nos itaque dictum rectorem primo, secundo et tertio peremptorie, in audientia publica citari fecimus, ut est moris, ut coram nobis per se vel per procuratorem ydoneum compareret in causa predicta, prout ordo juris exigeret, processurus. Verum, cum nec idem rector neque aliquis alius pro eodem coram nobis, in prefixo sibi termino, compareret legitime sed potius contumaciter comparere contempneret, post predictum terminum diutius expectatus, tandem pro parte prioris et fratrum ipsorum libellus coram nobis in judicio oblatus extitit in hunc modum :

« Coram vobis, venerando patre, domino Symone,

» Dei gratia tituli sancti Martini presbytero cardinali, » petentibus infrascriptis a domino papa auditore con» cesso, proponit frater Conradus, procurator prioris et » fratrum Hospitalis Jerosolimitani in Polonia et Mo» ravia, contra rectorem ecclesie sancti Jacobi in » Brunna, Olomucensis diocesis, quod, cum decime et » jura parrocchialia loci de Cumgelvelt pertineant ad » hospitale predictum, et dicti prior et fratres in pos» sessione vel quasi decimarum et jurium hujusmodi » existerent, dictus rector decimas et jura hujusmodi » occuparit et ea detinet vel quasi occupata, ac juri» bus predictis parrocchialibus utitur occupatis, in » eorumdem hospitalis, prioris et fratrum prejudicium » et gravamen. Et tandem, orta materia questionis in» ter partes predictas super decimis et juribus hujus» modi, et coram .. abbate Montis-Syon, et ejus colle» gis, judicibus a sede apostolica deputatis, diutius » agitata, dicti judices rectorem predictum, propter » ejus contumacias, in duodecim marcis Brunnensibus » ponderis et puri argenti, expensarum nomine, con» dempnarunt, et causam ad sedem apostolicam, prout » poterant ex beneficio litterarum, tempore debito » remiserunt. Quare petit idem procurator possessio» nem decimarum et jurium parrocchialium predicto» rum sibi et dictis priori et fratribus, nomine hospi» talis predicti, restitui, et dictum rectorem, nomine » dicte ecclesie sancti Jacobi, cujus rector existit, ad » restitutionem hujusmodi, cum fructibus perceptis et » qui percipi potuerunt per sex annos, per quos jam » decimas ipsas et jura hujusmodi, tenuit occupata, » quos singulis annis extimat viginti marcas ejusdem » ponderis et argenti, per vos sententialiter condemp» nari, ac etiam rectorem predictum, prefate ecclesie » nomine, ad solutionem predictarum duodecim mar» carum compelli. Petit etiam expensas in lite factas, » et protestatur de faciendis quas in processu judicii » declarabit, salvo jure etc. »

« Cumque pars dictorum prioris et fratrum, in suprascripto super hoc porrecto libello, instanter a nobis peteret possessionem decimarum et jurium hujusmodi dictis priori et fratribus, nomine ipsius hospitalis, sibi restitui, ac dictum rectorem ad restitutionem hujusmodi, cum fructibus perceptis ex eis et qui percipi potuerunt, per sex annos per quos decimas et jura predicta tenuit occupata, quos singulis annis existimavit viginti marcas ejusdem ponderis et argenti, per nos [1] sententialiter condempnari, ac etiam ad solutionem predictarum duodecim marcarum compelli, nos, visis et attentis diligenter processibus habitis coram judicibus memoratis, equitati congruum existimantes ut dictum rectorem juris ferula, que in presidium cedit passis injuriam, contra eum pro dictis priore ac fratribus implorata, corripiat et in sue contumacie obstinatione castiget, dictisque priori et fratribus, occasione rectoris ipsius, jam longo litigio fatigatis, justitie debitum erogetur, habito super hiis diligenti consilio peritorum et nobiscum plena deliberatione prehabita, eosdem priorem et fratres in possessionem vel quasi decimarum ipsarum et jurium parrocchialium predictorum, coram nobis pro eis porrecto libello in judicio peritorum, nomine hospitalis predicti, causa rei servande, decernimus, justitia exigente, fore mittendos, ac ipsos decimarum et jurium eorundem possessores vel quasi constituimus, propter hujusmodi manifestam contumaciam et evidentem rectoris ejusdem, causa rei servande. Dicimus etiam et interloquendo pronuntiamus dictos priorem et fratres, nomine hospitalis ejusdem, esse mittendos, causa rei servande, in possessionem bonorum mobilium ad dictum rectorem, ratione persone, spectantium vel immobilium, si non extant mobilia ad valorem duodecim marcarum Brunnensium ponderis et puri argenti, in quibus idem rector memoratis priori et fratribus per abbatem et ejus conjudices supradictos extitit pro suis contumaciis condempnatus, prout nobis jam constitit legitimis documentis; necnon et pro fructibus perceptis per dictum rectorem a predictis sex preteritis annis de decimis et juribus parrocchialibus supradictis, ab eo dicto tempore occupatis temere ac detentis, causa rei servande, in possessionem bonorum mobilium ad dictum rectorem ratione persone spectantium, vel immobilium, si non extant mobilia ad valorem annuum decem marcarum predictorum ponderis et argenti, pro quolibet ipsorum sex annorum, juramento a procuratore dictorum prioris et fratrum coram nobis propterea prestito et per nos deliberatione ac taxatione prehabitis pro modo debiti declarati. In quorum omnium testimonium et perpetuam firmitatem, necnon et dictorum prioris et fratrum, nomine ipsius hospitalis, cautelam, presens publicum instrumentum per manus Nicolai de Rocca publici notarii, exinde fieri fecimus et nostri sigilli robore communiri. Actum apud Urbemveterem, in hospitio dicti domini Symonis cardinalis, auditoris dicte cause. anno dominice Incarnationis millesimo ducentesimo sexagesimo tertio, mense augusti die vicesima septima, indictione sexta, pontificatus domini Urbani, pape IIII, anno secundo, coram me, dicto Nicolao de Rocca, no-

1. Le Registre porte *vos*.

tario, presentibus magistris Radulfo domini pape cappellano, priore Pontis-Lavanensis, Riccardo de Fagania et Petro Yterii clerico Pictaviensis diocesis, testibus ad hoc specialiter convocatis. Ego Nicolaus de Rocca, publicus sacrosancte Romane ecclesie auctoritate notarius, prolationi seu pronuntiationi hujusmodi interlocutorie ac omnibus aliis supradictis interfui et ea de mandato ipsius domini Symonis cardinalis, auditoris dicte cause, scripsi et publicavi et publicata una cum sigillo ipsius presentibus appenso, consueto meo signo signavi. »

Datum apud Urbemveterem, xviii kalendas januarii, anno tertio. »

959 Orvieto, 2 janvier 1264.

Irenaeo, canonico Jauriensi, ordinationem, reservationem et decretum per Stephanum, Penestrinum episcopum, in causa vertente inter eum, ex parte una, et episcopum et magistrum Petrum, nepotem et procuratorem ejus, canonicum Jaurienses, ex altera, super vacante archidiaconatu Supruniensi in ecclesia Jauriensi, edita, in hiis quae Irenaeum contingunt, confirmat. (Reg. 29, fol. 6, n° 7; Potthast, 18760.)

« *Magistro Yreneo, canonico Jauriensi.* Ea que judicio, etc., usque communimus. Exhibita siquidem nobis tua petitio continebat quod, cum nos in causa que inter te, ex parte una, et venerabilem fratrem nostrum episcopum ac magistrum Petrum, nepotem et procuratorem ejus, canonicum Jaurienses, super vacante archidiaconatu Supruniensi in ecclesia Jauriensi, ad collationem ipsius episcopi pertinente, in quo tu et dictus magister vos jus dicebatis habere, ex altera, orta, extitit per appellationem tuam ad sedem apostolicam legitime devoluta, dilectum filium nostrum G., sancti Georgii ad Velum Aureum diaconum cardinalem, dedissemus partibus auditorem, libellis tandem coram eo hinc inde porrectis, partibus placuit quod venerabilis frater noster S., Prenestinus episcopus, componeret inter eas, qui a nobis super hoc vive vocis oraculo plenam auctoritatem obtinuit et liberam potestatem. Te itaque et eodem magistro Petro in ejusdem episcopi Prenestini presentia constitutis, idem Petrus, tam pro se quam pro dicto episcopo Jauriensi, a quo transigendi, componendi et compromittendi speciale mandatum et liberam potestatem habebat, necnon et tu pro te super hujusmodi questione sponte, libere ac absolute in prefatum episcopum Prenestinum compromittere curavistis. Postmodum vero, lite super libellis pro tua parte coram jamdicto episcopo Prenestino porrectis, legitime contestata, episcopus ipse, inspectis processibus, actis, munimentis et rationibus coram eo exhibitis, necnon auditis que partes dicere ac proponere voluerunt, consideratis etiam que ad pacem, tranquillitatem et bonum statum utriusque partis facerent, supradictos episcopum Jauriensem et magistrum Petrum ab impetitione tua super eodem archidiaconatu Supruniensi sententialiter absolvit et absolutos esse decrevit. Supradicta quoque auctoritate nostra super provisione tibi facienda de dignitate vel personatu, cum cura vel sine cura, que vel qui in Jauriensi ecclesia tunc vacabat vel proximo vacaret, ac de cappella et redditibus cappellarum ad collationem ipsius episcopi pertinentium usque ad certum annuum valorem, quandam ordinationem te ac dicto magistro Petro presentibus edidit, dignitatem seu personatum et capellas hujusmodi tibi conferendas apostolice donationi reservans et decernens irritum et inane si secus de hiis quavis auctoritate contigerit attemptari, prout in publico instrumento confecto exinde ac sigillo ipsius episcopi Prenestini signato, plenius continetur. Nos itaque, tuis supplicationibus inclinati, hujusmodi ordinationem, reservationem et decretum per eundem episcopum edita, in hiis que te contingunt, rata et firma habentes, ea auctoritate apostolica confirmamus, etc. usque communimus.

Tenorem autem ipsius instrumenti de verbo ad verbum presentibus fecimus annotari, qui talis est :

« In nomine Domini, amen. Orta dudum inter magistrum Yreneum canonicum Jauriensem, ex una parte, et venerabilem patrem dominum episcopum Jauriensem ac magistrum Petrum, canonicum Jauriensem, nepotem et procuratorem ipsius episcopi, ex altera, super archidiaconatu Supruniensi et occasione ipsius, quem idem magister Yreneus sibi collatum auctoritate apostolica per venerabilem patrem . . archiepiscopum Collocensem, canonice asserebat, materia questionis, et ea per appellationem ad sedem apostolicam devoluta et coram reverendo patre domino G., sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, a domino papa dato partibus auditore, libellis hinc inde porrectis, placuit partibus quod nos, Stephanus, miseratione divina Prenestinus episcopus, inter eas componere deberemus. Quod ut efficacius fieret, obtinuimus specialiter super hoc a sanctissimo patre, domino nostro Urbano, papa quarto, vive vocis oraculo, plenam auctoritatem et liberam potestatem. Predictis itaque Yreneo et Petro in nostra presentia constitutis, et eodem Petro litteras prefati domini episcopi Jauriensis suoque sigillo signatas in judicio

exhibente, in quibus inter alia continetur quod in questione hujusmodi dictus episcopus dat eidem Petro transigendi, componendi, compromittendi speciale mandatum et liberam potestatem, prout in ipsis litteris plenius continetur, idem Petrus, tam pro se ipso quam nomine dicti episcopi Jauriensis, auctoritate predicti mandati specialis quod super hoc habebat, ex parte una, et dictus magister Yreneus pro se ipso, ex altera, super hujusmodi questione, sponte, libere ac absolute compromiserunt in nos, sub pena ducentarum marcarum argenti, prout apparet in instrumento publico confecto per infrascriptum notarium, evidenter. Postmodum vero dictus Yreneus eidem Petro coram nobis libellos exhibuit in hac forma :

« Coram vobis, domino S., Dei gratia episcopo Prenestino, arbitro a partibus communiter electo, proponit magister Yreneus, archidiaconus Supruniensis in ecclesia Jauriensi, contra magistrum Petrum, nepotem domini . . Jauriensis episcopi, qui se gerit pro archidiacono Supruniensi, quod, cum dictus archidiaconatus vacans per mortem quondam magistri Sauli, qui archidiaconatum ipsum obtinuerat, in dicta ecclesia Jauriensi, auctoritate apostolica canonice sibi sit collatus, cum cappellis et omnibus juribus, sicut idem magister Saulus tenuerat, licet decretum fuisset per dominum papam irritum et inane si quid fieret contra mandatum apostolicum pro ipso magistro Yreneo directum super providendo sibi in dicta ecclesia de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine, cum dignitate vel personatu, si tunc vacabat in ecclesia Jauriensi vel primo proximo vacatura, et prohibitio ac publicatio hujusmodi auctoritatis precessisset in dicta ecclesia Jauriensi, prefatus tamen magister Petrus archidiaconatum ipsum temere postmodum procuravit sibi conferri ipsumque occupavit et detinet occupatum, in ipsius magistri Yrenei prejudicium et gravamen. Quare petit predictum archidiaconatum cum juribus et pertinentiis suis et omnibus cappellis, sicut prefatus magister Saulus tenuit, sibi per vos sententialiter adjudicari, et per vestram sententiam declarari ad ipsum Yreneum de jure spectare, cum fructibus et proventibus perceptis et qui percipi potuerunt a tempore collationis predicte, et eundem P. condempnari sibi ad restitutionem omnium predictorum cum dampnis, expensis et interesse que extimat ducentas marcas argenti, et se vel procuratorem ejus, ipsius nomine, in ejusdem archidiaconatus possessionem induci et defendi inductum ipsique magistro Petro super hiis perpetuum imponi silentium, cum nullum jus habeat in eodem; petit expensas factas et protestatur faciendas, salvo jure, etc. »

« Coram vobis, domino S., episcopo Prenestino, arbitro de consensu partium electo et etiam de domini pape mandato viva voce dato, proponit magister Yreneus, canonicus Jauriensis, cappellanus vester, contra dominum episcopum Jauriensem seu ejus legitimum procuratorem dicens quod, licet archidiaconatus Supruniensis, qui per mortem magistri Sauli vacavit, cum cappellis et aliis suis juribus et pertinentiis, sicut idem magister Saulus tenuerat, eidem magistro Yreneo canonice sit collatus auctoritate apostolica, tandem dictus episcopus de facto, licet de jure non posset, in elusionem mandati apostolici, prefatum archidiaconatum Supruniensem Petro et Paulo, suis nepotibus, cappellas vero Hectori, suo clerico et custodi ecclesie Jauriensis, ut dicitur, contulit in grave dampnum et prejudicium magistri Yrenei predicti; propter quod idem magister Yreneus ad sedem apostolicam legitime appellavit. Unde petit collationem predictam, que dicitur esse factam per dictum episcopum dictis suis nepotibus et clerico, —, et eundem episcopum sibi in dampnis et expensis factis et interesse, occasione predictorum, que omnia extimat centum marcas argenti, condempnari et expensas faciendas protestatur, salvo jure, etc. Item petit contra eundem episcopum dicens quod dominus Colocensis archiepiscopus dictum episcopum excommunicavit et excommunicatum publice nuntiavit auctoritate apostolica, pro eo quod impedivit, turbavit et molestavit et se minus juste opposuit dicto magistro Yreneo, super archidiaconatu predicto et cappellis, sed dictus episcopus Jauriensis, excommunicationem bibens ut aquam, divina celebrare immo prophanare presumpsit et presumit, in anime sue periculum et scandalum plurimorum. Unde petit predictam excommunicationis sententiam aggravari et eundem episcopum suspendi ab administratione spiritualium et temporalium usque ad satisfactionem condignam et eundem episcopum canonica pena puniri, salvo jure, etc. »

« Lite igitur super eisdem libellis coram nobis legitime contestata, exhibitis hinc inde ac inspectis processibus, actis, munimentis et rationibus coram nobis et auditis que eedem partes dicere ac proponere voluerunt, consideratis que ad pacem, tranquillitatem et bonum statum utriusque partis provenirent, taliter inter easdem partes in scriptis sententialiter ordinamus, arbitramur, laudamus, componimus, pronuntiamus, precipimus, et mandamus : in primis videlicet

prefatos dominum episcopum Jauriensem et Petrum ab impetitione ipsius magistri Yrenei super dicto archidiaconatu Supruniensi sententialiter absolvimus et decernimus absolutos, mandantes et ordinantes auctoritate predicta quod idem episcopus magistro Yreneo predicto de dignitate vel personatu, cum cura vel sine cura, que vel qui in ecclesia Jauriensi vacat ad presens vel proximo vacare contigerit, preter prepositurам ecclesie cathedralis, de qua dictus episcopus, nisi velit, providere non teneatur, eidem provideat et providere sub pena in compromisso apposita, teneatur, hoc adjecto quod, si hujusmodi dignitas vel personatus viginti quinque marcas argenti annui redditus vel ultra valeret, idem episcopus de ipsa dignitate vel personatu eidem magistro Yreneo provideat, et providere sub pena hujusmodi teneatur; si vero minus valerent redditus ejusdem dignitatis vel personatus, idem dominus episcopus illud quod minus valeret, adimplere ac providere, usque ad predictam summam vigintiquinque marcarum argenti, dicto magistro Yreneo de capellis et redditibus cappellarum ad suam collationem spectantium teneatur et adimpleat et provideat cum effectu, proventibus et fructibus prebende et cappellarum, quas idem magister Yreneus in ecclesia Jauriensi obtinet, in dicta summa vigintiquinque marcarum minime computandis. Quam provisionem dicto magistro Yreneo faciendam, juxta modum predictum, si prefatus episcopus, cum se facultas obtulerit, noluerit vel neglexerit facere ac implere, nos dignitatem seu personatum et cappellas hujusmodi collationi sedis apostolice per nos eidem magistro Yreneo vel per alium seu alios faciende, juxta predictum modum, auctoritate hujusmodi reservamus, decernentes ex nunc auctoritate predicta irritum et inane, si secus de dignitate vel personatu et cappellis hujusmodi quavis auctoritate contigerit attemptari. Si vero ad presens eidem magistro Yreneo dictus episcopus de dignitate vel personatu et cappellis hujusmodi, juxta predictum modum, cum effectu providere non posset, idem episcopus et Petrus predictus vel eorum alter in solidum, singulis annis, eidem magistro Yreneo seu nuntio vel procuratori suo, ejus nomine ac pro ipso, quindecim marcas boni argenti ad pondus Ungarie integraliter solvant et solvere sub pena hujusmodi teneantur, in festo Resurrectionis dominice coram conventu monasterii sancti Martini de Pannonia, quousque, juxta predictum modum, eidem magistro Yreneo in ecclesia Jauriensi de dignitate vel personatu aut cappellis hujusmodi predicti valoris vigintiquinque marcarum argenti provideatur cum effectu. Qua provisione vigintiquinque marcarum, juxta predictum modum, facta magistro Yreneo prefato, et ipsius provisionis pacifica per dictum magistrum Yreneum possessione adepta, iidem dominus episcopus et Petrus ex tunc a dicta pensione quindecim marcarum sint penitus absoluti; sed antequam ei sic in totum cum effectu provisum fuerit, et possessionem pacificam habuerit, dictas XV marcas persolvant ei annuatim, ut dictum est superius, et persolvere teneantur. Si vero prefatum dominum episcopum debitum nature persolvere vel ad aliam ecclesiam transferri contingat, antequam dicto magistro Yreneo in dicta ecclesia Jauriensi taliter sit provisum, idem magister Petrus de fructibus et proventibus ipsius archidiaconatus dictas quindecim marcas argenti ad idem pondus, in festo Resurrectionis predicto, eidem magistro Yreneo, nuntio vel procuratori suo, ejus nomine, integre persolvat et solvere sub pena hujusmodi teneatur quousque, juxta modum predictum, provideatur eidem, ut dictum est superius, cum effectu. Et hec omnia et singula, sub pena et forma in compromisso apposita, fieri, adimpleri et observari, plenarie arbitrando, decernimus et laudamus. Actum et pronuntiatum apud Urbemveterem, in hospitio nostro, presentibus dictis Yreneo et Petro et hiis testibus venerabili patre domino A., Dei gratia episcopo Urgellensi, magistro Tymotheo electo Zagrabiensi, magistro M. decano Burgensi, electo Tholetano, et magistro Guillelmo preposito sancti Antonini Placentini, et magistro U. priore Ortano, camerario nostro, cappellanis domini pape, Tomasino notario, Jacobino clerico, familiaribus nostris, et pluribus aliis testibus ad hoc specialiter vocatis et rogatis, anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo tertio, pontificatus domini Urbani pape IIII, anno tertio, indictione VI, die VII intrantis decembris. In cujus rei testimonium presens publicum instrumentum fieri fecimus et sigilli nostri munimine roborari. Et ego, Angelus de Passiano, sancte Romane ecclesie scriniarius, predictis interfui, et ea de mandato ejusdem domini cardinalis et rogatus fideliter publicavi. »

Nulli ergo nostre confirmationis, etc. Datum apud Urbemveterem, IIII nonas januarii, anno tertio. »

960 Orvieto, 2 janvier 1264.

Abbati s. Martini de Pannonia mandat quatenus ordinationem, reservationem et decretum praedicta, in hiis quae pro

eodem magistro Irenaeo faciunt, executioni demandet. (Reg. 29, f° 7 v°, n° 8; Potthast 18861.)

« *Abbati s. Martini de Pannonia, ordinis s. Benedicti, Jauriensis diocesis.* Exhibita nobis dilecti —. Datum apud Urbemveterem, IIII nonas januarii, anno III° ».

961 Orvieto, 10 janvier 1264.

Bertrando Lamberti ecclesiam de Baionis ab episcopo Ostiensi et Velletrensi collatam, confirmat. (Reg. 29, fol. 6 v°, n° 9.)

« *Bertrando Lamberti, clerico ecclesie Grassensis.* Que de sedis —. Sane venerabilis frater noster H., Ostiensis et Velletrensis episcopus, ecclesiam de Baionis, Ebredunensis diocesis, vacantem per mortem quondam Petri Arnulfi de Sistarico, cappellani sui, rectoris ejusdem ecclesie, qui nuper apud Cornetum diem clausit extremum, cum juribus et pertinentiis ipsius ecclesie, tibi auctoritate nostra, sibi a nobis oraculo vive vocis commissa, contulit et de illa providit teque de ipsa per suum anulum investivit, decernens irritum et inane si secus de dicta ecclesia cujuscumque auctoritate a quoquam contigerit attemptari, ita tamen quod tu ad ordines, quos ipsius ecclesie cura requirit, te facias statutis temporibus promoveri, et personaliter resideas in eadem, prout in patentibus litteris ipsius episcopi confectis exinde suoque sigillo munitis, plenius continetur. Nos itaque tuis supplicationibus inclinati, quod ab eodem episcopo super hiis factum est, ratum et firmum habentes, id aúctoritate apostolica confirmamus et presentis etc. usque communimus.

Tenorem autem litterarum ipsarum de verbo ad verbum presentibus fecimus annotari, qui talis est :

« *Henricus, miseratione divina Ostiensis et Velletrensis episcopus, dilecto in Christo Bertrando Lamberti, diacono clerico Grassensis ecclesie, salutem in Domino.* Tuorum exigentia meritorum — [1]. Actum apud Urbemveterem in camera nostra, anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo quarto, quinto kalendas januarii, pontificatus domini Urbani pape IIII anno tertio, presentibus venerabilei patre C., Grassensi episcopo, Bartholomeo canonico monasterii sancti Ruffi Valentinensis, capellano, et Petro Gaufridi de Tholono, Guidone de Sancto-Theuderio et Cristino, familiaribus nostris, testibus vocatis ad hec et rogatis. Et ego Girodus de Brenc, clericus auctoritate sacrosancte Romane ecclesie notarius, predictis collationi et investiture interfui, ac, ut supra legitur, de mandato venerabilis patris domini Ostiensis et Velletrensis episcopi supradicti, scripsi, publicavi meoque signo signavi ».

Nulli ergo nostre confirmationis etc. Datum apud Urbemveterem, IIII idus januarii, anno tertio. »

1. C'est la même formule que dans la lettre pontificale.

962 Orvieto, 10 janvier 1264.

Sacristae secularis ecclesiae Grassensis mandat quatenus praedictum Bertrandum in possessionem ecclesiae de Baionis inducat. (Reg. 29, f° 8, n° 10.)

« *Sacriste secularis ecclesie Grassensis.* Que de sedis —. Datum apud Urbemveterem, IIII idus januarii, anno tertio. »

963 Orvieto, 17 janvier 1264.

Raymundo, dicto *Mallacoros*, ecclesiam s. Salvatoris de Crugeria, Uticensis diocesis, a Guidone, episcopo Sabinensi, collatam, confirmat. (Reg. 29, fol. 8, n° 11.)

« *Raymundo dicto* Mallacoros [1] *de Bordico, rectori ecclesie sancti Salvatoris* [*de*] *Cruiera, Uticensis diocesis.* Que de sedis —. Sane venerabilis frater noster, episcopus Sabinensis, a Rostagno de Castronovo, subdiacono, liberam sancti Sebastiani de Marojole et sancti Salvatoris [de] Crugeria ecclesiarum, Nemausensis et Uticensis diocesium, quas tunc, prout asseruit, tenebat et possidebat pacifice et quiete, de mandato nostro resignationem recipiens, ac tandem attendens tue merita probitatis quibus te intellexit laudabiliter adjuvari, prefatam ecclesiam sancti Salvatoris de Crugeria sic vacantem, cum omnibus juribus et pertinentiis suis de speciali mandato nostro, sibi facto a nobis oraculo vive vocis, tibi absenti et Guillelmo de Lauro, cappellano suo presenti, nomine tuo, contulit et assignavit ac de ipsa providit, eumque pro te de ea suo anulo investivit; decrevit quoque irritum et inane si secus de dicta ecclesia sancti Salvatoris apostolica vel alia qualibet auctoritate per quemcumque contigerit attemptari, prout in patentibus litteris ipsius episcopi confectis exinde suoque sigillo munitis, plenius continetur. Nos itaque, tuis supplicationibus inclinati,

1. La même personne est appelée plus bas *Massatorta*.

quod ab eodem episcopo Sabinensi super hiis factum est, ratum et firmum habentes, illud auctoritate apostolica confirmamus et presentis etc. usque communimus.

Tenorem autem litterarum ipsarum de verbo ad verbum presentibus fecimus annotari, qui talis est :

« *Guido, miseratione divina Sabinensis episcopus, dilecto in Christo Raymundo Massatorta clerico de Bordico, diocesis Uticensis, salutem in Domino.* Cum Rostagnus de Castro-novo — [1], investimus, non obstante si qui super provisione sua de beneficiis seu ecclesiis in illis partibus generaliter, aut in dicto Uticensi diocesi specialiter, apostolice sedis litteras impetrarunt, etiam si ad inhibitionem, reservationem seu decretum sit earum auctoritate processum, quibus omnibus quoad hujusmodi assecutionem ecclesie et jurium ac pertinentiarum ejusdem, auctoritate nobis in hac parte commissa te volumus anteferri, in contradictores ac rebelles excommunicationis sententiam promulgantes, ac decernentes irritum et inane si secus de dicta ecclesia per quemcumque apostolica vel alia quavis auctoritate contigerit attemptari. In cujus rei testimonium presentes litteras per manum Raymundi de Crosis, nostri notarii publici, fieri jussimus, et nostri sigilli munimine roborari. Acta sunt hec apud Urbemveterem III idus januarii, pontificatus domini Urbani pape IIII anno tertio, presentibus testibus ad hoc vocatis et rogatis, magistro Petro archidiacono Agathensi, domino Bernardo Lagusselli canonico Bitterrensi, et Guillelmo de Gardiis priore Galazanicarum. Et ego Raymundus de Crosis, sacrosancte Romane ecclesie auctoritate notarius, premissis omnibus interfui, et de mandato dicti domini Sabinensis episcopi hec scripsi et in formam redegi publicam et signavi. »

Nulli ergo nostre confirmationis etc. Datum apud Urbemveterem, XVI kalendas februarii, anno tertio. »

964 Orvieto, 18 janvier 1264.

Infrascriptis mandat ut praedictum Raymundum in corporalem possessionem ejusdem ecclesiae s. Salvatoris inducant. (REG. 29, fol. 8 v°, n° 12.)

« *Precentori Uticensi ac .. priori de Bordico, ordinis s. Benedicti, Uticensis diocesis.* Que de sedis —. Datum apud Urbemveterem XV kalendas februarii, anno tertio. »

1. C'est la même formule que dans la lettre pontificale.

965 Orvieto, 11 janvier 1264.

Petro Volguerii ecclesiam s. Sebastiani de Marciol, Nemausensis diocesis, a Guidone episcopo Sabinensi collatam, confirmat. (REG. 29, fol. 8 v°, n° 13.)

« *Petro Volguerii, rectori ecclesie sancti Sebastiani de Marciol* [1], *Nemausensis diocesis.* Que de sedis apostolice, etc., ut supra usque provenire. Sane venerabilis frater noster . . episcopus Sabinensis, a Rostagno de Castronovo subdiacono liberam sancti Sebastiani de Maroiol et sancti Salvatoris de Crujeria ecclesiarum, Nemausensis et Uticensis diocesium, quas tunc, prout asserit, tenebat et possidebat pacifice et quiete, de mandato nostro resignationem recipiens ac tandem attendens tue merita probitatis, quibus te intellexit laudabiliter adjuvari, prefatam ecclesiam sancti Sebastiani de Maroiol sic vacantem, cum omnibus juribus et pertinentiis suis, tibi de speciali mandato nostro sibi facto a nobis oraculo vive vocis, contulit et assignavit et de ipsa providit teque de ea suo anulo investivit; decrevit quoque irritum et inane si secus de dicta ecclesia sancti Sebastiani apostolica vel quavis alia auctoritate per quemcumque contigerit attemptari, prout in patentibus litteris ipsius episcopi confectis plenius continetur. Nos itaque tuis supplicationibus inclinati, quod ab eodem Sabinensi [episcopo] super hiis factum est, ratum et firmum habentes, id auctoritate apostolica confirmamus et presentis, etc., usque communimus.

Tenorem autem litterarum de verbo ad verbum presentibus fecimus annotari, qui talis est :

« *Guido, miseratione divina Sabinensis episcopus, dilecto in Christo Petro Volguerio clerico salutem in Domino.* Cum Rostagnus de Castronovo —, non obstante si qui super provisione sua de beneficio seu ecclesiis in illis partibus generaliter aut in dicta diocesi Nemausensi specialiter apostolice sedis litteras impetrarunt, etiam si ad inhibitionem, reservationem seu decretum sit earum auctoritate processum, quibus omnibus, quoad hujusmodi assecutionem ecclesie et jurium ac pertinentiarum ejusdem, auctoritate nobis in hac parte commissa, te volumus anteferri; in contradictores et rebelles excommunicationis sententiam promulgantes ac decernentes irritum et inane si secus de dicta ecclesia per quemcumque, apostolica vel alia quavis auctoritate, a quoquam contigerit attemptari. In cujus rei testimonium presentes litteras per manum Ray-

1. Ce nom est écrit plus bas *Maroiol.*

mundi de Crosis, nostri notarii publici, fieri jussimus et nostri sigilli munimine roborari. Acta sunt hec apud Urbemveterem VIIII kalendas januarii, pontificatus predicti domini Urbani pape IIII anno tertio, presentibus testibus ad hoc vocatis et rogatis : domino Guillelmo abbate Appamiarum, Guillelmo de Gardiis priore Galazanicarum', Rostagno monacho Montis-Majoris, Albarico canonico Uticensi, priore sancti Desiderii, et Guillelmo de Lauro capellano dicti domini episcopi Sabinensi. Et ego Raymundus de Crosis, sacrosancte Romane ecclesie auctoritate notarius, premissis omnibus interfui et de mandato dicti domini Sabinensis hec scripsi et in formam redegi publicam et signavi. »

Nulli ergo nostre confirmationis, etc. Datum apud Urbemveterem, III idus januarii, anno tertio. »

966 Orvieto, 11 janvier 1264.

Praecentori Uticensi mandat quatenus praedictum Petrum in corporalem possessionem ejusdem ecclesiae s. Sebastiani inducant. (Reg. 29, fol. 9, n° 14.)

« *Precentori Uticensi.* Que de sedis —. Datum apud Urbemveterem, III idus januarii, anno III. »

967 Orvieto, 1er décembre 1263.

Bonincuntrum in possessionem ecclesiae s. Mariae de Cheller, Tridentinae diocesis, reducit, sententia U., s. Eustachii cardinalis diaconi, confirmata. (Reg. 29, fol. 9, n° 15.)

« *Bonincontro, rectori ecclesie sancte Marie de Cheller, Tridentine diocesis, capellano dilecti filii nostri S., tituli sancti Martini presbyteri cardinalis* [1]. Cum a nobis —. Exposuisti siquidem nobis quod, cum Ulricus, canonicus ecclesie sancti Andree Frisinguensis, falso asserens ecclesiam tuam sancte Marie de Cheller vacare, ac se fore ad illam a vero patrono ipsius, venerabili fratri nostro . . episcopo Tridentino, loci diocesano, canonice presentatum, et quod tu institutioni sue te contra justitiam opponebas, super hoc contra te ad . . prepositum, . . archidiaconum, et Durengum, canonicum Brixinenses, in consueta forma litteras apostolicas impetrasset, iidem judices, cognitis cause meritis et juris ordine observato, te ab impetitione ipsius Ulrici super hoc per diffinitivam sententiam absolverunt. Sed dictus Ulricus, ab eisdem judicibus ex sufficienti gravamine ad sedem apostolicam se asserens appellasse, super appellatione sua ad . . abbatem sancte Justine, .. archidiaconum, et .. archipresbyterum Paduanos ipsius sedis litteras impetravit. Porro, dicto abbate Ottoni, qui se gerit pro decano ecclesie Nuemburgensis, totaliter, ipsisque archidiacono et archipresbytero Paduanis Guarnero presbytero, reservata sibi diffinitiva sententia, committentibus vices suas, tu a predictis subdelegatis sentiens te gravari, a dicto Guarnero ad predictos archidiaconum et archipresbyterum Paduanos, et ab eodem Ottone ac tandem a prefatis archidiacono et archipresbytero Paduanis ad eandem sedem ex sufficienti gravamine appellasti. Verum, dicti subdelegati, post appellationem hujusmodi, quicquid a preposito, archidiacono et canonico Brixinensibus supradictis factum fuerat, cassum et irritum nuntiarunt et nullius esse momenti, ac hujusmodi eorum sententiam pronuntiarunt penitus non tenere, iidemque archidiaconus et archipresbyter Paduani, et Otto prefatam ecclesiam sancte Marie per iniquam diffinitivam sententiam Ulrico adjudicarunt eidem, tibi super ea perpetuum silentium imponendo, sicque idem Ulricus, hujusmodi pretextu sententie, in ipsam ecclesiam sancte Marie se procuravit intrudi, eamque nichilominus occupavit. Denique dilectus filius noster U., sancti Eustachii diaconus cardinalis, quem super hoc dedimus partibus auditorem, lite coram eo legitime contestata, cognitis ipsius cause meritis ac juris ordine observato, te ac procuratore jamdicti Ulrici presentibus, decrevit ac pronuntiavit sententialiter in scriptis processus et sententias eorundem archidiaconi et archipresbyteri Paduanorum et subdelegatorum nullos, irritos; ac quicquid ex eis secutum est vel ob ipsos, revocavit et etiam contra te super hoc omnia attemptata, teque restituendo ac reducendo in possessionem dicte ecclesie sancte Marie, in qua eras tempore appellationum hujusmodi a te interjectarum ab illis, et reductum etiam defendendo, condempnans Ulricum eundem ad faciendam tibi restitutionem fructuum medio tempore de premissa sancte Marie ecclesie perceptorum, quos, secundum confessionem procuratoris ejusdem, octo marcas argenti dictus cardinalis quolibet anno taxavit, prout in instrumento publico inde confecto, ipsius cardinalis sigillato sigillo, plenius continetur. Nos igitur, tuis supplicationibus inclinati, sententiam ipsam cardinalis ejusdem ratam et firmam habentes, eam, non obstante appellatione quam adversa pars ab eadem sententia dicitur ad sedem interposuisse predictam, cum appellationem ipsam

1. Le Registre porte par erreur *presbytero cardinali.*

non fuerit infra statutum a predicto cardinali terminum, cum potuerit, prosecuta, de fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica confirmamus, et presentis, etc., usque communimus.

Tenorem instrumenti ejusdem presentibus de verbo ad verbum inseri facientes, qui talis est :

« In nomine Domini amen. Dudum inter discretos —. Tulimus hanc sententiam apud Urbemveterem in camera nostra, presentibus testibus ad hoc vocatis Jacobo de Thonengo domini pape cappellano, Guillelmo archidiacono Yporiensi, magistro Bernardo archidiacono Varacensi, magistris Alberto Azarii et Bartholomeo de Regio Romane curie advocatis, et Carrando archipresbytero de Grana, Astensis diocesis, et prefatis Bonincuntro et Guillelmo de Templo ac Matheo de Narnia qui substitutus fuerat a dicto Guillelmo. In cujus rei testimonium et notitiam premissorum presentem sententiam sive pronuntiationem per infrascriptum tabellionem nostrum scribi et publicari mandavimus et sigilli nostri appensione muniri, sub anno Domini M.CC.LXIII die sexto exeuntis octobris, indictione VII, pontificatus domini Urbani pape IIII anno tertio. Ego Paris (*sic*) de Spoleto, notarius publicus, prolationi prescripte sententie interfui et mandato predicti domini cardinalis, ut supra legitur, scripsi, publicavi et meo assueto signo signavi. »

Nulli ergo nostre confirmationis, etc. Datum apud Urbemveterem, kalendis decembris, anno tertio. »

968 Orvieto, 1er décembre 1263.

Abbati s. Laurentii juxta Tridentum mandat quatinus praedictam sententiam executioni demandans, Bonincuntrum in possessionem ecclesiae s. Mariae de Cheler reducat. (Reg. 29, fol. 11, n° 16.)

« *Abbati s. Laurentii juxta Tridentum.* Exposuit nobis dilectus —. Datum apud Urbemveterem, kalendis decembris, anno tertio. »

969 Orvieto, 21 décembre 1263.

Arnoldo Maynerii, a possessione cujusdam beneficii in ecclesia s. Victoris ad Theatrum Mediolanense rejecto, viginti modios mixturae annuales confert, sententia Ottoboni, cardinalis diaconi s. Adriani, confirmata. (Reg. 29, fol. 11, n° 17.)

« *Arnoldo Maynerii, clerico Mediolanensi.* Ea que judicio etc. usque communiri. Exhibita siquidem nobis tua petitio continebat quod, cum felicis recordationis Alexander papa, predecessor noster, in causa que inter te et Guillelmum Crivellum, clericum Mediolanensem, super beneficio quod vacavit per mortem quondam Prevosti Cagatossici, clerici in ecclesia sancti Victoris ad Theatrum Mediolanense orta extitit, ad sedem apostolicam legitime devoluta, dilectum filium nostrum O., sancti Adriani diaconum cardinalem, dedisset partibus auditorem, tandem, lite in ejus presentia legitime contestata, fuit in eundem cardinalem a procuratore tuo, speciale a te super hoc mandatum habente, nomine tuo, et ab eodem Guillelmo personaliter super causa hujusmodi alte et basse, juramento hinc inde prestito, sponte ac concorditer compromissum, reservata sibi nichilominus judiciaria potestate, prout in publico instrumento confecto exinde, plenius dicitur contineri. Idem vero cardinalis, acceptato hujusmodi compromisso, et a nobis oraculo vive vocis, auctoritate et speciali mandato pronuntiandi, sententiandi, arbitrandi et ordinandi super beneficio et causa predictis, sicut sibi videretur expedire, receptis, necnon visis, auditis et intellectis omnibus et singulis que partes exhibere coram eo et proponere voluerunt, ac plena deliberatione adhibita, dictis procuratore tuo ut et Guillelmo presentibus, supradictum beneficium Guillelmo adjudicavit eidem, ipsum ab impetitione tua super dicto beneficio absolvendo.

Arbitraria vero potestate et nostra auctoritate arbitrando precepit et ordinavit, quod tu habeas et percipias ac percipere debeas viginti modios mixture de redditibus ejusdem beneficii, annis singulis, a tempore quo dictum beneficium vacavit per mortem supradicti Prevosti, et etiam in futurum, quousque tu aliud beneficium eque bonum vel melius in prefata ecclesia vel alibi in civitate Mediolanensi adeptus fueris pacifice et quiete, prout in patentibus litteris ipsius cardinalis confectis exinde ac suo sigillo signatis plenius continetur. Nos itaque, tuis supplicationibus inclinati, quod ab eodem cardinali super premissis pro te factum est, ratum et firmum habentes, id auctoritate apostolica confirmamus etc. usque communimus.

Tenorem autem litterarum ipsarum dicti cardinalis de verbo ad verbum presentibus fecimus annotari, qui talis est :

« *Octobonus, miseratione divina sancti Adriani diaconus cardinalis, ad perpetuam rei memoriam.* Beneplacitum est Domino —. Sane, orta dudum inter Guillelmum Crivellum et Arnoldum Maynerium, clericos Mediolanenses, super beneficio quod vacavit in ecclesia sancti Victoris ad Theatrum Mediolanense per mortem Prevosti

Cagatosici, olim ipsius ecclesie clerici, materia questionis, et causa super hoc ad apostolicam sedem legitime devoluta, felicis recordationis Alexander papa IIII nos dedit partibus auditorem. Partibus igitur videlicet Ambrosio de Juciago, prefati Guillelmi, et Bonifatio de Unglonis dicti Arnoldi procuratoribus, pro ipsis Guillelmo et Arnoldo in nostra presentia comparentibus, idem Ambrosius, procuratorio nomine dicti Guillelmi, contra dictum Bonifatium pro Arnoldo predicto libellum obtulit coram nobis in judicio sub hac forma :

« Coram vobis, venerabili patre, domino O., sancti » Adriani diacono cardinali, a domino papa infra» scriptis partibus auditore concesso, dicit et proponit » Guillelmus Crivellus, clericus et beneficiatus eccle» sie sancti Victoris ad Theatrum Mediolanense, con» tra Arnoldum de Mayneriis et ejus procuratorem » dicens, quod, cum de beneficio quod olim Preposi» tus Cagatosicus in predicta ecclesia obtinebat, sit » canonice investitus et in possessionem inductus, et » ad eum jure pertineat, dictus Arnoldus de facto, » cum de jure non possit, asserens ad se dictum bene» ficium pertinere et se ad eum representatum fuisse, » eundem Guillelmum super ipso beneficio impedit » multipliciter et molestat. Quare petit per vos, reve» rende pater, quicquid factum est in persona ipsius » Guillelmi de dicto beneficio, auctoritate apostolica » confirmari, et dictum beneficium, cum juribus et » pertinentiis suis, sibi adjudicari, et ad eum perti» nere de jure sententialiter declarari, et se institui » in eodem, et eidem Arnoldo perpetuum imponi si» lentium super eo, cum nullum jus habeat in eodem. » Petit expensas factas et faciendas etiam protestatur, » salvo jure etc. »

« Prefatus vero Bonifatius, procuratorio nomine dicti Arnoldi, contra memoratum Ambrosium pro dicto Guillelmo libellum in judicio coram nobis obtulit in hunc modum :

« In nomine Domini. Coram vobis, venerando patre » domino O., sancti Adriani diacono cardinali, par» tibus auditore concesso, proponit Bonifatius pro» curator Arnoldi Maynerii contra Ambrosium de » Juciago, canonicum ecclesie sancte Marie ad Fusco» rinum, procuratorem Guillelmi Crivelli, quod, cum » major et sanior pars vicinorum et parrocchianorum » ecclesie sancti Victoris ad Theatrum Mediolanense, » ad quos pertinet jus presentandi et qui sunt et » fuerunt in possessione vel quasi juris presentandi » rectores presbyteros et clericos ad ecclesiam predic» tam, postulasset, elegisset seu presentasset dictum » Arnoldum ad rectoriam seu beneficium quod vaca» vit in ipsa ecclesia per mortem presbyteri Prevosti » dicti *Cagatosici*, olim presbyteri seu rectoris dicte » ecclesie, domino .. archipresbytero Mediolanensi, » gerenti vices capituli ecclesie Mediolanensis, no» mine capituli ipsius ecclesie, sede archiepiscopali » vacante, dictus Guillelmus impedivit et impedit » Arnoldum predictum quominus institueretur in be» neficio predicto et ipsum assequeretur, contendens » se jus habere in beneficio predicto et electum seu » presentatum esse a quibusdam vicinis ecclesie pre» dicte, quamvis nullus jus habeat in eodem. Quare » petit dictus procurator rectoriam seu beneficium » predictum, cum pertinentiis, proventibus et omni » causa, dicto Arnoldo adjudicari et sententialiter de» clarari ipsum ad dictum Arnoldum de jure perti» nere, et dicto Guillelmo super eodem beneficio et » ejus pertinentiis perpetuum silentium imponi. Et » etiam, quia dictus Guillelmus administrationi ipsius » beneficii, sine alia confirmatione seu institutione » legitima, se ingessit, sententialiter declarari dictum » Guillelmum nullum jus habere in beneficio pre» dicto, et ipsum ab eodem beneficio et ejus pertinen» tiis penitus amoveri, et decerni dictum Arnoldum » esse inducendum in corporalem possessionem bene» ficii predicti et pertinentiarum ejusdem. Item petit » expensas jam factas et protestatur de faciendis quas » suo tempore declarabit, salvo jure etc. »

« Lite vero super libellis premissis inter partium procuratores coram nobis legitime contestata, prestitis de veritate dicenda juramentis, factis positionibus et responsionibus ad eas datisque articulis hinc et inde, cum per ea que coram nobis acta fuerant, non potuisset de partium jure liquere, sanctissimus pater, dominus Urbanus papa IIII, testium examinationem super articulis partium ipsarum quibusdam sub certa forma per suas duxit litteras committendam. Demum vero, prefato Guillelmo Crivello personaliter pro se ac dicto Bonifatio procuratore antedicti Arnoldi, pro ipso Arnoldo, cum quadam remissione ad sedem apostolicam facta, comparentibus coram nobis, iidem Guillelmus pro se ac Bonifatius, procuratoris nomine dicti Arnoldi, habens ab ipso Arnoldo ad componendum et compromittendum speciali mandatum, considerantes quod litigiorum gravitas utramque partem diu laboribus et sumptibus fatigarat, ac volentes de cetero a controversiarum cessare strepitibus —, in nos super causa et questione predicta, alte et basse, sub certa pena, compromittere curaverunt, reservata nobis nichilominus, de ipsorum assensu, judiciaria potestate,

prout in instrumento publico super hiis per infrascriptum notarium confecto, plenius continetur; nosque inter ipsas partes pacem et concordiam affectantes, hujusmodi compromissum in nos factum, duximus acceptandum. Recepimus insuper a prefato domino Urbano papa, vive vocis oraculo, auctoritatem et speciale mandatum pronuntiandi, sententiandi, arbitrandi et ordinandi super beneficio predicto et de causa et questione hujusmodi inter partes predictas, sicut nobis expediens videretur. Nos igitur, visis, auditis et intellectis omnibus et singulis que ipse partes exhibere coram nobis et proponere voluerunt, et plena deliberatione adhibita, tam judiciaria quam arbitraria potestate, auctoritate quoque et mandato domini pape, ut dictum est, receptis a nobis, presentibus partibus scilicet predictis Guillelmo Crivello pro se et Bonifatio, procuratore antedicti Arnoldi, pro ipso Arnoldo, memoratum beneficium, quod in ecclesia sancti Victoris predicta vacavit per mortem Prevosti Cagatoxici, dicto Guillelmo Crivello sententialiter adjudicamus et ipsum beneficium ad eundem Guillelmum pertinere per sententiam declaramus, prefato Bonifatio, procuratorio nomine pro dicto Arnoldo, et per ipsum procuratorem ipsi Arnoldo perpetuum silentium imponentes super beneficio memorato, ipsumque Guillelmum ab impetitione dicti Arnoldi super ipso beneficio sententialiter absolventes.

« Arbitraria vero potestate et predicta domini pape auctoritate, arbitramur, precipimus et ordinamus quod prefatus Arnoldus habeat et percipiat et percipere debeat viginti modios mixture de redditibus ejusdem beneficii, annis singulis a tempore quo dictum beneficium vacavit per mortem prefati Prevosti et in futurum, quoadusque idem Arnoldus aliud beneficium eque bonum vel melius in dicta ecclesia vel alibi, in civitate Mediolanensi, adeptus fuerit pacifice et quiete, pro quibus viginti modiis annis singulis, ut dictum est, percipiendis ab Arnoldo predicto, precipimus et ordinamus possessiones, terras, bona et jura ipsius beneficii obligata esse Arnoldo predicto. Super expensis autem in suprascriptis libellis hinc inde petitis, utramque partem absolvimus et neutram partem alterutri ad eas teneri sententialiter diffinimus. Omnia vero et singula suprascripta volumus, mandamus et ordinamus, tam judiciaria et arbitraria potestate quam suprascripta pape auctoritate, sub pena in compromisso apposita, firma et illibata perpetuo et irrefragabiliter observari. In quorum omnium testimonium et perpetuam firmitatem presentes litteras per infrascriptum notarium nostrum fieri et publicari mandavimus, easque fecimus nostri sigilli munimine roborari. Lata est sententia, arbitrium et ordinatio suprascripta per venerabilem patrem dominum Ottobonum, sancti Adriani diaconum cardinalem, presentibus partibus scilicet Guillelmo Crivello, pro se, et Bonifatio de Uglona (*sic*) procuratore Arnoldi Maynerii pro ipso Arnoldo, apud Urbemveterem, in hospitio dicti domini cardinalis, anno a nativitate Domini M.CC.LXIII, VIII kalendas decembris, pontificatus domini Urbani pape IIII, anno tertio, presentibus venerabili patre domino Bonjohanne Laudensi episcopo, magistro Guillelmo de Spectinis decano Antiocheno. Bera[r]do de Podio-Bustionis cappellano dicti domini cardinalis, domino Alberto Azarii de Parina advocato in curia Romana et aliis testibus vocatis. Et in continenti prefati Guillelmus et Bonifatius suprascriptum arbitrium emologaverunt, et ordinationem et sententiam acceptarunt. Et ego, magister Bartholomeus de Regio, sancte apostolice sedis auctoritate notarius, suprascripte sententie arbitrii et ordinationis lationi interfui et de mandato prefati domini cardinalis, presentes litteras scripsi et in publicam formam mei signi annotatione redegi. »

Nulli ergo nostre confirmationis etc. Datum apud Urbemveterem, XII kalendas januarii, anno tertio. »

970 Orvieto, 5 janvier 1264.

Praeposito ecclesiae de Alliate, Mediolanensis diocesis, mandat quatenus praedictam sententiam, in eo quod pro Arnoldo facit, executioni demandet. (Reg. 29, f° 12 v°, n° 18.)

« *Preposito ecclesie de Alliate, Mediolanensis diocesis.* Exhibita nobis dilecti —. Datum apud Urbemveterem, nonis januarii, anno tertio. »

971 Orvieto, 23 janvier 1264.

Episcopum Barchinonensem a sententia suspensionis in eum latam absolvit. (Reg. 29, fol. 12 v°, n° 19.)

« *Episcopo Barchinonensi.* Cum a nobis —. Tenorem autem litterarum ipsarum de verbo ad verbum presentibus fecimus annotari, qui talis est :

« *Venerabili in Christo patri .. Dei gratia Barchinonensi episcopo, Ubertus, miseratione divina sancti Eustachii diaconus cardinalis, salutem in Domino.* Perlato ad audientiam sanctissimi patris domini nostri Urbani pape IIII,

quod olim inter discretos viros Bernardum de Villacerto, archidiaconum de Silva in ecclesia Gerundensi et canonicum Barchinonensem, subdiaconum et cappellanum suum, et magistrum B., archidiaconum Barchinonensem, super archidiaconatu quem in eadem Barchinonensi ecclesia obtinet, questione suborta, eaque de mandato suo per compositionem amicabilem terminata, idem dominus dicto cappellano suo canonicatum ipsius Barchinonensis ecclesie contulerat, ipsumque per suum annulum investiverat de eodem, et personatum vel dignitatem ac domos et preposituram que *mensata* vulgariter appellatur, primo inibi vacaturos, conferendos eidem donationi apostolice duxerat reservandos, ac decreverat irritum et inane siquid super hiis contra decretum et reservationem hujusmodi contingeret attemptari. Ac postmodum venerabilis pater .. Terraconensis archiepiscopus, auctoritate litterarum ejusdem domini, eundem cappellanum recipi faciens in predicta Barchinonensi ecclesia in canonicum et in fratrem, prebendam ac personatum vel dignitatem, domus et preposituram, predictam mensatam, primo in dicta Barchinonensi ecclesia vacaturos, donationi sue eidem cappellano conferendos reservans, venerabili patri episcopo et capitulo Barchinonensibus inhibuerat ne ad collationem ipsorum, cum vacarent, procedere attemptarent, ac decreverat irritum et inane siquid contra hujusmodi inhibitionem, reservationem et decretum contingeret attemptari. Vosque postmodum sacristiam ejusdem Barchinonensis ecclesie vacantem discreto viro Bernardo, archidiacono Benacensi in ecclesia Ilerdensi, contuleratis pro vestre libito voluntatis, etiam postquam predicto cappellano auctoritate apostolica collata extiterat et de ipsa fuerat investitus, in ipsius cappellani prejudicium et gravamen. Idem dominus papa discreto viro .. preposito ecclesie sancti Martini de Costa Gerundensi, inter alia suis dedit sub certa forma litteris in mandatis ut vos a beneficiorum, dignitatum et personatuum collatione suspenderet, donec idem cappellanus predictam sacristiam, vel si ab ea cederet, dignitatem et personatum alium in eadem Barchinonensi ecclesia foret pacifice assecutus, qui mandatis obediens apostolicis, a collatione beneficiorum, dignitatum et personatuum, juxta formam sibi traditam, vos suspendit. Cum itaque Willelmus de Rivura, canonicus Barchinonensis, procurator vester, in ipsius domini pape proposuerit presentia constitutus, quod jamdicte littere ad predictum prepositum aliter quam per expositionem veri fuerant impertite, et quod prefato Bernardo de Olorda per archidiaconum Vicensem, ex delegatione venerabilis patris Vicensis episcopi, auctoritate litterarum felicis recordationis A. pape IIII, de sacristia provisum fuerat sepefata, prout per litteras ipsius episcopi et capituli Barchinonensis super hoc domino pape directas, et etiam per processum provisionis ejusdem plenius ostendere nitebatur, et petierit sibi pro vobis super hiis salubriter provideri, nos, quem prefatus dominus Urbanus papa predictis B. de Villacerto et B. de Olorda auditorem concessit in causa que vertebatur super predicta sacristia, et vobis super suspensione prefata, de speciali ejusdem domini pape licentia et mandato datis nobis oraculo vive vocis et ejus auctoritate, salvis et reservatis in suo robore inhibitione, decreto et reservatione factis per supradictum archiepiscopum super predictis videlicet prebenda, dignitate vel personatu prepositura et domibus, de quibus domibus, secundum modum ordinationis nostre, dicto B. de Villacerto volumus provideri, et ordinatione seu arbitrio nostris inter dictos B. de Villacerto et B. de Olorda super sacristia predicta per nos lato in suo robore duraturo, et omnibus ac singulis in ipso contentis in sua firmitate manentibus, quibus nullo modo per hec prejudicare intendimus, suspensionem dicti prepositi contra vos latam, in omnibus aliis relaxamus. In cujus rei testimonium et futuram memoriam premissorum presentes litteras nostras vobis concessimus sigilli nostri appensione munitas. Datum apud Urbemveterem, III idus januarii, pontificatus predicti domini Urbani pape IIII, anno tertio. »

Nulli ergo nostre confirmationis etc. Datum apud Urbemveterem, x kalendas februarii, anno tertio. »

972 Orvieto, 19 janvier 1264.

Bernardo de Olorda sacristiam ab Uberto, cardinali diacono s. Eustachii, per viam compromissi, adjudicatam, confirmat. (Reg. 29, fol. 13, n° 20.)

« *Bernardo de Olorda, sacriste Barchinonensi, cappellano nostro.* Ea que judicio —. Exhibita siquidem nobis tua petitio continebat quod, cum nos in causa que inter te et dilectum filium Bernardum de Villacerto, archidiaconum de Silva in ecclesia Gerundensi, canonicum Barchinonensem, super sacristia vacante in ecclesia Barchinonensi per mortem quondam Ferrarii de Lauro, Barchinonensis sacriste, orta extitit, ad sedem apostolicam legitime devoluta, dilectum filium nostrum U., sancti Eustachii diaconum cardinalem, dedissemus partibus autitorem, demum tu et idem B. de Villa-

certo coram cardinali comparuistis eodem ac volentes vestris parcere laboribus et expensis, et eligentes potius per viam pacis questionem hujusmodi dirimere quam eventum dubium judicii expectare, in cardinalem ipsum tamquam in arbitrum, arbitratorem, ordinatorem et amicabilem compositorem, juramento exinde ab utraque parte prestito, compromittere curavistis, arbitrio, laudo, ordinationi, diffinitioni et dicto ipsius super dicta sacristia et ejus fructibus vos pure ac simpliciter summittendo. Idem autem cardinalis, recepto hujusmodi compromisso, et a nobis obtenta licentia ordinandi, disponendi, arbitrandi et statuendi inter partes, sicut sibi melius videretur, de nostris mandato et licentia sibi datis a nobis oraculo vive vocis, necnon de voluntate ipsarum partium coram eo personaliter existentium, ordinavit, dixit, statuit et arbitratus fuit quod tu predictam sacristiam deinceps habeas et habere debeas, cum omnibus suis juribus et pertinentiis, pacifice et quiete, quam etiam per suam ordinationem seu arbitrium tibi adjudicans, te investivit per suum anulum de eadem, prefato Bernardo de Villacerto super sacristia ipsa silentium imponendo, ut te nullatenus valeat super ipso imposterum molestare, prout in publico instrumento confecto exinde ac sigillo cardinalis prefati signato, plenius continetur. Nos itaque, tuis supplicationibus inclinati, quod ab eodem cardinali super premissis pro te factum est, ratum et firmum habentes, id auctoritate apostolica confirmamus etc. usque communimus:

Tenorem autem ipsius instrumenti de verbo ad verbum presentibus fecimus annotari, qui talis est :

« In nomine [Domini] amen. Ille rex mitissimus —. Sane inter discretos viros Bernardum de Villacerto, archidiacorum de Silva in ecclesia Gerundensi, Barchinonensis ecclesie canonicum, domini pape subdiaconum et cappellanum, et magistrum Bernardum de Olorda, archidiaconum Benacensem in ecclesia Ilerdensi, dicte Barchinonensis ecclesie canonicum ac ejusdem domini pape cappellanum, fuit in Romana curia orta materia questionis super sacristia prefate Barchinonensis ecclesie, que per mortem Ferrarii de Lauro in eadem vacavit ecclesia, quam dictus B. de Villacerto ad se dicebat spectare de jure eo quod per sanctissimum patrem dominum Urbanum, papam IIII, canonicatus Barchinonensis ecclesie cum plenitudine juris canonici sibi collatus extiterat, et idem dominus pape ipsum investiverat per suum anulum de eodem, personatum nichilominus vel dignitatem, decanatu et cantoria dumtaxat exceptis, ac prebendam non sacerdotalem et domos ac prepposituram que *mensata*, vulgariter appellantur. primo in eadem ecclesia vacaturos, conferendos eidem B. de Villacerto donationi apostolice reservans, ac decernens irritum et inane si secus de ipsis, apostolica vel quavis auctoritate, a quoquam contingeret attemptari ; et ex eo etiam quod venerabilis pater B., Terrachonensis archiepiscopus, ipsi B. de Villacerto executor super provisione predicta a sede apostolica deputatus, venerabili patri .. episcopo, et discretis viris capitulo Barchinonensibus, suis dederat litteris in mandatis ut prefatum B. de Villacerto reciperent certo termino in canonicum et in fratrem, in contradictores et rebelles ac impedimentum prestantes excommunicationis sententia promulgata, et inhibuerat etiam jamdictis episcopo et capitulo quod nullatenus communiter vel divisim procederent ad collationem prebende canonicalis non sacerdotalis, personatus vel dignitatis hujusmodi, decanatu et cantoria exceptis, ac domorum et preposituræ predictarum, si tunc vacarent ibidem vel quamprimum vacare contingeret, eas collationi sue reservans, donec idem B. de Villarcerto, juxta traditam sibi formam, duceret providendum. Prefatus autem Bernardus de Olorda in contrarium asserebat sacristiam eandem ad ipsum pleno jure spectare eo quod per archidiaconum Vicensem, auctoritate litterarum felicis recordationis domini A., pape IIII, de eadem sacristia sibi legitime provisum extiterat, eique collata erat auctoritate predicta, ac investitus et in possessionem inductus fuerat in eadem, in contradictores et rebelles nichilominus excommunicationis sententia promulgata. Prenominato itaque domino nostro Urbano papa nos, Ubertum, sancti Eustachii diaconum cardinalem, in questione seu causa hujusmodi auditorem predictis partibus concedente, prefati cappellani B. de Villacerto et B. de Olorda comparentes in judicio coram nobis ac suis volentes parcere laboribus et expensis elegerunt potius per viam pacis questionem hujusmodi dirimere quam eventum dubium judicii expectare, et tandem in nos tamquam in arbitrum, arbitratorem, dispositorem et amicabilem compositorem compromittere curaverunt, arbitrio, laudo, ordinationi, diffinitioni et dicto nostris de ipsa sacristia et ejusdem fructibus pure ac simpliciter summittentes, sicut in instrumento publico per infrascriptum tabellionem inde confecto, plenius continetur. Nos autem, recepto in nos hujusmodi compromisso obtentaque ab eodem domino Urbano licentia ordinandi, disponendi, arbitrandi, statuendi inter partes predictas sicut nobis melius videretur, de ipsius mandato et licentia datis nobis oraculo vive vocis,

necnon et de voluntate et assensu ipsarum partium sic inter eas pro bono pacis et concordie ordinamus, dicimus, statuimus, ac etiam arbitramur, quod dictus Bernardus de Olorda predictam sacristiam deinceps habeat et habere debeat, cum omnibus suis juribus et pertinentiis, pacifice et quiete, quam per nostram ordinationem seu arbitrium adjudicamus eidem, ac ipsum investimus per nostrum anulum de eadem, prefato Bernardo de Villacerto super ipsa sacristia silentium imponentes, ut dictum B. sacristam nullatenus valeat de ipsa in posterum molestare.

« Et ut dictus Bernardus de Villacerto spe quam de gratia sibi facta et ordinatione nostra concepit, non omnino frustretur, sed ex eis commodum assequatur, dicimus, ordinamus, pronuntiamus, statuimus ac etiam arbitramur, de ejusdem domini pape licentia et mandato, quod dictus Bernardus de Olorda sacrista, tamdiu predicto Bernardo de Villacerto medietatem fructuum, proventuum ipsius sacristie, tempore quo ipsi fructus, proventus et redditus recolliguntur, annuatim exolvat ac dare et solvere teneatur, quousque in dicta Barchinonensi ecclesia per litteras apostolicas ipsi B. de Villacerto concessas, quarum auctoritate dictus archiepiscopus processit et quarum tenores sunt inferius annotati, prefato B. de Villacerto de dignitate vel personatu provisum fuerit, juxta litterarum continentiam eandem, et personatus seu dignitatis, de quo vel qua sibi providebitur, possessionem habuerit pacificam et quietam; pro qua medietate fructuum et proventuum dictum Bernardum de Olorda sacristam et ipsam sacristiam prefato Bernardo de Villacerto obligamus et esse volumus obligatos. Litteras autem apostolicas predictas ab eodem B. de Villacerto obtentas super dignitate et personatu vacaturis in dicta ecclesia et aliis in ipsis litteris contentis, ac inhibitiones et processus per easdem habitos reservamus integros et illesos, in eodem duraturos robore quo erant antequam sacristia hujusmodi vacavisset preter quam si domus alique vacavere, pro quibus eum nolumus litigare, sed quod de proximo vacaturis provideatur eidem. Suspendimus etiam venerabilem patrem .. episcopum, et capitulum Barchinonenses a collatione et provisione personatuum et dignitatum ipsius ecclesie, decanatu et cantoria dumtaxat exceptis, et prebende non sacerdotalis et domorum que deinceps primo vacaverint, ac preposituree que *mensata* vulgariter appellatur, quousque prefato B. de Villacerto, juxta ipsarum litterarum tenorem, plenarie de predictis omnibus sit provisum, mandantes ordinationem seu arbitrium nostrum predictum a predictis partibus, sub pena prestiti juramenti, inviolabiliter observari. Lata et recitata fuit hec nostra ordinatio seu arbitrium apud Urbemveterem, in camera nostra, presentibus testibus ad hoc vocatis, venerabili patre .. Camerinensi episcopo, Jacobo de Thonengo domini pape cappellano, magistris Alberto Azarii Romane curie advocato, et Jacobo de Pistorio canonico Toletano, Ruffino preposito sancti Johannis in Burgo Papiensi, et Guillelmo de Ruvina canonico Barchinonensi, ac predictis partibus, sub anno Domini M.CC. LXIII, die octavo exeuntis decembris, indictione septima, pontificatus domini Urbani pape predicti anno tertio.

« Tenor autem predictarum litterarum papalium hic est :

« *Urbanus episcopus, servus servorum Dei, venerabili fra-*
» *tri .. Terrachonensi archiepiscopo, salutem et apostoli-*
» *cam benedictionem.* Adjutos morum et scientie meri-
» tis —. Hinc est quod nos dilecti filii Bernardi de
» Villacerto archidiaconi de Silva in ecclesia Gerun-
» densi, et sacriste secularis ecclesie sancti Felicis
» Gerundensis, cappellani nostri, merita attendentes,
» et per hoc volentes ipsum benivolentia prosequi
» gratiosa, canonicatum Barchinonensis ecclesie, cum
» plenitudine juris canonici, sibi contulimus et eundem
» de ipso per nostrum anulum investimus, ac nichi-
» lominus personatum vel dignitatem, decanatu et
» cantoria exceptis, ac prebendam non sacerdotalem
» et domos ac preposituram que *mensata* vulgariter
» appellatur, primo in eadem ecclesia vacaturos, con-
» ferendos eidem cappellano donationi apostolice re-
» servantes, decrevimus irritum et inane, si secus de
» ipsis, apostolica vel quavis auctoritate, a quoquam
» contigerit attemptari, non obstante. — Contradicto-
» res etc. usque compescendo, Datum apud Urbem-
» veterem, XI kalendas decembris, pontificatus nostri
» anno secundo. »

« Et tenor aliarum litterarum est talis :

« *Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio*
» *Bernardo de Villacerto, archidiacono de Silva in ecclesia*
» *Gerundensi et sacriste secularis ecclesie sancti Felicis*
» *Gerundensis, cappellano nostro, salutem et apostolicam*
» *benedictionem.* Adjutos morum et scientie meritis
» etc. ut in eadem littera superiori usque insignitos.
» Hinc est quod nos, attendentes tue probitatis merita
» et per hoc volentes te prosequi benivolentia gratiosa,
» canonicatum Barchinonensis ecclesie, cum plenitu-
» dine juris canonici, tibi conferimus, et te de ipso per
» nostrum anulum investimus, ac nichilominus per-
» sonatum vel dignitatem, decanatu et cantoria excep-

» tis, ac prebendam non sacerdotalem et domos ac pre-
» posituram que *mensata* vulgariter appellatur, primo
» in eadem ecclesia vacaturos, conferendos tibi dona-
» tioni apostolice reservantes, decernimus irritum et
» inane si secus de ipsis apostolica vel quavis auctori-
» tate a quoquam contigerit attemptari; non obstante
» —, aut quod alias beneficiatus existis. Nulli ergo
» omnino nostre collationis, investiture, reservatio-
» nis et constitutionis etc. usque incursurum. Datum
» apud Urbemveterem, XI kalendas decembris, ponti-
» ficatus nostri anno secundo. »

« In cujus rei testimonium et in futuram memoriam premissorum presentem ordinationem nostram per infrascriptum tabellionem nostrum scribi et publicari mandavimus et sigilli nostri appensione muniri. Ego Paris de Spoleto, notarius publicus, prolationi prescripte ordinationis interfui et mandato predicti domini cardinalis, ut supra legitur, scripsi, et tenores dictarum litterarum apostolicarum in hac ordinatione sicut in originalibus inveni, de verbo ad verbum inserui, et una cum aliis supradictis in publicam formam redegi ac meo consueto signo signavi. »

Nulli ergo nostre confirmationis etc. Datum apud Urbemveterem, XIIII kalendas februarii, anno tertio. »

973 Orvieto, 30 janvier 1264.

Abbati monasterii s. Cucuphatis mandat quatenus praedictum magistrum B. de Olorda in possessionem sacristiae inducat. (Reg. 29, fol. 14 v°, n° 21.)

» *Abbati monasterii sancti Cucuphatis, ordinis s. Benedicti, Barchinonensis diocesis.* Exhibita nobis dilecti —. Datum apud Urbemveterem, III kalendas februarii, anno III°. »

974 Orvieto, 31 décembre 1263.

Waltero de Solempniis annuam pensionem et praebendam in ecclesia s. Crucis Cameracensis vacaturam reservat, compromisso G., tituli S. Marci presbyteri cardinalis, approbato. (Reg. 29, fol. 14 v°, n° 22.)

» *Waltero de Solempniis, canonico ecclesie sancte Crucis Cameracensis.* Cum a nobis —. Exhibita siquidem nobis tua petitio continebat quod, cum nos in causa que inter te ac capitulum ecclesie sancte Crucis Cameracensis, ex parte una, et Amandum presbyterum, canonicum ejusdem ecclesie, super prebenda quam quondam magister Gobertus de Macello, ejusdem ecclesie canonicus, in ea obtinuit, quamque tu tibi, dictus vero A. sibi deberi dicebatis, ex altera, vertebatur, dilectum filium nostrum G., tituli sancti Marci presbyterum cardinalem dedissemus partibus auditorem, ac tandem a procuratore tuo et dicti capituli habente super hoc speciale mandatum, et dicto A. in eundem cardinalem tanquam in arbitrum, arbitratorem et amicabilem compositorem, juramento hinc inde prestito et certa pena interposita, compromissum fuisset, potestate sibi judiciaria reservata, idem cardinalis ordinandi, providendi. statuendi, diffiniendi, pronuntiandi et arbitrandi super hoc, prout sibi melius videretur, a nobis auctoritate et plenaria potestate obtentis, inspectis quoque rationibus utriusque partis, ac dictis procuratore et Amando presentibus, tam judiciaria quam arbitraria potestate, servando vel ordinando aut componendo inter partes, prebendam predictam Amando adjudicavit eidem, ita quod ipse de proventibus ejus quandam summam pecunie annuatim certo termino tibi tandiu persolvat, donec tu in nominata ecclesia sis prebendam pacifice assecutus. Idem etiam cardinalis, auctoritate sibi a nobis in hac parte commissa, ordinavit, statuit et providit quod tu, qui in eadem ecclesia in canonicum es receptus, habeas et obtineas prebendam aliam, siqua in eadem ecclesia tunc vacabat, eamque dicto procuratori, nomine tuo, presentialiter contulit et etiam assignavit. Quod si tunc in eadem ecclesia nulla prebenda vacabat, ipse prebendam proximo vacaturam ibidem, conferendam tibi per illum cui nos id duxerimus committendum, apostolice donationi reservans, decrevit irritum et inane si secus de illa contingeret attemptari, prout in instrumento publico exinde confecto et dicti cardinalis sigillo munito, plenius continetur. Nos itaque, tuis supplicationibus inclinati, sententiam seu ordinationem vel compositionem, collationem ac reservationem hujusmodi ratas et firmas habentes, eas autoritate apostolica confirmamus etc. usque communimus.

Tenorem autem ipsius instrumenti de verbo ad verbum presentibus fecimus annotari, qui talis est:

« In nomine Domini amen. Presidente rationis imperio —. Sane cum Amandus de Castello, presbyter Cameracensis diocesis, ad .. prepositum ecclesie Siclinensis, super receptione et provisione sua in ecclesia sancte Crucis Cameracensis, sanctissimi patris et domini Urbani pape IIII, sub certa forma litteras executorias impetrasset, tandem abbate monasterii sancti Andree de Castello, ejusdem diocesis, cui idem prepo-

situs super hoc, prout ex tenore litterarum ipsarum poterat. commiserat vices suas, inhibente, auctoritate litterarum hujusmodi, capitulo predicte ecclesie sancte Crucis ne de prebenda, si qua ibidem vacare contingeret, alicui providerent, cum intenderet de ipsa eidem presbytero, juxta mandatum apostolicum, providere, licet dictum capitulum propter hoc ad sedem apostolicam appellassent, ipsi tamen per sex menses et amplius appellationem hujusmodi prosequi neglexerunt. Cumque medio tempore quondam Nicolaus de Montibus, prefate ecclesie sancte Crucis canonicus, apud eandem sedem viam fuisset universe carnis ingressus, idem dominus papa, canonicatum et prebendam quos idem Nicolaus ibidem obtinuit, contulit Johanni de Cella, familiari suo, ac postmodum volens quod de dicto presbytero inceperat perducere ad effectum, canonicatum predicte sancte Crucis, cum plenitudine juris canonici, ac nichilominus prebendam, siqua tunc inibi vacabat, predicto presbytero auctoritate apostolica contulit, et eum de illa per suum anulum investivit. Alioquin, prebendam in eadem ecclesia tunc proximo vacaturam, conferendam eidem presbytero apostolice donationi reservans, decrevit irritum et inane si secus de ipsa contingeret attemptari, .. abbate sancti Auberti, et .. scolastico ecclesie sancti Gaugerici Cameracensis, sibi super hoc sub certa forma per suas litteras executoribus deputatis. Sane, predicto abbate, prout ex tenore hujusmodi litterarum directarum ad eum et eundem scolasticum poterat, predicto capitulo mandante ut dictum presbyterum reciperent in canonicum et in fratrem, ac eodem capitulo necnon magistro Waltero de Sollempniis, clerico ejusdem diocesis, super cujus provisione et receptione in memorata ecclesia idem dominus papa direxerat scripta sua, presbytero predicto super hoc se opponentibus et coram eodem abbate quasdam exceptiones proponentibus contra eum, prefatus abbas de consensu partium, negotium remisit ad ipsius sedis examen, prefixo eisdem partibus certo termino peremptorio quo per se vel procuratores ydoneos, cum omnibus actis. juribus et munimentis suis hujusmodi causam contingentibus, apostolico se conspectui presentarent, facture et recepture super hoc quod ordo exigeret rationis, idemque dominus papa nos, Guillelmum, miseratione divina tituli sancti Marci presbyterum cardinalem, dedit in causa ipsa partibus auditorem. Porro, post remissionem hujusmodi, vacavit prebenda quedam in eadem ecclesia sancte Crucis per mortem magistri Goberti de Macello, quondam ipsius ecclesie canonici, quam dictus magister Walterus sibi procuravit conferri. Eodem itaque Amando prebendam ipsam sibi assignari petente, et orto inter eum et magistrum Walterum predictum super eadem prebenda materia questionis, idem Amandus libellum obtulit sub hac forma:

« Coram vobis, reverendo patre, domino G., tituli » sancti Marci presbytero cardinali, partibus a domino » papa auditore concesso, dicit et proponit Amandus » de Castello, presbyter Cameracensis diocesis, contra » magistrum Walterum de Sollempniis, clericum ac » legitimum procuratorem seu defensorem ipsius, » quod cum sanctissimus pater dominus Urbanus » papa IIII, olim canonicatum ecclesie sancte Crucis » Cameracensis, cum plenitudine juris canonici, ac » nichilominus prebendam, siqua in eadem ecclesia » tunc vacabat, eidem Amando canonice contulisset, » ipsum per anulum suum investiens de eisdem, alio» quin prebendam in eadem ecclesia proximo vacatu» ram, eidem A. conferendam donationi apostolice » reservasset decernens ex tunc irritum et inane si de » ipsa, ejusdem domini pape vel alia quavis auctori» tate, secus contingeret attemptari, ac volens ipsum » A., in ecclesia supradicta, in assecutione prebende » preferri omnibus quavis auctoritate receptis, post » presentationem suarum priorum litterarum factam » capitulo supradicto, prout in ipsius litteris domini » pape plenius continetur. Postmodum quedam in dicta » ecclesia prebenda vacavit per mortem magistri Go» berti de Macello, quondam ipsius ecclesie canonici, » eidem A. de jure debita et ad ipsum de jure spec» tans, quam dictus magister Walterus indebite, lite » pendente, ac contra justitiam, occupavit, et etiam in » anime sue periculum et dicti Amandi prejudicium » et gravamen detinet occupatam, licet nullum jus ha» beat in eadem. Quare petit dictus Amandus per vos, » reverende pater, prefatam prebendam, cum juribus » et pertinentiis suis, sibi conferri, et eam sibi senten» tialiter adjudicari, cum omnibus fructibus inde per» ceptis et qui percipi potuerunt, et omni causa et ad » ipsum A. pertinere decerni, et dictum magistrum » Walterum ab eadem prebenda per eandem senten» tiam amoveri, et amovendus esse pronuntiari, ac se » in ejusdem prebende possessionem corporalem vel » quasi induci et inducendum fore decerni, ac dicto » Waltero perpetuum imponi silentium super ea, et » hoc petit cum dampnis et expensis et interesse que » hujusmodi occasione incurrerit, que et quas extimat » ad valorem sexaginta librarum Parisiensium, et » protestatur de futuris expensis, quas tempore sen» tentie declarabit. Protestatur etiam quod non as-

» tringit se ad probandum nisi ea que sue intentioni » sufficiant, salvo jure etc.

« Lite igitur super hujusmodi libello legitime contestata, partes ipse volentes vitare litigia, videlicet idem Amandus presbyter pro se, et magister Henricus de Liernut clericus, procurator capituli et magistri Walteri predictorum, pro eis a quibus habebat ad componendum et compromittendum speciale mandatum, in nos super eadem prebenda et ejus fructibus tamquam in arbitrum, arbitratorem et amicabilem compositorem, sub certa pena et juramento prestito compromittere curaverunt, nostre ordinationi, laudo, diffinitioni, voluntati et arbitrio super hoc totaliter summittentes, judiciaria potestate nobis nichilominus reservata, prout in instrumento publico exinde confecto, cujus tenor inferius annotatur, plenius continetur. Nos itaque, recepto hujusmodi compromisso et a domino papa ordinandi, providendi, statuendi, diffiniendi, pronuntiandi et arbitrandi super hoc, prout nobis melius visum foret, auctoritate et plenaria potestate obtentis, et auditis que partes voluerunt proponere coram nobis auctoritate nobis a predicto domino papa in hac parte commissa, ordinamus, statuimus, diffinimus, et providemus quod idem Amandus recipiatur in sepedicta ecclesia sancte Crucis ab eodem capitulo in canonicum et in fratrem, et quod predictam prebendam, super qua est questio inter partes, habeat et obtineat pacifice et quiete, et eam nichilominus, cum juribus et pertinentiis suis, ad ipsum Amandum spectare et pertinere declaramus et sententialiter adjudicamus eidem et etiam conferimus, super ea dicto magistro Waltero perpetuum silentium imponendo; ita tamen quod idem magister Walterus ad restitutionem fructuum et proventuum, quos de prebenda ipsa recepit, minime teneatur. Ceterum, judiciaria et arbitraria auctoritate statuimus, ordinamus et providemus ac arbitramur quod prefatus Amandus de fructibus prefate prebende sibi adjudicate, postquam eam fuerit pacifice assecutus et fructus perceperit ex eadem, tandiu decem librarum parisiensium, in festo beatorum apostolorum Phylippi et Jacobi, predicto magistro Waltero exbibeat annuatim, donec idem magister Walterus in memorata ecclesia sancte Crucis prebendam pacifice assequatur. Ad hec, auctoritate nobis a domino papa in hac parte commissa, ordinamus, statuimus ac providemus quod idem magister Walterus qui in eadem ecclesia receptus est in canonicum et in fratrem, prout ex prefati Amandi confessione accepimus, habeat et obtineat prebendam aliam si qua in sepedicta ecclesia vacat ad presens, et eam prefato magistro Henrico, procuratori prefati magistri Walteri, nomine ipsius Walteri, presentialiter conferimus ac etiam assignamus. Si vero in eadem ecclesia nulla prebenda vacat ad presens, nos prebendam proximo inibi vacaturam, conferendam dicto magistro W. per illum cui dominus papa id duxerit committendum, donationi apostolice reservantes, decernimus irritum et inane si secus de illa contingeret attemptari. In quorum omnium testimonium et munimen, presentem paginam per infrascriptum notarium nostrum scribi et publicari fecimus nostrique sigilli appensione muniri. Lata et pronuntiata apud Urbemveterem, in hospitio prefati domini cardinalis, presentibus hiis testibus, scilicet domino Gerardo abbate sancti Sepulchri Cameracensi, magistro Gerardo decano Cameracensi, Johanne de Cella canonico sancte Crucis Cameracensis, domino Guillelmo monacho sancti Sepulchri predicti, magistro Petro de Nalines socio prefati decani, Gualtero de Gremcort presbytero, magistro Sinibaldo Romano canonico sancti Germani Montensis, Matheo et Jacobo de Narnia procuratoribus in Romana curia vocatis et rogatis, sub anno Domini M.CC.LXIII, indictione VII^{a}, mense octobris die quinta exeuntis, pontificatus domini Urbani pape IIII anno tertio. »

« Tenor autem dicti instrumenti compromissi talis est :

« In nomine Domini amen. Cum inter Amandum de » Castello, presbyterum Cameracensis diocesis, ex » parte una, et venerabiles viros capitulum sancte » Crucis Cameracensis ac magistrum Walterum de Sol» lempniis, dicte diocesis clericum, ex altera, super » receptione et provisione dicti presbyteri in dicta » ecclesia sancte Crucis questione suborta, .. abbas » monasterii sancti Auberti Cameracensis eidem pres» bytero executor super receptione ac provisione hu» jusmodi a sede apostolica deputatus, causam hujus» modi de consensu partium ad examen sedis apostolice » remisisset, prefixo ipsis partibus certo termino pe» remptorio, quo per se vel per procuratores ydoneos, » cum omnibus actis, juribus et munimentis suis hu» jusmodi causam contingentibus, apostolico se cons» pectui presentarent, facture et recepture super hoc » quod ordo rationis dictaret, tandem negotio seu » causa hujusmodi per remissionem eandem ad sedem » apostolicam devoluto, sanctissimus pater, dominus » Urbanus papa IIII, venerabilem in Christo patrem » dominum Guillelmum, miseratione divina tituli » sancti Marci presbyterum cardinalem, dedit in ipsa » causa eisdem partibus auditorem; et cum coram

» eodem cardinali aliquandiu in eadem causa processum foret, partes ipse volentes vitare litigia, videlicet » idem presbyter presentialiter pro se et magister » Henricus de Liernut, clericus procurator capituli et » magistri Walteri predictorum, pro eis a quibus habet » ad compromittendum et componendum speciale » mandatum, prout in litteris procuratoriis inde confectis, quarum tenor inferius annotatur, plenius continetur, in presentia mei Guillelmi, notarii et subscriptorum testium rogatorum, super causa et » questione hujusmodi, in supradictum dominum cardinalem tamquam in arbitrum, arbitratorem et amicabilem compositorem compromittere curaverunt, » ordinationi, laudo, diffinitioni, voluntati et arbitrio ipsius domini cardinalis se totaliter summittentes, judiciaria potestate ipsi domino cardinali » nichilominus reservata, promittens dictus presbyter » pro se, dictus autem magister Henricus nomine » procuratorio capituli et magistri Walteri predictorum, sub juramentis suis corporaliter prestitis, et » sub pena centum marcarum argenti parti observanti » a parte resiliente reddendarum et solvendarum, quicquid super hiis ab eodem domino cardinali, secundum quod ei visum fuerit expedire, sententiatum, » arbitratum, ordinatum, statutum, provisum et pronuntiatum fuerit, perpetuo se inviolabiliter observare » et tenere et per se vel per alium in contrarium non » venire, renuntiantes ad invicem omnibus exceptionibus doli et fraudis, et omni eo per quod premissa » vel aliquid premissorum impediri possent vel infringi, volentes etiam et expresse consentientes » quod, quotiens ab ipsis vel aliquo eorum contra predicta vel aliquid predictorum actum vel ventum » fuerit, totiens pena committatur eadem, predictis sententia, arbitrio, ordinatione, compositione, statuto, » laudo, dicto et provisione nichilominus in suo robore » duraturis. Actum apud Urbemveterem presentibus » hiis testibus videlicet domino Viviano priore sancti » Bartholomei de Figuino, domino Guillelmo de Braio » presbytero, Egidio rectore ecclesie de Audegnies, » Johanne de Cameraco clerico, et Guarnero de Urmonte notario, vocatis et rogatis, sub anno Domini » M° CC° LX° tertio, indictione VII, mense octobris » die XXIII, pontificatus domini Urbani pape IIII anno » tertio.

« Tenor procurationis supradicti magistri Henrici talis est :

« *Universis presentes litteras inspecturis .. officialis Cameracensis salutem in Domino*. Noverit universitas vestra quod venerabiles viri capitulum sancte Crucis » Cameracensis et magister Walterus de Sollempniis » clericus magistrum Henricum de Liernut et Jacobum de Warigniaco clericos, latores presentium, » suos coram nobis constituerunt procuratores et » quemlibet eorum insolidum, ita quod non sit melior » conditio occupantis, in causa quam ipsi habent in curia » Romana contra dominum Amandum de Castello » presbyterum, super provisione ipsi presbytero in ecclesia sancte Crucis Cameracensis facienda, dantes » eisdem procuratoribus suis et cuilibet eorum in solidum potestatem et mandatum speciale compromittendi, nomine ipsorum, cum dicto domino Amando, » amicabiliter componendi in dicta causa et etiam » ordinandi et omnia alia faciendi etiam in quibus » requiritur et exigitur mandatum speciale, et que ipsi » capitulum et magister W. predicti facerent in causa » predicta vel facere possent si presentes essent, » dantes etiam potestatem et mandatum speciale dictis » procuratoribus suis et cuilibet eorum in solidum » constituendi seu substituendi alium procuratorem » vel alios, loco sui, qui similem in premissis habeant » potestatem, ratum et firmum habituri quicquid super premissis omnibus et singulis, pro ipsis et nomine ipsorum, per predictos H. et J. procuratores » vel substitutum ab eisdem, vel altero eorum factum » fuerit sive dictum; quod tenore presentium universitati vestre volumus esse notum. Datum anno Domini M.CC.LXIII, feria sexta ante Nativitatem beate » Virginis. Et ego Guillelmus Nicolai, auctoritate » sancte Romane ecclesie notarius, predicto compromisso sub prescripta forma facto presens fui et, ut » superius legitur, de voluntate predictorum domini » Amandi et magistri Henrici, scripsi et in publicum » redegi rogatus. »

« Et ego, Guillelmus Nicolai predictus, auctoritate sancte Romane ecclesie notarius ac prefati domini cardinalis scriba, prolationi dicte sententie, arbitrii, ordinationis, provisionis, diffinitionis et statuti predictorum presens fui, et, ut superius legitur, de mandato dicti domini cardinalis, predictorum domini Amandi et magistri Henrici interveniente assensu pariter et consensu, scripsi et in publicam formam redegi meoque signo signavi. »

Nulli ergo nostre confirmationis etc. Datum apud Urbemveterem, II kalendas januarii, anno tertio. »

975 Orvieto, 31 décembre 1263.

Thesaurario ecclesiae Tornacensis executionem committit sententiae praedictae. (Reg. 29, n° 23, fol. 16 v°.)

« *Thesaurario ecclesie Tornacensis.* Exhibita nobis dilecti —. Datum apud Urbemveterem, ii kalendas januarii, anno III°. »

976 Orvieto, 18 janvier 1264.

Petro Iterii ecclesiam de Laiarna-Audoini, Xanctonensis diocesis, ipsi a Simone, sancti Martini presbytero cardinali, arbitraria potestate adjudicatam, confirmat. (Reg. 29, fol. 16, n° 24.)

« *Petro Iterii, rectori ecclesie de Laiarna-Audoini, Xanctonensis diocesis.* Ea que judicio, etc., usque communiri. Exhibita siquidem nobis tua petitio continebat quod, cum nos in causa, que inter te et Petrum Bonini de Morteriis, clericum Xanctonensis diocesis, super ecclesia de Laiarna-Audoini, in qua uterque vestrum se jus habere dicebat, orta extitit, ad sedem apostolicam legitime devoluta, dilectum filium nostrum S., tituli sancti Martini presbyterum cardinalem dedissemus partibus auditorem, idem cardinalis, discussis et examinatis exacta diligentia juribus ipsarum partium universis, habitoque consilio peritorum, et secum plena deliberatione habita necnon a nobis licentia pronuntiandi obtenta, te quoque et procuratore alterius partis presentibus jurisque ordine observato, dictam ecclesiam, cum omnibus juribus et pertinentiis suis, tibi sententialiter adjudicavit, eamque cum dictis juribus ad te spectare pronuntiando declaravit, ac te in possessionem ipsius ecclesie, a qua supradictum Petrum Bonini sententialiter amovit, inducendum esse decrevit, partem adversam ad restituendum tibi dictam ecclesiam cum fructibus exinde a tempore litis contestate perceptis, sententialiter condempnando, ac eidem parti adverse super ecclesia ipsa perpetuum silentium imponendo, prout in publico instrumento confecto exinde, munito sigillo cardinalis predicti, plenius continetur. Nos itaque, tuis supplicationibus inclinati, hujusmodi sententiam, pronuntiationem, declarationem, decretum et condempnationem per cardinalem eundem edita, rata et firma habentes, ea auctoritate apostolica confirmamus, etc., usque communimus.

Tenorem autem ipsius instrumenti de verbo ad verbum presentibus fecimus annotari, qui talis est :

« In nomine Domini amen. Orta dudum inter Petrum Iterii, Pictavensis diocesis, et Petrum Bonini de Morteriis, Xanctonensis diocesis clericos, super ecclesia de Lajarna-Audoini, dicte Xanctonensis diocesis, materia questionis, sanctissimus pater et dominus noster dominus Urbanus, Dei gratia papa quartus, nobis Simoni, miseratione divina tituli sancti Martini presbytero cardinali, causam hujusmodi audiendam commisit et fine debito terminandam. Partibus tandem videlicet dicto Petro Iterii pro se personaliter et per se, ac dicto Petro Bonini de Morteriis pro se personaliter in judicio comparentibus coram nobis, dictus Petrus Iterii contra prefatum Petrum Bonini de Morteriis libellum obtulit in hunc modum :

« Coram vobis, venerabili patre, domino Simone, » Dei gratia tituli sancti Martini presbytero cardinali, » a domino papa partibus auditore concesso, dicit et » proponit Petrus Iterii, clericus Pictavensis diocesis, » contra Petrum Bonini de Morteriis, clericum diocesis » Xanctonensis, quod ecclesia de Lajarna-Audoini, » ejusdem diocesis Xanctonensis, per resignationem » magistri Gaufridi de la Guarda, tunc temporis cle» rici . . decani Xanctonensis, vacavit, et post vacatio» nem hujusmodi fuit eadem ecclesia cum juribus et » pertinentiis suis eidem Petro Iterii apostolica auc» toritate collata canonice, et de ea extitit idem Petrus » investitus et in ejus corporalem possessionem in» ductus. Dictus vero Petrus Bonini dictam ecclesiam » temere occupavit et contra justitiam eam detinet » occupatam, in dicti Petri Iterii prejudicium et gra» vamen. Unde petit per vos, reverende pater, idem » Petrus Iterii dictam ecclesiam, cum juribus et perti» nentiis suis, sibi adjudicari, et ad eum spectare de » jure per vos sententialiter declarari, et dictum Pe» trum Bonini quatenus de facto possessioni ipsius » ecclesie incumbit, ab ipsa ecclesia et possessione » illa penitus amoveri, ac eum ut dictam ecclesiam » ipsi Petro Iterii dimittat et restituat, cum fructibus » inde perceptis vel eorum estimatione, que ascendit » usque ad sexaginta libras turon., per sententiam » condempnari, et eidem Petro Bonini super ea per» petuum silentium imponi, cum nullum jus habeat in » eadem. Et hoc petit cum dampnis et expensis legiti» mis, que et quas extimat ad valorem quinquaginta » librarum turon., et protestatur futuras expensas, » salvo jure, etc. »

« Lite itaque super dicto libello per Heliam Fornerii, procuratorem dicti Petri Bonini legitime constitutum, coram nobis, in judicio, nomine procuratoris, pro eodem legitime contestata, ac a partibus de calumpnia

et veritate dicenda prestito juramento, factis hinc inde positionibus et responsionibus ad easdem, datis articulis et in termino prefixo partibus, munimentis, juribus, rationibus, probationibus testibusque productis diligenter, inspeximus, attendimus et discussimus omnia que partes hinc inde probare, allegare, proponere coram nobis et producere voluerunt. Nos igitur, discussis et examinatis exacta diligentia juribus ipsarum partium universis, quoniam nobis ex hiis liquido constitit dictam ecclesiam de Lajarna-Audoini, Xanctonensis diocesis, de qua agitur, ad prefatum Petrum Iterii clericum de jure spectare, ac memoratum Petrum Bonini de Morteriis nullum in eadem ecclesia jus habere, habito diligenti consilio peritorum et nobiscum plena deliberatione prehabita, Dei nomine invocato, petita etiam super hoc et obtenta ab eodem domino papa licentia, concessa nobis oraculo vive vocis, partibus ipsis videlicet dicto Petro Iterii pro se personaliter, et per se, ac dicto Helya Fornerii procuratore dicti Petri Bonini, nomine procuratoris, pro eodem presentibus coram nobis in judicio in prefixo eis termino ad sententiam audiendam, petentibus etiam et instanter postulantibus sententiam, ecclesiam ipsam de Laiarna-Audoini, dicte diocesis Xanctonensis, cum omnibus juribus et pertinentiis suis, dicto Petro Iterii, clerico Pictavensis diocesis, in scriptis sententialiter adjudicamus, ipsamque ecclesiam cum dictis suis juribus ad eundem de jure spectare pronuntiamus ac etiam declaramus, atque ipsum in possessionem ipsius ecclesie, a qua dictum Petrum Bonini sententialiter amovemus, decernimus inducendum, prefatum Petrum Bonini ac etiam Helyam predictum, procuratorio nomine ipsius Petri Bonini, ad restitutionem cum fructibus perceptis ex ea a tempore litis contestate sententialiter condempnantes, ac dicto Petro Bonini de Morteriis, et prefato Helye Fornerii, procuratori suo nomine procuratoris pro eodem Petro, super dicta ecclesia de Lajarna ex nunc perpetuum silentium imponentes. In quorum omnium testimonium et cautelam dicti Petri Iterii, presens publicum instrumentum exinde per manus Nicolai de Rocca, publici notarii, fieri fecimus et nostri sigilli munimine roborari. Acta sunt hec et lata est hec sententia sive pronuntiata apud Urbemveterem, in hospitio dicti domini Simonis cardinalis, auditoris cause, anno dominice Incarnationis M°CC°LXXIII° mense decembris, die quinta decima, indictione vii^a^, pontificatus domini Urbani pape quarti anno tertio, coram me supradicto Nicolao de Rocca, publico notario, presentibus dominis . . Dei gratia episcopo Tervisino, A. abbate monasterii de Carrara, Paduane diocesis, magistro Blanco canonico Tervisino, Romano de Placentia, Libanoro de Monte-Silicis, Symonetto de Varisio, domino Henrico dicto *Confalonero* de Brixia, et aliis pluribus testibus ad hec specialiter convocatis. Ego Nicolaus de Rocca, publicus sacrosancte Romane ecclesie auctoritate notarius, prolationi seu pronuntiationi dicte sententie ac aliis omnibus suprascriptis interfui, et ea de mandato supradicti domini Symonis cardinalis, auditoris cause, scripsi et publicavi et publicata una cum sigillo dicti domini cardinalis, presentibus appenso, consueto meo signo signavi. »

Nulli ergo hominum liceat paginam nostre confirmationis, etc. Datum apud Urbemveterem, xv kalendas februarii, anno tertio. »

977 Orvieto, 18 janvier 1264.

Magistro scolarum Pictavensium praedictae sententiae executionem committit. (Reg. 29, fol. 17, n° 25.)

« . . *magistro scolarum Pictavensium.* Exhibita nobis dilecti —. Datum apud Urbemveterem, xv kalendas februarii, anno tertio. »

978 Orvieto, 12 janvier 1264.

Roberto, apostolico subdiacono, archidiaconatum et praebendam de Vulto, in regno Ungariae, a Stephano, Prenestino episcopo collatos, confirmat. (Reg. 29, fol. 17 v°, n° 26.)

« *Roberto, subdiacono nostro, cantori ecclesie de Possaga, Quinqueeclesiensis diocesis, cappellano venerabilis fratris nostri . . episcopi Prenestini.* In nostra proposuisti presentia constitutus quod venerabilis frater noster . . Prenestinus episcopus, cui conferendi per se vel per alium aut alios personis ydoneis beneficia ecclesiastica, personatus et dignitates, cum cura et sine cura, que venerabilis frater noster Tymotheus, Zagabriensis episcopus tunc electus, promotionis sue tempore, in regno Ungarie obtinebat, concesseramus per nostras sub certa forma litteras liberam facultatem, archidiaconatum de Vulto necnon canonicatum et prebendam quod idem episcopus, predicte promotionis sue tempore, in Quinqueeclesiensi ecclesia obtinebat, cum omnibus juribus et pertinentiis suis, tibi, predictarum litterarum auctoritate, contulit et providit de illis, teque de ipsis per suum anulum investivit, prout in instrumento publico inde confecto dictique

Prenestini episcopi sigillo signato, plenius continetur. Nos itaque, tuis supplicationibus inclinati, quod ab eodem episcopo Prenestino factum est in hac parte, ratum et firmum habentes, id auctoritate apostolica confirmamus, etc. usque communimus.

Tenorem autem ipsius instrumenti de verbo ad verbum presentibus fecimus annotari, qui talis est :

« *Stephanus, miseratione divina Prenestinus episcopus, dilecto cappellano suo magistro Roberto, cantori de Posega, domini pape subdiacono, salutem in Domino.* Noveris nos recepisse litteras apostolicas in hac forma :

« *Urbanus episcopus, servus servorum Dei, venerabili » fratri . . episcopo Penestrino, salutem et apostolicam be- » nedictionem.* Tuam volentes honorare personam et per » honorem tibi exhibitum aliis providere, conferendi » per te vel per alium seu alios personis ydoneis be- » neficia ecclesiastica, personatus et dignitates cum » cura et sine cura que dilectus filius Tymotheus, Za- » gabriensis electus, promotionis sue tempore, in re- » gno Ungarie obtinebat, ac faciendi personas ipsas » ad beneficia hujusmodi, si in ecclesiis collegiatis » fuerint, recipi in canonicos et in fratres necnon con- » tradictores per censuram ecclesiasticam, appella- » tione postposita, compescendi, non obstante certo — » aut quod eedem persone alias beneficiate existant, » fraternitati tue liberam concedimus auctoritate pre- » sentium facultatem. Datum apud Urbemveterem VII » kalendas octobris, pontificatus nostri anno tertio. »

« Harum igitur auctoritate litterarum, archidiaconatum de Vulto, canonicatum et prebendam que venerabilis pater Tymotheus, Zagabriensis episcopus, promotionis sue tempore, in Quinqueecclesiensi ecclesia obtinebat, vacantia per promotionem ipsius episcopi, tibi, cum omnibus juribus et pertinentiis suis, conferimus et providemus de ipsis, te investientes presentialiter per nostrum anulum de eisdem, non obstante certo —, aut quod alias beneficiatus existis, decernentes etiam auctoritate predicta irritum et inane si secus de hujusmodi archidiaconatu, canonicatu et prebenda quavis auctoritate contigerit per aliquem attemptari. Actum apud Urbemveterem, in hospitio nostro, presentibus venerabilibus patribus Dei gratia A. Urgellensi, et Tymotheo Zagabriensi episcopis, fratre Bentevengna, fratre Gratia de ordine Minorum, Eventio presbytero, cappellanis nostris, Thomasino notario, Jacobino clerico et Guidone Bono, familiaribus nostris, et pluribus testibus ad hoc vocatis specialiter et rogatis, anno Domini M°CC°LXIII°, pontificatus domini Urbani pape IIII anno tertio, indictione VII, die prima januarii. In cujus rei testimonium presens publicum instrumentum fieri fecimus et sigilli nostri munimine roborari. Et ego Angelus de Palliano, sancte Romane ecclesie scriniarius, predictis interfui, et ea de mandato ejusdem cardinalis scripsi et rogatus fideliter publicavi. »

Nulli ergo nostre confirmationis, etc. Datum apud Urbemveterem, II idus januarii, anno tertio. »

979 Orvieto, 12 janvier 1264.

Episcopo Vesprimiensi mandat quatenus praedictum Robertum in possessionem archidiaconatus et praebendae praedictorum inducat. (Reg. 29, fol. 18, n° 27.)

« *Episcopo Vesprimiensi.* Dilectus filius Robertus —. Datum apud Urbemveterem, II idus januarii, anno tertio. »

980 Orvieto, 31 janvier 1264.

Petro de Hoyo rectoriam ecclesiae de Ambresineal, Leodiensis diocesis, ipsi a Navarro, auditore causarum palatii apostolici, adjudicatam, confirmat. (Reg. 29, fol. 18, n° 28.)

« *Petro de Hoyo, rectori ecclesie de A[m]bresineal, Leodiensis diocesis.* Ea que judicio, etc., usque communiri. Exhibita siquidem nobis tua petitio continebat quod, cum causa que inter te, ex parte una, et Stephanum de Andana presbyterum ac . . prepositam, . . decanam, et capitulum secularis ecclesie Andanensis, Leodiensis diocesis, super ecclesia de Ambresineal, quam tibi auctoritate apostolica proponis esse collatam, et ad quam ipse presbyter a dictis preposita, decana et capitulo se pro patronis illius gerentibus, legitime presentatum esse dicebat, ex altera, orta extitit, per appellationem tuam ad sedem apostolicam legitime devoluta fuisset, tuque, causa prosequendi negotium hujusmodi, ad sedem accessisses eandem, nos in negotio ipso dilectum filium nostrum G., sancti Georgii ad Velum Aureum diaconum cardinalem, dedimus auditorem; et licet pars presbyteri, preposite, decane et capituli predictorum in audientia publica pluries citata fuerit et diutius expectata, coram eo tamen per se vel per procuratorem ydoneum comparere contumaciter non curavit, cumque dilectus filius magister Johannes, cappellanus ipsius cardinalis, cui eadem causa fuit a cardinali jamdicto commissa, de speciali ejus licentia et mandato, pronuntiasset, justitia suadente, prefatum negotium esse per appellationem

hujusmodi ad sedem apostolicam legitime devolutum, et in ea tractari ac finiri debere, dictam partem adversam reputans contumacem, quia prefatus cardinalis medio tempore se ad partes alias contulit, nos dilecto filio magistro Navarro, capellano nostro, auditori causarum nostri palatii generali, omnes causas dicto cardinali commissas audiendas commisimus et fine debito decidendas. Idem vero magister N., premissis citationibus in predicta audientia, ut est moris, ac libellis a te receptis, visis quoque instrumentis, probationibus ac juribus a te exhibitis eisque plenius intellectis ac diligenter examinatis, necnon peritorum consilio et plena deliberatione secum habitis jurisque ordine observato, te presente ac eadem parte adversa non curante coram eo per se vel responsalem ydoneum comparere, diffinitivam pro te sententiam promulgavit, supradictum presbyterum tibi, expensarum nomine, in decem libras turon., taxatione prehabita et a te juramento prestito, nichilominus condempnando, prout in publico instrumento confecto exinde ac sigillo ipsius magistri Navarri signato, plenius continetur. Nos itaque, tuis supplicationibus inclinati, hujusmodi sententiam et condempnationem sicut provide late sunt, ratas et firmas habentes, eas auctoritate apostolica confirmamus, etc., usque communimus.

Tenorem autem ipsius instrumenti de verbo ad verbum presentibus fecimus annotari, qui talis est :

« In nomine Domini amen. Cum sanctissimus pater dominus Urbanus, divina providentia universalis sacrosancte Romane ecclesie summus pontifex, venerabili patri domino . . Leodiensi episcopo, suis sub certa forma dedisset litteris in mandatis ut Petro de Hoyo, clerico sue diocesis, nullum tunc beneficium ecclesiasticum assecuto, de aliquo ecclesiastico beneficio prebendali vel alio, cum cura vel sine cura, si in sua civitate vel diocesi tunc vacabat, vel quamprimo ad id se offerret oportunitas, provideret ipsumque in corporalem ipsius possessionem induceret et tueretur inductum, contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, idem episcopus, hujusmodi mandato recepto, discreto viro Guidoni de Bomont, canonico Leodiensi, super provisione hujusmodi commisit totaliter vices suas. Dictus vero canonicus ecclesiam de Ambresmeal (*sic*), Leodiensis diocesis, tunc vacantem, cum appenditiis, juribus et pertinentiis suis omnibus prefato clerico auctoritate apostolica sibi in ea parte commissa, contulit et assignavit, sibique de eadem providit, irritum et inane decernens si quid contra collationem et provisionem hujusmodi a quoquam contingeret attemptari, dictumque clericum per discretos viros Arnuldum presbyterum de Hanut, et .. investitum de Parvo-Haleyo, dicte diocesis, in corporalem ipsius ecclesie ac appenditiorum ejus fecit possessionem induci. Cumque postmodum Stephanus, presbyter de Andana, ad dictam ecclesiam de Ambresineal a . . preposita, . . decana, et capitulo secularis ecclesie Andanensis, prefate diocesis, qui jus patronatus ipsius ecclesie de Ambresin[e]al ad se asserunt pertinere, in dicti Petri prejudicium et gravamen se faceret presentari, dictus Petrus, quamcito id ad suam pervenit notitiam, in scriptis ad sedem apostolicam appellavit, propter quod ad eandem personaliter sedem accedens, tam super appellatione prefata quam negotio principali reverendum patrem, dominum Gottifridum, sancti Georgii ad Velum Aureum diaconum cardinalem, dari obtinuit auditorem. Coram quo ipso pro se personaliter, nemine vero pro dictis presbytero, preposita, decana et capitulo comparente, licet pluries et peremptorie in audientia publica, de mandato dicti domini cardinalis, citati fuerint, ut est moris, et per viginti dies et amplius expectati, discretus vir magister Johannes, cappellanus prefati domini cardinalis, cui idem dominus ipsam causam commiserat audiendam, de speciali ipsius licentia et mandato, dictam causam pronuntiavit esse per appellationem hujusmodi ad sedem apostolicam legitime devolutam, et in eadem tractari debere et finiri, prefatos presbyterum, prepositam, decanam et capitulum reputans contumaces et in dicta causa debere procedi, ipsorum contumacia non obstante. Verum, prefato domino cardinali se ad partes alias a curia conferente, predictus sanctissimus pater, dominus Urbanus papa IIII, nobis, magistro Navarro, cappellano suo ac auditori causarum ipsius palatii generali, omnes causas dicto domino cardinali commissas, usque ad ipsius domini cardinalis reditum, audiendas commisit fineque debito decidendas. Nos itaque prefatos presbyterum, prepositam, decanam et capitulum ut per se vel responsalem ydoneum, facturi et recepturi in dicta causa quod ordo rationis requireret, comparerent, pluries et peremptorie citari fecimus. Ipsis vero nec per se nec per procuratorem habentem pro eis mandatum sufficiens ad istiusmodi cause prosecutionem et defensionem coram nobis curantibus comparere, dictus Petrus contra ipsos libellos obtulit infrascriptos :

« Coram vobis, venerabili viro, magistro Navarro,
» domini pape cappellano et ipsius palatii generali
» auditore causarum, subrogato in causis commissis
» audientie reverendi patris domini Gottifridi, sancti

» Georgii ad Velum Aureum diaconi cardinalis, partibus auditore concesso, proponit Petrus de Hoyo, » rector ecclesie de Ambresineal, Leodiensis diocesis, » contra Stephanum presbyterum de Andana, dicens » quod, cum de dicta ecclesia cum juribus et pertinentiis suis dicto Petro auctoritate apostolica canonice sit provisum, dictus tamen Stephanus predictum » Petrum super possessione predicte ecclesie jurium » et pertinentiarum ipsius impedit et molestat, ita » quod non potest earundem pacifica possessione gaudere. Quare petit dictus Petrus predictum Stephanum a predicta molestatione compesci et predictam » ecclesiam cum juribus et pertinentiis predicto Petro » adjudicari, et ad eundem de jure spectare per vestram sententiam declarari, et predicto Stephano perpetuum silentium imponi super dicta ecclesia et » pertinentiis suis, cum nullum jus ei competat in » eisdem. Petit etiam ipsum condempnari in dampnis » et expensis et interesse, que omnia in processu judicii declarabit. Item proponit dictus Petrus contra » prepositam, decanam et capitulum ecclesie Andanensis dicens quod, cum de ecclesia de Ambresineal » dicto Petro auctoritate apostolica canonice sit provisum, predicti preposita, decana et capitulum asserentes in dicta ecclesia jus patronatus eisdem competere, predictum Petrum super possessione dicte » ecclesie impediunt et molestant. Quare petit dictus » Petrus predictos prepositam, decanam et capitulum » a predicta turbatione compesci et predictam ecclesiam, cum juribus et pertinentiis suis, predicto Petro » adjudicari, et eandem ad ipsum spectare per vestram sententiam declarari, et super impetitione et » molestatione contra dictum Petrum predictis preposite, decane et capitulo perpetuum silentium imponi. » Petit etiam predictos condempnari in dampnis et » expensis factis et faciendis, que in processu judicii » declarabit, etc. »

« Postmodum quidem, petente predicto Petro cum instantia ut ulterius in negotio procederemus eodem, juramentum ab eo recepimus, secundum juris exigentiam ac ipsius negotii qualitatem. Visis igitur instrumentis probationibus et juribus ab ipso Petro exhibitis ac eis plenius intellectis et diligenter examinatis, habitoque super eis peritorum consilio et plena deliberatione nobiscum, predicto Petro presente ac sententiam ferri instanter petente, prefatis vero Stephano, preposita, decana et capitulo per contumaciam absentibus, licet peremptorie in audientia publica citati fuerint ad presentem diffinitivam sententiam audiendam, eorum absentiam divina replente presentia, Christi nomine invocato, per diffinitivam sententiam declaramus predictam ecclesiam de Ambresineal ad sepedictum Petrum de jure spectare, ipsam cum juribus et pertinentiis suis omnibus adjudicantes eidem, ac dicto Stephano super ea perpetuum silentium imponentes, predictis Stephano, preposite, decane et capitulo nichilominus per eandem sententiam inhibemus ne prefatum Petrum super dicta ecclesia, juribus ejus vel pertinentiis turbare, molestare audeant vel etiam impedire, ipsis super turbatione, molestatione ac impeditione hujusmodi perpetuum silentium imponentes, sepefatum Stephanum in decem librarum turon., taxatione prehabita prestitoque prius ab ipso Petro super hiis corporaliter juramento, expensarum nomine condempnando. In cujus rei testimonium, presentem sententiam scribi et publicari mandavimus per notarium infrascriptum et nostri sigilli munimine roborari. Lata fuit presens sententia per prefatum dominum auditorem apud Urbemveterem, in palatio domini pape, anno Domini M°CC°LXIII°, pontificatus domini Urbani pape IIII, anno tertio, indictione VII^a, mense decembris die quinta, presentibus magistro Bernardo archidiacono Valetensi, magistro Matheo judice Lucano, domino Petro Fernandi milite de Spata, et magistro Berardo notario dicti domini auditoris, et aliis pluribus testibus inde vocatis. Et ego, Jacobus de Marsia, apostolice sedis auctoritate notarius, predictis interfui, ipsa omnia de predicti domini auditoris mandato scripsi et in publicam formam redegi. »

Nulli ergo nostre confirmationis, etc. Datum apud Urbemveterem, II kalendas februarii, anno tertio. »

981 Orvieto, 31 janvier 1264.

Decano Remensi mandat quatenus praedictam sententiam executioni demandet. (Reg. 29, f° 19, n° 29.)

« *Decano Remensi*. Exhibita nobis dilecti —. Datum apud Urbemveterem, II kalendas februarii, anno tertio. »

982 Orvieto, 5 février 1264.

Magistro Raymundo de Faentia canonicatum et praebendam in ecclesia Forcalquariensi, Sistaricensis diocesis, ab Anchero, tituli s. Praxedis presbyterum cardinalem, collatos, confirmat. (Reg. 29, fol. 19, n° 30.)

« *Magistro Raymundo de Faentia, canonico Regensi,*

cappellano et phisico [1] *venerabilis fratris nostri H., Ostiensis et Velletrensis episcopi.* Que de sedis —. Sane, cum quedam prebenda in ecclesia Forcalquariensi, Sistariensis diocesis, per mortem quondam Isnardi de Charentesio, ejusdem ecclesie canonici, nuper apud sedem apostolicam vacavisset, nos dilecto filio nostro A., tituli sancte Praxedis presbytero cardinali, viva voce commisimus ut canonicatum ipsius ecclesie ac eandem prebendam ydonee persone conferret; qui tandem attendens tue merita probitatis, quibus dinosceris adjuvari, dictum canonicatum, cum prebenda ipsa et plenitudine juris canonici, tibi contulit et providit de ipsis teque de illis per suum anulum presentialiter investivit, decernens irritum et inane si secus de canonicatu et prebenda predictis quavis auctoritate a quoquam contigerit attemptari, prout in patentibus litteris ipsius presbyteri cardinalis confectis exinde suoque sigillo signatis, plenius continetur. Nos itaque, tuis supplicationibus inclinati, quod ab eodem cardinali super premissis factum est, ratum et firmum habentes, id auctoritate apostolica confirmamus etc. usque communimus.

Tenorem autem litterarum ipsarum de verbo ad verbum presentibus fecimus annotari, qui talis est :

« *Ancherus, miseratione divina tituli sancte Praxedis presbyter cardinalis, dilecto nobis in Christo magistro Raymundo de Faentia, canonico Regensi, physico et cappellano venerabilis patris domini H., Ostiensis episcopi, salutem et sinceram in Domino caritatem.* Cum quedam prebenda —. In cujus rei testimonium presens instrumentum per infrascriptum notarium nostrum scribi fecimus et nostri sigilli munimine roborari. Actum apud Urbemveterem, in hospitio dicti domini cardinalis, anno Domini M°CC°LXIIII°, indictione VII, VII kalendas februarii, pontificatus domini Urbani pape IIII, anno tertio, presentibus venerabili patre domino Grassensi episcopo, domino Arnoldo preposito Coloniensi, domino Durando de Paluello cantore Eduensi, domino Nicolao de Vigneto canonico Laudunensi, magistro Waltero dicto *Bursant* canonico Trecensi, et Felice de Trecis physico, cappellanis predicti domini cardinalis, testibus ad hoc vocatis. Et ego Franciscus de Alatro, apostolice sedis auctoritate notarius, predictis collationi, provisioni, investiture ac decreto interfui, et de mandato ipsius domini cardinalis inde feci hoc publicum instrumentum meoque signo signavi. »

Nulli ergo nostre confirmationis etc. Datum apud Urbemveterem, nonis februarii, anno tertio. »

1. Le manuscrit porte par erreur *Philippo.*

983 Orvieto, 5 février 1264.

Episcopo Regensi mandat quatenus praedictum magistrum Raymundum de Faentia in praefata ecclesia Forcalquariensi in canonicum recipi faciat. (Reg. 29, f° 19 v°, n° 31.)

« *Episcopo Regensi.* Que de sedis —. Datum apud Urbemveterem, nonis februarii, anno III° »

984 Orvieto, 9 février 1264.

Jacobo de Charentesio praebendam seu vestiarium in ecclesia Aquensi ab Anchero, tituli s. Praxedis presbytero cardinali, collata, confirmat. (Reg. 29, fol. 19, n° 32.)

« *Jacobo de Charentesio, canonico ecclesie Folcalquariensi, Sistariensis diocesis, capellano venerabilis fratris nostri H., Ostiensis et Velletrensis episcopi.* Que de sedis apostolice etc. usque provenire. Sane, cum prebenda seu vestiarium, quam vel quod quondam Isnardus de Charentesio, canonicus Aquensis ecclesie, in ea obtinuit, per mortem ipsius Isnardi nuper apud sedem apostolicam vacavisset, nos dilecto filio nostro A., tituli sancte Praxedis presbytero cardinali, viva voce commisimus ut canonicatum ipsius ecclesie Aquensis, ac eandem prebendam seu vestiarium idonee persone conferret; qui tandem attendens tue merita probitatis quibus dinosceris adjuvari, dictum canonicatum cum hujusmodi prebenda seu vestiario, ac plenitudine juris canonici, tibi contulit et providit de ipsis, ac nichilominus dilectum filium Bertrandum de Charenthesio, Folcalquariensem canonicum, germanum tuum, cappellanum venerabilis fratris nostri H., Ostiensis et Velletrensis episcopi, tuo nomine, de illis per suum anulum investivit, decernens irritum et inane si secus de hiis quavis auctoritate a quoquam contigerit attemptari, prout in patentibus litteris ejusdem cardinalis confectis exinde suoque sigillo signatis, plenius continetur. Nos itaque, obtentu ipsius episcopi Ostiensis, tuis supplicationibus inclinati, quod ab eodem presbytero cardinali super premissis factum est, ratum et firmum habentes, id auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus.

Tenorem autem litterarum ipsarum de verbo ad verbum presentibus fecimus annotari, qui talis est :

« *Ancherus, miseratione divina tituli sancte Praxedis presbyter cardinalis, dilecto nobis in Christo Jacobo de Charenthesio, canonico Forcalquariensi, Sistaricensis diocesis, capellano venerabilis patris domini H., Ostiensis episcopi,*

salutem in Domino sempiternam. Cum prebenda seu vestiarium —. Actum apud Urbemveterem, in hospitio dicti domini cardinalis, anno Domini M°CC°LX°IIII° indictione VII^a, VII kalendas februarii, pontificatus domini Urbani pape quarti anno tertio, presentibus venerabili patre domino . . Grassensi episcopo, domino Arnoldo preposito Coloniensi, domino Durando de Palvello cantore Eduensi, domino Nicolao de Vigneto canonico Laudunensi, magistris Gualtero dicto *Bursant* canonico Trecensi, et Felice de Trecis physico, cappellanis predicti domini cardinalis, testibus ad hoc vocatis. Et ego Franciscus de Alatro, apostolice sedis auctoritate notarius, predictis collationi, provisioni, investiture ac decreto interfui, et de mandato ipsius domini cardinalis inde feci hoc publicum instrumentum meoque signo signavi. »

Nulli ergo, etc. Datum apud Urbemveterem, v idus februarii, anno tertio ».

985 Orvieto, 9 février 1264.

Archiepiscopo Ebredunensi praedictae committit collationis executionem. (Reg. 29, fol. 20, n° 33.)

« . . *archiepiscopo Ebredunensi.* Que de sedis —. Datum apud Urbemveterem, v idus februarii, anno tertio »

986 Orvieto, 19 janvier 1264.

Bernardo de Villacerto, archidiacono de Silva, medietatem fructuum confert sacristiae Barchinonensis ab Uberto, s. Eustachii diacono cardinali, Bernardo de Olorda collatae. (Reg. 29, f° 20 v°, n° 34.)

« *Bernardo de Villacerto, archidiacono de Silva in ecclesia Gerundensi, canonico Barchinonensi, subdiacono et capellano nostro.* Ea que judicio, etc. usque communiri. Exhibita siquidem nobis tua petitio continebat quod, cum nos in causa que inter te et dilectum filium magistrum Bernardum de Olorda, archidiaconum Benacensem in ecclesia Ilerdensi, canonicum Barchinonensem, capellanum nostrum, super sacristia vacante in ecclesia ipsa per mortem quondem Ferrarii de Lauro, sacriste Barchinonensis, orta extitit, ad sedem apostolicam legitime devoluta, dilectum filium nostrum U., sancti Eustachii diaconum cardinalem dedissemus partibus auditorem, tandem tu et dictus B. de Olorda comparentes in judicio coram ipso, utrique volentes parcere laboribus et expensis sicque eligentes potius per viam pacis hujusmodi causam dirimere quam dubium eventum judicii expectare, in eundem cardinalem super hoc, tamquam in arbitrum, arbitratorem, ordinatorem et amicabilem compositorem, sponte compromittere curavistis, arbitrio, laudo, ordinationi, diffinitioni et dicto ejus de sacristia ipsa et ejus fructibus vos pure ac simpliciter summittentes. Idem autem cardinalis, hujusmodi compromisso recepto et a nobis obtenta licentia ordinandi, disponendi, arbitrandi et statuendi inter partes sicut sibi melius videretur, de nostris mandato et licentia sibi datis a nobis oraculo vive vocis, necnon de voluntate et assensu utriusque partis, sic inter vos pro bono pacis et concordie ordinavit, dixit et statuit arbitrando quod dictus B. de Olorda sacristiam ipsam, cum omnibus juribus et pertinentiis suis, habeat pacifice et quiete ipsumque de illa per suum anulum investivit; sed, ut tu spe a te de gratia quam tibi olim per nostras litteras fieri voluimus, in Barchinonensi ecclesia memorata, et de ordinatione ipsius cardinalis concepta, non frustrareris ommino, immo ex eis commodum obtineres, dixit, ordinavit et pronuntiavit et statuit arbitrando, de nostris licentia et mandato, quod dictus B. de Olorda medietatem fructuum ac proventuum ipsius sacristie, tempore quo recolliguntur, tibi tamdiu annuatim exolvat et solvere teneatur quousque in dicta Barchinonensi ecclesia, per litteras apostolicas tibi super tua provisione in ecclesia ipsa concessas, quarum auctoritate venerabilis frater noster . . Terrachonensis archiepiscopus, executor deputatus in illis jam dicitur processisse, tibi de dignitate vel personatu provisum fuerit, et personatus seu dignitatis de quo vel qua tibi providebitur, possessionem habueris pacificam et quietam. Pro medietate vero hujusmodi fructuum et proventuum dictum B. de Olorda ipsamque sacristiam tibi obligavit et esse voluit obligatos. Idem quoque cardinalis quedam alia hiis pro te addidit prout in publico instrumento confecto exinde ac sigillo cardinalis memorati signato, plenius continetur. Nos itaque, tuis supplicationibus inclinati, quod per cardinalem ipsum super premissis pro te factum est, ratum et firmum habentes, id auctoritate apostolica confirmamus etc. usque communimus. Tenorem autem ipsius instrumenti de verbo ad verbum presentibus fecimus annotari, qui talis est :

« In nomine Domini amen. Ille rex mitissimus etc. *ut supra in* [1] *capitulo de verbo ad verbum usque meo consueto signo signavi.*

1. Ici un mot en blanc dans le manuscrit.

Nulli ergo nostre confirmationis etc. Datum apud Urbemveterem, xiiii kalendas februarii, anno tertio. »

987 Orvieto, 30 janvier 1264.

Priori s. Mariae de Letonc, Gerundensis diocesis, praefatae committit collationis executionem. (Reg. 29, fol. 20 v°, n° 35.)

« .. *priori s. Marie de Letone, Gerundensis diocesis.* Exhibita nobis dilecti —. Datum apud Urbemveterem, iii kalendas februarii, anno tertio. »

988 Orvieto, 16 janvier 1264.

Eventio canonicatum et praebendam in ecclesia Zagabriensi a Stephano, episcopo Penestrino, collatos, confirmat. (Reg. 29, fol. 21, n° 36; Potthast, 18783.)

« *Eventio presbitero, canonico Zagabriensi.* Que de sedis apostolice etc. Sane tua nobis petitio exhibita continebat quod, cum nos venerabili fratri nostro S., Penestrino episcopo, conferendi per se vel per alium personis ydoneis beneficia ecclesiastica, personatus et dignitates, cum cura et sine cura, que venerabilis frater noster Tymotheus, Zagabriensis episcopus, promotionis sue tempore, in regno Ungarie obtinebat, ac faciendi personas ipsas ad beneficia hujusmodi, si in ecclesiis collegiatis existerent, in canonicos recipi et in fratres, necnon contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendi, liberam concessissemus per nostras litteras facultatem, demum idem episcopus Penestrinus tibi capellano suo, auctoritate litterarum ipsarum, canonicatum et prebendam, quos dictus episcopus Zagabriensis, tempore sue promotionis, in Zagabriensi ecclesia obtinuerat, per hujusmodi promotionem jamdicti episcopi Zagabriensis vacantes, cum domibus, curia et omnibus juribus et pertinentiis suis, contulit et de ipsis providit teque presentialiter investivit per suum anulum de eisdem, decernens irritum et inane si secus de canonicatu et prebenda hujusmodi quavis auctoritate contingeret per aliquem attemptari, prout in publico instrumento confecto exinde ac sigillo ipsius episcopi Penestrini signato, plenius continetur. Nos itaque, tuis supplicationibus inclinati, quod ab eodem episcopo Penestrino super premissis factum est, ratum et firmum habentes, id auctoritate apostolica confirmamus etc. usque communimus.

Tenorem autem ipsius instrumenti de verbo ad verbum presentibus fecimus annotari, qui talis est :

« *Stephanus, miseratione divina Penestrinus episcopus, dilecto capellano suo Eventio presbitero salutem in Domino.* Noveris nos recepisse litteras apostolicas sub hac forma :

« *Urbanus episcopus, servus servorum Dei, venerabili » fratri .. episcopo Penestrino, salutem et apostolicam » benedictionem.* Tuam volentes etc. ut supra de » verbo ad verbum in XXVI° capitulo usque tertio. »

« Harum igitur auctoritate litterarum, canonicatum et prebendam que venerabilis pater Tymotheus, Zagabriensis episcopus, promotionis sue tempore, in Zagabriensi ecclesia obtinebat, vacantia per promotionem ipsius episcopi, tibi, cum domibus, curia et omnibus juribus et pertinentiis suis, conferimus et providemus de ipsis te investientes presentialiter per nostrum anulum de eisdem, non obstante certo, etc. Actum in hospitio nostro apud Urbemveterem, presentibus venerabilibus fratribus Dei gratia A., Urgellensi et Tymotheo Zagabriensi episcopis, fratre Bentevega (*sic*), fratre Gratia, de ordine Minorum, et magistro Roberto cantore de Posega, domini pape subdiacono, capellanis nostris, Thomasino notario, Jacobino clerico et Guidone Bono, familiaribus nostris, et pluribus testibus ad hoc vocatis specialiter et rogatis, anno Domini M°CC°LXIIII°, pontificatus domini Urbani pape IIII anno tertio, indictione VII^a, die prima januarii. In cujus rei testimonium presens publicum instrumentum fieri fecimus et sigilli nostri munimine roborari. Et ego, Angelus de Palliano, sancte Romane ecclesie scriniarius, predictis interfui et ea de mandato ejusdem domini cardinalis scripsi et rogatus fideliter publicavi. »

Nulli ergo nostre confirmationis etc. Datum apud Urbemveterem, xvii kalendas februarii, anno tertio. »

989 Orvieto, 16 janvier 1264.

Archiepiscopo Colocensi et abbati de Toplica, Cisterciensis ordinis, Zagabriensis diocesis, praefatae committit executionem collationis. (Reg. 29, fol. 21, n° 37.)

« .. *archiepiscopo Colocensi, et dilecto filio .. abbati de Toplica, Cisterciensis ordinis, Zagabriensis diocesis.* Que de sedis etc. —. Datum apud Urbemveterem, xvii kalendas februarii, anno tertio. »

990 Orvieto, 24 février 1264.

Magistro Johanni de Gonessia praebendam in ecclesia b. Mariae Casletensis a Radulpho, episcopo Albanensi, arbitratore, collatam, confirmat. (Reg. 29, fol. 21 v°, n° 38.)

« *Magistro Johanni de Gonessia, canonico ecclesie beate Marie Casletlensis, Morinensis diocesis.* Ea que judicio etc. usque communiri. Lecta siquidem nobis tua petitio continebat quod, cum nos in causa que inter te et Godefridum de Blangisel, concanonicum tuum, ad examen sedis apostolice legitime devoluta, super prebenda tunc vacante in ecclesia beate Marie Casletensis per mortem magistri Johannis dicti *Columbi*, ecclesie prefate canonici, quam uterque vestrum ad se spectare dicebat, venerabilem fratrem nostrum .. Albanensem episcopum, dedissemus partibus auditorem, tandem idem episcopus, cujus ordinationi tu ac dictus G. vos sponte ac concorditer submisistis, inspectis utriusque partis rationibus ac te et dicto Godefrido presentibus, prefatam prebendam ad te spectare pronuntians, eam cum juribus et pertinentiis suis assignandam tibi ac debere satisfieri tibi de fructibus ex illa medio tempore perceptis et qui percipi potuerunt, decrevit, dicto Godefrido super dictis prebenda et fructibus perpetuum silentium per diffinitivam sententiam imponendo, prout in litteris confectis exinde, sigillatis sigillo dicti episcopi, plenius continetur. Nos itaque, tuis supplicationibus inclinati, hujusmodi pronuntiationem, constitutionem et sententiam ratas et firmas habentes, eas auctoritate apostolica confirmamus etc. usque communimus.

Tenorem autem predictarum litterarum de verbo ad verbum presentibus fecimus annotari, qui talis est :

« In nomine Domini amen. Presidente rationis imperio —. Sane inter magistrum Guillelmum de Gonesia et Godefridum de Blangisel, canonicos ecclesie beate Marie Casletensis, Morinensis diocesis, super prebenda vacante ibidem per mortem magistri Johannis dicti *Columbi*, ecclesie prefate canonici, quam uterque ipsorum ad se spectare dicebat, coram nobis, Radulpho miseratione divina Albanensi episcopo, partibus a sanctissimo patre domino Urbano papa IIII, in causa hujusmodi ad sedem apostolicam legitime devoluta, dato auditore, questio verteretur, eisdem partibus se nostre ordinationi submittentibus, nos, inspectis et intellectis hiis que coram nobis partes proposuere predicte, prefatam prebendam ad nominatum Guillelmum spectare pronuntiantes, eam cum juribus et pertinentiis suis assignandam eidem ac debere sibi satisfieri de fructibus medio tempore perceptis ex illa vel qui percipi potuerunt, decernimus dictoque Godefrido super dicta prebenda et fructibus perpetuum silentium imponi per diffinitivam sententiam duximus imponendum. Quam sententiam utraque pars approbavit. In cujus rei testimonium presentes litteras fieri fecimus et nostro sigillo muniri. Datum apud Urbemveterem, II idus februarii, pontificatus domini Urbani pape IIII, anno tertio. »

Nulli ergo nostre confirmationis etc. Datum apud Urbemveterem, VII kalendas martii, anno tertio. »

991 Orvieto, 24 février 1264.

Cantori ecclesiae s. Martini Hyndiniensis, Morinensis dioecesis, praefatae committit executionem collationis. (Reg. 29, fol. 21 v°, n° 39.)

« *Cantori ecclesie s. Martini Hyndiniensis, Morinensis diocesis.* Lecta coram nobis —. Datum apud Urbemveterem, VII kalendas martii, anno tertio. »

992 Orvieto, 19 février 1264.

Henrico de Brayo praebendam in ecclesia Lobiensi, Cameracensis dioecesis, adjudicatam sententia Jordani, ss. Cosmae et Damiani diaconi cardinalis, confirmat. (Reg. 29, fol. 22, n° 40.)

« *Henrico de Brayo, nepoti dilecti filii nostri G., tituli sancti Marci presbiteri cardinalis, canonico ecclesie sancti Usmari Lobiensis, Cameracensis diocesis.* Ut eorum que etc. — Sane per dilectum filium magistrum Matheum de Salerno, capellanum nostrum, auctoritate commissionis sibi facte a nobis, ordinato inter alia et sententialiter declarato quod tu prebendam que secundo loco post constitutionem a felicis recordationis Alexandro papa, predecessore nostro, super exoneratione ecclesiarum superfluis receptionibus gravatarum, editam, in ecclesia sancti Usmari Lobiensis vacavit, obtinere debeas et habere, nos quod ab eodem capellano in hac parte factum extitit, per nostras litteras confirmantes, dilectum filium .. decanum ecclesie Rosetensis, Lau-

dunensis diocesis, executorem tibi super hoc duximus deputandum. Porro, magistro Gerardo de Pace, clerico procuratore .. decani et capituli prefate ecclesie Lobiensis, se tibi super dicta prebenda, suo et procuratorio dictorum decani, et capituli nomine, opponente, super hoc negotio per ipsius Gerardi appellationem ad sedem apostolicam legitime devoluto, dilectus filius noster Jordanus, sanctorum Cosme et Damiani diaconus cardinalis, cui illud audiendum et fine canonico terminandum commisimus, cognitis ipsius meritis et juris ordine observato, diffinitivam pro te sententiam promulgavit, dictos decanum et capitulum Lobiensis ecclesie ac Gerardum in certa tibi summa pecunie, taxatione ipsius cardinalis prehabita et procuratoris tui juramento postmodum subsecuto, expensarum nomine, condempnavit, prout in publico instrumento confecto exinde, cardinalis ejusdem sigillo munito, plenius continetur. Nos itaque, tuis precibus inclinati, quod ab eodem cardinale super hoc factum est, ratum et firmum habentes, id auctoritate apostolica confirmamus etc. usque communimus, instrumenti prefati tenorem de verbo ad verbum presentibus inseri facientes, qui talis est :

« In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti amen. Presidente rationis imperio —. Sane felicis recordationis dominus Alexander papa IIII, intellecto quod in ecclesia sancti Usmari Lobiensis, Cameracensis diocesis, occasione prebendarum que inibi vacaverunt post constitutionem quam idem dominus papa edidit super exoneratione ecclesiarum superfluis clericorum receptionibus gravatarum, dissensiones et scandala inter receptos ibidem sepius emergebant, venerabili in Christo patri domino O., sancti Adriani diacono cardinali, commisit ut de prebendis ipsis quibus de sic receptis deberentur et alias quis de receptis eisdem, quam seu quotam deberet expectare prebendam diffiniret ac sententialiter declararet. Cumque postmodum idem dominus papa per suas litteras proponi mandaverit in eadem ecclesia publice citationis edictum ut coram ipso domino cardinali, certo peremptorio ac competenti termino, ac eodem domino cardinali postea in hujusmodi negotio aliquandiu procedente et se ad partes alias transferente, sanctissimus pater dominus Urbanus papa IIII, magistro Matheo de Salerno, capellano suo, predictum negotium sub certa forma duxerit committendum, idem capellanus, Henrico de Brayo, nepote venerabilis in Christo patris domini G., tituli sancti Marci presbiteri cardinalis, et quibusdam aliis ex receptis predictis per procuratores ydoneos et quibusdam personaliter comparentibus coram eo, juribus singulorum examinatis sollicite ac diligentius recensitis, inter alia ordinavit et sententialiter declaravit ut predictus Henricus prebendam que secundo loco post dictam constitutionem vacavit in ecclesia memorata, obtinere debeat et habere, omnibus aliis super ipsa perpetuum silentium imponendo; ac idem dominus papa quod per eundem cappellanum in hac parte factum extitit, ratum habens et gratum, id auctoritate apostolica confirmavit, decano ecclesie Rosetensis sibi super hoc executore concesso. Mandante igitur executore predicto magistro Roberto de Tabliees, canonico ecclesie sancti Petri in Foro-Laudunensi, ut apud Lobias personaliter accedens, dominum Symonem de Palliaco, capellanum in ecclesia beate Marie Laudunensis, procuratorem dicti Henrici, pro ipso Henrico et nomine ipsius, in possessionem dicte prebende induceret et inductum defenderet, amoto ab ea quolibet detentore, prout ex beneficio litterarum apostolicarum executoriarum ad eum directarum, facere poterat et debebat, idem magister Robertus apud Lobias personaliter accedens et, capitulo ecclesie Lobiensis coram ipso vocato, mandatum apostolicum et predicti executoris legi diligenter faciens et exponi, quia ipsius ecclesie Lobiensis canonici in villa residentes eadem, cum idem magister Robertus ab eisdem tamquam a capitulo quereret que prebenda secundo loco in predicta vacaverat ecclesia, post constitutionem prefatam, et qui detinebat eandem, petierit inducias super hoc respondendi, dictum capitulum citavit peremptorie ad certum diem coram executore predicto, super hiis certitudinem responsurum. Comparente autem coram magistro Johanne, canonico et officiali Laudunensi, cui decanus Rosetensis predictus super hoc totaliter commiserat vices suas, magistro Gerardo de Pace, clerico procuratore dicti capituli, proponente nomine ipsius capituli procuratorio ac suo nomine coram ipso quasdam exceptiones sive rationes et inter alia, quod prebendam predictam que loco secundo post constitutionem predictam in ecclesia prefata vacavit, antequam dictus Henricus receptus fuisset in canonicum in eadem adeptus fuisset et in ipsius possessionem inductus, quia dictus officialis exceptiones seu rationes hujusmodi tamquam frivolas admittere recusavit, idem Gerardus primo ad dictum decanum Rosetensem, ac deinde ad summum pontificem, procuratorio nomine dicti capituli ac suo, appellavit in scriptis. Porro, negotio hujusmodi per appellationem ad sedem apostolicam devoluto, predictus dominus Urbanus papa IIII nos, Jordanum, miseratione divina

sanctorum Cosme et Damiani diaconum cardinalem, dedit in ipsa partibus auditorem et ipsam nobis commisit fine debito terminandam. Petente autem coram nobis procuratore memorati Henrici pro eodem H. ut in eodem negotio, mediante justitia, procedere deberemus, dictum Gerardum citari in audientia publica ad certum terminum fecimus; in quo termino comparentibus in judicio coram nobis Guillelmo Nicolai de Trecis, clerico procuratore dicti Henrici pro eodem H., et Johanne presbitero de Rinies pro Gerardo de Pace predicto, idem Johannes confessus fuit in predicto negotio appellatum fuisse, ut superius est expressum. Citato autem postmodum primo, secundo et tertio per .. decanum Cathalaunensem, domini pape capellanum ac ejusdem palatii generalem auditorem causarum, cui vices nostras non totaliter in hac parte commisimus, dicto Gerardo vel procuratore ejus ad certos terminos, ut est moris, quia in eisdem terminis et post ipsos terminos expectatus diutius, pro parte ipsius Gerardi nullus procurator comparuit vel defensor, dicto Guillelmo, procuratore ipsius H., in ipsis terminis legitime comparente, idem decanus, prefati H. juribus et munimentis, per que suam in hac parte intentionem fundare volebat, receptis et diligenter examinatis, pronuntiavit negotium predictum per appellationem fore ad sedem apostolicam legitime devolutum et ipsum in eadem esse tractandum. Coram quo decano Cathalaunensi idem Guillelmus, procurator prefati H., obtulit libellum postmodum dicti H. nomine in hac forma :

« In nomine Domini amen. Coram vobis, domino » Garino, decano Cathalaunensi, domini pape capellano » ac ejusdem palatii causarum generali auditore, cui » venerabilis pater dominus J., sanctorum Cosme et » Damiani diaconus cardinalis, in hac causa partibus » concessus auditor, hujusmodi causam tantum audiendam commisit, dicit et proponit in jure magister Nicolaus Guillelmi de Trecis, clericus procurator Henrici » de Brayo, canonici ecclesie sancti Usmari Lobiensis, » Cameracensis diocesis, procuratorio nomine ipsius » H. et pro eo, contra discretos viros .. decanum, et » capitulum et Gerardum de Pace, canonicum ejusdem » ecclesie, quod felicis recordationis Alexander papa » IIII, intellecto quod in dicta ecclesia sancti Usmari » Lobiensis, occasione prebendarum que inibi vacaverant post constitutionem quam ipse ediderat super » exoneratione ecclesiarum superfluis clericorum receptionibus gravatarum, dissensiones et scandala » inter receptos ibidem sepius emergebant, venerabili » patri domino O., sancti Adriani diacono cardinali, » commisit ut de prebendis ipsis, quibus de sic receptis deberentur, et alias quis de receptis eisdem quam » seu quotam deberet expectare prebendam diffiniret » ac sententialiter declararet. Cumque, omnibus quorum intererat, citatis legitime, idem dominus cardinalis in hujusmodi negotio aliquantulum processisset, et se ad partes alias transtulisset, sanctissimus » pater dominus Urbanus papa IIII discreto viro magistro Matheo de Salerno, capellano suo, duxit hujusmodi negotium committendum. Qui, dicto Henrico » et quibusdam aliis ex receptis predictis per procuratores ydoneos, et quibusdam personaliter comparentibus coram eo, juribus singulorum examinatis » sollicite et diligentius recensitis eidemque domino » U. pape de ipsis facta relatione fideli, inter alia ordinavit et sententialiter declaravit, ut dictus H. prebendam que secundo loco post dictam constitutionem » vacaverat, et dictus Gerardus octavam in ecclesia » memorata obtinere deberent, omnibus aliis super » eis perpetuum silentium imponendo. Cum autem » idem dominus papa quod per eundem capellanum » pro eodem H. factum extitit, ratum habens et gratum, id duxisset per suas litteras confirmandum, » discreto viro .. decano ecclesie Rosetensis, Laudunensis diocesis, suis dedit litteris in mandatis, ut » dictum Henricum vel procuratorem suum, ejus nomine, in possessionem dicte prebende per se vel per » alium induceret et tueretur inductum, amoto ab » eadem secunda prebenda quolibet detentore. Porro, » dicto executore mandatum apostolicum predictum » per se et per alium exequente ac eisdem decano et » capitulo Lobiensibus et dicto Gerardo eidem executori temere et contra justitiam se opponentibus ac » proponentibus dictam litteram executoriam esse » subreptitiam in eo quod de appellatione que ex parte » dicti G. a predicta ordinatione seu sententia ad dominum papam fuerat interposita, ut dicebat, in eadem littera nulla mentio habebatur, et quod idem G. » eam possidebat et ante constitutionem predictam » canonice fuerat assecutus ab eodem executore, ex » parte dictorum decani, capituli et Gerardi, ex hiis » et aliis causis, frivole fuit ad sedem apostolicam appellatum. Unde, cum de appellatione predicta que » ab eadem sententia dicitur interposita, non constet, » nec idem G., etiam si interposita fuisset, eandem » fuerit prosecutus, licet tempora sint elapsa, nec ipsi » decanus et capitulum et Gerardus predictam appellationem a predicto executore interpositam, fuerint » infra tempora legitima prosecuti, petit dictus procurator, nomine ipsius H., per vos, domine auditor,

» sententialiter pronuntiari predictas appellationes » esse et fuisse frivolas et inanes, et ipsis appellatio- » nibus non obstantibus, predictam ordinationem seu » sententiam dicti magistri Mathei fore executioni de- » mandandam, ipsumque H. vel procuratorem suum » in possessionem prebende, que secundo loco vacavit, » inducendum et inductum defendendum, ipsumque » Gerardum ad restituendum eisdem H. predictam » prebendam cum fructibus perceptis vel qui percipi » potuerunt, quos extimat C marcas argenti, dictos- » que decanum, capitulum et Gerardum in centum » marcis argenti pro expensis inde factis per vos sibi, » procuratorio nomine dicti Henrici, et per eum ipsi » H. sententialiter condempnari. »

« Memorato insuper decano Cathalaunensi se ad partes alias transferente, nos dictum negotium magistro Delfinat[i] de Neapoli, domini pape capellano ac ejusdem palatii generali auditori causarum, committendum duximus, nobis tamen diffinitiva sententia reservata. Qui magister Delfinas, citatis iterum in publica audientia primo, secundo et tertio prefato Gerardo necnon decano et capitulo Lobiensibus vel procuratoribus eorundem, si qui essent in curia, et quibuscumque aliis qui sua crederent interesse, ad certos terminos jam elapsos, cum nullus pro parte eorundem compareret procurator vel defensor, in eisdem terminis, pro parte dicti H. dicto Guillelmo procuratore suo, legitime comparente, conclusoque in ipso negotio per eundem Guillelmum procuratorem ipsius H., idem magister Delfinas, discussis ipsius cause meritis, litteris, actis et munimentis pro parte dicti H. coram ipso productis, diligenter examinatis, nobis de predictis omnibus et singulis relationem fecit fideliter et prudenter. Quare pro parte H. memorati fuit cum instantia petitum a nobis ut predictum negotium deberemus diffinitive sententie calculo terminare. Visis igitur et intellectis juribus et rationibus dicti H. ac citatis prefatis decano, capitulo et Gerardo vel procuratoribus ipsorum, si qui essent in curia, ad sententiam audiendam, quia in assignato eis termino nec ipsi nec aliqui procuratores ipsorum, ac post terminum expectati diutius comparere curarunt, nos, ipsorum absentiam Dei replente presentia, sententialiter pronuntiamus sententiam seu ordinationem predicti magistri Mathei, appellationibus per dictum Gerardum, suo et procuratorio nomine dictorum decani et capituli, interpositis, nequaquam obstantibus, quatenus pro dicto H. lata extitit, executioni debite demandandam, ac ipsum H. in possessionem prebende que secundo loco vacavit in memorata ecclesia, inducendum, dictum Gerardum, detentorem ipsius, ad restitutionem ejusdem prebende dicto H. faciendam cum fructibus inde perceptis, nichilominus condempnantes. Insuper, decanum, capitulum et Gerardum predictos in viginti libris turon., expensarum nomine, taxatione nostra prehabita et juramento procuratoris dicti H. subsecuto, postmodum condempnamus. Lata et recitata fuit hec sententia apud Urbemveterem, in camera predicti domini J. cardinalis, anno Domini millesimo CC° LXIII°, indictione VII^a^, mense novembris VIII die, pontificatus domini Urbani pape IIII anno tertio, presentibus hiis testibus ad hoc vocatis et rogatis, magistro Martino decano Zamorrensi, Johanne de Rocca, Benedicto de Aquino, Bartholomeo de Turano et Egidio rectore ecclesie sancti Petri in Semita-Lata Aurelianensi, capellanis prefati domini J. cardinalis, et magistro Guillelmo Pampilonensi, capellano venerabilis patris domini Willelmi, tituli sancti Marci presbiteri cardinalis, et Gerardo de Florentia notario. Ad majorem autem hujus rei evidentiam et cautelam, predictus dominus J. cardinalis huic instrumento publico suum fecit sigillum apponi. Et ego Gregorius de Piperno, sancte Romane ecclesie scriniarius, predictis omnibus interfui et ea omnia de mandato predicti domini J. cardinalis scripsi et in publicam formam redegi, complevi et signavi rogatus. »

Nulli ergo nostre confirmationis etc. Datum apud Urbemveterem, XII kalendas martii, anno tertio. »

993 Orvieto, 19 février 1264.

Abbati de Merroliis praefatae committit executionem sententiae. (REG. 29, fol. 23, n° 41.)

« .. *abbati de Merroliis, Cameracensis diocesis.* Ut eorum que —. Datum apud Urbemveterem, XII kalendas martii, anno tertio. »

994 Orvieto, 19 février 1264.

Raymundo de Crosis canonicatum et praebendam a Guidone, episcopo Sabinensi, in ecclesia Lodovensi, ejusdem Lodovensis episcopi et capituli nomine, collatos, confirmat. (REG. 29, fol. 23, n° 42.)

« *Raymundo de Crosis, rectori ecclesie de Botenaco* [1], *Narbonensis diocesis, capellano venerabilis fratris nostri .. episcopi Sabinensis.* Lecta coram nobis devotionis tue petitio continebat quod dudum felicis recordationis Alexander papa, predecessor noster, venerabilem fratrem nostrum .. episcopum, et dilectos filios capitulum Lodovenses rogavit attentius eisque dedit per suas litteras in mandatis ut te, si de majoris vel sanioris partis eorum procederet voluntate, in canonicum reciperent et in fratrem, tibique de prebenda, si qua in eorum ecclesia tunc vacabat vel quam primum ad id se offerret opportunitas, providerent, non obstante partis contradictione minoris. Unde dicti episcopus et capitulum Lodovenses venerabili fratri nostro .. episcopo Sabinensi, recipiendi te eorum vice in canonicum Lodovensem concesserunt per suas patentes litteras facultatem. Idem autem episcopus Sabinensis te, juxta facultatem hujusmodi, in canonicum recepit ecclesie supradicte, prout in litteris inde confectis et ipsius episcopi Sabinensis sigillo munitis, plenius continetur. Nos igitur, tuis supplicationibus inclinati, receptionem hujusmodi ratam et gratam habentes, eam, non obstante quod de ecclesia de Botenaco mentionem in predictis litteris non fecisti, auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus, tenorem predictarum Sabinensis episcopi litterarum de verbo ad verbum presentibus inseri facientes, qui talis est :

« *Guido, miseratione divina Sabinensis episcopus, dilecto Raymundo de Crosis, capellano nostro, salutem in Domino.* Cum olim felicis recordationis dominus Alexander papa quartus venerabili patri .. episcopo et discretis viris capitulo Lodovensibus suas sub certa forma litteras direxisset, ut te, tunc clericum venerabilis patris .. archiepiscopi Narbonensis, si de majoris et sanioris partis ipsorum procederet voluntate, in eorum ecclesia reciperent in canonicum et in fratrem tibique de prebenda, si qua tunc vacabat ibidem vel quam primum ad id se facultas offerret, nichilominus providerent, et nos postmodum super hoc, dum essemus in regimine ecclesie Narbonensis, frequenter scripsissemus eisdem episcopo et capitulo preces nostras, tandem iidem episcopus et capitulum, post nostrarum precum instantiam, per suas litteras nobis ad ecclesiam Sabinensem translatis, dederunt plenitudinem potestatis recipiendi te, ipsorum vice, in ipsorum ecclesia in canonicum et in fratrem, prout in eorum litteris nobis super hoc directis, plenius continetur. Unde nos, ex potestate nobis ab eisdem episcopo et capitulo in hac parte concessa, te, vice episcopi et capituli predictorum, omnium et singulorum ipsorum salvis consuetudinibus, libertatibus, constitutionibus et statutis Lodovensis ecclesie et juribus receptorum, recipimus in ipsa Lodovensi ecclesia in canonicum et in fratrem. In hujus itaque rei testimonium et evidentiam pleniorem, presentes litteras per manum Baldi, notarii atque judicis ordinarii infrascripti, scribi jussimus, et eas nostri sigilli munimine fecimus roborari. Actum est hoc apud Urbemveterem, anno incarnationis Domini nostri Jesu Christi millesimo ducentesimo sexagesimo tertio, indictione sexta, mense aprilis die decima octava, pontificatus domini Urbani pape quarti anno secundo, presentibus hiis testibus vocatis et rogatis, scilicet dominis Bernardo de Laguscello canonico Bitterensi, domini pape cappellano, Bertrando de Pratis presbytero, et Guillelmo de Turno capellanis predicti domini Sabinensis. Ego Baldus, filius olim Cittonis Tancredi, sacrosancte Romane ecclesie auctoritate notarius atque judex ordinarius, hiis interfui et ea de mandato dicti domini cardinalis scripsi et in publicam formam redegi, et signum meum apposui. »

Nulli ergo etc. — Datum apud Urbemveterem, XII kalendas martii, anno tertio. »

[1]. ms : *Botsnaco.*

995 Orvieto, 19 février 1264.

Officiali et sacristae minori secularis ecclesiae s. Pauli Narbonensis mandat quatenus praedictum Raymundum de Crosis in ecclesia Lodovensi pro canonico tractari faciant. (Reg. 29, fol. 23 v°, n° 43.)

« *Officiali et sacriste minori secularis ecclesie s. Pauli Narbonensis.* Lecta coram nobis —. Datum apud Urbemveterem, XII kalendas martii, anno tertio. »

996 Orvieto, 3 mars 1264.

Magistro Dionisio Lemovicensi praebendam sententia Albanensis episcopi adjudicatam, confirmat. (Reg. 29, fol. 23 v°, n° 44.)

« *Magistro Dionisio Lemovicensi, canonico ecclesie Morinensis.* Ea que judicio etc. — usque communiri. Sane lecta coram nobis devotionis tue petitio continebat quod nos, in causa que inter te et Guillelmum de Liskes, canonicum ecclesie sancti Wolfranni in Abbatisvilla, Ambianensis diocesis, super prebenda que vacavit in ecclesia Morinensi per mortem magistri Johannis dicti *Colon,* ejusdem ecclesie canonici, vertebatur, ad sedem apostolicam legitime devoluta, dilectum filium magistrum Dalfinatem de Neapoli capellanum primo, et eo de nostra curia recedente, venerabilem fratrem nostrum .. episcopum Albanensem, dedimus auditorem. Unde idem episcopus, cognitis cause meritis et juris ordine observato, pro te, utraque parte presente, diffinitivam sententiam promulgavit, prout in litteris inde confectis et ipsius episcopi sigillo munitis, plenius continetur. Nos igitur, tuis supplicationibus inclinati, sententiam hujusmodi, prout provide lata est, gratam et ratam habentes, eam auctoritate apostolica confirmamus etc. usque communimus, tenorem ipsarum litterarum de verbo ad verbum presentibus inseri facientes, qui talis est :

« In nomine Domini amen. Orta inter Guillelmum de Liskes, canonicum sancti Wolfranni in Abbatisvilla, Ambianensis diocesis, ex una parte, et magistrum Dionisium Lemovicensem, canonicum ecclesie Morinensis, ex altera, super prebenda que in ipsa Morinensi ecclesia vacavit per mortem magistri Johannis dicti *Colon*, quondam canonici ecclesie supradicte, materia questionis, ex parte ipsius Guillelmi, coram magistro Dalfinate de Neapoli, domini pape capellano ac ipsius palatii causarum generali auditore, dicto magistro Dyonisio libellus oblatus extitit continentie infrascripte :

» Coram vobis, magistro Dalfinate de Neapoli, domini pape capellano ac palatii ejusdem domini » generali auditore causarum, et in causa infrascripta » partibus auditore concesso, proponit Stephanus de » Alblaing, clericus procurator Guillelmi de Liskes, » canonici ecclesie sancti Wolfranni in Abbatisvilla, » Ambianensis diocesis, contra magistrum Dionisium » Lemovicensem, qui se gerit pro canonico Morinensi, » seu legitimam personam intervenientem pro eo, di- » cens quod, cum prebenda vacaverit in ecclesia Mo- » rinensi per mortem magistri Johannis dicti *Colon*, » quondam predicte ecclesie canonici, que prebenda » auctoritate apostolica et decreti interpositione eidem » Guillelmo est debita, predictus tamen Dionisius in » dictam prebendam se intrusit et eandem occupavit » et detinet occupatam. Quare petit dictus Stephanus » predictam prebendam ad eundem G. spectare per » vestram sententiam declarari et eidem adjudicari, et » dicto magistro Dionisio super dicta prebenda per- » petuum silentium imponi, cum nullum jus sibi » competat in eadem, et ab eadem sententialiter amo- » veri et dictum G. in corporalem possessionem induci » et inductum defendi; et petit etiam ipsum condemp- » nari in fructibus perceptis et percipiendis et in ex- » pensis factis et faciendis, quas in processu judicii » declarabit; et protestatur dictus Stephanus quod per » hanc petitionem non intendit renuntiare juri quod » ipsi G. posset competere in alia prebenda dicte ec- » clesie Morinensis, si appareret quod ista prebenda » dicto G. non deberetur de jure. »

« Lite igitur super dicto libello legitime contestata prestitoque de veritate dicenda a partibus juramento, factisque quibusdam positionibus et responsionibus coram ipso magistro Dalfinate, capellano predicto, tandem dicto magistro D. se de curia absentante, sanctissimus pater dominus Urbanus papa IIII, nobis R., miseratione divina Albanensi episcopo, causam commisit hujusmodi audiendam et fine canonico terminandam. Cumque predicti magister Dionisius pro se, et Stephanus de Ablaing clericus, procurator dicti Guillelmi, idemque G. comparuissent in judicio coram nobis, factisque positionibus hinc et inde ac responsionibus subsecutis ad eas, datis etiam a partibus articulis coram nobis, nos, visis litteris, instrumentis et juribus utriusque partis, auditis etiam allegationibus et rationibus et eis que partes coram nobis proponere voluerunt, habitoque consilio peritorum ac obtenta a domino papa pronuntiandi licentia, die ad diffinitivam sententiam assignata, partibus presentibus coram nobis et diffinitivam sententiam instanter petentibus, cum dictus Stephanus, procurator dicti Guillelmi, intentionem suam minime probavisset et invenissemus magistrum Dionisium predictum jus habere in prebenda predicta, eundem magistrum Dionisium ab impetitione prefati Stephani, procuratoris dicti G., ipsius Guillelmi nomine, et etiam dicti Guillelmi coram nobis presentialiter existentis, sententialiter duximus absolvendum, eidem Stephano et per ipsum dicto G. super dicta prebenda perpetuum silentium imponentes, ipsum Stephanum procuratorem et dominum suum a prestatione expensarum in lite factarum — relevantes. Actum apud Urbemveterem, in hospitio nostro, presentibus magistro Roberto de Ros, magistro Johanne de Curia-Homeri, magistro Raynulfo de Fraxino, Henrico de Brissella et Gregorio de Ros, anno Domini M° CC° LXIIII°, die

xxiii mensis februarii, indictione viiª pontificatus domini Urbani pape IIII anno III°. Et ad majoris roboris firmitatem presentes litteras sigilli nostri munimine fecimus roborari. Et ego Hugoninus de Gaenayo, clericus auctoritate domini pape publicus notarius, de mandato domini .. Albanensis episcopi predicti, predicta scripsi meoque signo signavi. »

Nulli ergo nostre confirmationis etc. Datum apud Urbemveterem, v nonas martii, anno tertio. »

997 Orvieto, 5 mars 1264.

Archidiaconum Parisiensem praedictae sententiae executorem eligit. (Reg. 29, fol. 24, n° 45.)

« .. *archidiacono Parisiensi.* Lecta coram nobis —. Datum apud Urbemveterem, iii nonas martii, anno tertio. »

FIN DU TOME DEUXIÈME.

IMPRIMERIE GÉNÉRALE DE CHATILLON-SUR-SEINE. — A. PICHAT.